BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
4 G
14

H

[redacted]

~~H.X.n°19.~~
XXV.l.6.

13.20.c.63

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# SYNODORUM GENERALIUM AC PROVINCIALIUM DECRETA ET CANONES,

Scholiis, Notis, ac Hiſtoricâ Actorum diſſertatione illuſtrati,

PER Fr. CHRISTIANUM LUPUM,
IPRENSEM,
ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI,
Sacræ Theologiæ in Lovanienſi Academia Doctorem & Profeſſorem.

*PARS TERTIA.*

Continens Synodalia & Cathedratica Acta ſancti Leonis noni.

Ex libris F.M.F. pro Bibliotheca

Angeli Juliani S.M.S.M.



BRUXELLIS,
Typis FRANCISCI FOPPENS, ſub ſigno ſancti Spiritûs.
M. DC. LXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO AC AMPLISSIMO

DOMINO,

# D. MICHAELI VANDER SMISSEN,

Ad ſanctum Trudonem Imperialis, liberi, ac exempti Monaſterii Prælato digniſſimo, ejuſdemque Oppidi Domino Temporali,

*Nec non in Webbekom, Helchteren, Senii, Halmael, Borlò, Buvinghen, Muyſen Dynaſtæ, &c.*

ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

REVERENDISSIME DOMINE,

*Et Synodalia & Cathedratica, quibus Evangelicam Dogmatis ac Diſciplinæ integritatem & caſtitatem ſibi redditam gratulata olim fuit, ac etiamnum gratulatur Eccleſia, ſancti Leonis no-*

*ni Pontificis Acta, nec non & hæc ipſorum qualiacumque Scholia ſuo quaſi jure ambiunt atque expetunt patrocinium veſtræ Reverendiſſimæ Amplitudinis. Etenim non ſolus iſtorum Actorum Auctor Leo, ſed propemodum cuncti ad illa Cooperatores fuerunt è ſacroſancta magni Patris Benedicti familia aſſumpti Eccleſiæ Proceres. Nempè Cardinalis Humbertus, ſanctus Cardinalis Petrus Damiani, ſanctus Cardinalis & poſtmodùm Papa Hildebrandus, Cardinalis & poſtmodùm Papa Fredericus, Cardinalis & poſtmodùm Papa Deſiderius, ſanctus Lugdunenſium Archi-Epiſcopus Halynardus, ſanctus Cantuarienſium Primas Lanfrancus, & alii plures. Etiam fontes, ex quibus ſanctiſſima ſua Decreta hauſit optimus Pontifex, Patriarcha Benedictus poſuit in Eccleſia. Etenim in clauſtro ſub Epiſcopi oculis communem Cathedralium Clericorum vitam, quam ad graſſantem tunc in ipſis Incontinentiam & Simoniam eradicandam reparavit, Leo accepit à ſancto Abbate Romualdo, ſanctus Romualdus à ſancto Rigoberto, poſt ſancti Benedicti Monachum*

*chum Archi-Epiſcopo Rhemenſi. Hic Regularium Clericorum eſt in Europa omninò primus Auctor. Sanctiſsimum Inſtitutum adeò placuit Sancto, quem habemus etiam è ſancti Benedicti familia, Martyri & Apoſtolo noſtro Bonifacio, ut ipſum ad lapſæ Chriſtianitatis reparationem ſanxerit imponendum cunctis Francicæ Monarchiæ Eccleſiis. Et Rex Pippinus, ejuſq; filius Imperator Carolus, ac nepos Imperator Ludovicus omninò impoſuerunt. Et quis neſciat Europæ Eccleſiam numquam fuiſſe doctiorem aut ſanctiorem, quàm ſub iſtis Regularibus Clericis? Quòd mundum fecerint quaſi novum, teſtatur S. Galli Monachus. Hunc omnem electiſsimorum militum exercitum Mater Eccleſia debet ſancto Benedicto. Sua pro Canonicis Antiſtitum electionibus, & harum adversùs Regiæ nominationis violentiam ac Simoniam plenâ libertate & caſtitate ſanctiones ſanctus Leo ex Apoſtolicis, Nicænis, ac aliis Generalium Synodorum Canonibus hauſit; at hos innovandi & exſequendi conſtantiam in ipſum traduxerunt magnus ex ſancti Benedicti filio Papa*

 *Gre=*

Digitized by Google

*Gregorius, ex ſancti item Benedicti filio Rhemenſium Metropolita Hincmarus, ac præſertim Magiſter Florus, è tuo ſancti Trudonis Religioſiſſimo Monaſterio aſſumptus in Diaconum Eccleſiæ Lugdunenſis. Quin & primus Regiæ in Canonicas Electiones violentiæ ac ſpurcitiæ apud nos Damnator, ſanctus Eucherius Aurelianenſis Epiſcopus, pro iſta juſtitia exulavit, defunctus eſt, requieſcit, & glorioſam Reſurrectionem exſpectat in veſtro ſanctiſſimo Monaſterio. Et quas illud pro eadem juſtitia ac ipſius Defenſore ſeptimo Gregorio calamitates pertulerit, edicit in ſuo Chronico Anteceſſor veſtræ Amplitudinis, Abbas Rudolphus. Omnes ſuas poſſeſſiones maluit tranſcribi in Fiſcum, quàm Imperatoris Henrici quarti ſordibus connivere. Andegavenſis Hæreſiarcha Berengarius fuit è Joannis Erigenæ Schoti damnato cadavere enatus fungus: Uti ſanctum Nicolaum primum Pontificem Paſchaſius Rathertus, Rabanus Maurus, ac ſanctus Lupus ad iſtum, ita ad hunc expugnandum adjuverunt ſanctum Leonem ſanctus Lanfrancus, ſanctus*

*ctus Guitmundus; Durandus Troarnenſis, Magiſter Aſcelinus, aliiq́ ex ſancti Benedicti ordine Epiſcopi, Abbates, Doctores. Inter Leonis Acta primum locum meretur ſolemniſsima ad Imperatorem Conſtantinum Monomachum & omnem Orientalem Eccleſiam Legatio adversùs Photii ſchiſma, reſumptum à Patriarcha Michaële Cerulario: Hanc obierunt, & ſummo fructu explerunt Humbertus ad ſanctam Ruffinam è ſancti Benedicti filio Cardinalis Epiſcopus, & Cardinalis Fredericus, Romanæ Eccleſiæ Archi-Diaconus, frater Ducis Lotharingiæ, ac poſtmodum è Caſsinenſi Monacho Papa Stephanus nonus. Et omnes ſua adversùm Michaëlis nugas firmamenta mutuarunt ex eruditiſsimis, Nicolai primi Pontificis & Gallicanæ Synodi juſſu ſcriptis, libris Ratramni Monachi Corbeienſis. Proindè hæc Scholia non ſunt aliud, quàm meus erga ſancti Benedicti Ordinem, cui Auguſtiana familia ex multis titulis eſt obnoxia, debitus famulatus. Etenim Romanum ſancti Auguſtini Monaſterium, Eremitanæ Religionis caput eſt fundatio*



Digitized by Google

tio ac beneficium Domini Guilielmi Deſtoutteville, è ſancti Benedicti Ordine Rothomagenſis Metropolitæ, & Cardinalis Epiſcopi Oſtienſis. Et alia ſancti Benedicti beneficia noſter Ordo habet plura: Etiam hæc noſtra Provincia. Porrò hæc Scholia à quorumdam dentibus non poterunt non rodi. Hinc à Reverendiſsima veſtra Dignitate, firma & alta apud ſancti Benedicti familiam & omnem Eccleſiam anchora & columna, cæteris ampliſsimis beneficiis ſupplicant adjici gratiam Aſyli & Protectionis. Et ubi quærant Aſylum ſecurius? Etenim Eccleſiaſticæ Regulæ, Diſciplinæ, Hierarchiæ, atque Antiquitatis es per omnia peritiſsimus, & in ipſis indagandis inter tantas tantæ Prælaturæ curas verſaris aſsiduè, & quaſi feriaris. Dignus ſancto Leoni nono cum laudatis è ſancti Benedicti familia Patribus aſſediſſe, & conjudicaſſe. Antiſtites, quibus aut Evangelica eruditio, aut Apoſtolica vita deeſt, eſſe monoculos rectè ſcribit ſanctus Gregorius Nazianzenus. Amplitudo veſtra per utriuſque iſtius, præter quas omnis eſt præcipitiis obnoxia, ſcalæ gradus dig-

nitatem

Digitized by Google

*nitatem adſcendit, quotidiè procedit ad utriuſque faſtigium, ſuum Burſfeldenſis Congregationis, Illuſtriſſimi in Eccleſia ac Republica membri, gregem ducit ac paſcit per eaſdem vias, atque ita ut plenum lumen fulget in Eccleſia. Cujus radiis ut dudum foveri & gaudere mereamur, nobis impartiat Divina Clementia.*

Dabam Lovanii, in Conventu ſancti Joannis Baptiſtæ, die 23. Sept. Anno Domini 1672.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

REVERENDISSIMÆ DIGNITATIS VESTRÆ

obſervantiſsimus famulus,

Fr. CHRISTIANUS LUPUS.

# FACULTAS

## Reverendiſſimi Patris Prioris Generalis.

*Magiſter Frater* HIERONYMUS VALVASORIUS, *Mediolanenſis, totius Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini Prior Generalis, Reverendo & nobis in Chriſto Dilecto Patri Magiſtro, Fratri* CHRISTIANO LUPO, *Provinciæ Belgicæ, ejuſdem Ordinis & voti, ſalutem.*

HArum ſerie litterarum, noſtrique muneris authoritate, facultatem tibi impartimur typis mandandi librum à te eruditis lucubrationibus compoſitum, cui titulus inſcribitur *Scholia in Synodos Generales & Provinciales*, à noſtris deputatis Reviſoribus recognitum & approbatum, obtentâ tamen ab iis, ad quos ſpectat, permiſſione ac licentiâ. Datum Romæ in Conventu noſtro ſancti Auguſtini, die 26. Septembris 1670.

*noſtri muneris affixo ſigillo,*

Fr. HIERONYMUS VALVASORIUS, *Mediolanenſis, Generalis indignus.*

Magiſter Frater FRANCISCUS MARIA FIRAGATTA, Ordinis Secretarius.

---

# FACULTAS

## Admodùm Reverendi ac Eximii P. Magiſtri, Prioris Provincialis.

V*Iſâ Cenſurâ admodùm Reverendi Patris* JOANNIS SMIDTS, *Prioris Conventûs Lovanienſis, cui iſtud commiſimus, probantę tres Tomos Eximii P. M.* CHRISTIANI LUPI, *in Univerſitate Lovanienſi Sacræ Theologiæ Doctoris ac Profeſſoris, quibus eſt titulus,* Scholia in Concilia Generalia ac Provincialia, *harum tenore concedimus, ut in uſum ac bonum publicum, accedente conſenſu eorum quorum intereſt, prælo ſubjiciantur. Datum Lovani, ad S. Joannem Baptiſtam, die* 24. *Sept. Anno* 1672.

Fr. GUILIELMUS ROVENIUS, Eremitarum ſancti Auguſtini Prior Provincialis.

AP-

# APPROBATIO

*Reverendi admodùm Patris* JOANNIS SMIDTS, *Sacræ Theologiæ Licentiati, & Profeſſoris, ac Conventûs Lovanienſis Ordinis Eremitarum ſancti Patris Auguſtini Prioris, &c.*

NOtas has & Scholia ab Eximio Patre Magiſtro CHRISTIANO LUPO concinnata perlegi, in quibus nihil deprehenſum, quòd fidei bonisve moribus adverſetur. Quin potiùs ſolidè prorsùs ac nervosè Sacri Canones exponuntur, fugax rerumque Magiſtra Antiquitas mirum in modum revocatur, atque Lectori ſpectanda quadantenus exhibetur: Adeò ut hac in re nihil ultra deſiderari videatur. Quamobrem ut illicò lucem aſpiciant, omniumque terantur manibus, cenſeo digniſſima.

Fr. JOANNES SMIDTS.

---

# CENSURA ET APPROBATIO

Admodùm Reverendi ac Eximii Domini, D. NICOLAI DU BOIS, Sacræ Theologiæ Profeſſoris Regii, Cathedralis Eccleſiæ Brugenſis Canonici, ac Librorum Cenſoris Ordinarii, &c.

*VTillimam, ſi ullus, in Sacrorum Conciliorum, Canonumq; doctiſſima accurataq; interpretatione præſtitit operam Eximius Pater* CHRISTIANUS LUPUS *ex Ordine Divi Auguſtini, Sacræ Theologiæ Doctor, Profeſſor, & in Univerſitate Lovanienſi Sacræ Facultatis Theologicæ Regens. Quapropter ab Amatoribus veræ Theologiæ, quæ ſine prædictorum ſcientia multis in praxi erroribus eſt obnoxia, meritò legetur etiam hic Tomus. Et ut citiùs fiat, publicæ luci quamprimùm exponendum cenſeo. Dabam Lovanii, hâc 22. Auguſti Anno* 1672.

NICOLAUS DU BOIS, Librorum Cenſor.

---

# SUMMA PRIVILEGII REGII.

CAutum eſt Regiæ Majeſtatis Privilegio, ne quis intra Novennium citra *Franciſci Foppens* voluntatem imprimat, aut alibi impreſſum in haſce Ditiones invehat Librum intitulatum, *Synodorum Generalium ac Provincialium Decreta & Canones, Scholiis, Notis, ac Hiſtoricâ Actorum diſſertatione illuſtrati per* Fr. CHRISTIANUM LUPUM, *Ipreſem, Ord. Eremit. S. Auguſtini, Sacræ Theologiæ in Lovan. Acad. Doct. ac Profeſſorem, &c.* Sub pœnis in originali Diplomate contentis, dato Bruxellis, die 3. Novembris 1672.

*& ſignato*

LOYENS.

Digitized by Google

# ORDO
# CONCILIORUM
## AC
## DECRETORUM
## SANCTI LEONIS NONI,

*Quæ in hoc Tomo elucidantur.*


| | | |
|---|---|---|
| Concilium Remenſe. | | 353 |
| | Romanum I. | 481 |
| | Papienſe. | 487 |
| | Moguntinum. | 488 |
| | Romanum II. | 499 |
| | Vercellenſe. | 551 |
| | Pariſienſe. | 553 |
| | Romanum III. | 560 |
| | Romanum IV. | 563 |
| Decreta tria. | | 579 |


## INDEX DISSERTATIONUM.


1. De Latinorum Epiſcoporum & Clericorum continentia. 1
2. De Simoniæ crimine. 87
3. De Regia Antiſtitum nominatione. 245
4. De Laica Antiſtitum Inveſtitura. 325
5. De Remenſi Synodo. 423
6. De ſancti Leonis noni Actis adversùs ſchiſma Michaëlis Cerularii, Patriarchæ Conſtantinopolitani. 648


PRI-

Digitized by Google

# PRIMA PROOEMIALIS

## DISSERTATIO,

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

### De Latinorum Epiſcoporum & Clericorum continentia.

*RODerici fatalis, Gothorum in Hiſpania Regis, facinoroſæ libidines, Caroli Martelli Francorum Ducis ambitus, Merovingiorum ibidem Regum ignavia, Saracenorum ex Africa in Europam irruptio, & infœlicia noſtrorum cum ipſis bella, cauſarunt nobis Epiſcopos, Clericos, & Monachos pravos, pauperrimos, ad manuum labore quæritandùm victum compulſos, Eccleſiaſtici dogmatis ac moris ignaros, ipſoſque tandem verterunt in flagitioſos milites, ac maritos facinoroſos, atque ita dormientibus hominibus veniens inimicus homo ſuperſeminavit in medio tritici Zizania, ſacrilega Sacerdotum conjugia, profeſſam Regiæ ad Eccleſiaſticas dignitates nominationis Simoniam, omnium Sacramentorum nundinationem, Regiam Antiſtitum inveſtituram, Laïcas Eccleſiaſticarum Præfecturarum Commendas, maledictam Neophytorum ac puerorum hæreſin, liberam Monachorum Apoſtaſiam, Bar-*



Digitized by Google

*baricam ſacrorum bonorum direptionem, privatorum bellorum inſaniam, armatas Epiſcoporum atque Abbatum pugnas, aliaſque ſine lacrymis non memorandas ſordes. Quin immò cunctum Chriſtianitatis triticum ex omni fermè Europa inimicus evulſit. Apoſtolica ſancti Petri Sedes ipſum & conſervavit dudum, ac ſedulò replantavit. At ecce tandem ſupervenerunt patrata in Formoſum Pontificem ſcandala, Francici Imperii eclipſis, Italorum Principum turbulenta ad regnandum libido, inhabilium Pontificum per ipſos intruſio, atque ita omnem humanam medelam vulnera tranſcenderunt. Tantis Paganorum, Hæreticorum, & malorum Chriſtianorum ſordibus fœdata tunc fuit Eccleſia, ut peritura timeri potuerit, immò videri periiſſe. Miſericordia Domini, quia non ſumus conſumpti: Niſi Dominus nobis reliquiſſet ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus & Gomorrha. Ex optimo iſto ſemine prodierunt ſanctus Leo nonus, Victor ſecundus, Stephanus decimus, Nicolaus ſecundus, Alexander ſecundus, Gregorius ſeptimus, Urbanus & Paſchalis ſecundus, aliique ſimilis zeli ac ſanctimoniæ Pontifices, qui Apoſtolica Patrum corda in filios reduxerunt. Nempe fundamentum Dei ſtat, & tranſire non poteſt hocce Domini de Romana Eccleſia verbum :* Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. *Pro ſequentium Synodorum intellectu horum pleraque ſunt elucidanda.*

CAPUT

Digitized by Google

# CAPUT PRIMUM.

BIBLIOTECA ROMA

## *Exponitur antiqua Latinorum Epiſcoporum & Clericorum caſtitas.*

LATINA Eccleſia in ſuis Epiſcopis & Clericis ſemper æmulata eſt Sanctos Apoſtolos, de quibus in libro de Monogamia Tertullianus: *Petrum ſolum invenio maritum per* C. 11. *ſocrum, cæteros cùm maritos non invenio, aut ſpadones intelligam neceſſe, aut continentes.* Quare ſancti Martyris Ignatii Epiſtolam ad Epheſios, quæ Paulum adfirmat conjugatum, certum eſt à quopiam eſſe interpolatam. Porrò Petrum Apoſtolum, Domino adhærentem, ſtatim uxoris uſui renuntiaſſe, non eſt dubitandum. Etenim hæc Doctrina, *Volo omnes eſſe ſicut meipſum*, nequaquam fuit ſolius Pauli, ſed & ſancti Petri, quem Domino ſcimus dixiſſe: *Ecce nos reliquimus omnia.* Ea inter fuiſſe & uxorem evincit Domini reſponſum. Et Domino repudii licentiam exſcindenti repoſuerunt omnes Apoſtoli: *Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Abſit illorum ullum fuiſſe ex iſtis, de quibus Dominus: *Non omnes capiunt verbum hoc.* Quin immò etiam Nicolaum Diaconum, impudicæ ſectæ auctorem, uxorio operi dediſſe nuntium, tradunt Clemens Alexandrinus, in Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebius Cæſareenſis, ac in hæreticis fabulis Theodoretus. Mulieres, quas circumduxerunt quidam Apoſtoli, fuiſſe uxores errat laudatus Clemens, exindè opinans etiam Paulum fuiſſe conjugatum. Fuiſſe ſolius fidei ſorores ac diſcipulas, impenſam L. 3. c. 1. ac ſervitia præſtantes Magiſtris, veriſſimè ſcribunt Tertullianus, ſanctus Hieronymus, ſanctus Joannes Chryſoſtomus, laudatus Theodoretus, ac alii paſſim.

Quæſtio eſt, an Apoſtoli hocce ſuum exemplum cunctis Epiſcopis & Clericis fixerint in legem? Reſpondeo non fixiſſe in legem univerſalem. Etenim Apoſtolicum de ordinandis Epiſcopis ac Diaconis Canonem, *Unius uxoris virum*, in ſecundo Sermone de beato Job exponens ſanctus Joannes Chryſoſtomus, dicit prædicati Evangelii tempore mundum fornicatoribus, & adulteris, nec non & ſimultaneis polygamis fuiſſe plenum, ad vocatos ex iſtis ſordibus dirigi laudatum Canonem, ac pergit: *Dixit Apoſtolus*, UNIUS UXORIS VIRUM, *non ea* Tom. 6. *ratione, qua id nunc in Eccleſia obſervatur. Oportet enim prorſùs caſtitate ornatum eſſe Sacerdotem.* Et in decima Homilia ſuper primam Epiſtolam ad Timotheum: *Non hoc veluti ſanciens dicit Apoſtolus, quaſi non liceat abſque uxore Epiſcopum fieri, ſed ejus rei modum conſtituens. Judæis*

 *quippe*

Digitized by Google

*quippe licitum erat etiam ſecundo matrimonio jungi, & duas habere ſimul uxores.* Et ad eundem Apoſtoli locum Theodoretus: *Incipiebat prædicatio. Virginitatem autem nec Græci exercebant, nec admittebant Judæi. Liberorum enim procreationem exiſtimabant benedictionem. Quoniam ergo illo tempore non facilè inveniri poterant qui caſtimoniam exercerent, ex eis qui uxores duxerant, eos qui temperantiam honoraſſent, ordinari jubet. Illud autem,* UNIUS UXORIS VIRUM, *mihi videntur quidam rectè dixiſſe. Olim enim conſueverant & Græci & Judæi cum duabus, & tribus, & pluribus etiam uxoribus ſimul jungi lege matrimonii. Dixerunt ergo Divinum Apoſtolum dixiſſe eum, qui cum una ſola uxore pudicè cohabitat, dignum eſſe qui ordinetur Epiſcopus.* Opinionem multis confirmat, & concludit: *Hæc & alia conſiderans, admitto eorum interpretationem, qui ſic intellexerunt.* Ex quo principio conſtanter defendit, non ſucceſſivam, ſed ſimultaneam dumtaxat bigamiam eſſe fontem irregularitatis, ideoque & de facto ſuo, quo Irenæum ſucceſſivè bigamum conſecrarat in Tyriorum Epiſcopum, nunquam voluit pœnitere. De quo quidquid ſit, eandem

C. 1. expoſitionem laudat in ſuis ſuper Epiſtolam ad Titum commentariis ſanctus Hieronymus, rectèque addit Theophylactus: *Nonnulli aſſerunt, quod cœlibem innuat Apoſtolus, & ſi hoc fieri nequit, habeat quidem* eligendus Epiſcopus *unicam uxorem, verumtamen ſic quaſi non habeat, hoc eſt, ejus cupiditatibus non ſubditus.* Omnes ſibi ſimiles eſſe optans cælebs Apoſtolus ſanxit etiam cælibes eligi in Epiſcopos atque Diaconos, aut certè irreprehenſibiles unius uxoris viros, qui damnatæ per Evangelium ſimultaneæ Polygamiæ renuntiaſſent. Ab uxoris uſu ceſſare hiſce ſuaſit dumtaxat, non præcepit. Hinc enim ad Corinthiis ſcripta Apoſtoli verba, *Bonum eſt homini mulierem non tangere*, rursùm

Homil. 19. ſcribit laudatus Chryſoſtomus: *Nonnulli dicunt hoc dictum eſſe Sacerdotibus.* Improbat expoſitionem iſtam, adfirmat eſſe ad omnes fideles generale conſilium, atque ita ſupponit nullum tunc etiam Epiſcopis fuiſſe iſtius continentiæ præceptum.

Quæſtio eſt, An non ſolum initi uſum, ſed etiam ineundi conjugii licentiam Epiſcopis ac Diaconis permiſerint? Quidam conſtanter adfirmant. Etenim laudatus Chryſoſtomus de incæſtuoſo illo, qui novercam duxerat, Corinthio addit in literis ad carne lapſum, qui poſtea fuit famoſus ille Mopſueſtienſis Epiſcopus, Monachum Theodorum: *Sunt qui eum Sacerdotem fuiſſe autumant.* Eam eſſe communem ſenten-

C. 5. tiam adfirmat in ſecunda Epiſtola ad ſacram Virginem Olympiadem. Iſtum porrò Presbyterum, non quod uxorem, ſed dumtaxat quod novercam duxiſſet, ad ſolemnem pœnitentiam damnavit Apoſtolus, atque ita non ſolùm irreprehenſibiles unius uxoris viros conſecrari in

Sacer-

Digitized by Google

Sacerdotes, ſed etiam à cœlibibus conſecratis permiſit duci uxorem.

Quod ipſum quibuſdam Diaconis diſertè confirmavit Synodus Ancyrana. Et adeò non exceſſit Apoſtolicum indultum, ut ejus iſtum ipſum Canonem Græci inſeruerint ſuo famoſo, ac per Chalcedonenſem Synodum probato Codici, quem paſſim intitulant Codicem Eccleſiæ Univerſæ. Etiam vetuſtus Canonum collector id fecit, & ex Romanæ Eccleſiæ juſſu Abbas Dionyſius Exiguus. Apoſtolicæ ſanctioni adverſum Canonem ſanè non ita honorari oportuiſſet, ſed radi ubique & proſcribi. Et Presbyterum, qui deinceps conjugium attentaret, dumtaxat deponi, fornicatione autem lapſum inſuper excommunicari, & ad ſolemnem pœnitentiam cogi mandat Neo-Cæſareenſis Synodus: Quod nempè nova Presbyterorum conjugia illic antea licuiſſent. Et legem illam, quæ Epiſcopis, Presbyteris, ac Diaconis ſolum initum indulget, omne autem ineundum circumſcribit, non Apoſtolicam eſſe, ſed dumtaxat veterem dixit ad Nicænam Synodum Paphnutius Epiſcopus, confirmantque Hermias Zozomenus, Socrates, ac Gelaſius Cyzicenus. Quod nempè laxius Apoſtolicum indultum, dum abuſibus non clauſit vias, ſucceſſores Epiſcopi, quos inter fuerunt Patres Synodi Neo-Cæſareenſis, ita contraxiſſent. Cæperunt id per huncce Canonem: *Innuptis, qui ad Clerum promoti ſunt, præcipimus, ut ſi voluerint, uxores accipiant, ſed Lectores, Cantoreſq; tantùm.* Licet ante Conſtantinum Auguſtum generales Synodi non fierent, verè tamen ad Africanos Epiſcopos ſcripſit magnus Athanaſius: *Non nupera aut novitia res eſt Canonum Eccleſiaſticorum inſtitutio, ſed à primis uſque Patribus per manus tradita, & in Eccleſiis fundata.* Iſtorum item, quos vulgò Apoſtolicos dicimus, Canonum collectio, licèt Apoſtolica non ſit, antiqua eſt tamen, & ipſorum quidam ſunt antiquiſſimi, immò & Apoſtolici. Quo tempore, quo exordio, quo ſucceſſu jam laudatus Canon intrarit ac pervaſerit Eccleſiam, ignoro: Ex ipſo interim lucet olim majoribus etiam Clericis nova conjugia licuiſſe. Alioquin enim licentia iſta ad minores non debuiſſet authenticè reſtringi. Hæc ſunt quorumdam argumenta. Reſpondeo rem eſſe veroſimilem. Præſertim quoad Presbyteros ac Diaconos. Nullus enim olim Epiſcopus legitur iniiſſe novas nuptias, nullus Canon eas ipſis abſtuliſſe. Res incerta ſine firmis fundamentis non eſt definienda.

C. 10.

C. 1.

Apoſt. can. 27.

Quod initi conjugii uſum & Epiſcopis & Diaconis permiſerint Apoſtoli, inſigniter confirmat laudata per Euſebium Cæſareenſem ſancti Dionyſii Corinthii ad Pinytum Gnoſſiorum Antiſtitem Epiſtola, quâ ipſum admonet, ne grave caſtitatis onus Fratribus ex neceſſitate im- L. 4. c. 22.



Digitized by Google

ponat, ſed accuratè conſideret multitudinis imbecillitatem. Et reſcribens Pinytus Dionyſii quidem conſilium veneratur ac laudat, ex adverſo tamen obſecrat, ut ſacro Clero tandem aliquando permittat impartiri perfectioris Doctrinæ ſolidum cibum, ne in umbratilis eruditionis lacte ac puerili diſciplina conſeneſcat. Rectè enim apud Clementem Galanum ſcribit de Apoſtolis Adanenſis Armeniorum Synodus: *Apoſtoli miniſterio verbi pro viribus inſtantes, intenti potiſſimùm erant, ut homines ab erroribus ſimulacrorum ad unius veri Dei cultum converterentur. Cum in hanc rem impenderent omnem curam*, variorum rituum ac morum *ordinem haud ſanè multùm curaverunt.* Eadem ratione NeoCæſareenſibus prædicaſſe ſanctum Gregorium Thaumaturgum, ideoque illis varios imperfectos, à ſucceſſoribus poſtea poliendos, ritus

C. 29. reliquiſſe ſcribit in libro de Spiritu ſancto magnus Baſilius. Ad quam polituram veniſſe in Montano incarnatum Paracletum, inſanivit

C. 2. Tertullianus. In libro interim de velandis virginibus optima eſt ejus hæc de diverſis & adverſis Eccleſiarum conſuetudinibus regula: *Adhibenda eſt examinatio, quæ magis ex diverſis conſuetudinibus diſciplinæ Dei conveniat.* Hocce de præſenti puncto examen ſuæ Provinciæ adhibere cœpit Cretenſium Metropolita Pinytus, ab Apoſtolis permiſſam Clericalis conjugii licentiam cenſuit fuiſſe meram pro tempore, & à ſuprà adducto Patrum Canone non ſatis purgatam indulgentiam, atque ita cunctis ſuæ curæ Epiſcopis ac majoribus Clericis plenam caſtitatem, quam exemplo commendaſſent omnes iidem Apoſtoli, & Romanæ Eccleſiæ ſanctus Petrus impoſuiſſet, ſanxit deinceps eſſe legem. Spectabat ad Illyricianam Diœceſin ac Romanum Patriarchatum, ideoque Apoſtolicæ matris morem cenſuit amplectendum. Verùm Achaiæ Metropolita laudatus Dionyſius, licèt ad eandem ſpectans Diœceſin ac Patriarchatum, graviter interceſſit, collegæ zelum quidem prædicans, at multis Sacrorum Ordinum infirmis nolens imponi neceſſitatem oneris, quod Apoſtoli & ipſorum uſque huc ſucceſſores liberum reliquiſſent. Quis cauſam evicerit, ignoro: Exiſtimem ambos ad ſuo in ſenſu abundandum perſtitiſſe. Quidquid ſit, lucet inito conjugio utendi libertatem etiam Epiſcopis permiſſam ab Apoſtolis, ipſam viguiſſe etiam in Illyrico, & quoſdam indulto fuiſſe uſos, at multos proprio placito abſtinuiſſe.

Eandem formam viguiſſe in Antiocheno Patriarchatu, docet unus è Nicænæ Synodi Patribus ſanctus Spiridion, Trimithuntis in Cypro Epiſcopus: Quod enim uxorem & liberos habens, rem Divinam non

L. 1. c. 11. negligentiùs obierit, ac inſuper claruerit miraculis, teſtantur Hermias

L. 1. c. 8. Zozomenus, Socrates, & alii plures. Quod eadem licentia per omnem

Digitized by Google

nem Cyprum ſaltem in Diaconis, immò & in Presbyteris per alias ejuſdem Patriarchatus Provincias manſerit uſque ad ſancti Epiphanii Epiſcopatum, infra oſtendetur & ex ipſo Epiphanio, & ex ejus diſcipulo Joanne Monacho. Viguiſſe etiam in Alexandrino Patriarchatu, evincit Paphnutii Epiſcopi apud Nicænam Synodum interceſſio. Quomodò enim tantus Epiſcopus adversùm ſuæ Diœceſeos ſanctimoniam & conſuetudinem interceſſiſſet? Etiam Sanctis illic Martyribus, Chæremoni civitatis quæ Nilus dicitur, & Philææ Thmuitenſis Epiſcopo, fuiſſe uxorem & liberos ſcribit in Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebius Cæſarcenſis. Philæam hac in re æquiparat cum laïco Martyrii collega, Nobili viro Philomoro. L. 6. c. 34. L. 8. c. 10. 11.

Excipe tamen Patriarcham. Etenim adversùs Demetrii, quod præter morem & ſine exemplo conjugatus adſcenderet, electionem fuiſſe ab Alexandrino Clero graviter interceſſum, & Epiſcopum virginem denuò poſtulatum, teſtatur Orientale Alexandrinorum Patriarcharum Chronicon. Et hinc poſt quadraginta annorum conjugium & ſe & uxorem eſſe virgines, vulgari per ignem probatione demonſtravit Demetrius: Nec antea populus acquievit. Plenam continentiam ſanctus Marcus ſuis ſucceſſoribus fixerat in legem.

Ponticæ Diœceſeos conſuetudinem diſcimus ex primo Canone Neo-Cæſarcenſi: *Presbyter, ſi uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si verò fornicatus fuerit, vel adulterium perpetraverit, ampliùs pelli debet, & ad Pœnitentiam redigi.* Et ex decimo Canone Ancyrano: *Diaconi quicumque ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt velle ſe conjugio copulari, quia ſic manere non poſſunt; hi ſi poſtmodum uxores duxerint, in miniſterio maneant, propterea quod eis Epiſcopus licentiam dederit. Quicumque ſanè tacuerint, & ſuſceperint manus impoſitionem profeſſi continentiam, & poſtea nuptiis obligati ſunt, à miniſterio ceſſare debebunt.* Hunc Canonem in nuper per Lucam Dacherium edito adversùm Photii calumnias Tractatu Æneas Pariſienſis Epiſcopus legit longè aliter: *Diaconi quoque, cum ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt, dicentes velle ſe habere uxores, neque poſſe ſe continere, hi poſtea ſi ad nuptias convenerint, maneant in Clero tantùm, & à miniſterio abjiciantur. Quicumque verò tacuerint, & ſuſceperint manus impoſitionem profeſſi continentiam, & poſtea ad nuptias convenerint, à miniſterio vel Clero ceſſare debebunt, laicam tantùm communionem recipientes.* Ex ipſo probat omnes olim ſacros Clericos fuiſſe ad profitendam continentiam in Orientali etiam Eccleſia rigidiſſimè adſtrictos. Contextum iſtum unde hauſerit, ignoro: Noſtrum firmant Codex Eccleſiæ Univerſæ, Joannes Scholaſticus Patriarcha Conſtantinopolitanus, priſca Canonum C. 2.

Lati-

Latina editio, Dionyſius Exiguus, aliique omnes, & Latini & Græci, Canonum collectores.

Nova conjugia non ſolùm Epiſcopis, ſed etiam Presbyteris ac Diaconis fuiſſe pridem interdicta apud Ponticos, lucidè clamat uterque Canon, ac ſupponit. Verùm inſignes Monachos, aut in populo cœlibes ad Clericatum rapi, & invitos ac reclamantes ab Epiſcopis conſecrari, fuit olim frequentiſſimum. Sic enim factum fuit ſancto Epiphanio, germano ſancti Hieronymi Pauliniano, ſancto Paulino, ſancto Auguſtino, & aliis multis. Et reclamantes ſolebant, quandoque veraciter, quandoque aſtutè ad elabendum, de ſibi impoſſibili caſtitatis cuſtodia proteſtari. Sic namque proteſtatus fuit & ſanctus Syneſius, licèt non raptus, ſed dumtaxat contra voluntatem electus ad Pentapolitanæ Ptolomaidis Epiſcopatum. Propter hoſce mota fuit quæſtio, an veracitèr & ex corde proteſtantes per violentòr impoſitam ſacræ ordinationis manum eſſent adſtricti ad plenam caſtimoniam, & à matrimonio perpetuùm excluſi? Erat res dura, ac plena varii periculi: Et fortaſſe evenerant infœlicia exempla. Hinc ergo taliter ordinatis Diaconis uniùs matrimonii licentiam fecit Synodus Ancyrana. Verùm incundi in Diaconi gradu ante adſumptum aut impoſitum Presbyteratum. Per hunc cenſebatur receſſum eſſe à proteſtatione. Et adversùm illos, qui ſua ante Diaconatum interpoſita proteſtatione uti diſtulerant, & jam Presbyteri volebant uti, emiſſus fuit laudatus Canon Neo-Cæſareenſis. Etiam ſolis ad Diaconatum, nequaquam ad Presbyteratum raptis & proteſtantibus iſtam licentiæ gratiam fecit Ancyrana Synodus: Ad Presbyteratum quippe raptus eſſe debebat triginta annorum, ideòque cenſebatur ſine fundamento adverſus caſtitatem proteſtari. Lucet ergo veterem, qui majoribus Clericis abſtulit novas nuptias, canonem etiam hac in Diœceſi eſſe antiquum, & iſto excepto caſu conſtanter viguiſſe.

Dixi datam ab Apoſtolis licentiam non fuiſſe univerſalem. Romanæ enim ac omnis Latinæ Eccleſiæ Epiſcopos, Presbyteros ac Diaconos ſanctus Petrus Apoſtolus omnino compulit ad plenam continentiam: Ad antea etiam ductæ uxoris uſui renuntiandum. Lucet ex
C. 13. Tertulliani libro ad caſtitatem exhortatorio: *Quanti in Eccleſiaſticis ordinibus de continentia cenſentur, qui Deo nubere maluerunt, qui carnis ſuæ honorem* in primævum paradiſi ſtatum *reſtituerunt, quiq; jam ſe illius ævi filios dicaverunt, occidentes in ſe concupiſcentiam libidinis, & totum illud quod intra paradiſum non potuit admitti?* Vox, *Dicaverunt*, lucidè importat profeſſionem ac votum. Hinc eoſdem noſtros Clericos in libro de velandis virginibus appellat *viros Virgines ac voluntarios*

*tarios Spadones*. Et quod ipſe, dum in majorem Carthaginenſis Eccleſiæ Clerum fuit adſcriptus, uxorio operi valedixerit, lucet ex libris ad uxorem. Et avitam Epiſcoporum, Preſbyterorum, atque Diaconorum caſtitatem reparans Africanæ Diœceſeos Primas Aurelius, dixit ad ſecundam Carthaginenſem Synodum: *Quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus*. Quod Africa non ſub ipſis C. 2. Apoſtolis, ſed dumtaxat ſub ipſorum ſucceſſoribus crediderit ac receperit Evangelium, in libro de unico Baptiſmo ac in Carthaginenſis Collationis Breviculo profitetur ſanctus Auguſtinus, ideòque iſtam caſtitatis C. 15. L. 3. c. 8. legem nequeunt illic Apoſtoli prædicaſſe.

Quo circa Aurelius locutus fuit ex ſancti Innocentii Primi Pontificis Epiſtola ad Decentium Epiſcopum Eugubinum: *Quis neſciat id, quod à Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt ac nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſervari? Præſertim cùm ſit manifeſtum, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias atque Siciliam, inſulaſq; interjacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus ſucceſſores, conſtituerint Sacerdotes. Aut legant, ſi in his Provinciis alius Apoſtolorum invenitur aut legitur prædicaſſe*. Quod Africa à Romana Eccleſia acceperit Evangelium, in Præſcriptionum libro teſtatur etiam Tertullianus. Hinc ergo, ut & omnis alia Latina Eccleſia, ex ſancti Petri lege accepit & plenam ſui majoris Cleri caſtitatem. Dico, *Latina Eccleſia*: Quod enim Orientale Illyricum, uti linguam, ita & Græcam Cleri caſtitatem habuerit, eſt ſupra oſtenſum. Res ita cucurrit uſque ad Synodum Nicænam.

## CAPUT II.

*Exponitur Nicænæ Synodi de Clericorum caſtitate Decretum.*

LIcèt rituum ac morum varietas Catholicam unius fidei Eccleſiam faciat eſſe Reginam circumamictam varietatibus, plenam tamen etiam iſtorum unitatem inducere ſemper ſtuduit Apoſtolica Sedes, ideòque ejus Legati in Nicæno Concilio fecerunt quod ſcribit Socrates: *Viſum erat Epiſcopis legem novam in Eccleſiam introducere, ut qui eſſent ſacris initiati, ſicut Epiſcopi, Preſbyteri, & Diaconi, cum uxoribus, quas cùm erant laici in matrimonium duxiſſent, minimè dormirent. Et quoniam illis erat propoſitum de hac re conſilium inire, in medio eorum conſeſſu ſurrexit Paphnutius, ac vehementer vociferatus eſt, non grave jugum cervicibus illorum imponendum eſſe, qui erant ſacris initiati. Honorabile eſſe conjugium inter omnes, & thorum immaculatum. Videndum, ne nimis exquiſita præſcriptione* L. 1. c. 8.

 Eccle-

Digitized by Google

*Eccleſiam gravi incommodo adficerent. Omnes enim non poſſe ferre tam auſteram diſciplinam, tamq; ab omni animi perturbatione vacuam, neque à ſingulorum uxoribus fortaſſe eam caſtitatis normam poſſe ſervari. Viri autem cum legitima uxore concubitum appellavit caſtimoniam. Illud ſatis eſſe, ut qui in Clerum ante adſcripti erant, quam duxiſſent uxores, hi ſecundùm veterem Eccleſiæ traditionem deinceps à nuptiis ſe abſtinerent, non tamen quemquam ab illa, quam jam pridem dum laicus erat uxorem duxiſſet, ſejungi debere. Iſtam in Epiſcoporum conventu orationem habuit Paphnutius, cum ipſe non modò nuptias non expertus eſſet, ſed etiam mulierem non aliquando attigiſſet. Nam à puero in Monaſterio ſeipſum ſevero vitæ & diſciplinæ generi addixerat: Qui quidem propter ſingularem caſtimoniam præ cæteris planè in magna famæ celebritate vixit. Itaque cum totus Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum conventus verbis Paphnutii aſſenſiſſet, controverſia de hac re exorta eſt penitùs ſedata, poteſtaſq; permiſſa cuiq; pro arbitratu ab uxoris conſuetudine abſtinendi.* In illa, quæ morum regulas condidit, ſeſſione fuiſſe factum ſcribit Hermias Zozomenus, addens novam iſtam legem non de ſolis Epiſcopis, Presbyteris, ac Diaconis, ſed etiam de Subdiaconis fuiſſe poſtulatam. Quæ ipſa affirmat Gelaſius Cyzicenus. Nam & ſupra adductus, qui veterem Eccleſiæ traditionem continet, vulgaris Apoſtolicus Canon etiam Subdiaconos arcet à novis nuptiis, ipſaſque indulget ſolis Lectoribus & Cantoribus. Quod ipſum largioribus verbis ſanciunt Apoſtolicæ Romani Clementis conſtitutiones, atque ita produnt ſe neque Apoſtolicas eſſe, neque Clementis. Apoſtolicam enim conniventiam potiùs quam conſtitutionem memorata traditio contraxit, & utcumque perfecit. Eamdem traditionem Paphnutii interceſſio firmavit.

L. 1. c. 22.

Quæſtio eſt, An iſta interceſſio ſit authentica & vera? Rationem dubitandi præſtat Bertholdus Presbyter Conſtantienſis, affirmans Paphnutii Capitulum, quod pro ſacrilegis ſuis conjugiis ebuccinabant iſtius ſæculi Sacerdotes, uti figmentum fuiſſe à Gregorio Septimo Pontifice damnatum. Et plures graviſſimi ſcriptores ipſum ad Græculorum fabellas proſcribunt. Reſpondeo tamen eſſe authenticam. Ei namque atteſtantur non ſoli laudati Græcorum ſcriptores, ſed etiam in literis ad Vercellenſem Eccleſiam ſanctus Ambroſius, Apoſtolicum de unius uxoris viro Canonem laudans, ac pergens: *Cognoſcamus non ſolum hoc Apoſtolum de Epiſcopo & Presbytero ſtatuiſſe, ſed etiam Patres in Nicæni Concilii tractatu addidiſſe, neque Clericum quemquam debere eſſe, qui ſecunda conjugia ſortitus ſit.* In Canonicis ad Wulfinum in Anglia Epiſcopum literis neſcio quis Ælfricus addit à laudata Synodo ſic fuiſſe conſtitutum. Verùm labitur. Quomodò enim adversùs iſtam conſtitutionem

A. 1079.

Epiſt. 28.

Theo-

Digitized by Google

Theodoretus & alii Græci plures fuiſſent auſi conſtanter ſuſtinere ſolam ſimultaneam bigamiam eſſe fontem irregularitatis? Dumtaxat ergò tractatum fuit, cum præſenti Clericalis caſtitatis quæſtione propoſitum per Sedis Romanæ Legatos, ac poſtulatum, ſed à Paphnutii interceſſione ſuſpenſum ac impeditum. Eundem tractatum laudat ac interceſſionem probat Gangrenſis Synodus, adversùs Euſtatium Sebaſtenſem Epiſcopum, primæ Armeniæ Metropolitam, ſtatuens: *Si quis diſcernit Presbyterum conjugatum, quaſi non oporteat ejus oblationi communicare, anathema ſit.* C. 14. Relictam à Nicæna Synodo libertatem ex inconcinnis ac deviis rationibus damnabat Euſtatius, addens conjugatum Presbyterum eſſe abominabilem & ſcabioſum, ejuſque ſacrificium ſine contagio non poſſe audiri: Hanc ejus temeritatem damnavit laudata Gangrenſis Synodus, ſanctiſſimi Paphnutii interceſſionem, ipſique ab univerſali Concilio firmatam libertatem nolens judicari à quoquam, longè minùs anathematizari. Iſtud tamen exſtans ſuo tempore Capitulum rectè damnavit Gregorius Septimus: Erat enim à conjugatis tunc Latinis Sacerdotibus conſutum mendacium. Et ab authentico indulta Græcis libertas ad Latinos non poterat extendi.

Etenim avitum ac Apoſtolicum ſuæ Clericalis caſtitatis morem & Canonem conſtantiſſimè perrexit etiam poſt Nicænam Synodum Latina omnis Eccleſia cuſtodire. Quod Romano in Concilio, quo Nicæna Acta revidit ac probavit ſanctus Silveſter Pontifex, iſtam etiam caſtitatem novis adversùs Paphnutii interceſſionem Edictis firmarit, non eſt dubitandum. Licèt Acta perierint, lucidè tamen id ſupponere videtur in ſuis, laudatam caſtitatem apud Hiſpanos ſtabilientibus, ad Himerium Tarraconenſem Metropolitam literis Papa Siricius, edicens in ejus prævaricatores: *Noverint ſe ab omni Eccleſiaſtico honore, quo indignè uſi ſunt, Apoſtolicæ Sedis auctoritate dejectos, nec unquam poſſe veneranda attrectare myſteria, quibus ſeipſos, dum obſcœnis cupiditatibus inhiant, privaverunt.* C. 7. Lucidè laudat, non Apoſtolicum Canonem, nec avitam conſuetudinem, ſed non ita vetuſtum, quod omnem priori ſuo conjugio deinceps uſurum Sacerdotem aut Diaconum degradarat ſine ſpe reparationis, Apoſtolicæ Sedis Edictum, quod eſſe non potuit aliud, quam laudatum Silveſtri. Laudat Edictum, cujus quidam allegabant ignorantiam, quam de Apoſtolico Canone aut avita conſuetudine Epiſcopi non poterant habere. Adeò ipſa non ignorabant, ut per Paphnutii admiſſam à Nicæna Synodo interceſſionem ſoluta prætenderent aut laxata, & Græcæ Eccleſiæ libertatem etiam ad Latinos extenſam. Eos in hunc errorem circumſcripſerat novum Joviniani ac Vigilantii dogma, cujus prima rudimenta videntur ſtatim poſt laudatam Synodum

pullulaſſe. Hinc ipſa novis Edictis evelli debuerunt à Silveſtro, & avita caſtitas novis anchoris firmari. Quas anchoras in libro adverſùs Vigilantium omnino reſpicit & ſanctus Hieronymus: *Quid facient Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, & Sedis Apoſtolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt aut continentes, aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt?* Per Apoſtolicæ Sedis Eccleſias intelligit totum Romanum Patriarchatum: Innuit etiam Orientale Illyricum è Græca per Dionyſium Corinthi Epiſcopum defenſa olim libertate ad Latinam legem fuiſſe à Silveſtro traductum. Hinc enim & ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, ſuum iſtic Vicarium, ſcripſit ſanctus Leo magnus: *Cum extra Clericorum ordinem conſtitutis nuptiarum ſocietati & procreationi filiorum ſtudere ſit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconibus quidem connubium carnale conceditur, ut & qui habent tamquam non habentes ſint, & qui non habent permaneant ſingulares. Quod ſi in ordine, qui quartus à capite eſt, dignum eſt cuſtodiri, quantò magis in primo, aut ſecundo, vel tertio ſervandum eſt, ne aut Levitico miniſterio, aut Presbyterali honore, aut Epiſcopali excellentia quiſquam idoneus æſtimetur, qui ſe à voluptate uxoria necdum frænaſſe detegitur?* Conſtantinopolitanam Cathedram ſemper dilexerunt quidam iſtius regionis Epiſcopi: Hinc enim ad firmandam ſuæ Sedis Patriarchicam poteſtatem ſanctus Damaſus Pontifex iſtic poſuit novam Eccleſiaſticæ Præfecturæ ſpeciem, Apoſtolicum Vicariatum. Et nihilominus Eccleſias iſtas in ſuam Diœceſim tranſcribi à Theodoſio ſecundo Imperatore impetravit Atticus Regiæ civitatis Epiſcopus, ipſaſque nonniſi multo labore ſibi reddidit ſanctus Bonifacius Primus. Ita illic Paphnutii interceſſio, non ſolum in Diaconis aut Presbyteris, ſed etiam in Epiſcopis revixit. Hinc ergo Romanam etiam Subdiaconorum caſtitatem laudat apud ſuum Vicarium Leo, & ipſam ſaltem in Diaconis atque Presbyteris, ac præſertim in Epiſcopis reparari mandat & cuſtodiri. Quare in ſua Hiſtoria rectè ſcribit Socrates: *In Theſſalia conſuetudinem invaluiſſe novi, ut ibi qui Clericus ſit, ſi cum uxore, quam cum eſſet laicus ducebat, poſtquam Clericus factus ſit dormierit, Clericatu abdicatus ſit. Conſuetudinis auctor fuit Heliodorus Triccæ, quæ eſt illius regionis urbs, Epiſcopus, cujus feruntur libri amatorii, quos cum eſſet adoleſcens compoſuit, eoſq; Æthiopica inſcripſit. Eadem conſuetudo etiam Theſſalonicæ, & in Macedonia, & in Hellade ſervatur.* Hæ enim omnes ſunt Orientalis Illyrici Provinciæ. Errat conſuetudinem eſſe neſcio cujus Heliodori inſtitutum: Eſt ſancti Silveſtri lex, reparata per ſanctum Leonem. Poſſit tamen Heliodorus conſilio adjuviſſe.

C. 1.

Ep. 84. c. 5.

L. 8. c. 21.

Verùm quomodò ſanctus Hieronymus dicit hanc ſanctitatem viguiſſe etiam in Ægypto? Quomodò adverſus Paphnutii interceſſionem illa poſſit

poſſit eò penetraſſe? Reſpondeo penetraſſe per adductas à Romanis Legatis in Nicæna Synodo rationes. Adeò poſtulatæ, licèt non impetratæ, legis facta per ipſos relatio non fuit infructuoſa. De Alexandrina Eccleſia ad ejus Patriarcham Dioſcorum rectè ſcripſit ſanctus Leo magnus: *Unum nos oportet ſentire & agere, ut in nobis quoque eſſe unum cor & anima comprobetur. Cum enim beatiſſimus Petrus Apoſtolicum à Domino acceperit Principatum, & Romana Eccleſia in ejus permaneat inſtitutis, nefas eſt credere, quod ſanctus Diſcipulus ejus Marcus, qui Alexandrinam Eccleſiam primus gubernavit, aliis regulis traditionum ſuarum Decreta formaverit, cum ſine dubio de eodem fonte gratiæ unus ſpiritus fuerit & diſcipuli & magiſtri, nec aliud Ordinatus tradere potuerit, quam quod ab Ordinatore ſuſcepit.* Ep. 81. Etiam Dioſcorus Presbyter & Cheræmon Lector, laudatæ Eccleſiæ apud Anaſtaſium Auguſtum Apocriſarii, & ad Acacianum Schiſma componendum legati, ad Creſconium ac Germanum Epiſcopos, Anaſtaſii Secundi Pontificis Legatos, dixerunt: *Venerabiles ſanctæ Eccleſiæ Romanæ urbis atque Alexandrinæ, non ſolùm fidem rectam atque immaculatam, ex quo ſalutaris in eis prædicatus eſt ſermo, ſed etiam in Divino miniſterio ſemper concordiam ſervaverunt.* Hanc & ipſi fundant in primo ſuo Doctore atque Epiſcopo, ſancti Apoſtoli Petri filio ac diſcipulo beato Marco. Eodem ex principio, dum Alexandrinæ Eccleſiæ per Meletium læſa judicandi & conſecrandi jura reparavit, locutus eſt ſextus Nicænus Canon: *Quia & urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt.* Eandem ergo unitatem, adductas à Romanis Legatis in Nicæna Synodo rationes, nec non ſummum, quod ex Arianæ perfidiæ & Meletianæ turbulentiæ damnatione acceperat ab Apoſtolica Sede omnis Ægyptus, beneficium attendens Patriarcha Alexander, Epiſcopi ſui Paphnutii interceſſionem ſprevit, Synodaliter admiſit ac regidis Edictis firmavit Romanum morem, ipſumque vaſtiſſima iſta Diœceſis ſemper tenuit conſtantiſſimè, & cuſtodivit.

Lucet ex querimonia, quam *Patres Monaſteriorum, qui ſunt in Thebanorum Provincia, viri pii & ſancti*, depoſuerunt apud ſuum Alexandriæ Patriarcham ſanctum Cyrillum: *Quidam qui uxores recenter duxerunt, & in ipſis veluti thalamis adhuc conſtituti ſunt, aliquos ſanctiſſimos Epiſcopos arripiunt, & nullo de eis utique renunciante ordinantur Clerici ſeu Presbyteri.* Juvenes maritos, qui ab uxoribus continere, adeoque Ægyptiacam Clericalis caſtitatis legem ſervare adhuc non valeant, à circumſcriptis aut nimium facilibus Epiſcopis, & quidem ſine examine, Patres iſti queruntur etiam in Presbyteros conſecrari. Et forſan Epiſcopi iſti laudatam Alexandri legem ob Paphnutii à Nicæna Synodo probatam interceſſionem ſpernebant, rati ſolemne Generalis Concilii

 indul-

Digitized by Google

indultum non potuiſſe ab illo exufflari. Hinc enim ad Lybiæ ac Pentapolitanæ Provinciæ Epiſcopos ſcripſit laudatus Cyrillus: *Quoniam ad ædificationem populorum omnia à nobis facienda ſunt, hæc veſtra obſervet Pietas. Si eſt quidam ordinandus Clericus, de vita ejus inquirat, & an uxorem habeat, an non, & quonam modo duxit, & abſtinuit. Ita & noſtram conſcientiam puram conſervabimus, & inculpatum ſacrum ac venerabile myſterium.* Nullum conjugatum, niſi qui cum ſervandæ continentiæ pacto duxiſſet uxorem, aut jam pridem ab ipſa abſtinuiſſet, mandat deinceps ad majorem promoveri Clerum. Et hinc Patriarchæ, qui Cyrillum anteceſſit, Theophili, in Ptolomaidis Epiſcopum conſecrare volentis, ſacras manus effugere conatus ſanctus Syneſius, varia in ſemetipſum finxit: Præſertim quod à nuper ducta uxore nec poſſet continere, nec vellet. Norat in Ægyptio Epiſcopo non poſſe tolerari.

Per Orientis Eccleſias ſanctus Hieronymus non totum Orientale imperium intelligit, ſed ſolam Orientalem Diœceſim, ſeu Patriarchatum Antiochenum. Quod & is Latinam Cleri caſtitatem admiſerit, teſtatur etiam S. Joannes Chryſoſtomus, in ſecundo Sermone de beato Job affirmans hæc verba, *Unius uxoris virum*, non ea ratione, qua nunc obſervantur in Eccleſia, dicta fuiſſe ab Apoſtolo, & adjungens: *Oportet omni prorsùs caſtitate Sacerdotem eſſe ornatum.* Non ſolum Epiſcopum, ſed omnem Sacerdotem. Longè lucidiùs in Catharorum hæreſi loquitur ſanctus Epiphanius, Salaminenſis in laudato Patriarchatu Epiſcopus, ac Cypriorum Metropolita, ſcribens nullum etiam dumtaxat ſucceſſivè bigamum poſſe promoveri ad Clerum, ac ſubjungens: *Quin eum*
L. 59. c. 4. *inſuper, qui in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametſi unius uxoris vir ſit, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, aut Hypodiaconi ordinem admittit Eccleſia, ſed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris conſuetudine continuerit, aut ea ſit orbatus. Quod in illis locis præcipuè fit, ubi Eccleſiaſtici Canones accuratè ſervantur. At enim nonnullis adhuc in locis Presbyteri, Diaconi, & Hypodiaconi liberos ſuſcipiunt. Reſpondeo illud ex Canonis authoritate non fieri, ſed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agere & connivere conſuevit, ob nimiam populi multitudinem, cùm ſcilicèt qui ad eas functiones ſe applicent non facilè reperiuntur.* Clericorum cœlibatum affirmat omnino intendi ab Eccleſia, eſſe
C. 22. neceſſarium ac pergit in expoſitione Catholicæ fidei: *Sacerdotium ex virginum ordine præcipuè conſtat, aut ſi minùs ex virginibus, certè ex Monachis, aut niſi ex Monachorum ordine ad illam functionem obeundam idonei coaptari poſſint, ex his creari Sacerdotes ſolent, qui à ſuis ſe uxoribus continent, aut ſecundùm unas nuptias in viduitate verſantur.* Addit matrimonii uſum permitti ſolis Lectoribus & Cantoribus: *Nempè Lector non*

Sacer-

*Sacerdos eſt, ſed tamquam Divini Verbi ſcriba.* Quod factus Epiſcopus uxoribus utentes Diaconos invenerit in ſua Eccleſia, & à miniſterio ſuſpenderit, demonſtrat in ejus vita Joannes Monachus, & concludit: *Ex hoc non ampliùs ordinabat qui haberent uxorem, ſed viros Sanctos qui vitam exercebant monaſticam, & viduos probatos.* C. 37. 38.

Verùm quis iſte Canon, qui à negligentibus non ſervatur Eccleſiis, & contra cujus auctoritatem quarumdam adhuc Eccleſiarum Presbyteri, Diaconi, ac Subdiaconi ductis antea uxoribus utebantur? Nullus enim pro univerſali Eccleſia tunc exſtabat iſtius modi Canon. Reſpondeo non univerſalis Eccleſiæ, ſed ſuæ dumtaxat Orientalis Diœceſeos Canonem laudari ab Epiphanio, veroſimilitèr editum à ſancto Patriarcha Euſtatio, quem ob ſumma in ſe merita in ſancti Philogonii apud ſe defuncti locum è Berrhæenſi Epiſcopo exaltavit Synodus Nicæna. Exiſtimo & hunc & Alexandriæ Patriarcham Alexandrum Romanorum Legatorum relationi ac poſtulationi fuiſſe patrocinatos, ideoque domum reduces perfectæ caſtitatis Canonem, quem Paphnutii interceſſio fuerat morata, impartiiſſe ſua Patriarchali auctoritate, & cunctis ſuarum Eccleſiarum majoribus Clericis impoſuiſſe. Et hinc fortaſſe evenit, quod ab Euſebianis, non Arianis ſolùm, ſed & uxoriæ libidinis dilectoribus Epiſcopis fuerit de fornicatione ac ſuſcitata prole accuſatus, per falſos teſtes convictus Euſtatius, & iniquiſſimè degradatus. Poſſit hâc, quàm eadem de cauſſa à conjugatis Sacerdotibus ſuſtinuit Gregorius Septimus, peſſima calumnia in ſui Canonis talionem fuiſſe pulſatus. Quidquid ſit, errorem continent hæc Socratis verba: *Omnes illuſtres Presbyteri in Oriente, & Epiſcopi etiam, modò ipſi voluerint, nulla lege coacti, ab uxoribus abſtinent. Nam non pauci illorum, dum Epiſcopatum gerunt, etiam liberos ex uxore legitima procreant.* Quod etiam Epiſcopi id faciant, lucidè adverſatur ſancto Epiphanio: Apud quaſdam negligentes Eccleſias fieri aſſerit à ſolis Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis. Quod nulla lege coacti abſtineant, eidem adverſatur: Diſertè aſſerit fieri ex Canonis auctoritate. Fieri tamen poſſit, quod adversùs laudatum Canonem eſſet hinc indè præſcriptum. L. 5. c. 21.

Et quidem Epiſcopi omnes pro ſua perſona & gradu videntur Nicææ admiſiſſe Romanam caſtitatem, & Paphnutii interceſſionem pro ſolis Clericis probaſſe. Res tamen incerta eſt. Etenim inter articulos, de quibus Antoninum Epheſinum Epiſcopum, Aſiaticæ Diœceſeos Primatem, in Conſtantinopolitano ſancti Joannis Chryſoſtomi Concilio accuſavit Euſebius Valentinopolitanus Epiſcopus, fuit & hic: *Quod cum uxori propriæ renuntiaſſet, rurſum illi congreſſus eſt, filioſq; ex ea procreavit.* Non quod factus Epiſcopus, ſed quod poſt renuntiationem exercuiſſet conjugale

gale opus, ipſum accuſavit, ideoque ſupponit opus iſtud citra renuntiationem etiam Epiſcopo omnino licuiſſe. Poſſit tamen iſta renuntiatio Epiſcopatui fuiſſe adnexa. Exſtant iſta Synodalia Acta apud Palladii Helenopolitani Epiſcopi Dialogum cum Theodoro Diacono Eccleſiæ Romanæ. Quidquid ſit de mollibus Aſiaticis, Pontica Diœceſis pro ſuis Epiſcopis omninò admiſit. Etenim Petrum Sebaſtenum Epiſcopum, primæ Armeniæ Metropolitam, cum uxore ſua, ſed ut cum Sorore, cohabitantem, apud ejus germanum Fratrem ac Primatem ſanctum Baſilium de iſta cohabitatione detulit dictæ civitatis populus, adlegans Epiſcopum ex Canone obligari ad plenam caſtitatem, adeoque ab illo ſuſpecto contubernio ſeparandum. Et accuſationem uti legitimam omninò admiſit Baſilius, acceſſit Sebaſten, fratris cum uxore caſtitatem demonſtravit miraculis, atque ita populi ſcandalum exſtinxit. Dixi, *Pro Epiſcopis:* Quod enim Presbyteri, adeoque & Diaconi atque Subdiaconi ductis antea uxoribus uti illic potuerint, lucet ex Gangrenſi adversùs Euſtatium Sebaſtenſem Canone, & ex Anaſtaſio Cappadociæ Presbytero, quem quod cum uxore ſua, uti cum ſorore, caſtiſſimè viveret, tamquam de magno ſupererogationis opere admiratus eſt, atque laudavit idem Baſilius. Quæ omnia habes in ejus vita apud ſanctum Amphilochium Metropolitam Iconienſem.

Quod plenam caſtitatem omnis tandem Orientalis Eccleſia Epiſcopis ſuis in legem admiſerit, lucet ex novella Juſtiniani Auguſti ad Epiphanium Patriarcham Conſtantinopolitanum lege, quæ Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis permittit ductæ antea uxoris uſum, eligendum verò Epiſcopum vult eſſe profeſſum Monachum, aut certè Clericum, qui neque filios, neque nepotes, neque uxorem habeat, aut illi ſaltem non cohæreat, hoc eſt, ipſa ex mutuo conſenſu non utatur. Et in lege Codicis ad Julianum Prætorio Præfectum de ſola Presbyterorum, Diaconorum, ac Subdiaconorum incontinentia queritur, ipſiſque ſolis novas interdicit nuptias: Quod nempe omnes ubique Epiſcopi in plena viverent caſtitate. In quibus omnibus ſe profitetur dumtaxat eſſe priorum Canonum executorem. Exiſtimo laudari Canones S. Alexandri Alexandrini atque Euſtatii Patriarchæ Antiocheni, & aliarum Diœceſeon conſuetudinem, quæ pedetentim ubique fixerunt iſtam Sanctimoniam. Quæ tandem adeò profecit, ut in pleriſque Græcorum Eccleſiis ſolos longa caſtitate probatos Monachos admiſerit ad Epiſcopatum. Etenim in ſuo Hieroſolymitano itinere ſcribit de Maronitis Joannes Catovicus: *Omnes Maronitarum Pontifices, uti & Patriarcha, cœlibem agunt vitam, & Monachi ſunt Ordinis ſancti Baſilii, cæteris Presbyteris, quod uxorati ſint, ab hac dignitate excluſis.* Et de Chaldæis Neſtorianis: *Mona-*

L. 6. c. 1. 2.

L. 1. tit. 3. c. 48.

Digitized by Google

*Monaſteria habent ſancti Antonii Ordinis quam plurima, ex quorum cœtu cum Archi-Epiſcopi tum Epiſcopi omnes eliguntur.* Ita ſervari dicit apud omnes Orientales Eccleſias, & Schiſmaticas & Orthodoxas. Et ſanè matrimonio aſſuetis Presbyteris ac Diaconis meritò non credunt caſtum Epiſcopatum. Moris originem ignoro: Eſt tamen antiquus. Etenim ex ipſo etiam profanus Photius ex uxoris latere in Conſtantinopolitanum Patriarcham conſecrandus gradatim, primò fuit in Monachum attonſus. Certè poſt Nicænam Synodum paucos adduces Orientales Epiſcopos, quos non conſtet Monachos fuiſſe. Et hinc in ſuis ad quantum Apoſtolicum Canonem Scholiis deviat Theodorus Balſamon: *Ante ſextam Synodum, quæ fuit in Trullo Palatii, licebat Epiſcopis habere uxorem, etiam poſt dignitatem Epiſcopalem, quemadmodum & qui poſt matrimonium ordinantur Presbyteri ac Diaconi.*

Quæſtio eſt, An raptis ad ſacrum Ordinem, ideoque ante acceptam manus impoſitionem de ſibi impoſſibili caſtitatis cuſtodia proteſtantibus L. 5. c.
Diaconis datam unius poſterioris conjugii ab Ancyrana Synodo licen- 8.
tiam Synodus Nicæna exufflarit? Partem affirmativam ſuadent Gelaſius L. 22. c.
Cyzicenus, Hermias Zozomenus, ac Socrates, diſertè affirmantes veterem, 41.
quæ Epiſcopis & cunctis majoribus Clericis poſteriores vetabat nuptias, regulam fuiſſe à Nicænis Patribus probatam. Quod ipſum in laudatis legibus, in Novella ad Patriarcham Epiphanium, nec non ad Joannem Orientalis Prætorii Præfectum lege ſupponit laudatus Juſtinianus: Solis Lectoribus & Cantoribus affirmat novas nuptias licere ſecundùm Canones, à quovis altiori Clerico attentatas, nataſque ex ipſis proles declarat ac facit adulterinas; atque ita ſupponit Ancyranæ licentiæ nullum ſupereſſe locum. Pontica enim Diœceſis pleno jure tunc ſuberat Patriarchatui Conſtantinopolitano, ideoque & directis ad ejus Patriarcham legibus. Et Trullanæ, quæ cunctis generatim Diaconis etiam abſtulit iſtam licentiam, Synodo Pontici Epiſcopi omninò interfuerunt.

Reſpondeo tamen licentiam iſtam à Nicæna Synodo non fuiſſe caſſatam. Lucet ex Gregorii Siſenſis, Armeniorum Patriarchæ, apud Clementem Galanum exſtantibus, ad Haytonem Armeniæ Regem literis: *Etiamſi Sacerdos in Eccleſia noſtra, ſicut in Romana, cœlibem vitam non agat, rejicimus illos, qui Diaconos matrimonio jugant.* Per hoſce lucidè intelligit Græcos: Non utique omnes, ſed ſolos ſuos Condiœceſanos Ponticos, qui iſto poſteriori ſæculo adhuc utebantur Ancyranâ licentiâ. Laudata enim Epiſtola eſt ſæculi decimi tertii. Nempè univerſales generalium Synodorum Canones privatas ſingularium regionum conſuetudines non exufflant. Ita ſingularem ſuum, quo inferior Clerus Romam appel-

lare non ſinebatur, morem nec à Nicænis nec à Sardicenſibus Canonibus fuiſſe exufflatum, adversùs Zozymum Pontificem ſuſtinuerunt conſtantiſſimè Africani Epiſcopi, & obtinuerunt. Et adversùs ſanctiſſimum Decretum, quo & laïcis, & inferioribus Clericis, & non conficientibus Sacerdotibus ſacroſanctum Calicem interdicere parabat Tridentina Synodus, Caroli IX. Francorum Regis Legatio intercesſit: *Poſtulamus id fieri abſque eo quod præjudicium ullum fiat auctoritati & Prærogativæ Regis Christianiſſimi, & quorumdam in Gallia Monaſteriorum vetuſtiſſimæ conſuetudini.* Quæ Prærogativa & conſuetudo etiamnum hodiè omnino perſeverant. Et adversùm Gregorii VII. aliorumque Romanorum Pontificum in ſacrilega Sacerdotum conjugia Sanctiones, de ſingulari privilegio reclamarunt Nortwegiæ Presbyteri, ipſos ad ejus probationem admiſit, & iſtarum executionem diſtulit Innocentius III. Ita ergo veteri, licèt per Nicænam priùs Synodum, ac poſtea per laudatas Juſtiniani leges probato caſtitatis Canoni ſeſe non adſtringi crediderunt illi Diaconi Pontici, quibus ſingularem licentiam dederat Synodus Ancyrana. Et hinc fortaſsè ad alias etiam Provincias, ipſarumque non tantùm Subdiaconos ac Diaconos, ſed etiam Presbyteros traducta fuit iſta peſſima libertas, quam per varias leges cohibere debuit Imperator Juſtinianus. Et plenè non potuit. Nam conſuetudinem, quæ etiam Presbyteris toto poſt conſecrationem biennio dabat ineundi conjugii licentiam, fuiſſe ſuo tempore antiquam & adhuc graſſatam, in Novella
C. 3. ad Stephanum Patriarcham Conſtantinopolitanum lege teſtatur Leo ſapiens, ipſamque abolet & circumſcribit. Quod ipſum feciſſe videtur Synodus Trullana. Verùm nos hîc de ſolis Latinis Clericis agimus, non de Græcis.

Altera quæſtio eſt, Ex quo fundamento ſanctus Silveſter Pontifex, ſanctus Alexander Alexandrinus, ac ſanctus Euſtatius Patriarcha Antiochenus, à Nicæna Synodo probatam veterem Eccleſiæ legem exſufflarint, ac plenæ caſtitatis neceſſitatem ſuis Diœceſibus impoſuerint? Et quomodò iſtud ipſum in illis laudemus, quod in Sebaſtenſi Euſtatio damnavit Synodus Gangrenſis? Etenim Nicænos Canones eſſe Dei Spiritu conditos, ac totius mundi reverentia conſecratos, ideoque nec à majori Synodo poſſe ſolvi aut verti, edixit frequenter ſanctus Leo Mag-
C. 6. nus. Et licet non Apoſtolicus, tamen antiquus Canon habet: *Epiſcopus aut Presbyter propriam uxorem nequaquam ſub religionis*, ſeu ſervandæ caſtitatis *prætextu abjiciat; ſi verò ejecerit, excommunicetur.* Et nos Latinos ob ſolutos hoſce Canones eſſe damnatos prævaricatores dixit Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus, ideoque non ſeſe, ſed nos eſſe Schiſmatis Auctores. Reſpondeo veterem iſtam legem fuiſſe ſolius Orientalis

talis Eccleſiæ, ideoque ad nos Latinos non ſpectaſſe. Ex oppoſita ſancti Petri lege nos ſemper viximus: Abſit ut Nicæna Synodus ipſi derogarit. Alium adductum Canonem fateor antiquiſſimum: Verùm ille non uxoris uſum, ſed ejus dumtaxat cohabitationem, quæ cum plena caſtitate dudum viguit etiam in Latina Eccleſia, jubet & curam maritalem. Hinc enim & Nicænus Canon ſolas ſubintroductas mulieres proſcripſit à ſacrorum Clericorum domibus, nequaquam antea ductas uxores. Quare Sebaſtenus in Armenia populus, dum Epiſcopi ſui Petri uxorem poſtulavit ejici, exceſſit limites, aut rationes habuit pravæ ſuſpicionis. Undè & hanc dumtaxat purgavit Baſilius, uxorem non ejecit. Hæc ergo omnia ſpectant ad veterem Orientalis Eccleſiæ legem, quâ permiſſam ab Apoſtolis etiam novi conjugii licentiam contraxerunt ſucceſſores Epiſcopi, & quam Pinytus Gnoſſiorum Metropolita dixit eſſe imperfectæ diſciplinæ puerile lac, ac meram conniventiam; atque ita non ſolùm Romanus Pontifex, ſed quivis Patriarcha perficere potuit & abrogare. Sebaſtenſis Euſtatius non perfecit, ſed Anathematizavit: Omnium fidelium damnavit nuptias, ideoque fuit juſtiſſimè damnatus. Etiam Photius: Avitam enim, non ſolius Latinæ, ſed etiam Alexandrinæ atque Antiochenæ Eccleſiæ ſanctitatem damnavit ſine fundamento. Verùm hæc omnia ſunt alterius loci.

## CAPUT III.

### *Latinorum Subdiaconorum caſtitas exponitur.*

IN ſecunda, cui ducentos octoginta quatuor Epiſcopos adfuiſſe ſcribit Æneas Pariſienſis Epiſcopus, Romana S. Silveſtri Synodo habemus hunc Canonem: *Nullum Subdiaconorum ad nuptias tranſire præcipimus, ne aliqua prævaricatione præſumpſerit.* Fuiſſe dicitur omnium ad Romanum Patriarchatum ſpectantium Diœceſeon Synodus, & per ipſam cunctis iſtarum Subdiaconis plena caſtitas impoſita. Verùm ſpuria eſt: Ex mercibus, quas ab Hiſpania detulit neſcio quis Iſidorus, & per omnem Franciam ſparſit Riculfus, tertius poſt ſanctum Bonifacium Archi-Epiſcopus Moguntinus. Et certè Romanorum, & plurium in vicinis Eccleſiis Subdiaconorum plena caſtitas eſt ſancti Petri inſtitutum, dudum poſt ſancti Silveſtri tempora extenſum ad Afros, Hiſpanos, Gallos, Siculos, Calabros, alioſque Latinos. Quomodò Siculi & Calabri, ad Metropoliticam Romanæ Eccleſiæ poteſtatem proximè ſpectantes, iſtum Silveſtri Canonem non admiſiſſent? Et Siricii atque Innocentii ad Hiſpanos & Gallos miſſa adversùs Jovinianum ac Vigilantium De- C. 8.



Digitized by Google

creta edicunt de ſolis Epiſcopis, Presbyteris, ac Diaconis: Quod nempè generalem de Subdiaconorum caſtitate Canonem Romana Eccleſia necdum edidiſſet. Quæ varietas fuit etiam apud Orientales. Etenim veterem, novarum nuptiarum interdictricem, ſuæ Eccleſiæ legem ad Subdiaconos extendunt vulgares Apoſtolici Canones, Gelaſius Cyzicenus, Hermias Zozomenus, Imperator Juſtinianus, ac Trullana Synodus; at verò Socrates, cui favere videntur Apoſtolicæ Clementis Romani conſtitutiones, ad ſolos Diaconos. Lucidè favet decimus Ancyranæ Synodi Canon: Etenim proteſtantibus Diaconis, & non Subdiaconis facit ſingularem novi conjugii licentiam. Quod nempè ipſam avito jure haberent Subdiaconi, ideoque nec proteſtatione, nec privilegio egerent. Etiam ſolos Provinciæ ſuæ Diaconos ad caſtitatem coëgit ſanctus Epiphanius. Verùm ago hîc de ſolis Latinis.

Latina itaque caſtitas quoad Epiſcopos, Presbyteros, ac Diaconos fuit ubique univerſalis, at non ita quoad Subdiaconos. Eos ad plenam continentiam ſemper compulit Romana cum aliis variis Eccleſia, verum de Africana habet ſecunda Synodus Carthaginenſis: *Cum in præterito Concilio de continentia & caſtitatis moderatione tractaretur, gradus iſti tres conſcriptione quâdam caſtitatis per conſecrationes annexi ſunt.* Epiſcopos, Presbyteros, atque Diaconos dicit annexos, & pergit: *Quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.* Et quinta Synodus: *Cum de quorumdam Clericorum, quamvis erga proprias uxores, incontinentia referretur, placuit Epiſcopos & Presbyteros, & Diaconos, ſecundum priora ſtatuta etiam ab uxoribus continere. Quod niſi fecerint ab Eccleſiaſtico removeantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, ſed ſecundum uniuſcujuſque Eccleſiæ conſuetudinem obſervari debere.* Sunt in Africano codice Canones tertius & ſeptuageſimus, quibus conſonat & quartus, diſertè etiam adſtringens ſolos ordines Hierarchicos. Et quia hic eſt Fauſtini, Potentini in Piceno Epiſcopi, ac Apoſtolici ad Afros Legati, ſuffragium, lucet regulas iſtas, uti rationabiles conſuetudines, à Romanâ Eccleſiâ fuiſſe probatas. Et quidem ſanctus Gregorius Magnus, multorum abuſuum in Africâ extinctor, hac in re nihil reperitur immutaſſe. Ex quo fundamento vigeſimus quintus laudati Codicis Canon adjungat Subdiaconos, ignoro: Forſan pro, *Subdiaconi*, legendum ſit, *Clerici.* Ita cogunt textus cohærentia, & hæc verba: *Secundum priora ſtatuta.* Etenim & priora & poſteriora Afrorum ſtatuta adſtringunt ſolos Hierarchas. Pro dictis vocibus Theodorus Balſamon ſupponit has: *In ſuis terminis.* Vices intelligit, volens olim Latinos etiam Clericos non ſemper, ſed ſolis miniſterii vicibus à carnali commercio ceſſaſſe. At certum eſt hallucinari. Afrorum tamen Subdiaconi ſervare

C. 2.

C. 3.

ſemper debuerunt hunc Canonem tertiæ Carthaginenſis Synodi : *Lectores, cum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.* Rationes enim, quæ à lectoribus, longè magis à Subdiaconis alterutrum faciendum perſuaſerunt. C. 19.

Hiſpaniarum Eccleſia eoſdem fermè cum Africanâ mores olim habuit: Nam & Mauritania Tingitana ſpectabat ad illius Diœceſim. Hinc illic etiam quædam impoſuerunt continentiam, quædam Eccleſiæ Subdiaconis nuptias indulſerunt. Etenim ſtatuit prima Synodus Toletana: *Subdiaconus, defunctâ uxore, ſi aliam duxerit, ab officio removeatur, & habeatur inter Oſtiarios vel Lectores. Qui tertiam acceperit, abſtentus biennio, poſtea inter laicos reconciliatus per pœnitentiam communicet.* Non ſolum primas, ſed ſecundas etiam ac tertias nuptias palam fatetur eſſe validas ac ratas, utpote quas punit, non qua nuptias, ſed qua Subdiacono indignam bigamiam. Et hinc etiam Toletana ſub Richaredo Rege, & Gregorio Magno Pontifice habita Synodus ſolos Epiſcopos, Presbyteros, ac Diaconos caſtitatis lege conſtringit. Eoſdem ſolos conſtringit etiam quarta Toletana, ſoloſque Presbyteros ac Diaconos in Parochiis conſtituendos cogit ad Epiſcopo faciendam ejuſdem virtutis profeſſionem. Conſonat & primus Canon Synodi Oſcenſis. At vero Gerundenſis Synodus ſtatuit: *A Pontifice uſque ad Subdiaconum, poſt ſuſcepti honoris officium, ſi quis ex conjugatis fuerit ordinatus, ſemper alterius Fratris utatur auxilio, cujus teſtimonio vita ejus debeat clarior apparere.* Qui teſtari poſſit etiam à Subdiacono ſuam Subdiaconam haberi ut Sororem. Statuit pro ſola Provincia Tarraconenſi. Ejus tamen legem omni poſtea Hiſpaniæ impoſuit octava Synodus Toletana. Quidam Subdiaconi non tantum antea ductis uxoribus utebantur, ſed & novis ſe copulabant, *Aſſerentes hoc ideo licere, quia benedictionem ſe à Pontifice neſcirent percepiſſe.* Latini Subdiaconi per ſolam Sacrorum inſtrumentorum porrectionem ordinantur ſine impoſitione manuum: Hinc Hiſpani illi nullam crediderunt ſibi eſſe continentiæ legem, atque ita in ſecundas etiam nuptias delapſi noluerunt, juxta primæ Toletanæ Synodi Canonem, delabi item ad Lectores ac Hoſtiarios, ſed Subdiaconi permanere. Nuptiarum expertos compellere ad continentiam eſt res ardua ac plena periculi: Hinc enim Apoſtolus juniores viduas ſuaſit nubere ac generationi vacare. Hinc ergo ſtatuit & laudata Synodus octava: *Omni excuſationum diſcuſſo velamine, id præcipimus obſervari, ut cum Subdiacones ordinantur, cum vaſis miniſterii Benedictio eis ab Epiſcopo detur, ſicut in quibuſdam Eccleſiis vetuſtas tradit antiqua, & ſacra dignoſcitur conſuetudo ſubſtare probata, omni penitus ab illis ſorde mulierum ac familiaritate remota. Quod ſi hoc vulnere deinceps fuerint ſauciati, mox erunt ſub pœnitentiæ oneribus uſque ad extremum vitæ monaſteriis relegandi.*

Margin notes: C. 4. (beside "…ab officio removeatur, &"); C. 2. (beside "…Presbyteros,"); C. 21. (beside "…Gerundenſis Synodus"); C. 6. (beside "ſi quis ex conjugatis…"); C. 6. (beside "Synodus octava").



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Mandat Subdiaconos deinceps cogi ad profitendam ac ſervandam plenam continentiam, ideoque impoſterum ordinari non per ſolam inſtrumentorum porrectionem ſed adjungi certam benedictionis formulam, quâ profeſſio iſta oſtendatur ac ſigilletur. Hæc verba, *Sicut in quibuſdam Eccleſiis vetuſtas tradit antiqua*, reſpiciunt Tarraconenſis Provinciæ Eccleſias, confirmantque ſupra adductum Canonem Gerundenſem.
Cap. 11. Affirmant caſtitatem iſtam eſſe illic antiquiſſimam, unaque iſtam Subdiaconorum in Ordinatione Benedictionem. Quæ omnia innovat, & novis pœnis confirmat nona Synodus Tolentana.

Quamdam varietatem viguiſſe etiam in Gallicana Eccleſia, lucet ex litteris apud Jacobum Siermondum exſtantibus, ſancti Lupi Trecenſis & ſancti Euphronii Auguſtodunenſis Epiſcopi ad Talaſium Epiſcopum Andegavenſem: *Generationem filiorum ab his, quos conjugatos aſſumimus in Subdiaconos aut Exorciſtas, melius eſſet, ſi fieri poſſet, arceri. Quos melius eſt non aſſumi, quam de his poſtea ſub diverſa ſenſuum varietate certari, cum melius ſit omnes diſceptationum cauſas excludi: Ut qui non vult in Clericatu generari, non conſtituat in altario conjugatos.* Et infra: *Eccleſia jam obſequiis aggregatos ad ſecundas nuptias tranſire non patimur, quos poſtquam aſſumpti fuerint, etiam a primis penitus arcemus; Exorciſtas dumtaxat atque Subdiaconos.* Non ſolummodo illic erat iſta varietas, ſed & inter Epiſcopos diverſæ de ipſa ſententiæ, quibus componendis unam in omni Gallia ſtatui Clericalis continentiæ regulam ſuadent ſancti Euphronius & Lupus. Itaque Tricaſſina & Auguſtodunenſis Eccleſia Subdiaconos arcebant à poſterioribus nuptiis, anteà contractis uti permittebant. Quam licentiam fuiſſe paſſim in omnibus Galliarum Eccleſiis, liquet ex Innocentii primi ad ſanctum Exuperium Toloſæ Antiſtitem Epiſtola: Etenim nuperum Siricii Pontificis adversùs Hiſpaniarum Presbyteros ac Diaconos, uxorum ante ſacrum Ordinem ductarum uſum ſacrilegè repetentes, decretum extendit etiam ad Gallias, atque à ſolis Presbyteris ac Diaconis, de quibus ſolis Exuperius rogarat, mandat cuſtodiri. Nempe licentia iſta Subdiaconis illic ſemper fuerat, ideoque neque Exuperius, neque Pontifex illam volebant circumducere.
Cap. 3. Etiam in Canonica ad Ruſticum Narbonenſem Metropolitam Epiſtola ſanctus Leo magnus ſolis Epiſcopis, Presbyteris ac Diaconis imponit
Cap. 43. neceſſitatem initi antea carnalis matrimonii vertendi in ſpirituale. Et de ſolis Diaconis ſtatuit ſecunda Arelatenſis Synodus: *Non ordinentur Dia-*
Cap. 22. *cones conjugati, niſi qui prius converſionis propoſito profeſſi fuerint caſtita-*
Cap. 13. *tem.* Quod ipſum antea ſtatuerat prima Arauſicana, firmantque Arver-
Cap. 2. nenſis, & prima Turonenſis. Et hinc Epaonenſis non Subdiaconi, ſed ſolius Diaconi aut Presbyteri viduam arcet à novis nuptiis, quod nem-

nempe hæ ſolæ una cùm maritis voviſſent caſtitatem, & à conjugii uſu abſtinuiſſent. Hinc item plures Gallicanæ Synodi ſolis Epiſcopis, Presbyteris ac Diaconis interdicunt extraneas Agapetas: Quod nempe Subdiaconis uxore ſuâ utentibus, nulla eſſet illarum accipiendarum occaſio aut periculum. Ad idem reſpiciunt Synodus Venetica & Aga- Cap. 11.
thenſis: *Presbyteri, Diaconi atque Subdiaconi, vel deinceps quibus ducen-* Cap. 39.
*di uxores licentia non eſt.* Reſpiciunt Trecenſis, Andegavenſis ac plurium in Gallia Eccleſiarum conſuetudinem, de quâ ſupra audivimus ſanctum Euphronium ac Lupum.

Hanc Subdiaconorum licentiam circumcidit tertia Synodus Aurelia- Cap. 2.
nenſis: *Ut nullus Clericorum à Subdiacono & ſupra, qui uxores in propoſito ſuo accipere inhibentur, propriæ, ſi fortè jam habeat, miſceatur uxori. Quod ſi fecerit, laica communione contentus, juxta priorum Canonum ſtatuta, ab Officio deponatur.* Laudatarum Eccleſiarum, quæ Subdiaconos à ſolis ineundis inhibebant nuptiis, morem lucidè reſpicit, ipſumque abolet & circumſcribit, mandans illos etiam ab antea initis continere. Ex verbis, *Secundum priorum Canonum ſtatuta*, quidam volunt circumciſionem hanc non introduci ab hac Synodo, ſed dumtaxat innovari. At certum eſt falli. Adductæ voces reſpiciunt primæ Turonenſis Synodi decretum adverſus Presbyteros & Diaconos priori ſuo matrimonio utentes: *Licet à Patribus noſtris fuerit conſtitutum, ut quicumque Sacerdos vel Levita filiorum procreationi operam dare fuiſſet convictus, à communione Dominicâ abſtineretur; nos tamen huic diſtrictioni moderationem adhibentes decrevimus, ut ad altiorem gradum non aſcendat, neque ſacrificium Deo offerre, vel plebi miniſtrare præſumat. Sufficiat his tantum, ut à communione non efficiantur alieni.* Antiquus Eccleſiæ Gallicanæ rigor eos, non Clericali ſolum, ſed & laicâ ſpoliabat communione, id eſt, degradabat ſimul atque excommunicabat: Eum mitigat Synodus Turonica, ejuſque clementiam confirmat tertia Aurelianenſis, jubens impartiri & Subdiaconis, jam ad plenam continentiam compulſis. Verùm compulſio videtur non fuiſſe efficax. Etenim quarta Aurelianenſis Synodus de ſolis Presbyteris ac Diaconis ſtatuit: *Cum ſuis* antea ductis *conjugibus non habeant communem lectum & cellulam, ne propter ſuſpicionem carnalis conſortii religio maculetur. Quod ſi fecerint, juxta priſcos* primæ Turonenſis Synodi *Canones ab officio regradentur.* Pertinax quorumdam rebellium Subdiaconorum libido coegit diſſimulari. Eam ſubvertit quinta Aure- Cap. 4.
lianenſis Synodus: *Si quis Clericus poſt acceptam benedictionem cujuſlibet loci vel ordinis ad conjugalem thorum jam ſibi illicitum denuò redire præſumpſerit, uſq; in diem vitæ ab honore accepti ordinis, & ſicut habent antiquorum Patrum Canones, ab officio deponatur, ei tantummodo communione conceſſa.*

Digitized by Google

*ceſſa.* Innovat tertiæ Aurelianenſis Canonem, ſimulque primæ Turonenſis. Notanda ſunt verba, *Poſt acceptam benedictionem cujuſlibet loci vel ordinis*: Evincunt benedictionem illam, de quâ octava Toletana Synodus, etiam in Galliâ fuiſſe appoſitam Subdiaconalis ordinationis ritibus, atque ipſorum plenam caſtitatem ab ipſa ſigillatam. Eam à Gallica Eccleſiâ forſan Hiſpania mutuarit. Et quidem major olim apud Hiſpanos, quam apud Gallos fuit Subdiaconis licentia: Gallicana enim ſolas antea initas, Hiſpana autem Eccleſia etiam poſt acceptum ordinem ineundas nuptias illis permiſit.

Audiamus, quid ex laudato primæ Turonenſis Synodi Canone educat pro Eccleſiæ Gallicanæ libertate illuſtriſſimus Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis: *Nunc diſcutiendum reſtat, ad quorum curam pertineat examen illud, an nova lex Eccleſiaſtica ſit utilis vel noxia. Quod uno verbo explicari poteſt, nempe ad eos pertinere, quorum intereſt legem*
L. 2. c. 17. *ferri aut non ferri, ideoq; ad Eccleſiam Gallicanam in Gallia, id eſt, ad Epiſcopos & cæteros è Clero, qui conventibus publicis intereſſe ſolent. Rem ſatis apertam uno vel altero exemplo confirmabimus. Siricii & Innocentii Primi decretales Epiſtolas, quæ Sacerdotibus & Diaconis uxorum uſum ita interdixerunt, ut contumaces à communione abſtinerent, Eccleſia Gallicana non ſtatim admiſit in eo capite, quo à communione pelluntur, ſed rem totam initio ita temperavit, ut officio ſuſpenſis, communione conceſſa, ad altiores gradus aſcendendi ſpes adimeretur. Quod probatur Canone undecimo Concilii primi Turonenſis.* An plena Provinciæ ac præſertim Dioeceſios Synodus Romanæ Eccleſiæ leges diſpenſatoriè ex cauſis mitigare poſſit, eſt examine digna quæſtio, ſed exemplum iſtud non facit ad ejus rem: Laudatorum enim Pontificum neuter Hiſpaniarum aut Galliarum Presbyteros ac Diaconos, per Joviniani ac Vigilantii pſeudo-prædicationem ad repetendum ductarum anteà uxorum uſum ſeductos, communione privat, ſed ſolo gradu. Luculiſſima ſunt ipſorum verba. Uterque ſe-
Cap. 25. cutus eſt vetuſtam Eccleſiæ regulam, ex quâ deſumptus eſt vulgaris Canon Apoſtolicus: *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus eſt, deponatur, non tamen communione privetur. Dicit enim Scriptura: Non vindicabit Dominus bis in id ipſum.* Quam regulam uti antiquiſſimam laudat in ſuis Canonibus etiam magnus Baſilius. Et iſtum duplici pœnâ vindicantem rigorem Turonica Synodus diſertè aſſerit, non à Sede Apoſtolica, ſed à vetuſtis in Gallia Epiſcopis promanaſſe. Erat ergo Gallicanæ Dioeceſi proprius, & communibus univerſalis Eccleſiæ regulis adverſus, atque ita ſucceſſores Epiſcopi habuerunt pleniſſimam mitigandi auctoritatem.

Eadem Subdiaconorum licentia viguit in Sicilia uſque ad tempora

Digitized by Google

pora Pelagii ſecundi Pontificis, de cujus decreto ſcribit ad Petrum Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum, Siculi patrimonii rectorem, ſanctus Gregorius Magnus: *Ante triennium Subdiaconi omnium Eccleſiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Eccleſiæ nullatenus ſuis uxoribus miſcerentur. Quod mihi durum atque incompetens videtur, ut qui uſum ejuſdem continentiæ non invenit, neque caſtitatem ante promiſit, compellatur à ſuâ uxore ſeparari, atque per hoc, quod abſit, in deteriùs cadat. Unde videtur mihi, ut à præſenti die omnibus Epiſcopis dicatur, ut nullum Subdiaconum facere præſumant, niſi qui ſe victurum caſtè promiſerit, quatenus & præterita mala, quæ per propoſitum mentis appetita non ſunt, violenter non exigantur, & futura cautè caveantur, qui vero poſt eamdem prohibitionem, quæ ante triennium facta eſt, continenter cum ſuis uxoribus vixerunt, laudandi atque remunerandi ſunt, & ut in bono ſic permaneant exhortandi. Eos autem, qui poſt prohibitionem factam ſe à ſuis uxoribus continere noluerunt, nolumus promoveri ad ſacrum Ordinem: Quia nullus debet ad miniſterium altaris accedere, niſi cujus caſtitas ante ſuſceptum miniſterium fuerit approbata.* Utitur argumento Paphnutii, qui Epiſcoporum & Clericorum uſque tunc ſine caſtitatis profeſſione promotorum uxores etiam dixit ad ipſam legitimè non poſſe cogi. Pergit Gregorius in litteris ad Leonem Epiſcopum Catanenſem: *Multorum relatione comperimus hanc apud vos olim conſuetudinem tenuiſſe, ut Subdiaconi ſuis licitè miſcerentur conjugibus. Quod ne denuò quiſquam præſumeret, à Servo-Dei noſtræ ſedis Diacono, ex auctoritate noſtri Deceſſoris eſt iſto modo prohibitum, ut qui jam uxoribus fuerant copulati, unum ex duobus eligerent, id eſt, aut à ſuis uxoribus ſe abſtinerent, aut certè nullâ ratione miniſtrare præſumerent. Et quantum dicit Specioſus tunc Subdiaconus pro hac re ab adminiſtrationis ſe ſuſpendit officio, & uſque in obitus ſui tempus Notarii quidem geſſit officium, & à miniſterio, quod Subdiaconum oportuerat exhibere, ceſſavit. Poſt cujus obitum, quia ejus relicta Honorato marito eſt ſociata, à tua eam Fraternitate in Monaſterio cognovimus eſſe deputatam. Ideoq; ſi, ut fertur, ejus ſe maritus ab adminiſtratione ſuſpendit, ante dictæ mulieri non debet officere, quod ad ſecundam conjugii copulationem migravit, præſertim ſi non tali mente Subdiacono juncta eſt, ut à carnis voluptatibus abſtineret. Si ergo ita ſe veritatem habere cognoſcis, prædictam mulierem de Monaſterio per omnia convenit relaxari, ut ad ſuum maritum ſine aliqua formidine poſſit remeare. De cætero vero tua Fraternitas ſit omnino ſollicita, ut quos ad hoc jam officium contigerit promoveri, hoc quam maximè diligenter inſpiciat, ne ſi uxores habent, miſcendi ſe cum eis licentiâ potiantur, ſed ad ſimilitudinem Sedis Apoſtolicæ eos cuncta obſervare conſtituat.* Maritus & uxor ſunt una caro & perſona, atque ita alter ſine altero nequit ad caſtitatem conſtringi, aut ad conju-

L. 3. Epiſt. 34.

D galis

galis commercii licentiam laxari. Quia igitur Specioſus Subdiaconus continentiæ legem numquam admiſerat, etiam ejus vidua nequiit ad ipſam compelli.

Etiam apud Calabros in Rhegienſis Eccleſiæ Subdiaconis viguit iſta licentia uſque ad tempora laudati Gregorii ſcribentis ad Bonifacium iſtic
L. 3. Epiſt. 5. Epiſcopum: *Subdiaconis tuis hoc, quod de Siculis ſtatuimus, decernimus obſervari. Nec illam definitionem noſtram cujuſpiam ſinas contumaciâ aut temeritate corrumpi.* Uti Rhegienſis, ita & omnes Siculorum Eccleſiæ, tamquam propriæ ſuffraganeæ olim ſpectabant proximè ad Romanam metropolim, atque ita liquet Romani Cleri caſtitatem in propria etiam provinciâ non ſemper ex integro viguiſſe. Integram tandem recepit omnis Latina Chriſtianitas, multiſque Decretis ſanctus Leo Nonus Pontifex, Gregorius Septimus, & varii ipſorum ſucceſſores confirmarunt. Quin imo in Claromontano Concilio Urbanus ſecundus Subdiaconatum ſtatuit deinceps eſſe Ordinem majorem & ſacrum, atque Subdiaconum poſſe eligi in Epiſcopum: Ita omnem tergiverſandi anſam Subdiaconis præcidit.

Quoad minores item Clericos fuerunt variæ Eccleſiarum conſuetudines. Eis vulgaris Apoſtolicus Canon permittit etiam novas poſt acceptum ordinem nuptias, iſtamque diſciplinam & Latini & Græci paſſim tenuerunt. Auguſtodunenſis tamen & Tricaſſina in Galliis Eccleſiæ habuerunt ſanctitatem majorem, de quâ earum Epiſcopi Euphronius & Lupus ſcribunt ad Thalaſium Epiſcopum Andegavenſem: *De Clericis bigamis, uſque ad Oſtiarios Eccleſia permittit & patitur.* Exorciſtis & Subdiaconis aiunt indulgeri initas ante ordinem nuptias, & addunt: *Eos, poſtquam aſſumpti fuerint, ad nuptias tranſire non patimur.* Quam ſanctitatem viguiſſe in multis etiam Orientalibus Eccleſiis, lucet ex quarto decimo Canone Chalcedonenſi: *In quibuſdam provinciis conceſſum eſt Lectoribus & Pſalmiſtis uxores ducere.* Ergo in multis non concedebatur. Et iſtud præter rationem fuiſſe, & Apoſtolico Canoni adverſum, Theodorus Balſamon præter rationem affirmat. Etiam Aphricana Eccleſia habuit ſingularem ſanctitatem, de quâ tertium Carthaginenſe Concilium:
C. 19. *Lectores, cum ad pubertatis annos venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.* Et iterum: *Cæteri poſt Diaconos Clerici ad continentiam non cogantur, niſi maturiori ætate.* Tunc ampliùs non erat locus iſti electioni. Huc item ſpectat regula, quam ad ſanctum Victricium
C. 10. Rhotomagenſem Epiſcopum ſcripſit Innocentius primus: *Monachos, qui poſtea ad Clericatus ordinem pervenerint, non debere à priori propoſito deviare.* Uti hodie Epiſcopalis, ita olim quævis Clericalis dignitas deſtruebat ſtatum Monachi, ideoque quidam ad minores ordines aſſumpti volo-

Digitized by Google

volebant ſe liberos à caſtitatis voto, & poſſe ad nuptias tranſire. Hoc damnat Pontifex, aiens Monachum ad Clericalem ſtatum transferri cum ſuo onere, ideoque eſſe nuptiarum omnino incapacem.

Verùm his obſtare videtur ſecundæ Toletanæ Synodi tertius Canon: *Illud præterea ſpeciali ordinatione decrevimus, quod nec antiqua Concilia in univerſis Canonibus ſiluerunt. Ut nullus Clericorum à gradu Subdiaconatus & ſupra in conſortio familiaritatis habeat mulierem, vel ingenuam, vel libertam, vel ancillam. Sed ſi ſunt ei ejuſmodi ſervitia, matri vel ſorori, vel alii propinquæ contradat.* Non ſolis Epiſcopis, Presbyteris ac Diaconis, ſed etiam Subdiaconis interdicit Agapetas. Et quidem ſub pœna, quam rigidiſſimis verbis ſubdit, excommunicationis ac degradationis. Ipſos ergo cogit ad plenæ caſtitatis profeſſionem. Nam ſola hæc profeſſio Nicænæ Synodo perſuaſit Agapetas damnare & proſcribere. Addit Canon hæc ſe ſtatuere ex antiquis Conciliis, adeoque generalis Hiſpanorum Subdiaconorum ad plenam caſtitatem conſtrictio eſt omnino antiquiſſima, nec differri debet in octavam Synodum Toletanam. Ad præſentem Canonem eludendum quidam Subdiaconi memoratam de non accepta conſecrationis benedictione exceptionem excogitarunt: Graſſantem eliminare dudum non potuerunt Epiſcopi, atque ita octava Synodus fuit coacta manum apponere. Novam legem non edidit, ſed antiquiſſimam innovavit.

Reſpondeo non eſſe antiquiſſimam. Etenim Siricii ac Innocentii primi Pontificum tranſmiſſa ad Hiſpanos Decreta ſolos Sacerdotes & Diaconos alligabant: Quod nempe Subdiaconis ductæ antea uxoris uſus omnino liceret. Quin & novam ab ipſis duci lucidè permittit, verum cum aliqua pœnitentia, prima Synodus Toletana. Et quis antiquus in Hiſpania Canon lapſos cum propria uxore Subdiaconos & gradu privat & communione? Laudata Pontificum Decreta nec lapſos ita caſtingant Epiſcopos. Si detur licentia, dicam eſſe mendum, & pro vocibus, *A gradu Subdiaconatus*, legendum *A gradu Diaconatus*. Sic enim Canon cum anterioribus & poſterioribus variarum de hac re apud Hiſpanos Synodorum decretis per omnia concordabit. Quæ mea ſuſpicio ſi tamquam graſſatio refutetur, dicam ſolas Agapetas hic interdici Subdiaconis, non uxores. Licet enim conjugii prohibitio prohibeat etiam Agapeticam introductionem, non tamen vice verſa. Etenim Agapetas non ſolis Epiſcopis, Presbyteris ac Diaconis, ſed omni penitus Clerico Nicæna Synodus interdixit: Quod nempe quidam etiam inferiores Clerici Agapetis jungi mallent quam uxoribus. Magni Baſilii, Joannis Chryſoſtomi, Jeronymi, & aliorum Sanctorum Patrum firmis teſtimoniis poſſit hoc demonſtrari. Quin imò non tantum quicumque Cle-

rici Agapetas, ſed etiam ſacræ Virgines introducebant Agapetos Clericos: Nec ſacros ſolùm, ſed & inferiores. Hunc ab antiquis variarum gentium Canonibus damnatum abuſum credo graſſatum in Hiſpania: Eſt abuſus fœdiſſimus, idcoque & Montanus Archiepiſcopus in ſecunda Toletana Synodo per laudatum Canonem rigidiſſimè iterùm damnavit.

## CAPUT IV.

### *Exponuntur antiqua Clericalis caſtimoniæ apud Latinos vulnera.*

PRimum Clericali apud Latinos caſtitati vulnus inflixerunt Vigilantius & Jovinianus, hæreſiarchæ. Etenim de Vigilantio ſcribit ſanctus Jeronymus: *Proh nefas Epiſcopos ſui ſceleris dicitur habere conſortes. Si tamen Epiſcopi nominandi ſunt, qui non ordinant Diaconos, niſi priùs uxores duxerint, nulli cœlibi credentes pudicitiam, imo oſtendentes quam ſanctè vivant, qui malè de omnibus ſuſpicantur, & niſi prægnantes uxores viderint Clericorum, infanteſq; de ulnis matrum vagientes, Chriſti Sacramenta non tribuunt.* Novas interdici, priorum verò nuptiarum uſum permitti Presbyteris ac Diaconis Orientalibus norat Vigilantius: ad Latinam Eccleſiam extendere iſtud ipſum eſt machinatus, atque ideò neminem, niſi antea uxoratum, voluit conſecrari in Diaconum, qui deinceps commercio conjugali vel abſtineret ex arbitrio, vel uteretur. A Domino non præceptam ſanctitatem noluit ulli invito ab Eccleſiâ imponi. Etiam ex antiqui teſtamenti, quam Sacerdotibus ac Levitis commercia iſta indulgentem Dominus non correxit, lege fœditatem ſuam defendit. Conjugii legem imponit ſolis Diaconis, quod nempe homo Hiſpanus juxta ſuæ gentis, Subdiaconis novas etiam nuptias tunc permittentis, conſuetudinem blateraret in Galliâ, atque majorem iſtic Subdiaconorum ſanctitatem unâ tentaret evacuare. Fuiſſe tamen natione Gallum, ad Barchinonenſis in Hiſpania Parochiæ rectorem, atque ita non ab Hiſpano Galliam, ſed à Gallo Hiſpaniam fœdatam, affirmat in virorum illuſtrium cathalogo homo Gallus Gennadius Maſſilienſis. Hæc ſancti Jeronymi de ſeductis ab ipſo Epiſcopis verba, *Oſtendunt quam ſanctè vivant, qui de omnibus malè ſuſpicantur*, Exponit in Conſtantini
L. 1. c. Auguſti vita Euſebius Cæſareenſis ſcribens de Licinio Cæſare: *Licinius,*
45. *animo in omnem intemperantiam effuſo præditus, eximiam caſtimoniæ virtutem negavit hominibus ineſſe poſſe, aliorumq; naturam ex ſua vitioſa mente ſpectavit.*

Etiam de Joviniano, Mediolanenſis Eccleſiæ primùm Monacho, deindè

deinde Clerico ſcribit in libro adversùs Vigilantium ſanctus Jeronymus: *Quomodo Euphorbus in Pythagora renatus eſſe perhibetur, ſic in Vigilantio Joviniani mens prava ſurrexit.* Et in litteris ad Himerium Archiepiſcopum Tarraconenſem Papa Siricius: *Plurimos Sacerdotes Chriſti atque Levitas, poſt longa conſecrationis ſuæ tempora tam de conjugibus propriis, quam etiam de turpi coitu ſobolem didicimus procreaſſe, & crimen ſuum hac præſcriptione defendere, quia in veteri Teſtamento Sacerdotibus ac Miniſtris generandi facultas legitur attributa. Dicat mihi nunc quiſquis ille eſt ſectator libidinum præceptorq; vitiorum, ſi æſtimat quod in lege Moyſis paſſim ſacris ordinibus a Domino laxata ſunt fræna luxuriæ, cur eos, quibus committebantur Sancta Sanctorum, præmonet dicens: Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter?* Libidinum ille ſectator omninò fuit Jovinianus, de quo in libris retractationum ſanctus Auguſtinus: *Joviniani hæreſis, ſacrarum virginum meritum æquando pudicitiæ conjugali, tantum valuit in Urbe Roma, ut nonnullas etiam Sanctimoniales, de quarum pudicitia ſuſpicio nulla præceſſerat, dejeciſſe in nuptias diceretur, hoc maximè argumento cum eas urgeret dicens; Tu ergo melior quam Sara, melior quam Suſanna, ſive Anna? Et cæteras commemorando ſanctæ Scripturæ teſtimonio commendatiſſimas fœminas, quibus ſe illæ meliores, vel etiam pares cogitare non poſſent. Hoc modo etiam virorum ſanctorum,* utique Sacerdotum ac Diaconorum *ſanctum cœlibatum commemoratione patrum conjugatorum & prædicatione frangebat.* Quæ omnia Auguſtinus in libro de hæreſibus repetit, ac in libro de bono conjugali, & libro de ſancta virginitate inſigniter refutat. Virginalis ſanctimoniæ ad conjugalis pudicitiæ æqualitatem dejectio aſſeverat illam non eſſe meliùs bonum, ideoque ejus profeſſionem eſſe votum frivolum & irritum, ſimile illi, de quo in Canonicis ad ſanctum Amphilochium litteris magnus Baſilius: *Illud quidem mihi viſum eſt ridiculum, vovere aliquem à carnibus ſuillis abſtinere. Quamobrem dignare eos docere, ut ab ineptis votis & promiſſis abſtineant. Uſum eſſe indifferentem permitte. Nulla enim Dei creatura eſt rejicienda, quæ cum gratiarum actione accipitur. Quare votum eſt ridiculum, abſtinentia non eſt neceſſaria.* Votum enim eſſe debet de meliori bono. Ut virginalis ſanctimoniæ profeſſionem penitus exſufflaret Jovinianus, addidit etiam Chriſtum Dominum non potuiſſe naſci ex Virgine: Ex ipſa quidem conceptum, ſed non natum. Ita in litteris ad Siricium Pontificem teſtatur ſanctus Ambroſius.

C. 1.

L. 2. c. 17.

C. 28.

Epiſt. 7.

Neque hic ſtetit impietas. Etenim de eodem Joviniano & ejus Sequacibus pergit in litteris ad Vercellenſem Eccleſiam laudatus Ambroſius: *Aſſerunt baptizatos intendere non debere virtutum diſciplinis, nihil illis obeſſe commeſſationes, nihil voluptatum affluentiam, inſipientes eſſe eos qui iis* Ep. 25.

 *careant,*

*careant, virgines oportere nubere, filios facere. Similiter & viduas iterare quod ſemel malè virili admixtione expertæ ſunt, etiamſi ſe continere poſſint. Errare eas, quæ nolint iterare copulam.* Et ſuperius in eadem Epiſtola: *Prædicant voluptatem, delicias ſuadent, caſtimoniam nulli uſui eſſe dicunt, dicunt nullum eſſe abſtinentiæ meritum, nullam frugalitatis, nullam virginitatis gratiam, pari omnes æſtimari pretio, delirare eos, qui jejuniis caſtigent carnem ſuam, ut menti ſubditam faciant.* Et in litteris ad Mediolanenſem Eccleſiam ipſe Papa Siricius: *Dicit jejunia eſſe ſuperflua, non habens ſpem de futuris.* Joviniano placere dicit vetuſtam deſperantium regulam: *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.* De quo ejus errore ſunt plura teſtimonia. Eum ex Monacho Clericum vixiſſe delicioſiſſimè, affirmat ſanctus Jeronymus. Etiam apud Gennadium Maſſilienſem Paulus Pannoniæ Presbyter memorat *Jovinianum hæreticum voluptatum ac libidinum prædicatorem, cui continentis & caſtæ vitæ inſtitutio fuit in tantum contraria, ut inter luxurioſas epulas animam eructarit.* Erat doctrina ſibi ipſi concors. Rectè enim de Monachorum & Clericorum jejuniis ſcribit ad Euſtochium virginem ſanctus Jeronymus: *Deus inteſtinorum rugitu, & inanitate ventris, pulmoniſq; non delectatur ardore; ſed aliter pudicitia tuta eſſe non poteſt.* Atque ita quibus nulla ſit caſtitatis cura, liberè & ſplendidè valeant epulari. Caſtitatis autem profeſſoribus debet ſemper eſſe ante oculos hæc Apoſtolica regula: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Et hinc nutare videtur hæc ſancti Auguſtini de epulone Joviniano bona ſuſpicio: *Non ſanè ipſe vel habebat, vel habere volebat uxorem.*

Ep. 22. c. 5.

Nutant item hæc verba ſequentia: *Cito iſta hæreſis oppreſſa eſt & extincta, nec uſque ad deceptionem aliquorum Sacerdotum potuit pervenire.* Etenim à Joviniano devenit in Vigilantium, atque ita ab hiſce duobus libidinem fumantibus titionibus, & junctis vulpium caudis fuiſſe omnem Hiſpaniam, Galliam, atque Italiam vexatam Apoſtatis ad ſacrilega conjugia Monachis, nec non & ſacrilegè regreſſis ad initi ante ſacrum Ordinem conjugii uſum Presbyteris ac Diaconis, docent litteræ Siricii Pontificis ad Himerium Tarraconenſem Archiepiſcopum, litteræ Innocentii primi ad ſanctum Exuperium Epiſcopum Toloſanum, item ad Maximum & Severum Brutiorum Epiſcopos, octavus Canon Synodi Taurinenſis, nec non in libro adverſus Vigilantium ſanctus Jeronymus, affirmans quoſdam Epiſcopos fuiſſe adeo depravatos, ut nulli continenti Diaconatum crederent, ſed omnes à ſe conſecrandos priùs compellerent ad conjugia. Addit Siricius Pontifex de variis Hiſpaniarum & Galliarum Sacerdotibus: *Tam de conjugibus propriis, quam etiam de turpi coitus prolem didicimus procreaſſe.* Per turpem coitum non fornicationem, intel-

intelligo aut adulterium, ſed novas poſt ſacrum ordinem nuptias, quas fœda iſta prædicatio non poterat non probare. Et hinc intellige etiam hunc Canonem primæ Synodi Arauſicanæ: *Deinceps non ordinentur Diacones conjugati, niſi prius converſionis propoſito profeſſi fuerint caſtitatem.* C. 22.
Et Canonem ſecundæ Synodi Arelatenſis, a quo iſte Arauſicanus verbotenus innovatur. C. 43. Et Canonem tertiæ Synodi Aurelianenſis: *Epiſcopus, qui invitum, aut* de continentiæ profeſſione *reclamantem præſumpſerit ordinare* Diaconum, *annuali pœnitentia ſubditus Miſſas facere non præſumat.* C. 7. Lucidè ſtatuunt adverſum Vigilantianos ac Jovinianiſtas Epiſcopanos, à conſecrandis Diaconis non exigentes continentiæ profeſſionem, atque ita antea initi conjugii uſum illis permittentes, & adverſum ejuſdem libidinis Diaconos, adverſus exactam continentiæ profeſſionem ſolitos in ſua conſecratione reclamare. Eodem reſpiciunt Canon vigeſimus tertius ac vigeſimus quartus laudatæ Arauſicenſis Synodi, & quadrageſimus quartus laudatæ Arelatenſis, & nonus Agathenſis, & decimus tertius Arvernenſis, & ſecundus tertiæ Aurelianenſis, & quartæ ſeptimus decimus, nec non & ſancti Leonis ad Ruſticum Narbonenſem Metropolitam Epiſtola, quæ Diaconos ad prioris uxoris uſum regreſſos damnant, & puniunt juxta Siricii ac Innocentii Pontificum decreta, palam edita adverſum fœditates Vigilantii ac Joviniani, atque ita lucet ſordes iſtas non ſtatim fuiſſe extinctas. Quare exiſtimo ſanctum Auguſtinum de aliis Joviniani erroribus, non de hac in Clerum ſparſa ſcabie fuiſſe locutum.

Porrò Jovinianum Siricius Pontifex in litteris ad Mediolanenſem Eccleſiam, & in litteris ad Himerium Archiepiſcopum Tarraconenſem meritò vocat pudicitiæ adverſarium, luxuriæ magiſtrum, libidinum ſectatorem, præceptorem vitiorum. Sanctus Ambroſius in litteris ad laudatum Pontificem, ac in litteris ad Vercellenſem Eccleſiam vocat feralem & agreſtem ululatum confundentem omnia, ſectam improbam, novos Epicuræos, Judæos, Manichæos. Edicit item erroris originem: *Quæ iſtos Epicuræos nova ſchola miſit? Fuerunt nobiſcum, ſed non fuerunt ex nobis. Hic poſiti jejunabant, intra monaſterium continebantur, nullus erat luxuriæ locus, interdictâ ludibrioſæ diſputationis licentiâ. Hoc delicati non potuerunt ferre. Abierunt: Deinde volentes redire non ſunt recepti. Pleraq; enim audieram quæ deberent caveri. Monueram: Nihil profeci. Effervescentes itaque illa diſſeminare cœperunt, quibus eſſent incentores vitiorum omnium. Miſerabiles: Perdiderunt utique quod jejunaverunt, perdiderunt quod ſe aliquo continuerunt tempore. Nunc itaque diabolico ſtudio invident aliorum operibus bonis, quorum ipſi fructu exciderunt.* Etiam ſanctus Jeronymus Jovinianum vocat Chriſtianorum Epicurum, luxuriæque & omnis

Epiſt. 7.

Ep. 25.



Digitized by Google

L. 2. c. omnis turpitudinis magiſtrum, in quem quaſi in Euphorbum Baſilides
19. ſit transformatus, & qui ſpurca carnis hæreſi primus fœdaverit Eccleſiam Latinam. Hæc paucis dicta volui, ut Martinus Lutherus ac Joannes Calvinus agnoſcant ſuos Duces ac Patriarchas.

Tertium Latinæ caſtitatis vulnus venit ab Arianis in Hiſpania Epiſcopis & Clericis, adversùm quos ſtatuit tertia Toletana Synodus: *Compertum eſt à ſancto Concilio, Epiſcopos, Presbyteros ac Diaconos venientes ex*
C. 5. *hæreſi, carnali adhuc deſiderio uxoribus copulari. Ne ergò de cætero hoc fiat præcipitur, quod & Canonibus prioribus terminatur, ut non liceat eos vivere libidinoſa ſocietate, ſed manente inter eos fide conjugali communem utilitatem habeant, & non ſub uno conclavi maneant.* Sanctus Leander, Hiſpalenſis Archiepiſcopus, Richaredum Regem & omnem Gothorum in Hiſpania gentem ad Romanam fidem & mores traducens, etiam eorum Epiſcopos & Clericos, in ſuo gradu diſpenſatoriè admiſſos, caſtè vivere docuit, tunc tamen initi conjugii licentiam radicitùs evellere non potuit, atque ita poſteriores etiam Synodi coactæ ſunt adversùs illam dudum pugnare.

Verùm unde iſta in Arianis Gothorum Epiſcopis & Clericis ſcabies? Illane fuit pars Arianæ nequitiæ? Reſpondeo non fuiſſe. Nemo authenticus Scriptor de illa culpat hanc factionem. Quin immò de Joſepho Judæo Tiberiadenſi, quem Chriſtianum Conſtantius Auguſtus creavit Romani Imperii Comitem, ſcribit ſanctus Epiphanius:
Hæreſ. *Joſephus aiebat mortua conjuge ſe veritum, ne ab Arianis violenter abrep-*
30. *tus Clericus fieret; ſæpe enim illum blandè adeuntes, ut ad ſuam factionem tranſiret hortabantur, ac majoris ſpe proceſſus alliciebant, ut vel ſi neceſſe foret, Epiſcopatum oſtenderent. Horum igitur metu alterum ſe matrimonium iniiſſe dicebat, quò ſe ab illa manuum impoſitione liberaret.* Factum id dicit Schytopoli per Patrophilum Epiſcopum, peſſimum Arianum. At cur exſpectabat Joſephi viduitatem? Quod uxorium commercium ſuis majoribus Clericis non permitteret. Quare ſcabiei exordium crediderim eſſe ab Ulphila Epiſcopo, qui ab Eudoxio Regiæ civitatis Antiſtite ſeductus, ſuos etiam Gothos ex Catholicis fecit Arianos, ſubjecitque Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Exindè ipſorum Epiſcopos conſueſſe conſecrari apud Conſtantinopolim, lucet ex litteris ſancti Joannis Chryſoſtomi. Ulphilas ergo Græcam conjugii licentiam poſſit unà dediſſe ſuis Clericis, & horum poſtea ſucceſſores ipſam in Hiſpanias deportaſſe. Deinde Joviniani Symmiſtam Helvidium fuiſſe Auxentii Mediolanenſis Epiſcopi, omnium in Occidente Arianorum Anteſignani, diſcipulum ſcribit in catalogo Gennadius Maſſilienſis. Etiam hic poſſit utramque ſimul peſtem propagaſſe. A Levigildo item Ariano Hiſpanorum

Digitized by Google

norum Rege inductas morum novitates affirmat Joannes Biclarenſis. Et apud omnes generatim Hæreticos nullam eſſe diſciplinam affirmat in Præſcriptionum libro Tertullianus.

Etiam tertium Clericalis caſtitatis vulnus prodiit à Witiga Gothorum in Hiſpania Rege, de quo Rodericus Archiepiſcopus Toletanus: *Synderedus Epiſcopus, urbis Regiæ Primas, vir Sanctimoniæ ſtudio clarus, viros longævos & honorabiles, quos in Eccleſia Toletana repererat, zelo Sanctitatis, licet non ſecundùm ſcientiam, cœpit graviter infeſtare, & hoc ad inſtinctum Witizæ, qui propter ſuam nequitiam eorum juſtitiam timeſcebat. Verùm quod iſte ſibi in facie reſiſtebat, propter vexationem Epiſcopi ad Romanum Pontificem appellabant. Witiza facinoroſus, timens ne ſuis criminibus obviarent & populum ab ejus reverentia revocarent, dedit licentiam, imo præceptum omnibus Clericis, ut uxorem & Concubinas, unam & plures haberent publicè, juxta libitum voluptatis. Et ne Romanis conſtitutionibus, quæ talia prohibent, in aliquo obedirent, & ſic populos per eos retineret.* Quod ipſum ſcribit Chronicum Moiſſiacenſe. Ita Gothorum virtus defecit in Hiſpania, capta à Saracenis & ſubjugata in longas calamitates.

Lib. 3. c. 15.

Anno 715.

## CAPUT V.

### *Exponitur Clericalis Caſtitatis in Gallicana Eccleſia lapſus.*

PRima Gallicanæ Eccleſiæ miſeria occupavit noſtrum etiam Belgium, atque de illa ad ſanctum Amandum Trajectenſem Epiſcopum ſcribit ſanctus Pontifex Martinus primus: *Suggeſtum eſt nobis, eò quod Presbyteri ſeu Diaconi, aliiq; Sacerdotalis officii poſt ſuas ordinationes in lapſu coinquinantur, & propterea nimio mœrore Fraternitatem tuam aſtringi, velleq; Paſtorale obſequium pro eorum inobedientia deponere & vacationem ab Epiſcopatus laboribus eligere, & in ſilentio atque otio vitam degere, quam in his quæ tibi commiſſa ſunt permanere.* Optimum Epiſcopum, perverſos Clericos mandans puniri ſecundum Canones, variè ſolatus eſt ſanctus Pontifex, attamen malum non fuit exſtinctum. Etenim apud neſcio quam Gallicanam Synodum etiam Veranus neſcio cujus Civitatis Epiſcopus de Gallorum Clericorum non tantum ſcortationibus, ſed & attentatis matrimoniis eſt graviſſimè queſtus, atque adjunxit: *Notum vobis eſt circa loca beatitudinis veſtræ ſub magnorum Patrum diſciplina Monachorum congregationes eſſe non parvas, unde ad ſupplenda Clericorum officia, in promptu eſt viros bonos aſſumi. Utilior eſt enim in Eccleſia paucorum bonorum electa probatio, quàm erraticæ multitudinis præſentia conglobata, ac plus ædificationis adferunt rara virtutis exempla, quàm popularis licentia*



Digitized by Google

*abundans & incorrepta præſumptio.* Omnes Concubinarios Clericos ſuadet damnari & abjici, atque novos ex probatis monachis ordinari. Diſciplinæ enim ruinas per aſſumptos è monaſteriis Epiſcopos & Clericos & Græca & Latina Eccleſia ſemper reſtaurarunt. Synodalem Verani interlocutionem, ex vetuſto ſancti Germani Pariſienſis Codice productam, ſecundæ Valentinæ Synodo, ad implendam vacantem paginam, ſubinjunxit Jacobus Sirmondus, arbitrans illum eſſe aut Cabilonenſem, Pelagio ſecundo coævum, aut potius Lugdunenſem Epiſcopum, Hilaro Pontifici contemporalem. Ego malim ad ſancti Amandi tempora referre. Neque enim antea apud Gallos cœperunt ſacrilega conjugia Sacerdotum.

Libido ſemper profecit in pejus. Etenim gentis noſtræ, & omnium Francorum Apoſtolus ſanctus martyr Bonifacius ſcribit ad Zachariam
Epiſt. 1. c. 3. Pontificem: *Si invenero inter illos Diaconos quos nominant, qui à pueritia ſua ſemper in ſtupris, ſemper in adulteriis, & in omnibus ſemper ſpurcitiis vitam ducentes, ſub tali teſtimonio venerunt ad Diaconatum, & modo in Diaconatu Concubinas quatuor, vel quinque, vel plures noctu in lectulo habentes, Evangelium tamen legere, & Diaconos ſe nominari nec erubeſcunt nec metuunt, & ſic in talibus inceſtis ad Presbyteratus ordinem venientes, in eiſdem peccatis perdurantes, & peccata peccatis adjicientes, Presbyteratus officio fungentes, dicunt ſe pro populo poſſe intercedere, & ſacras oblationes offerre, ac noviſſimè, quod pejus eſt, ſub talibus teſtimoniis per gradus ſingulos aſcendentes, ordinantur & nominantur Epiſcopi.* Quomodo illos Pontifex tractatos velit, poſtulat doceri. At apud nos tunc perierat omnis Chriſtianitas, eramus in fronte Chriſtiani, in corde pejores quam Pagani. Hinc Bonifacium, ſancti Benedicti Monachum in Epiſcopum conſecrarat, & ad nos miſerat Sedes Apoſtolica, omnia reſtauraturum. Pergit vero in poſtulatione ſua Bonifacius: *Epiſcopi & Presbyteri generis Francorum, qui fuerunt adulteri & fornicatores acerrimi, quos in gradu Epiſcopatus vel Presbyterii fornicationum nati filii arguunt, ab Apoſtolicâ Sede revertentes dicunt Romanum Pontificem ſibi licentiam dediſſe miniſterium Epiſcopale in Eccleſia miniſtrare. Quos contra contendimus, quia Apoſtolicam Sedem nequaquam contra decreta Canonica audivimus judicaſſe.* A Bonifacio ejecti & degradati Romam appellabant & ibant, & reverſi iſta impudentiſſima mendacia non erubeſcebant ſeminare.

Horum Duces fuerunt Clemens & Adelbertus, neſcio quarum civitatum Epiſcopi, de quibus idem Pontifex ad eundem Bonifacium: *Re-*
Epiſt. 4. *tuliſti nobis, quod duos Pſeudo-Prophetas in eadem Francorum Provincia inveniſſes, quos non Pſeudo-Prophetas ſed magis Pſeudo-Chriſtianos appellare debemus.* Enumerat Adelberti flagitia ac facinora, pergitque de Cle-

mente

mente: *Alius verò ita luxuriæ deditus, ut Concubinam haberet & duos ex eâ filios, & tamen Sacerdotium ſibimet vindicabat.* Adverſum iſtiuſmodi Epiſcopos & Clericos ſcribit ad omnem Franciæ Clerum & populum: *Habuiſtis huc uſque peccatis facientibus falſos & erroneos Sacerdotes, undè & cuncta Paganæ gentes vobis pugnantibus prævalebant, quia non erat differentia inter laicos & Sacerdotes.* Prophani Saraceni, qui ſacrilega Sacerdotum conjugia caſtigarant in Hiſpaniis, à divinâ Juſtitia ad ſimilem vindictam fuerunt immiſſi etiam in Gallias, plurima iſtic deſtruxerunt Monaſteria & Eccleſias, atque ita infœlicem terram à multis peſtilentibus Epiſcopis & Clericis expurgarunt. Etiam Thuringiam & Bavariam fuiſſe per flagitioſos Sacerdotes exutam omni Dei gratiâ, rejectamque in peſſimas tenebras, teſtatur in ſancti Bonifacii vita Willibaldus. Et hinc laudatus Pontifex Zacharias merito laudat Pippinum & Carolomannum Francorum Principes, Caroli Martelli filios, nec non Leptinenſem Bonifacii ſub illis Synodum, quæ parentum noſtrorum fœdiſſima alligare vulnera, & Chriſtianitatem nobis reparare incipiens, omnem deinceps carne lapſum Presbyterum ſtatuit carcerari per duos annos, flagellatum antea & ſcorticatum.

Ortum fuit malum ex variis cauſis. Primam ad laudatam Leptinenſem Synodum edixit laudatus Carolomannus: *Conſilium mihi dediſtis, quomodo lex Dei & Eccleſiaſtica religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum Principum corruit, & qualiter populus Chriſtianus ad ſalutem animæ pervenire poſſit, & per falſos Sacerdotes deceptus non pereat.* Mali cauſam fuiſſe dicit notam ignaviam atque luxuriam Regum Merovingiorum. Secundam cauſam fuiſſe Epiſcoporum nimiam paucitatem ſcribit in litteris ad ſanctum Bonifacium Gregorius tertius Pontifex: Etenim omnis Bavaria dumtaxat unicum habebat. Hinc tres alias illic Cathedras erigi juſſit idem Gregorius, pluresque poſtmodum erexit Carolus Magnus. Eadem via gentem noſtram ab inflictis per Martinum Lutherum, & Joannem Calvinum plagis ſanavit Philippus ſecundus Rex Catholicus: Et non niſi per eandem viam afflicta & lacerata Germania ſalutem recuperabit. Tertiam cauſam addit in litteris ad Pontificem Zachariam ſanctus Bonifacius: Quod Francorum Epiſcopi pluſquam per octoginta annos nullam Synodum feciſſent. Frequentes namque Synodos eſſe & conſervandæ & reparandæ Chriſtianitati neceſſariam medicinam clamant omnes antiqui Canones, ideòque mandant bis per annum in quavis Provincia celebrari. Quarta cauſa fuit Saracenorum in Gallias irruptio. Fuit & cauſa & pœna. Etenim magnam Galliæ partem redegerunt in vaſtitatem, trucidarunt aut expulerunt plurimos cum Clericis & Monachis Epiſcopos, reliquos per ſummam egeſtatem coëgerunt ad armatam in ſe militiam,



Digitized by Google

atque ita ad omnem militarium flagitiorum & facinorum licentiam illis habenas laxaverunt. Quintam cauſam exponit in Rhemenſis Eccleſiæ hiſtoria Flodoardus, agens de Carolo Martello pugnante in Raginfredum Majorem domus regiæ ſub Childerico Rege, expellente ſanctum Rigobertum Rhemenſem Archiepiſcopum, & Epiſcopatum commen-
L. 2. c. 12. dante cuidam Miloni Clerico ſolius primæ Tonſuræ: *Hic Carolus non ſolum iſtum, ſed etiam alios Epiſcopatus regni Francorum dedit laicis hominibus & Comitibus, ita ut Epiſcopis nihil poteſtatis permitteret in rebus Eccleſiarum.* Ad inteſtina partim, partim ad externa cum Saracenis præſertim bella neceſſarios ſumptus non habens Carolus, Eccleſiaſticas invaſit poſſeſſiones, militibus ſuis dedit in ſtipendia, induxit laicas Eccleſiarum Commendas, Epiſcopos & omnem Clerum abjecit in extremam paupertatem, atque ita cœpta jam pridem vitia largè in ipſis adauxit.

Et ſanctus quidem Rigobertus Clerum ſuum reſtaurare inſigniter cœperat. Nec deerant pauciſſimi hinc inde integri Epiſcopi. Hi cum ſancto Bonifacio, Romanæ Eccleſiæ Legato, nec non cum Caroli Martelli filiis Pippino & Carolomanno, varias fecerunt Synodos, pro viribus reduxerunt Canonicam diſciplinam, inſtaurarunt Eccleſias ac Monaſteria, ac melioribus Antiſtitibus & poſſeſſoribus impleverunt. Quod laudati principes, à ſancto Eucherio Aurelianenſi Epiſcopo æternam ſui patris damnationem edocti, animum ad reparandam Eccleſiam cœperint ſerio applicare, cum aliis Francorum ſcriptoribus teſtatur in Virdunenſi Chronico Hugo Abbas Flaviniacenſis. Palmarem reſtaurationis articulum laudat ſanctus Bonifacius in litteris ad Çutbertum Ar-
Ep. 105. chiepiſcopum Cantuarienſum: *Decrevimus in noſtro Synodali conventu, & confeſſi ſumus fidem Catholicam, & unitatem ac ſubjectionem Romanæ Eccleſiæ fine tenus vitæ noſtræ velle ſervare; ſancto Petro & Vicario ejus velle nos ſubjici.* Subjectionis modum exponit in aliâ, quæ exſtat apud Gratia-
Diſtinct. 40. c. 6. num, Epiſtola: *Tanta reverentia apicem Apoſtolicæ Sedis omnes ſuſcipiunt, ut nonnullam Sanctorum Canonum diſciplinam, & antiquam Chriſtianæ Religionis inſtitutionem magis ab ore Præceſſoris ejus quam à ſacris paginis & paternis traditionibus expetant. Illius velle, illius nolle tantum explorant, ut ad ejus arbitrium ſuam converſationem & ipſi remittant aut intendant.* Ita recta Patrum corda reduxit in devios filios, pedetentim reſtituit Eccleſiaſticum cœlibatum & omnem Chriſtianitatis regulam, tandemque ſuo ſangnine ſigillavit.

Dico, *Pedetentim.* Ita enim, quo uſque ſereniora alluceſſerent tempora, agendum cenſuit, ac etiam cum ipſo Synodus Vernenſis. Per incontinentium Clericorum carcerationes, flagellationes, ac alias id genus vindictas advertens parum proſici, emiſit hunc mitiorem Canonem:

*De*

Digitized by Google

*De illis hominibus, qui dicunt quod ſe propter Deum tonſuraſſent, & modo res eorum vel pecunias habent, & nec ſub Epiſcopi manu ſunt, nec in monaſterio Regulariter vivunt, placuit ut in monaſterio ſint ſub ordine Regulari, aut ſub manu Epiſcopi ſub ordine Canonico. Et ſi aliter fecerint, & correpti ab Epiſcopo ſuo ſe emendare noluerint, excommunicentur.* Canonis Epigraphe eſt lucidior: *Ut Clerici omnes ſub manu vivant Epiſcopi, vel in Monaſterio ſub ordine Regulari.* Reſumpſit aut proſecuta eſt Synodus reformandi Cleri rationem cæptam à S. Rigoberto Rhemenſium Archiepiſcopo, de qua auctor incognitus in ejus vitâ: *Rigobertus Canonicam Clericis religionem reſtituit. Juxta numerum quoque eorum, quotus illo tempore erat, ſufficientia & continua eis victualia conſtituit, quatenus divino cultu liberius atque inſtantius inſiſtere quiviſſent. Prius quippe quam exoptabilis hic auctor ac pater eorum adveniret, non eis dabatur Canonicus panis, & non erant, ut ſunt hodie Canonici, ſed ſicut matricularii. Et ad hæc res proprias cum habitatoribus earum illis contulit, qui ſingulis neceſſitatibus eorum deſervirent. Primus Rhemenſium hic Epiſcoporum fertur commune eis inſtituiſſe ærarium, generaliter uſibus eorum in ſæcula profuturum.* Omnes Clericos coegit ad communem in clauſtro ſub Epiſcopi oculis vitam, rationem longè ſecuriſſimam & ſervandæ ipſorum caſtitati, & avaritiæ atque opulentiæ, ex quâ mala omnia, frænandæ. Hanc Clericorum vitam eſſe ejus in Europa inſtitutum, lucidè in litteris ad Rhemenſem Decanum tradit cum Flodoardo etiam Stephanus Tornacenſis Epiſcopus, indigniſſimè ferens commune illic dormitorium ac refectorium, ſolas ſanctiſſimæ vitæ ſuperſtites reliquias, eradicari. Scio etiam ſanctum Euſebium Vercellenſem Epiſcopum, quod Clerum ſuum in Monaſterio clauſerit, laudari à ſancto Ambroſio: At monachale, non clericale fuit iſtud clauſtrum, quale item ex ſancti Gregorii Magni inſtituto habuerunt Eccleſiæ Anglicanæ.

C. 11. Epiſt. 160. Ep. 25.

Hanc ergò communem Clericorum in Clauſtro vitam recipi ab omnibus Francorum Eccleſiis mandarunt Vernenſis Synodus & Rex Pippinus. Paternam pietatem proſecutus eſt Carolus Magnus. Ejus namque executricem, à Moiſſiacenſi Chronico laudatam, Synodum Aquenſem, aliaſque alibi plures celebravit, & deſolatæ uſque ad ſua tempora Lugdunenſi Eccleſiæ impoſuit Ledradum Epiſcopum, in cujus ad ipſum relatione hæc habentur: *Clauſtrum quoque Clericorum conſtruxi, in quo omnes nunc ſub uno conclavi manere noſcuntur.* In Eccleſia Metenſi iſtud ipſum fecit ſanctus Crodogangus, in aliis Epiſcopi alii, atque ita pedetentim omnem Francorum Monarchiam vita ſanctiſſima implevit. Aliud inſuper Carolus addidit: Omnes in ſuis regnis Monachos coëgit ad vitam & veſtem uniformem, ad Regulam ſancti Benedicti. Omnes item ſanctimoniales aut ad Canonicam, aut ad Monachalem

Anno 802.

ſub eâdem regulâ diſciplinam. Etiam publicas litterarum ſcholas in ſingulis Cathedralibus Eccleſiis ac pleriſque Monaſteriis inſtituit. Ita reddidit nobis Chriſtianitatem, fecitque mundum, teſte ſancti Galli Monacho, quaſi novum. Etenim communis in Clauſtro vita produxit Clericos doctiſſimos atque ſanctiſſimos: Numquam ſanctior fuit Europa. Ad regendas pagenſium parochias nemo aſſumi poterat niſi dudum probatus in clauſtro. Et hinc poſterioribus temporibus, dum vita ſanctiſſima diſſipari, & communia Eccleſiarum bona in ſingulares Præbendas cœperunt dividi, adverſus Guilielmum Lemovicenſem Epiſcopum, regulares Clericos ab excipiendis pœnitentium confeſſionibus & regendis pagorum Eccleſiis ſynodaliter proſcribentem, merito interceſſit ſanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus: *Rectius feciſſet Guilielmus, ſi*
Epiſt. 69 *omnes Sacerdotes ad regularem vitam invitaſſet, quam regulariter viventes à Dominicarum ovium cuſtodiâ penitus removiſſet.*

In proſequenda paternâ & avitâ pietate nonnihil negligentior fuit
Anno Imperator Ludovicus Pius: Hinc in Purgatorio pœnas luiſſe teſtantur
874. Fuldenſes Francorum Annales. Quod tandem zelum reſumpſerit, regularibus Clericis juſſerit à Synodo Aquenſi conſcribi regulam, ipſamque ſervari per omnem ſuam Monarchiam, & quod ex illâ plurimus
Anno fructus & gaudium provenerint, Aſtronomi Annales affirmant. Eos
817. quippe ſecundum Canones vivere, ac exinde Clericos Canonicos appellari, ſimpliciter mandarant Carolus & Pippinus. Extat Aquenſis regula, collecta ex antiquis Canonibus & Patrum dictis, Sanctorum præſertim
Lib. 1. Hieronymi & Auguſtini. Servata fuit uſque ad tempora ſancti Petri
Ep. 18. Damiani, qui illam, quod proprium peculium permitteret Clericis & largum nimis victum adſcriberet, in litteris ad Alexandrum ſecundum Pontificem culpavit graviter & exauthoravit. Ita paulatim exolevit ipſa, in ejus locum recepta eſt Regula S. Auguſtini, cœpitque Pater noſter, quod Clericos intra clauſtrum & communem vitam plantaſſet in Africa, etiam ab Europæis uti Fundator & Legiſlator honorari.

## CAPUT VI.

### *Mali per omnem Europam reſuſcitatio exponitur.*

NIhil ſtabile ſub Sole: Et prona in malum humana libido ſemper fræna excutit. Poſt ademptum Carolino ſanguini Occidentale Imperium Romana Eccleſia à Stephano ſeptimo ac Sergio tertio, intruſis Pontificibus, paſſa eſt barbarum ac ſempiterno ſilentio dignum in Formoſi Pontificis defuncti perſonam & Acta ſcandalum, atque ita percuſſo Paſtore

Digitized by Google

Paſtore diſperſæ ſunt oves, unaque cuncta Latinæ Eccleſiæ diſciplina. Plures per Italiam, Galliam ac Germaniam non ſolum Presbyteri atque Diaconi, ſed & Epiſcopi depoſuerunt Caſtitatis profeſſionem, & publica matrimonia attentarunt. Etenim multos Germaniæ Epiſcopos carnali flagitio laboraſſe, teſtatur in litteris ad Beatricem Duciſſam ac ejus filiam Mathildem Gregorius ſeptimus. De Poppone Tullenſi Epiſcopo, quod cum muliere quadam jaceret in publica fornicatione, genuiſſet ex ipſa filium, imo & ſolemniter laicorum more deſponſaſſet, queritur in litteris ad Udonem Trevirenſem Epiſcopum, ejus Metropolitam. Eadem lepra laborare plures Epiſcopos lamentatur apud Albertum Comitem Namurcenſem. Lib. 1. Epiſt. 77. Lib. 2. Epiſt. 10.

Audiamus quid de hac Latinæ Eccleſiæ miſeria ſcribat ad Nicolaum Pontificem ſanctus Petrus Damiani: *Nuper habens cum nonnullis Epiſcopis ex veſtræ Majeſtatis authoritate colloquium, ſanctis eorum femoribus volui ſeras apponere, genitalibus Sacerdotum tentavi continentiæ fibulas adhibere. Sed quoniam hæc eſt Secta, cui ubique contradicitur, aliud quidem quodcumque veſtræ conſtitutionis Imperium ſub ſpe perficiendi fidenter indicimus, hujus autem capituli nudam ſaltem promiſſionem tremulis prolatam labiis difficilius extorquemus. Primo, quia faſtigium Caſtitatis attingere ſe poſſe deſperant. Deinde, quia Synodali ſe plectendos eſſe ſententia propter luxuriæ vitium non formidant.* Lib. 1. Epiſt. 6. Romanam Eccleſiam hac in re diſſimulare & tepere queritur graviſſimè, addens omnem Chriſtianum populum inde offendi admodum & ſcandalizari. *In minoribus*, inquit, *Sacerdotibus luxuriæ inquinamenta perſequimur, in Epiſcopis, quod nimis abſurdum eſt, per ſilentii tolerantiam veneramur.* Scribit item ad Kunibertum Epiſcopum Taurinenſem: *Permittis ut Eccleſiæ tuæ Clerici, cujuſcumque ſint ordinis, velut jure matrimonii confœderentur uxoribus.* Lib. 4. Epiſt. 3. Et quoniam ipſe Kunibertus erat caſtus, pergit: *In Epiſcopo inutilis eſt Caſtitas, quæ ſe ſic exhibet ſterilem, ut aliam non pariat Caſtitatem.* Interim adverſus uxoratos Clericos zelum illi imprimere non potuit, ideoque tandem imploravit laicum brachium Adelaidis Marchioniſſæ Alpium Cottiarum. A Laudenſis Eccleſiæ Clericis, uti à cornupetis tauris, ſe fuiſſe invaſum queritur apud eundem Kunibertum, & addit de Clericis Gallicanis: *In Galliarum partibus prope adminiſtrationem ac ditionem cujuſdam Religioſi Abbatis habitabat Presbyter, qui quanto copia facultatis uberius affluebat, tanto magis religionis & honeſtatis premebatur inopia. Obeunte igitur Pellice viduatus adjecit iterare conjugium. Confœderat ſibi quaſi tabularum lege proſtibulum, amicorum atque confinium congregat nuptiali more conventum, epulaturis etiam totius affluentiæ providet apparatum.* Lib. 7. Epiſt. 17. Abbati per miſſos Monachos monenti & dura minanti obtemperare noluit, *Sed quid-*

Digitized by Google

*quidquid nuptialis ordo dictabat implevit.* Et hinc Divina vindicta non dormiit: Etenim ſacrilegum ſtuprum conſummare tentans infœlix Presbyter, *Uno eodemq; momento & ſemen fudit & animam exhalavit.* Peſtis illa fœdavit omnem Italiam: Etenim ejuſmodi miſerabilem Romani etiam, ad ſanctæ Cæciliæ Baſilicam habitantis, Presbyteri mortem refert in iiſdem litteris idem Petrus. Omnem Provinciam Mediolanenſem, ſancti Ambroſii Eccleſiam, ad nuper ſolemniſſimè ejurata Clericorum conjugia fœdiſſimè rediiſſe, atque ita luxuriæ addidiſſe perjurium, ſcribit ad Adam Monachum, ad Maynardum Abbatem, & ad Abbatem ſancti Apollinaris Claſſenſis. Quin & ipſe, puer miſerabilis, à quapiam Presbyteri focaria fuit collectus, & grandi charitate educatus, atque hinc à quibuſdam, at ſine fundamento, dicitur fuiſſe nimium memor beneficii, nimiumque clemens in Presbyteros conjugatos.

Gallicanæ fœditati atteſtatur etiam ſanctus Anſelmus, Beccenſis adhuc Monaſterii Abbas, de Fulcone Belluacenſi Epiſcopo ſcribens ad Urbanum ſecundum Pontificem: *Canonici & Presbyteri illi adverſantur, quia eos à pravis conſuetudinibus, & maximè à mulierum reproba converſatione vult prohibere, & eorum filios à Prabendarum hæreditaria ſucceſſione, atque à ſacrorum Ordinum promotione arcere.* Omnem fere iſtius Eccleſiæ Clerum affirmat duplici hac ſcabie infectum. Exſtat Epiſtola apud Franciſcum Juretum in Notis ad trigeſimam Epiſtolam ſancti Ivonis
Ep. 200. Epiſcopi Carnutenſis. Et apud Daimbertum, Senonenſem Epiſcopum, ſuum Metropolitam, laudatus Ivo graviter expoſtulat de quodam iſtius
Ep. 218. Eccleſiæ Prælato, *Qui publicè ſibi duo ſcorta copularat, & tertiam pellicem, cui tabulas matrimoniales faceret, jam ſibi præparabat.* Scribit item ad Gualonem Epiſcopum Pariſienſem: *De Canonico Eccleſiæ veſtræ, qui contra prohibitionem veſtram matrimoniales tabulas ſibi compoſuit, nullam ſententiam ad manum habeo, quam Dilectio veſtra ignorat.* Et Hildeberto Eccleſiæ Cenomanenſis Electo diſſuadet Epiſcopatum, eo
Ep. 277. quod *Archi-Diaconus, accubante lateribus ejus plebe muliercularum, multam genuiſſet plebem puerorum & puellarum.* Et hæc quidem omnia poſt tot Romanæ Eccleſiæ adverſum illas impiiſſimas nuptias Decreta. Quid ergo ante illa?

Eadem lepra fœdavit item Angliam atque Hiberniam: Ejus cauſam in Barbaros Nortmannos, qui Eccleſiam Lindisfarnenſem devaſtarant, atque ita expulſis Cathedralibus Monachis vagandi, ſcortandi, ac tandem attentandorum conjugiorum anſam dederant, refert Simeon Monachus Dunelmenſis, ita aiens uſque ad Gregorii ſeptimi Papatum perduraſſe. Eadgarum Regem, quod ſpinas evellere conatus ſit, laudat

In Præfat.

Digitized by Google

laudat Abbas Alredus, at certum eſt non plenè evulſiſſe. Etenim de Guilielmo primo Rege ad Hugonem Dienſem Epiſcopum ſuum in Gallia Legatum ſcribit laudatus Gregorius : *Anglorum Rex Presbyteros uxores etiam juramento dimittere compulit.* Hinc dicit *cæteris regibus probabiliorem & magis honorandum.* Eandem laudem illi adſcribit Gregorii anteceſſor Alexander ſecundus. Sed quod nec ipſe malum eradicaverit, lucet ex multis & longis adverſus illud, ſuo loco producendis, laboribus poſteriorum Epiſcoporum. Lib. 9. Epiſt. 5. Epiſt. 10.

Etiam Hiſpania, licet gemens ſub Saracenis, non depoſuit peſtem, facta ex illis, adverſum quos in libris de Civitate Dei declamat ſanctus Auguſtinus : *Perdidiſtis utilitatem calamitatis. Miſerrimi facti eſtis, & peſſimi permanſiſtis.* Etenim inter ſcriptarum ab Adriano primo Pontifice Epiſtolarum ſummaria ſeu argumenta eſt etiam hoc : *Ad Egilam Epiſcopum, ſeu Joannem Presbyterum de conſervatione continentiæ in Hiſpaniæ partibus prædicanda Epiſtolam ſcripſit Adrianus ac de diverſis erroribus, ac eorum Pſeudo-Sacerdotibus, qui vivente viro ſortiuntur uxores.* Quaſdam integras Epiſtolas nuper produxit Franciſcus du Cheſne. Et ad Didacum Compoſtellanæ Eccleſiæ Epiſcopum ſcribit Paſchalis ſecundus : *Si qui Presbyteri aut Diaconi ante Romanæ legis ſuſceptionem, ſecundum communem patriæ conſuetudinem, conjugia contraxerint, natos eis filios neque à ſæculari, neque ab Eccleſiaſtica dignitate repellimus.* Romana iſta lex omnino ſunt Gregorii ſeptimi Decreta, cujus & alias ſanctiones fuiſſe ab Hiſpanis reverenter admiſſas, eſt ſuprà oſtenſum. Nam & Richardus, Maſſilienſis ad ſanctum Victorem Abbas, ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Presbyter, fuit illic ejus Legatus, & pro laudatorum Decretorum executione duras luctas ſuſtinuit. Qui majorum Clericorum è prætenſis conjugibus filios ad Eccleſiæ ac Reipublicæ gradus reddidit inhabiles, fuit Urbanus ſecundus. Ep. 45.

Et hiſce obſcænis Clericis nec argumenta defuerunt, nec patroni. Et ex his fuiſſe Godofredi Lotharingiæ Ducis Capellanos ſcribit ſanctus Petrus Damiani : *Dogmatizatis ſacri Altaris miniſtros jure poſſe mulieribus permiſceri.* Primum argumentum erat Canon Gangrenſis, mandans eos, qui conjugati Sacerdotis ſacrificium ſpernerent, communione privari. Adverſus Romanæ Eccleſiæ Decretum, conjugati Presbyteri Miſſam audiri vetans, eſſe palmare videbatur iſtud argumentum : Videbatur Pontifices de antiquorum Canonum prævaricatione convincere. Et hinc laudatus Petrus repoſuit : *Dum litterarum ſuperficiem negligenter attenditis, ſobrietatem Eccleſiaſticæ intelligentiæ non tenetis. Ille nimirum Sacerdos conjugatus dicitur, non qui nunc habet, ſed qui prius habuit ante perceptam Sacerdotalis Ordinis dignitatem.* At certum eſt labi. L. 5. c. 13.



Digitized by Google

Etenim Euſtatius Sebaſtenſis in Armenia Epiſcopus , non præterita ,
ſed præſentia damnavit Sacerdotum conjugia, eadem adversùs illum
ex Nicæno ad Paphnutii interceſſionem Decreto Synodus Gangrena
defendit. Reſponſum igitur oportebat Græcum eſſe, & de Græcis ſtatue-
re iſtum Canonem , ideoque produci non poſſe ad res Latinas.

Etiam adduxerunt alios Canones. Primo Canonem Synodi Tribu-
rienſis, quo contra Romanam Eccleſiam eſſe concluſum exiſtimarunt
Laudenſes Clerici atque ideo tamquam tauri cornupetæ in optimum Pe-
Lib. 4. trum Damiani inſilierunt. Rectè vero hic reſpondit ejuſmodi Canones
Ep. 3. eſſe ſpuria vitulamina & adulterina ſarmenta: Nihil enim ſimile habet
Synodus Triburienſis. Etiam Paphnutii Ægyptii, nec non & ſancti
Udalrici Auguſtenſis Epiſcopi capitula fuiſſe ab illis producta, teſtatur
Anno. Bertholdus Presbyter Conſtantienſis. Sancti Udalrici capitulum erat
1179. neſcio quod ſancti Gregorii Magni, plurima Clericalium ſpuriorum
inſantilia capita in quodam lacu reperientis, ideoque illis conjugia dein-
ceps permittentis, à ſancto Udalrico probatum, & ad Germanos ex-
tenſum Decretum. Exſtat in Annalibus Abbatis Uſpergenſis. Eſt men-
daciſſima fabula, ideoque per Gregorium ſeptimum merito damnata.
Quomodo enim Magnus Gregorius, qui etiam Siciliæ & Calabriæ Sub-
diaconos coëgit ad continentiam, poſſit omnibus Presbyteris conjugia in-
dulſiſſe? Fœdi illi adduxerunt etiam Canonem Apoſtolicum : *Unuſ-
quiſque uxorem ſuam habeat.* Item praxim Sacerdotum Moyſaïcorum,
nullibi damnatam ab Evangelio aut Apoſtolis. Eorum mentem expo-
nit in litteris ad Petrum Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, & Lateranen-
L. 2. Ep. ſis Baſilicæ Archi-presbyterum , laudatus Petrus Damiani : *Ecce, in-*
10. *quiunt, hæc verba Apoſtolica ſunt generalia, & dum unicuique nubendi li-*
*centiam tribuunt, nos excipere non videntur.* Quin imò Gregorium ſepti-
mum, tamquam qui adversùs Apoſtolum manifeſtè ſtatueret, à Ger-
Anno maniæ Presbyteris fuiſſe proclamatum hæreticum affirmat Lambertus
1074. Schafnaburgenſis.

Secundum ipſorum argumentum refert idem Damiani in litteris ad
L. 1. Ep. Alexandrum ſecundum Pontificem : *Faſtigium caſtitatis attingere ſe poſſe*
6. *deſperant.* Et hinc per Lambertum memorati Germaniæ Presbyteri ad-
verſus Sigifridum Moguntinenſem Archiepiſcopum in Erphordienſi
Synodo clamaverunt deinceps à Gregorio ſeptimo non homines appli-
candos Eccleſiæ miniſterio, ſed devocandos è cœlo Angelos, utpote
qui ſoli valeant caſtitatem ſervare. Etiam à Philippo Burgundo Ultra-
jectenſi Epiſcopo caſtitatem fuiſſe exiſtimatam impoſſibilem, permiſ-
ſos & continentibus prælatos Clericos concubinarios, irriſos Monachos
Clericalis continentiæ Prædicatores, ſperatumque fore ut Romana
Lex

Digitized by Google

Lex brevi abrogaretur per generalem Synodum, teſtatur quis Anonimus in ejus vitâ, quem tamen quidam affirmant mendacem impoſtorem. Huc etiam facit, quod ſanctus Petrus Damiani ſcribit ad laudatum Archi-presbyterum Lateranenſem: *Nonnulli ſuper hâc quæſtione conventi ad paupertatis illicò patrocinium convolant. Muliebris, inquiunt, ſedulitatis auxilio carere non poſſumus, quia rei familiaris inopiam ſuſtinemus.* Rectè verò reddidit Damiani: *Paupertas indiga ſolitudinis, fœminarum docet abdicare conſortium, & greges inhianter edentium prohibet gignere parvulorum.*

Tertium ipſorum argumentum adducit idem Damiani in libro gratiſſimo ad Henricum Archiepiſcopum Ravennatem: *Feſulanus Epiſcopus, Rainbaldus nomine, erat manifeſtiſſimè Simoniacus. Huc accedebat, quod præter alias unam habebat publicè & familiariter adhærentem & tamquam legitimæ deſponſationis uxorem. Per hunc itaque talem plura perhibentur exhibita fuiſſe miracula.* Refert quædam illius miracula, addens eâdem gratiâ donatum fuiſſe Marinum Faventinæ Eccleſiæ Presbyterum, etiam publicè conjugatum. Hinc ergo fœdi Clerici blaterarunt conjugia ſua eſſe divino teſtimonio comprobata. At miraculorum virtutem eſſe gratim gratis datam, ideoque & impiis hominibus quandoque concedi, docet Chriſtiana Lex, & multis ibidem exemplis laudatus Petrus oſtendit. Poſſumus & adverſum miraculum adducere ex magno Belgii Chronico: *Eodem anno mira Secta, tam virorum quàm mulierum, venit Aquiſgranum de partibus Alemanniæ, & aſcendit uſque ad Hannoniam ſeu Franciam, cujus talis erat conditio. Utriuſque ſexus homines illudebantur à dæmonio, ut tam in domibus quam in plateis, & in Eccleſia ſe invicem manu tenentes ducerent choreas, & in altum ſaltarent, nomina quædam dæmoniorum nominantes, nec ullam cognitionem in hujuſmodi choreis nec verecundiam propter adſtantem populum habentes. In fine verò chorizationis ita circa pectoralia torquebantur, ut niſi mappulis lineis à ſuis amicis circa ventris medium fortiter ſtringerentur, quaſi furiosè clamarent ſe mori. Tandem Leodii per conjurationes, ſumptas de illis quæ ante baptiſmum in cathechiſmo ſiunt, à dæmonio liberabantur, & ſanati dicebant viſos ſe tempore ſaltationis immerſos in flumine ſanguinis, & propterea ſe in altum ſaltaſſe. Vulgus Leodii dicebat plagam illam populo contigiſſe, quia male erat baptizatus, & maximè à Presbyteris Concubinariis. Qua de cauſa propoſuerat vulgus inſurgere in Clerum, iiſque trucidatis bona eorum diripere, niſi Deus de remedio per conjurationes prædictas providiſſet.* Ita multis in locis Clericorum Caſtitas fuit reſtaurata.

Cap. 18.

Anno 1374.

Quartum argumentum prodit Lambertus Schafnaburgenſis, dicens de Sigiſrido Archiepiſcopo Moguntinenſi: *Archiepiſcopus ſciens non parvo* An. 174

*conſtare operam hanc, ut tanto tempore inolitam conſuetudinem revelleret, atque ad rudimenta naſcentis Eccleſiæ ſeneſcentem jam mundum reformaret.* Erat omninò antiqua conſuetudo, de qua ad Theoduinum Leodienſem
Lib. 2. Epiſt. 61. Epiſcopum Gregorius ſeptimus: *Inolevit ex taciturnitate Paſtorum.* Dormientibus enim hominibus, ſolet inimicus peſſima zizania in Eccleſiæ agro ac tritici medio ſuperſeminare. Quare de talibus conſuetudinibus
Cap. 1. rectè in Synodo Turonenſi dixit Alexander tertius: *Diuturnitas temporis non minuit peccata, ſed auget.*

## CAPUT VII.

### *Exponuntur Leonis Noni, & Gregorii Septimi contra has ſordes Decreta.*

FOeda hæc licentia ſine frœno cucurrit uſque ad Gregorium ſextum Pontificem longè optimum, ſed quem Henricus ſecundus Imperator tamquam Simoniacè intruſum deportavit in Germaniam, optimas ejus intentiones fruſtrans, atque ejus in locum impoſuit Clementem ſecundum, antea Suigderum Epiſcopum Bambergenſem. Aliquot dumtaxat menſibus hic ſedit, non ſolum nomine, ſed & re Clemens nimium, ideoque ad illum, Principis juſſu priùs acriter à ſe exſtimulatum,
Lib. 1 Epiſt. 3. ſcripſit deſperans ſanctus Petrus Damiani: *Quid juvat Sedem Apoſtolicam de tenebris ad lucem remeaſſe, ſi nos adhuc in iiſdem tenebris remanemus? Nos ſperabamus quod tu eſſes redempturus Iſraël.* Ejus autem ſucceſſor Damaſus ſecundus, antea Poppo Brixinenſis Epiſcopus, ſedit per dies ſolum viginti, atque hinc de ſucceſſore ſancto Leone nono, ante Brunone Epiſcopo Tullenſi, ac ejus Remenſi Synodo ſcribit mag-
Fol. 113. num Belgii Chronicum: *Ubi Presbyteri uxorati, perſuaſione Hugonis Abbatis Cluniacenſis, à Catholicorum congregatione & Eccleſiis eliminati ſunt.* Etiam à S. Petro Damiani, adhuc Eremita ejuſque libro Gomorrhiano fuiſſe permotum opus, ipſe in datis ad illum laudatoriis litteris Pontifex profitetur. Ejus Decretum, quod ſæpe & in Conciliis, & per Legatos, & per Epiſtolas innovarit, laudat in litteris ad Rudolphum Sueviæ & Bertholdum Carinthiæ Ducem Gregorius ſeptimus. Ipſum refert atque
Lib. 2. Epiſt. 45. innovat Romana Nicolai ſecundi Synodus: *Ut nullus Miſſam audiat Presbyteri, quem ſcit Concubinam indubitanter habere, aut ſubintroductam mulierem. Unde etiam ipſa ſancta Synodus hoc Capitulum ſub Excommunicatione ſtatuit dicens: Quicumque Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, poſt Conſtitutum Beatæ memoriæ Prædeceſſoris noſtri Sanctiſſimi Papæ Leonis de caſtitate Clericorum, Concubinam palam duxerit, vel ductam non reli-*

Digitized by Google

*reliquerit, ex parte Omnipotentis Dei, authoritate Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, præcipimus & omnino contradicimus, ut Miſſam non cantet, neque Evangelium vel Epiſtolam, aut Miſſam legat, neque in Presbyterio ad divina officia cum iis, qui præfatæ Conſtitutioni obedientes fuerint, maneat, neque partem ab Eccleſia ſuſcipiat, quo uſque à nobis ſententia ſuper hujuſmodi procedat.*

Leonis ergo de ſolis Presbyteris Decretum Nicolaus ad Diaconos & Subdiaconos extendit. Quod ipſum in ſua Romana Synodo fecit Alexander ſecundus. Imitati ſunt Stephanum decimum, de quo in litteris ad Lib. 4.
Kunibertum Taurinenſem Epiſcopum ſcribit ſanctus Petrus Damiani: Epiſt. 3.
*Papa Stephanus, qui zeli Phinees æmulabatur ardorem, omnes Clericos Romæ, qui poſt interdictum Papæ Leonis incontinentes extiterant, de conventu Clericorum & Choro Eccleſiæ præcepit exire, ut quamquam relictis feminis per pœnitentiæ ſe lamenta corrigerent, tamen quia ſancto Viro inobedientes fuerant, & de Sacrario ad tempus exirent, & celebrandæ Miſſæ licentiam de cætero non ſperarent.* Hic ergo primus Leonis Decretum ad omnes Clericos extendit. Quam extenſionem laudat & Bertholdus Presbyter Con- Anno
ſtantienſis. Et tunc facta eſt divina illa in Apoſtolici mandati contemp- 1057.
torem Romanum Presbyterum, habitantem prope Baſilicam ſanctæ Cæciliæ vindicta. De ſancti Leonis Decreto pergit ibidem laudatus Damiani: *In plenariâ planè Synodo ſanctæ memoriæ Leo Papa conſtituit, ut quæcumque damnabiles fœminæ intra Romana mœnia reperirentur Presbyteris proſtitutæ, ex tunc & deinceps Lateranenſi palatio adjudicarentur ancillæ.* Eandem Romanarum focariarum pœnam laudat ad milleſimum qua- Anno
drageſimum nonum annum Hermannus Contractus. Erat pœna juſtiſ- 1049.
ſima, iſti mulierum fæci olim etiam inflicta per tertiam & quartam Cap. 5.
Toletanam Synodum, & per primam Hiſpalenſem. Et hinc Decre- Cap. 43. Cap. 3.
tum iſtud, non in Rhemenſi, uti vult magnum Belgii Chronicum, ſed in Romana aut Vercellenſi Synodo factum oportuit: Etenim Rhemenſis, non quadrageſimo nono, ſed quinquageſimo poſt milleſimum anno fuit celebrata. Et in ipſa laudatum Decretum non reperitur. Et cur Gallicana Synodus definiret de Presbyteris Romanis?

Notanda ſunt Petri Damiani de Stephani decimi Decreto verba: *Omnes Clericos Romæ.* Palam aſſerunt in ſolos urbis Clericos ſtatuiſſe. Quod ipſum de Leonis Decreto affirmat Hermannus Contractus, & hinc de illo ad Cunibertum Taurinenſem Epiſcopum pergit laudatus Damiani: *Quod ſalutare ſtatutum, æquitatis juſtitiæque pleniſſimum, nos etiam per omnes Eccleſias propagandum eſſe decernimus, quatenus percepto prius Apoſtolicæ Sedis edicto unuſquiſque Epiſcopus Eccleſiæ ſuæ vindicet famulas, quas in ſua parochia deprehenderit ſacrilega Presbyteris admixtione ſubſtratas.*

 Æqui-

*Æquitatis ſcilicet jure, ut quæ ſacris Altaribus rapuiſſe ſervorum Dei convincuntur obſequium, ipſæ hoc ſaltem Epiſcopo per diminuti ſui capitis ſuppleant famulatum.* Hæc prima extenſio fuit ad ſolos Clericos Italiæ. Factam fuiſſe à Nicolao ſecundo, per laudatum Petrum inſtigato, ſcribit
Anno Bertholdus Conſtantienſis. Et hinc eundem Petrum, jam Cardinalem
1058. Epiſcopum Oſtienſem, ad extenſionis hujus executione purgandam
& 1061. Ambroſianam Eccleſiam, Mediolanum cum ampliſſimâ poteſtate legavit Alexander ſecundus. Mediolanenſis Eccleſiæ filium, ac Ambroſianis uberibus ſublactatum affirmat ſe natus Mediolani Pontifex, ideoque charitatem hanc ſuis civibus à ſe impendendam. Sua iſtic Acta ſingulari libro Petrus deſcripſit, & inter alias ſuas ſanctiſſimas conſtitutiones reliquit illic hunc articulum: *Presbyter, Diaconus, ac Subdiaconus, fœminam ad fornicandum palam retinens, donec in culpa manſerit, nec officium faciat, nec Eccleſiæ beneficium habeat, qui vero non retinet, & eventu ex humanâ conditione ceciderit, poſtquam manifeſtum veraciter fuerit, ſuſpendatur ab officio tantum, donec per pœnitentiam ſatisfecerit.* Hoc eſſe exiſtimo Decretum, cujus cauſa Petrus nimiæ in fornicatores Clericos indulgentiæ à quibuſdam accuſatur. Et reverà ab avito Eccleſiaſticæ diſciplinæ rigore admodum recedit iſtud Decretum: Temporis calamitas coëgit ad diſpenſationem iſtam, neque quid ſanctius ſperari permiſit aut imperari. Ejus pro hoc Decreto adverſitates collige ex Epiſtola
L. 5. Epiſt. 16. ad Landulphum Clericum Mediolanenſem: *Mediolanenſis civitas in ſeditionem verſa repentinum noſtrum minabatur interitum.* Pro effrœni ſua fœditate pertinaces Clerici commoverunt populum, ſuaſeruntque optimum Petrum tamquam novæ legis Pſeudo-prædicatorem lapidari. Et hinc à meliori, quàm jurata ſolemniter profeſſione firmari Petrus curarat, vita in priſtinas ſordes ſunt poſt breve intervallum relapſi, aientes profeſſionem fuiſſe metu exortam, ideoque non tenere. Adductarum ab ipſis rationum fucos nervosè Petrus in laudatâ ad Landulphum Epiſtola refutat.

Et hæc quidem omnia Decreta fuerunt directa ad ſolos Clericos. Quod à Cardinali Heldebrando, qui poſtea fuit Gregorius ſeptimus, inſtigatus Nicolaus ſecundus tandem addiderit Presbyteri, Diaconi, aut Subdiaconi palam conjugati aut concubinarii, non audiri Miſſam vel alia Divina officia, ceu ulla percipi Sacramenta, teſtatur Bertholdus Conſtantienſis. Dicit à Nicolao mandatum ſolis Italis, ac poſtmodum ad omnem Eccleſiam à laudato Gregorio extenſum. Decretum exſtat in Romanâ Nicolai Synodo: *Ut nullus Miſſam audiat Presbyteri, quem ſcit concubinam indubitanter habere, aut ſubintroductam mulierem.* Hoc à ſe addi dicit ad Decretum Leonis noni. Quod ipſum in primâ ſuâ pluſ-

Digitized by Google

pluſquam centum Epiſcoporum Romana Synodo confirmavit atque innovavit Alexander ſecundus. Gregorianæ extenſionis ſeriem edicit Marianus Scotus: *Hildebrandus, qui & Gregorius Papa, decrevit præcepto Petri Apoſtoli & ſancti Clementis, & Canonibus Patrum per bannum Dei, Petri & Pauli, & ſuum, Synodali judicio multorum Epiſcoporum, & contra dicens interdixit Presbyteris, Diaconibus, omnibusq; Clericis uxores habere, & omnino cum fœminis habitare, niſi cum eis, quas regula vel Nicæna Synodus conceſſit. Unde & de prædicta Synodo Legati Papæ miſſi ad Henricum Regem Romanorum, id eſt, duo Epiſcopi, cum Regina ejuſdem Regis matre, & univerſali Synodo, coram Rege, communi omnium Epiſcoporum interdictu, fœminas ſepararunt à Clericis, & maximè à Presbyteris.* Pergit ad annum ſequentem: *Plures Clerici ſub ſententiâ interdicti Apoſtolici libentius eſſe voluerunt, quam fœminis & uxoribus carere. Sed ut per alios caſtigarentur, decrevit Synodicâ Legatione etiam hoc anno ut nullus Chriſtianus audiret Miſſam conjugati Presbyteri.* Quod multi Apoſtolicam excommunicationis & degradationis ſententiam ſpreverint, contumaciter perſeverantes & in ſacrilego conjugio & in Eccleſiaſtico miniſterio, teſtantur etiam ſanctus Petrus Damiani, Lambertus Schafnaburgenſis, ac Simeon Dunelmenſis. Et hæc contumacia Nicolaum ſecundum, Alexandrum ſecundum, & Gregorium ſeptimum compulit procedere ad iſtud poſterius Decretum. Addit laudatus Simeon omnium iſtorum cum ſuis uxoribus Sacerdotum ſempiternam damnationem fuiſſe Boſoni militi divinitus revelatam.

Anno 1074.

Anno 1075.

Incognitus Gregorii adverſum rebelles Apologus ex ejus ad Othonem Conſtantienſem Epiſcopum litteris refert Decretum: *Nos juxtà auctoritatem Sanctorum Patrum in Synodo ſententiam dedimus, ut hi qui in crimine fornicationis jacent, Miſſas celebrare, aut ſecundum inferiores ordines miniſtrare altari non debeant. Statuimus etiam, ut ſi ipſi contemptores fuerint noſtrarum, imo Sanctorum Patrum Conſtitutionum, populus nullo modo eorum officia recipiat, ut qui pro amore Dei & officii dignitate non corriguntur, verecundia ſæculi & objurgatione populi reſipiſcant.* Ipſum etiam refert in ſuis Annalibus Rogerus Hovedenſis: *Gregorius Papa, Servorum Dei Servus, per totum Italicum Regnum & Theutonicum debitam S. Petro Obedientiam exhibentibus Apoſtolicam Benedictionem. Si qui ſunt Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, qui jacent in crimine fornicationis, interdicimus eis ex parte Omnipotentis Dei, & authoritate ſancti Petri, introitum Eccleſiæ, uſque dum emendent & pœniteant. Si qui autem in peccato ſuo perſeverare maluerint, nullus veſtrum ad officium eorum auſcultare præſumat, quia benedictio illorum vertitur in maledictionem, & oratio in peccatum.* Similem Decreti formam refert Simeon Dunelmenſis. Non ſunt tamen ipſum,

Cap. 2.

Anno 1075.

Digitized by Google

ipſum, quod latet aut periit, Synodale Decretum, ſed litteræ ejus executrices. Aliud ipſuper ejus de hac re Decretum laudat Lambertus
Anno Schafnaburgenſis: *Hildebrandus Papa decrevit, ne quis omnino ad Sa-*
1074. *cerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam vitamq; cælibem profiteatur.* Aliud item extat in quinta ejus Romana Synodo: *Si quis Epiſcopus fornicationem Presbyterorum, Diaconorum, ſeu Subdiaconorum, precibus vel pretio interveniente, conſenſerit, vel commiſſam ſibiq; compertam authoritate ſui officii non impugnarit, ab officio ſuſpendatur.*

Rectè Marianus Scotus ait Gregorii Decreta ex Patrum Canonibus proceſſiſſe. Etiam Lambertus Schafnaburgenſis affirmat fuiſſe conformia antiquorum Canonum inſtitutis. Quod ipſum in Epiſtola ad Lucium, ſancti Juventii, Ticinenſis Præpoſitum, multis oſtendit Urbanus ſecundus. Agunt in illos, adverſum quos in litteris ad ſanctum Annonem Colonienſem Archiepiſcopum ſcribit ipſe Gregorius: *Novit Fraternitas tua, quia præcepta hæc non de noſtro ſenſu exſculpimus, ſed antiquorum Patrum Sanctiones, Spiritu ſancto prædicante probatas, officii noſtri neceſſitate in medium propalamus, ne pigri ſervi ſubeamus periculum, ſi Dominicam pecuniam, quæ cum fœnore repoſcitur, ſub ſilentio abſcondamus. Quamquam*
L. 2. Ep. *huic ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſemper licuit, ſemperq; licebit contra noviter*
67. *increſcentes exceſſus nova quoque Decreta aut remedia procurare, quæ rationis & authoritatis edita judicio, nulli hominum fas ſit refutare.* Quidam Scioli, Hincmarum Remenſem ſecuti, garrivere Romanum Pontificem obligari ad ſervandos Canones, nihil niſi ex antiquis Canonibus hauſtum poſſe præcipere, ideoque nova hæc, Gangrenſi Canoni & longiſſimæ conſuetudini adverſa, Gregorii Decreta eſſe nullius ponderis. Reponit ipſe Decreta ſua eſſe omnino hauſta ex iſto fonte: Addit Romanam Eccleſiam ad iſtam hauſturam non obligari. Lege Authoris incogniti, quandoque tamen ceſpitantis, pro Gregorio Apologiam. Gangrenſem Canonem ſupra explanavi.

## CAPUT VIII.

### *Exponuntur variæ adverſum hæc Gregorii Decreta contradictiones.*

PRimus Gregorianorum Decretorum hoſtis infenſiſſimus fuit Belgii noſtri Monachus, Henrici quarti Imperatoris partes ſecutus, Sigi-
Anno bertus Gemblacenſis, ſcribens in ſuo Chronico: *Gregorius Papa uxoratos*
1074. *Sacerdotes à Divino officio removit, & laicis Miſſam eorum interdixit, novo exemplo, & ut multis viſum eſt, inconſiderato præjudicio contra Sanctorum Patrum*

*Patrum ſententiam, qui ſcripſerunt quod Sacramenta, quæ in Eccleſia fiunt, Baptiſmus ſcilicet & Chriſma, Corpus & Sanguis Chriſti, fiant Spiritu ſancto latenter operante eorumdem Sacramentorum effectum ſeu per bonos ſeu per malos intra Dei Eccleſiam diſpenſentur. Tamen quia Spiritus ſanctus myſticè illa vivificat, nec meritis bonorum Diſpenſatorum amplificantur, nec peccatis malorum attenuantur, unde eſt hic qui baptizat. Ex qua re grave oritur ſcandalum, ut nullius hæreſis tempore ſancta Eccleſia graviori Schiſmate ſciſſa ſit, his pro juſtitia, illis contra juſtitiam agentibus, porrò continentiam paucis tenentibus, aliquibus eam cauſâ quæſtus & jactantiæ ſimulantibus, multis incontinentiam perjurio, aut multiplicieri adulterio cumulantibus, ad hoc hâc opportunitate laicis inſurgentibus contra ſacros Ordines, & ſe ab omni Eccleſiaſtica ſubjectione excutientibus, laici ſacra myſteria temerant, de his diſputant, infantes baptizant, ſordido humore aurium pro ſacro Oleo & Chriſmate utentes, in extremo vitæ Viaticum dominicum & uſitatum Eccleſiæ obſequium ſepulturæ à Presbyteris conjugatis accipere parvi pendunt, decimas Presbyteris deputatas igne cremant, & ut in uno cætera perpendas, laici corpus Domini à Presbyteris conjugatis conſecratum ſæpè pedibus conculcaverunt, & ſanguinem Domini voluntariè effuderunt, & multa alia contra jus & fas geſta ſunt in Eccleſia, & hac occaſione multi Pſeudo-magiſtri exurgentes in Eccleſiâ profanis novitatibus plebem ab Eccleſiaſticâ diſciplinâ averterunt.* Quæ omnia verbo tenus ad eundem annum ſcribunt Matthæus Pariſienſis, Radulphus de Diceto, & Thomas Walſingamenſis.

Eodem ſcrupulo laboravit Lucius, ſancti Juventii apud Ticinum Præpoſitus, exiſtimans Decreta hæc adverſari ſancto Auguſtino, adverſus Donatiſtas conſtanter tradenti Chriſtiana Sacramenta à profanis intra Catholicam communionem miniſtris non pollui, & per Sanctos ac per impios tradita aut confecta eſſe æquè ſancta, atque ex omnium manibus poſſe ſine contagio fructuosè participari. Pſeudo-Apoſtolorum, ex invidiâ & carnali contentione Evangelium aut Sacramenta diſpenſantium, miniſteria eſſe ſancta & piè accedentibus fructuoſa ſcripſit etiam Apoſtolus Paulus. Reſpondit verò Urbanus ſecundus: Confecta aut data per incontinentes Presbyteros Sacramenta *proprias quidem habent virtutis dignitates, ſed agentibus vel ſuſcipientibus contra Romanorum Pontificum inſtituta, niſi fortè ſola morte interveniente, utpote ne ſine baptiſmate vel communione quilibet humanis rebus excedat. Eis, inquam, in tantum obſunt, ut veri ſint Idololatræ, quoniam peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus Idololatriæ nolle acquieſcere.* Quod à Presbyteri, Epiſcopi, Metropolitæ, Primatis aut Patriarchæ, Chriſtianam fidem aut ſacros Canones palam cum Eccleſiæ ſcandalo prævaricantis, communione ſit licitum, imò & quandoque juſſum retrocedere, notiſſimum eſt in lege

Chriſtiana. Quanto igitur magis id liceat & oporteat ad juſſum Romanæ Eccleſiæ? Omnis contra juſſum iſtud inita, preſertim in divinis Sacramentis, communio eſt contagioſa, & attractio peccati alieni. Rectè tamen Gregorius ſeptimus legem hanc vigêre juſſit in ſolis Presbyteris, Diaconis atque Subdiaconis publicè uxorem aut pellicem habentibus: Quod enim ex dubio crimine, quouſque accedat Superioris authoritas, nemo poſſit ſui Epiſcopi aut Presbyteri declinare communionem, ſta-
L. 3. tit. tuit Synodus octava. Et iſtam Gregorii legem etiamnum hodie vigêre in
2. c. 7. Clericos palam concubinarios, lucet ex Lucii tertii Pontificis Decreto, quod ſuo Codici inſeruit Gregorius nonus.

Fateor tamen horum Decretorum occaſione Latinam Eccleſiam fuiſſe ſcandaloſiſſimè turbatam. Utique à Presbyteris omni Eccleſiaſtico miniſterio, imo & cœlorum regno potius, quam ſuis uxoribus valedicere malentibus, & barbaricè ubique tumultuantibus. Plures omni miniſterio valedixiſſe, teſtatur in litteris ad Cunibertum Taurinenſem Epiſcopum S. Petrus Damiani, affirmans ac demonſtrans valedictionem iſtam fuiſſe ſceleratiſſimam Apoſtaſiam. Crediderunt ſe poſſe uti gratiâ, quam Siciliæ Subdiaconis, dum ad continentiam coëgerunt, permiſerunt Pelagius ſecundus ac Gregorius Magnus; alternativè dumtaxat imperantes aut abſtinere ab uxoribus, aut à miniſterio ceſſare. Verùm erat cauſa valde diſpar. Etenim Siculorum Subdiaconorum conjugia erant legitima & Canonica, ideoque per novam ſanctionem non poterant invitis auferri. Qualiter adverſus Petrum Damiani, Alexandri ſecundi Legatum, Mediolanenſes, & adverſus hominem Gregorii ſeptimi Decreta laudantem graſſati fuerunt Clerici Cameracenſes, ſupra eſt dictum. Qualiter Germani Clerici Sigifridum Archiepiſcopum Moguntinum, eadem Decreta publicantem, ex Erfordienſi Synodo expulerint, & propemodum trucidarint, refert Lambertus Schafnaburgenſis. Eadem
Anno paſſum dicit in Moguntina ſequentis Anni Synodo, & pergit: *Sic tan-*
1075. *dem rei difficultate ſuperatus Archiepiſcopus ſtatuit ſibi deinceps tali quæſtione omnino ſuperſedendum, & Romano Pontifici relinquendum, ut cauſam, quam toties ipſe inutiliter propoſuiſſet, ille per ſemetipſum, quando & quomodo vellet, peroraret.* Ejuſmodi Reſponſa accepit Gregorius ab aliis etiam Epiſcopis, adeo ut & ipſe laſſatus reſponderit ſuorum Decretorum per Germaniam executoribus Paſſavienſi Epiſcopo & Abbati Hirgauzienſi:
L. 9. Ep. *Quod de Sacerdotibus interrogaſtis, placet nobis ut in præſentiam, tum*
3. *propter populorum turbationes, tum etiam propter bonorum inopiam, ſcilicet quia pauciſſimi ſunt qui fidelibus Chriſtianis officia Religionis perſolvant, pro tempore, rigorem Canonicum temperando, debeatis ſufferre.* Ita coëgit
L. 1. c. 1. Henrici Regis in optimum Pontificem rebellio, ad quem in Brixinenſi con-

conventiculo degradandum fuiſſe illum à conjugatis Presbyteris incenſum & perſuaſum, teſtatur in libris de geſtis Frederici primi Imperatoris Otto Epiſcopus Friſingenſis.

Per ſanctum Lanfrancum Cantuarienſem Archiepiſcopum in Anglia, & per Hugonem Dienſem Epiſcopum in Gallia, ſuos Vicarios & Legatos, Decreta ſua Pontifex eſt potentiſſimè executus. Et quidem Lanfrancum Guilielmus Rex, Hugonem quidam Gallicani Epiſcopi ſtrenuè adjuvarunt. Fœtere perſtitit ſola ferè Germania, quod Henricus Rex fœdaret ac impediret omnia, & plures Epiſcopi, præſertim Guilielmus Ultrajectenſis, ſceleratè ipſi adularentur.

Sigifridus Moguntinus à contumacibus Presbyteris in negligentiæ ſomnum actus dormire pergebat. Hinc ſancti Annonis Colonienſis, Wicelini Magdeburgenſis, Burchardi Halberſtadienſis, & paucorum ſimilium Epiſcoporum zelo Gregorius adjunxit operam Rudolphi ac Bertholdi, Ducum Sueviæ & Carentiæ: Etiam Alberti Namurcenſis, & Roberti Comitis Flandrenſis. Flandrenſium enim Presbyteros fuiſſe longè ſordidiſſimos & Epiſcopos negligentiſſimos, imò quaſi colludentes, docent Papales litteræ ad laudatum Robertum & Comitiſſam Adelam. Etiam per zeloſos ac ſibi fideles Monachos curavit Pontifex ſua Decreta divulgari. Et hinc nata eſt bina impurorum Epiſcoporum & Clericorum querimonia. Primam refert Pontifex in litteris ad laudatos Duces Rudolphum ac Bertholdum: *Si qui contra vos, quaſi iſtud officii veſtri non eſſet, aliquid garrire incipiant, hoc illis reſpondete, ut veſtram & populi ſalutem non impedientes, de injunctâ vobis obedientiâ ad nos nobiſcum diſputaturi veniant.* Uti adverſus quintum Synodum rebelles trium capitulorum defenſores Pelagium primum, Narſetis Comitis armato brachio ad ipſos Conſtantinopolim deportandos uſum, de violata Clericali immunitate & motis Chriſtiano tempore perſecutionibus, ita etiam Gregorium ſeptimum fornicarii Epiſcopi & Clerici accuſabant. Et uti iſtis magnus, ita his reſpondit noſter Gregorius: *Romam veniant nobiſcum diſputaturi.* Alteram querimoniam producit impurus auctor Chronici Auguſtenſis: *Gyrovagi ſub religionis ſpecie diſcurrentes maximam ubique ſeminant diſcordiam. Papæ Decretum enorme de continentiâ Clericorum per laicos divulgatur. Sacerdotes à laicis pro connubiis miſerabiliter ejiciuntur. Fas & nefas, promiſcua omnia, confuſa.* Emiſſos à Pontifice Monachos vocat Gyrovagos. Eorum unus fuit Magenoldus, regularis Clericus, quem ob ſimilem gyrationem fuiſſe à ſcortatoribus Clericis graviſſima paſſum ſcribit Bertholdus Conſtantienſis. Ex ipſis item fuiſſe exiſtimo illum hominem, quem Cameracenſes vivum combuſſerunt. Eorum zelus poſſit quandoque non ſatis habuiſſe ſalis, plebem in uxoratos

L. 4. Ep. 10. & 11.

L. 2. Ep. 45.

Anno 1075. & 1076.

Anno 1094.

Clericos nimium inflammaſſe, atque ita dediſſe anſam, ut ipſorum perſonæ, & data ab ipſis Sacramenta ſcandaloſè tractarentur.

Etenim ſimilem Florentinorum Monachorum, ſui de Simonia defamati Epiſcopi Sacramenta averſantium, exceſſum deſcribit in litteris ad eamdem civitatem ſanctus Petrus Damiani: *Ad Commonachos meos*
L. 8. Ep. 11. *articulum transfero, à quibus profectò procedere notam hanc jurgandi materiam non ignoro. Dicunt enim, quia ab hujuſmodi Sacerdotibus nec Chriſma confici, nec Eccleſia dedicari, nec Clericalia jura conferri, nec Miſſarum ullo umquam tempore potuerunt ſolemnia celebrari. Et tam hæc impudenter allegant, ut anno toto compulerint in tribus Plebibus ſine conſperſione Chriſmatis catechumenos baptizari. Sed cum Chriſtus procul dubio denominetur à Chriſmate, nil aliud tollunt Baptiſmo niſi Chriſtum, qui Chriſmatis ſubtrahunt Sacramentum. Et certè ſi me fortè non fugit, nulla umquam hæreſis in tantam prorupit audaciam, ut à Baptiſmi lavacro Chriſma, hoc eſt, à Chriſtiano Chriſtum dividere præſumpſiſſet.* Hoc ipſum, aut quid ſimile poſſint prædicaſſe miſſi à Gregorio Monachi, ideoque à Chronico Auguſtano Gyrovagi, à Sigeberto Gemblacenſi fuerunt dicti Eccleſiæ turbatores. Quod pro ſacro Chriſmate quidam uſurparint aurium ſordes, fabulam exiſtimo aut impoſturam. Adverte interim hæreticam Lutheranorum & Calviniſtarum, Chriſma à Baptiſmo ſeparantium, imò omnem ſacram Unctionem blaſphemantium, audaciam eſſe adeò novam, ut eam uſque ad ſancti Petri Damiani ævum Eccleſia ignorarit.

Imploratum Regii brachii auxilium peperit & aliam in Anglia miſeriam, de quâ Guilielmus Malmesberienſis: *Presbyteros Concilii Londi-*
F. 227. *nenſis, quod ante ſancti Anſelmi abſceſſum ſeu exilium fuerat celebratum, violatores, qui poſt Concilium mulierculas domibus ſuis vel introduxerant recentes, vel revocaverant veteres, Rex Henricus primus diſcrimine pecuniæ mulctare meditabatur. Id vero Anſelmus ferendum non arbitratus Regi ſcripſit, ut ab hâc exactione temperaret: Quod Eccleſiaſticorum miniſtrorum vitia, Epiſcoporum, non ſæcularium corrigi debeant inſtantia. Ille conſilia dignanter accepit, leniter reſcripſit venturum proximè in Nortmanniam, ſi quid deliquiſſet in his & aliis, per ejus emendaturum obedientiam.* Et Mat-
Anno 1129. thæus Pariſienſis: *Rex Anglorum Henricus tenuit Concilium magnum apud Londonias de Sacerdotum focariis prohibendis. Adfuerunt Concilio Wilhelmus Cantuarienſis*, Sancti Anſelmi ſucceſſor, *Et Turſtinus Eboracenſis Archiepiſcopus, cum ſuis ſuffraganeis, quos omnes ſimplicitate Cantuarienſis Archiepiſcopi Rex Henricus decepit. Conceſſerunt namq́, Regi juſtitiam de focariis Sacerdotum, quæ res poſteà cum ſummo dedecore terminabatur. Accepit enim Rex pecuniam infinitam à Presbyteris pro ſuis focariis redimendis. Tunc, ſed tardè, pœnituit Epiſcopos de conceſſâ licentiâ, cum*



Digitized by Google

*in omnium oculis pateret deceptio Prælatorum, & depreſſio Sacerdotum.* Rex enim in Clericorum crimina nequit eſſe judex, ſed obediens dumtaxat ab Epiſcopis invocatus ſeu juſſus Eccleſiaſtici judicii executor. Tunc factum exiſtimo, quod addit laudatus Malmesberienſis: *Epiſcopis aliis iſtas focariarum redemptrices pecunias vel concedentibus, vel metu ſilentium tenentibus, in ſolo Radulpho Ciceſtrenſi Epiſcopo vigor Pontificalis emolliri nequivit. Per totam ſiquidem Diœceſim divina vacare officia, Eccleſiarum januas præcepit ſpinis obſtrui, Monachorum cantum non inhibens, ſed tamen laicis aditum arcens. Facti atrocitas Regem inflexit, ut ei ſoli, quaſi mentis inconſideratæ homini, cenſum Presbyterorum indulgeret.* Eum poſteà ſolum uti verum Epiſcopum, cæteros ſpernens, timuit, dilexit, honoravit. Quo exemplo & alii tandem Epiſcopi cenſum iſtum de regiis manibus paulatim efeſtucarunt. Sordidiſſimum, à Gregorio ſeptimo quam meritiſſimè damnatum, quæſtum varii poſtmodum Epiſcopi ac præſertim Archidiaconi ſibi appropriarunt. Et hinc ſanctum Anſelmum, qui quæſtum iſtum non ſoli Henrico Regi, ſed & cunctis Fol.472.
Angliæ Archidiaconis ac Decanis rigidiſſimè interdixit, meritò laudat Rogerus Hovedenſis. Haſce omnes Gregoriani Decreti luctas Urbanus ſecundus, Paſchalis ſecundus, Calixtus ſecundus, Honorius ſecundus, ipſorumque Legati & Synodi variè adjuvarunt. Etiam ab Innocentio ſecundo fuiſſe Leodii factam ex Lotharingis & Tranſrhenanis Epiſcopis Synodum, damnataque hæc ſacrilega *conjugia*, teſtatur magnum Belgii Chronicon. Fol.158.
Verùm Hydra ſemper revixit, & numquam omni capite potuit truncari. Hinc tandem in Romana ſua Synodo ſtatuit idem Innocentius: *Decernimus ut ii, qui in Ordine Subdiaconatus & ſupra uxorem duxerint, aut Concubinas habuerint, officio atque Eccleſiaſtico beneficio careant. Ad hæc Predeceſſorum noſtrorum, Gregorii ſeptimi, Urbani & Paſchalis, Romanorum Pontificum, veſtigiis inhærentes præcipimus, ut nullus Miſſas eorum audiat, quos uxores vel Concubinas habere cognoverit. Ut autem Lex continentiæ, & Deo placens munditia in Eccleſiaſticis perſonis & ſacris Ordinibus dilatetur, ſtatuimus quatenus Epiſcopi,* Cano. 6. & 7.
*Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, Monachi, atque Converſi profeſſi, qui Sanctum tranſgredientes Propoſitum uxores ſibi copulare præſumpſerint, ſeparentur. Hujuſmodi namq; Copulationem quam contra Eccleſiarum Regulam conſtat eſſe contractam, matrimonium non eſſe cenſemus. Quin etiam ab invicem ſeparati pro tantis exceſſibus condignam pœnitentiam agant.* Sacrilega iſta matrimonia reddit ac declarat irrita: Hoc addit ſupra Decreta laudatorum ſuorum Anteceſſorum. Lucet ex confirmatorio Eugenii tertii Canone, edito in Synodo Remenſi: *Quia continentia, & Deo placens munditia in Eccleſiaſticis perſonis & ſanctis Ordinibus dila-*

*dilatanda eſt, Sanctorum Patrum & Prædeceſſoris noſtri Papæ Innocentii veſtigiis inhærentes ſtatuimus, quatenus Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Sub-*
Cano. 7. *diaconi, Regulares Canonici, Monachi, atque Converſi profeſſi, qui Sacrum tranſgredientes Propoſitum uxores ſibi copulare præſumpſerint, ſeparentur. Ejuſmodi namque Copulationem, quam contra Eccleſiaſticam Regulam conſtat eſſe contractam, matrimonium non eſſe cenſemus. Qui etiam ab invicem ſeparati pro tantis exceſſibus condignam pœnitentiam agant. Id ipſum quoque de Sanctimonialibus, ſi, quod abſit, nubere tentaverint, obſervare præcipimus.* Innovari à ſe dicit ſolius Innocentii ſecundi Decretum, quod nempe Gregorius & ejus Succeſſores damnaſſent quidem iſta conjugia, non tamen lucidè irritaſſent. Exprimit & Sanctimoniales: Quod enim eas Innocentius non expreſſiſſet, irritantem ejus legem quidam garriebant ad ipſas non extendi. Et hinc nulla deinceps apud ſacros Canones eſt memoria Epiſcopalium, Presbyteralium, Diaconalium, aut Subdiaconalium conjugiorum aut uxorum: Eas in ſua Lateranenſi Synodo Alexander tertius vocat mulierculas, quem Succeſſores ſunt paſſim imitati.

Hâc viâ decrevit malum, non tamen fuit plenè extinctum. Etenim dudum poſt Eugenii tempora ſcripſit ad Andream Lundenſem in Daniâ Archiepiſcopum, ſuum per Septemtrionis Eccleſias Vicarium ac
L. 4. Ep. 1018. Legatum, Innocentius tertius: *Poſtulaſti, utrum Sacerdotes Sueciæ in publicis deberes tolerare conjugiis, qui ſuper hoc ſe aſſerunt cujuſdam ſummi Pontificis privilegio communitos.* Quod nec communi jure, nec conſuetudine, utpotè exſufflata per Innocentium ſecundum, poſſent fœdas nuptias defendere, Apoſtolicum privilegium allegarunt. Hinc pergit Pontifex: *De Presbyteris Sueciæ certum non poſſumus dare reſponſum, niſi viderimus privilegium quod prætendunt.* An privilegium habuerint atque exhibuerint ignoro; partem negativam perſuadere poſſint verba Joannis Magni in hiſtoria Gothorum & Suecorum:
L. 18. c. 6. *Presbyterorum filii in Gothia ſemper fuerunt viliſſimi æſtimati, eorumq́; patres ob læſæ honeſtatis infamiam non minùs contemptibiles effecti velut ſal infatuatum conculcabantur.* Hæc palam edicunt iſta conjugia ex pravo abuſu, non ex Apoſtolico privilegio fuiſſe. Eadem pravitas uſque ad eadem tempora perduravit in Dalmatiæ ac Diocliæ Presbyteris & Subdiaconis, exſtirpataque primum
Anno 1199. fuit per Joannem Capellanum & Simonem Subdiaconum Legatos laudati Innocentii tertii. Ipſorum Synodum Abrahamus Bzovius ſuis Annalibus inſeruit. Honorius tandem tertius in Eccleſiam introduxit Religioſos Mendicantes, quorum ſancto verbo & exemplo malum fuit radicitus ubique evulſum.

# CAPUT IX.

## *Exponitur aliud contra ſacrilega hæc conjugia remedium.*

Remedium hoc edicit in vitâ ſancti Petri Damiani Joannes Monachus: *Ex ſancti Petri Damiani beneficio eſt, quod matricum Eccleſiarum Clerum per Romanam provinciam undiq; ſibi contiguum congregatum inſpicimus, eosq; nonnulla Canonici ritus veſtigia imitari applaudimus, qui relictis olim cunctis Canonicis inſtitutis, & à communis vitæ ordine prorſus receſſerant, & in ſingulis laribus unà cum mulieribus ſæculariter degebant. Fœditas eatenus ſe impudenter effuderat, ut nuptiæ Presbyterorum nihil diſcrepare viderentur ab ambitione ſæcularium.* Sancti Rigoberti pro reparanda Clericali caſtitate inſtitutum, longè efficaciſſimum, ideoque à Pippino Francorum Rege ac ejus filio Carolo Magno omnibus Occidentalis Imperii Eccleſiis impoſitum, plurimis in locis per cauſas ex Formoſi Pontificis calamitate natas defecerat, atque ita redierant fœdæ nuptiæ Sacerdotum: Hinc ad haſce eliminandas iſtud per omnes Romanæ Provinciæ Cathedrales Eccleſias reparare ſtuduit laudatus Petrus Damiani. Quomodo Fanenſis, ac præſertim Velitrenſis Eccleſiæ incorrigibiles Clericos, non dumtaxat ad communem, ſed & ad ſanctiſſimam vitam reduxerit, docent ejus litteræ ad neſcio quem Archiepiſcopum, & ad Clericos Fanenſes. Singulares Clericos paſſim à ſæcularium converſatione & inconditis moribus non diſcordare, curis ſæcularibus indifferenter inſervire, ab otioſi ſermonis ineptiis ſe non compeſcere, terrenæ concupiſcentiæ flammis fervere, & aliis inſuper ſubjacere vitiis ac vitiorum periculis ſcripſit ad quemdam Epiſcopum, cunctis aſſiduè Clericis prædicavit, atque ita pedetentim reduxit ad vitam communem. Etiam Eccleſiæ Mediolanenſi imponere conatus eſt, ſuis iſtic pacificatoriis ac reformatoriis Decretis inſerens hunc articulum: *Clerici juxta Eccleſias, ſi fieri poſſit, habitare cogantur.* Eandem tunc Lateranenſis Eccleſia ſuſcepit: Suſceptam fuiſſe juſſu Alexandri ſecundi, & quidem ſub ſancti Auguſtini Regulâ, teſtatur in Romano Bullario prima Epiſtola Anaſtaſii quarti. Omnium prima vitam iſtam in Italiâ tunc ſuſcepiſſe videtur Eccleſia Lucenſis: Quod enim per Leonis noni ac Victoris ſecundi auctoritatem ſuſceperit, teſtatur in compulſoriis ad ipſam retinendam litteris Gregorius ſeptimus. A ſancto Romualdo hæc didicerat Petrus Damiani ſcribens in ejus vita: *Conſtituit vir ſanctus Romualdus plures Canonicos & Clericos, qui laicorum more ſæculariter habitabant, Præpoſitis obedire, & communiter in congregatione vivere docuit.* Laudatus Pe-

C. 15. & 16.

L. 3. Ep. 10. & l. 5. Ep. 9.

L. 6. Ep. 11.

C: 35.

Digitized by Google

Petrus inſuper proprietatem ab Aquiſgranenſi Regulâ permiſſam exſtirpavit, & omnes ubique Canonicos deduxit ad Regulam ſancti Auguſtini. Etenim Rhemenſem Synodum mandantem omnes Canonicas mulieres vivere ſecundum ſancti Auguſtini Regulam, quam Severinus Binius factam exiſtimat ſub Eugenio ſecundo, marginalis Scoliaſtes rectè adſcribit Eugenio tertio.

Quod cunctus olim Italiæ Clerus vitam communem ex Caroli Magni juſſu egerit, lucet ex Romana Synodo laudati ſecundi Eugenii nu-
C. 7. 10. per publicata per illuſtriſſimum Dominum Lucam Holſtenium: *Neceſſaria res exſiſtit, ut juxta Eccleſiam clauſtra conſtituantur, in quibus Clerici diſciplinis Eccleſiaſticis vacent. Itaque omnibus ſit unum refectorium ac dormitorium, ceu cætera officina ad uſus Clericorum neceſſaria. Miniſtri verò poſt Epiſcopum tales ſuper eos eligantur, quorum vita atque doctrina illos potius exornent, quam dehoneſtent.* Et iterum: *Sacerdotes conſtitui non oportet, niſi in Eccleſiis aut ſpeciali Monaſterio deputentur, ne neceſſitas in ſæcularibus domibus habitandi illis occurrat. Alioquin à propriis Epiſcopis aut in Epiſcopia aut in Monaſteria habitandi & converſandi pro exercendo officio conſtituantur, in quibus mulieres converſari nulla ratio permittit. Ideòque eos ibi converſari & enutriri oportet.* Hanc ergo lapſam diſciplinam revocavit Petrus Damiani, atque confirmari & juberi impetravit à ſancto Papa Leone nono, de quo in hiſtoriali Epitome Siffridus Presbyter
Anno Miſnenſis: *Leo Papa conſtituit, ut fiant clauſtra juxta Eccleſias ad diſci-*
1049. *plinam ſervandam.* Quod ipſum eiſdem verbis ad eundem annum teſtatur incogniti auctoris Chronologica compilatio. Etiam à Romana Nicolai ſecundi Pontificis Synodo impetravit Petrus hunc Canonem: *Præcipientes ſtatuimus, ut ii majorum ordinum Clerici, qui Leoni nono Prædeceſſori noſtro obedientes caſtitatem ſervaverint, juxtà Eccleſias, quibus ordinati ſunt, ſicut oportet Religioſos Clericos, ſimul manducent & dormiant, & quidquid eis ab Eccleſiis venit communiter habeant. Et rogantes monemus, ut ad Apoſtolicam, communem ſcilicet, vitam ſummopere pervenire ſtudeant.* Quem Canonem innovavit in ſuâ Romanâ Synodo Alexander ſecundus, perſuaſus ab eodem Petro Damiani. Etiam à Gregorio ſeptimo Decreta iſta fuiſſe firmata ſcribit magnum Belgii Chronicum, &
F. 3047. addit: *Multa tunc magnaq́ ubique terrarum fundata ſunt Monaſteria, & maximis divitiis à Principibus, Prælatis, ac divitibus ſolemniter dotata.*

Etenim Hugo primus cognomento Salmenſis ceu Salmanus, Veſontionenſis Archiepiſcopus, quatuor erexit clauſtra Clericalia, primum pro ſe, ſecundum pro Clericis ad Eccleſiam Cathedralem, tertium ſanctæ Mariæ Magdalenæ, quartum ad ſancti Laurentii Baſilicam, de
L. 3. Ep. 8. quibus laudatus Petrus Damiani: *Ibi candidus Clericorum tuorum cætus*

*tam-*

*tamquam Chorus nitet angelicus. Illic enim velut in cœleſtis Athenæ gymnaſio ſacrarum Scripturarum erudiuntur eloquiis, illic veræ Philoſophiæ ſolerter incumbunt ſtudiis, ſeſeq́; ſub regularibus exercent quotidiè diſciplinis.* Multa item in Gallia & extruxit & reformavit ſanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus, & poſt illum Stephanus Epiſcopus Tornacenſis. Etiam Lutholfus Tullenſis Eccleſiæ Presbyter, laudatus à Bertholdo Conſtantienſi. Hi omnes propagavere Canonicos ſub Regulâ ſancti Auguſtini. Opus bonum etiam in Germania plures Epiſcopi promoverunt: Sanctus Anno Colonienſis, Herimannus Bambergenſis, Willigiſus Mogontinus, Altmannus Patavienſis, Wazo Leodienſis, Bruno Auguſtanus, Conrardus Salisburgenſis, laudati à Lamberto Schafnaburgenſi, Mariano Scoto, Abbate Dodechino, Magno Belgii Chronico & Chronico Auguſtano. Hamburgenſem & Lubecanam Eccleſias eſſe ex ipſa fundatione regulares, omnemque per Sclaviam multas fuiſſe eis à Godeſcalco Duce adjectas teſtatur Presbyter Hemboldus. In Hibernia eandem ſanctitatem plantavit ſanctus Malachias Dunenſis Epiſcopus, in Anglia Henricus ſecundus Rex, ejuſque mater Imperatrix Mathildis laudata à Roberto Montenſi. Omnibus eam non Monachalibus Cathedralibus Eccleſiis impoſuerunt. Sanctus Malachias proſecutus eſt ac reſtauravit ſancti Patricii, non Apoſtoli & Epiſcopi, ſed qui circa Domini annum octingenteſimum quinquageſimum floruit, Abbatis opus: Ab ipſo enim Hibernis eſſe & regulares Clericos, & admirabile illud purgatorium teſtatur Joannes Bromptonus Abbas Jornalenſis. Etiam de Godefrido Hieroſolymorum Rege ſcribit magnum Belgii Chronicon: *Primus ſecundum Gallicanæ Eccleſiæ morem in Eccleſiis Sepulchri Dominici & in Templo Domini Canonicos inſtituit regulares.* Quod ipſum teſtatur Simeon Monachus Dunelmenſis. Circa hæc tempora, quod omnes ubique Canonici ad vitam communem reduci non poſſent, cœpit vocabulum, *Canonicus Regularis*, diſtinctioque inter regulares Canonicos & ſæculares. Regularis & Canonicus ſunt penitus idem: Carolus Magnus, dum omnes ſui Imperii Clericos ad Canonum in Clauſtro & communi vitâ obſervantiam coëgit, alterutro etiam nomine fecit appellari. Et Græcum præ latino, quia jam dudum magis inoleverat, fuit retentum. Retentum fuit etiam poſt excuſſam ſanctam iſtam vitam: Hinc illius hoc tempore reſtauratores, quo ab illius excuſſoribus diſcernerentur, ſeſe vocaverunt Canonicos regulares. Non eſt frivola aut inutilis repetitio. Eſt ſimilis huic: *Abba pater.* Communem Clericorum vitam etiam Innocentius tertius dilexit, & admodum promovit. Etenim de ejus apud nos Legato ſcribit magnum Chronicon: *Guido quondam Abbas Ciſtertienſis, nunc Epiſcopus Legatus à Papa, ſciens Leodii Clericos dormire*

Anno 1095.

Anno 1075.

Lib. 1. c. 20.

Anno 1168.

Anno 1171. & 1185.

F. 1040

Anno 1010.



Digitized by Google

*cum ſuis focariis, præcepit ut in dormitorio dormirent, & Eccleſias nocte & die frequentarent, & ut Decani ac Præpoſiti, qui curam eorum gerunt, delinquentes graviter punirent. Ordinavit, & maxime in majori Eccleſia, ut reſidentes ſimul in refectorio comedant, & in dormitorio jaceant, & numquam extra, niſi de licentia Decani. Rebelles vero ut ſuo ſtipendio priventur.* Lapſæ iſtic diſciplinæ origo fuit ſub Innocentio ſecundo Albuzo Epiſcopus, de
F. 2062. quo idem Chronicum: *Sub hoc Albuzone cœpit ruere diſciplina Clericalis. Per clauſtrum equi, & mulieres in domibus habitabant. Cives filias ſuas ſine diſcretione graduum Clericis & laicis dabant uxores.* Acceſſit & aliud ma-
F. 1093. lum ſub Pontificatu Alexandri tertii: *Eccleſia ſancti Lamberti conflagravit ab igne proſiliente è domo cujuſdam, & comburente totum clauſtrum, & omnes ejus officinas.* Patracenſi etiam in Achaïa Eccleſiæ regulares ſancti Rufi Canonicos impoſuit laudatus Innocentius tertius, volens inſtitutum iſtud per omnes, quæ cum Flandrenſi jugo Latinum ritum ſuſciperent, Græcorum Eccleſias propagari. Tunc item Oſmenſis apud Hiſpanos, ad ſancti Dominici, ſui tunc Canonici, poſtea Fratrum Prædicatorum fundatoris conſilia, necnon & apud Septemtrionem Livonienſis, pluresque in aliis gentibus Eccleſiæ ipſum ſuſceperunt.

Quæſtio eſt, An iſta vitæ ſanctitas ſit apud nos revera ſancti Rigoberti inſtitutum, ab Europæ Eccleſiis antea ignoratum? Dico, *Eccleſiis Europæ*: Quod enim Africanæ Eccleſiæ ipſam ſanctus Auguſtinus impoſuerit, atque ita illam ex fœdiſſima florentiſſimam reddiderit, lucet ex variis ejus ſcriptis, atque vitâ per Poſſidium Epiſcopum Calamenſem. Porrò negativam propoſitæ quæſtionis partem ſuadet ſancti Papæ & Martyris Urbani primi Decretalis Epiſtola, affirmans vitam iſtam ex Apoſtolicâ traditione vigere in omnibus Cathedralibus Eccleſiis. Et de ſancto Euſebio Vercellenſi Epiſcopo ſcribit ſanctus Ambro-
Ep. 25. ſius. *Hæc duo in attentiore Chriſtianorum devotione præſtantiora eſſe quis ambigat, Clericorum officia & Monachorum inſtituta? Hæc primus in Occidentis partibus diverſa inter ſe Euſebius conjunxit.* Hinc in iſtius Eccleſiæ eligendo Epiſcopo aſſerit requiri duo: Monaſterii continentiam, & Eccleſiæ diſciplinam. Quod ipſum repetit in quinto decimo Sermone de Sanctis. Et Eccleſiaſticum Auguſtenſe Chronicon ait Cathedralem olim, poſtea Monachalem iſtic ſanctæ Martyris Afræ Eccleſiam fuiſſe ædifi-
L. 1. c. 8. catam ſub Conſtantino Auguſto, & adjungit: *Ibidem denique Clerici inſtituti ſunt ſub Apoſtolica regula in communi viventes, ac Deo juge ſacrificium laudum ſtatutis horis perſolventes, qui proceſſu temporis Canonici regulares nuncupati ſunt.* Quod item Cathedralis ad ſanctam Mariam Atrebatenſem Eccleſia dudum ante ſanctum Rigobertum fuerit Regularis, liquet ex litteris ſancti Vindiciani Cameracenſis Epiſcopi ad Joannem quintum
Pon-

Pontificem, exiſtentibus apud Baldricum Tornacenſem Epiſcopum in Eccleſiæ Cameracenſis Chronico, laudatamque Atrebatenſem Eccleſiam vocantibus *Monaſterium Canonicorum.* Eandem vitam in Eccleſia Lib. 1. c. Metropolitanâ Veſontionenſi plantatam à ſancto Lino primo iſtius civi- 25. tatis Archiepiſcopo, ac primo dein poſt ſanctum Petrum Apoſtolum Romano Pontifice, viguiſſe uſque ad Felicem & Tetradum Epiſcopos, per ipſorum incuriam periiſſe, ac tandem per Sanctum Martyrem & Apoſtolum Bonifacium denuo revixiſſe ſcribit in ejuſdem Eccleſiæ hiſtoria Joannes Jacobus Chifletius.

Reſpondeo tamen ſanctum Rigobertum, ex Sacro ſancti Benedicti Ordine Rhemenſem Archiepiſcopum, omnino fuiſſe primum ſancti inſtituti in Europâ auctorem. Adverſa argumenta aliud non evincunt. Etenim adducta ſancti Urbani Epiſtola eſt ex ſpuriis Iſidori negotiatoris Hiſpani mercibus, à Riculpho tertio poſt ſanctum Bonifacium Mogontinenſi Epiſcopo ſparſis in omnem Franciam, ideoque poſterioribus ſancto Rigoberto. Ipſarum auctor fuit magis pius quam doctus, conatus afflictæ tunc Eccleſiæ tradere aut reddere variam neceſſariam diſciplinam, cujus non infima portio fuit communis vita Clericorum. Sanctus Euſebius Vercellenſis Epiſcopus Cathedrali ſuæ Eccleſiæ non regulares Clericos, ſed Antonianos Monachos impoſuit, uti palam lucet ex adductis locis ſancti Ambroſii. Ita cunctis Anglorum Eccleſiiis ſanctus Gregorius Magnus impoſitos voluit Monachos Benedictinos. Auguſtenſis Chronici Auctor eſt Othone Friſingenſi Epiſcopo poſterior, ideoque dicit ibidem tandem Clericos inſtitutos in communi viventes: Utique non ſub Conſtantino, ſed ſub Pippino aut Carolo Magno. Sancti Vindiciani Epiſtola videtur habere aliquid difficultatis. Exponit eam Georgius Colvenerius. *Sic Helgandus in vita Roberti Francorum Regis omnes Eccleſias per eum fundatas, ſive fuerint Monachorum, ſive ſecularium aut Regularium Canonicorum, vocat Monaſteria, uti & alii paſſim ſcriptores mediæ ætatis.* Et in Veſontionenſis Eccleſiæ hiſtoria Joannes Jacobus Chifletius: *Nihil frequentius in antiquorum ſcriptis, quam ut Eccleſiam quamlibet Monaſterii nomine appellent, ſicut & nos Galli quamcumque Baſilicam* Mounſtier *appellamus.* Ita etiam Philo Judæus & Euſebius Lib. 2. c. Cæſarienſis Epiſcopus prima Chriſtianorum apud Alexandriam habita- 23. cula vocarunt Monaſteria, id eſt, & ſitu & ſingulari ſanctimonia ab aliorum habitaculis ſegregata ad normam Jeroſolimitanam, de qua ſanctus Lucas in actis: *Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis, cæterorum autem nemo audebat ſe conjungere illis, ſed magnificabat eos populus.* Porrò laudatus Chifletius Eccleſiam Veſontionenſem affirmans ab Apoſtolorum tempore fuiſſe Regularem eſt omnino lapſus. Adduci nequit firmum iſtius rei argumentum.

# CAPUT X.

## *An ſacrilega Clericorum & Monachorum conjugia fuerint olim valida?*

BAſilius Pontius Legionenſis in eruditis de Matrimonii Sacramento libris exiſtimat ſacrorum Clericorum ac Monachorum matrimonia fuiſſe quidem ſemper ſacrilega ac per Eccleſiam damnata, dudum tamen valuiſſe, ac priùs per Innocentii ſecundi Lateranenſem Synodum fuiſſe irritata. Probare nititur ex variis Eccleſiæ Patribus & antiquis Canonibus, conjugia iſta quidem punientibus, palam tamen non exſufflantibus: Hinc opinatur legem exſufflantem olim non fuiſſe. Ita ceſpitat in ipſo limine. Etenim matrimonio, quod non ſolum Chriſtianum Sacrámentum, ſed & civilis contractus ſit, dirimentia impedimenta ſtatuere dudum ſibi arrogarunt ac reſervarunt Chriſtiani Romanorum Auguſti, poſterioribus dumtaxat ſæculis Eccleſia fuit nacta iſtam poteſtatem. Hinc antiqui Patres & Canones raro iſtorum impedimentorum, utpote ad ſuam poteſtatem non ſpectantium, ex profeſſo meminerunt.

Et rei & temporis diſtinctione eſt opus. Primo agamus de Monachis & Sanctimonialibus. Attentata ab ipſis matrimonia conſtanter aſſevero numquam valuiſſe. Lucet ex lege Joviniani Auguſti exſtante in Codi-
L. 9. tit. ce Theodoſiano ad Secundum Prætorio Præfectum: *Si quis non dicam*
25. c. 2. *rapere, ſed vel attentare matrimonii jungendi cauſa ſacratas virgines vel invitas auſus fuerit, capitali ſententia feriatur.* Eandem legem Codici ſuo
L. 1. tit. inſeruit Juſtinianus Auguſtus, omittitque voces, *Vel invitas*, quæ re-
3. c. 5. vera videntur ſuperabundare. Legis cauſam edidit Hermias Zozomenus: *Jovinianus miſit ad Secundum Præſidem generale edictum, quod jubebat, ut qui ſacratam Virginem, vel ad nuptias contrahendas pellicere co-*
L. 6. c. 3. *naretur, vel laſcivo ſolum obtutu aſpiceret, maximè omnium ſi per vim raperet, capitis ſupplicio mulctaretur. Iſtam legem ideo tulit, quod quidam improbi viri, regnante Juliano apoſtata tales virgines vel vi vel perſuaſione ad hanc corruptelam inductas ſibi connubio junxiſſent, quemadmodum fieri ſolet, cum religionis ſtatu perturbato turpis libido id genus ſceleris conſciſcendi impunitatem proponit.* Quod probrum quia uno ictu exſcindi nequiit, legem ad Palladium Prætorio Præfectum iterarunt Honorius & Theodoſius Auguſti, capitalem tamen ſententiam mutantes in publicationem bonorum ac deportationem. Neque Jovinianus fuit primus legis auctor: Conſtantii Auguſti legem, exſtantem in eodem ejuſdem Theodoſiani Codi-

Digitized by Google

Codicis titulo, innovavit dumtaxat & capitali ſupplicio auxit.

Executus eſt antiquam & haud dubiè Apoſtolicam Eccleſiæ regulam, de qua primum Concilium Toletanum, devotam carne lapſam mandans pœnitere per decem annos, & adjungens : *Quæ autem maritum acceperit, non admittatur ad pœnitentiam, niſi adhuc vivente ipſo viro caſtè vivere cœperit, aut poſtquam ipſe deceſſerit.* Quod nempe irritum ſit tale conjugium, & nullus illius liceat uſus. Quod ipſum obſcurioribus tamen vocibus ſtatuunt Eliberina Synodus, & quarta Carthaginenſis, pro fundamento adducens Apoſtolicum Canonem : *Cum luxuriatæ fuerint, nubere volunt.* Non dicit, *Nubunt*, ſed, *Nubere volunt*, quod nempe nuptias nequaquam validas inire, ſed irritas dumtaxat poſſint attentare. Hinc igitur earumdem cum ſacra virgine aut vidua attentatorem capite plecti Jovinianus, omnibus bonis exutum deportari juſſerunt Honorius ac Theodoſius, quo ſeducta mulier poſſet mox in pœnitentiam redigi, & ad veniam adſpirare. Vanum ſacrilegi conjugii fucum voluerunt efficaciter ſine quavis ſtandi ſpe diremptum. Vox *Attentare* palam importat plenam nullitatem. Et hanc legem omninò reſpexit in litteris ad Himerium Tarraconenſem Archiepiſcopum Siricius Pontifex, deteſtabiles Monachorum cum Monialibus nuptias addicens perpetuæ uſque ad mortem pœnitentiæ, perſonas proſcribens è Monaſteriis ad ergaſtula, aſſerenſque & à publicis legibus, & ab Eccleſiaſticis regulis condemnari. In ſuis ad Gallicanos Epiſcopos reſponſis, apud Jacobum Sirmondum in primi tomi calce exſtantibus, Innocentius primus affirmat ab ejuſmodi ſeductis virginibus, volentibus crimen defendere, *Adultero imponi mariti nomen*, id eſt, conjunctionem iſtam non eſſe conjugium, ſed adulterium atque incæſtum.

C. 16. & 19.

Lucidiſſimè iſtud ipſum tradit in litteris ad ſanctum Victricium Epiſcopum Rothomagenſem : *Quæ Chriſto ſpiritualiter nupſerunt, & velari à Sacerdote meruerunt, ſi poſtea vel publicè nupſerint, vel ſe clanculo corruperint, admittendas non eſſe ad pœnitentiam, niſi is, cui ſe junxerant, de ſæculo diſceſſerit. Si enim in omnibus hæc ratio cuſtoditur, ut quæcumque, vivente viro, alteri nupſerint, habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, niſi unus ex ipſis defunctus fuerit, quanto magis tenenda eſt de illa, quæ ante immortali ſponſo ſe conjunxerat, & poſteà ad humanas nuptias tranſmigravit? Hæ verò, quæ nondum ſacro velamine tectæ, tamen in Propoſito virginali ſemper ſe manere promiſerant, licet velatæ non ſint, his agenda aliquantò tempore pœnitentia eſt, quia ipſarum ſponſio à Domino tenebatur. Si enim inter homines ſolet bonæ fidei contractus nulla ratione diſſolui, quanto magis iſta pollicitatio, quam cum Deo pepigerunt, ſolvi ſine vindicta non debet? Nam ſi Apoſtolus Paulus, quæ à Propoſito viduitatis deſceſſe-*

C. 12. & 13.

 *rant,*

Digitized by Google

*rant, dixit eas habere condemnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, quanto magis virgines quæ pactionis ſuæ fidem minime ſervaverunt?* Diſtinguit inter votum ſimplex & ſolemne. Scio voti ſolemnitatem eſſe rem Eccleſiaſticam & compoſitum artificiale; eſt tamen longè antiquiſſima, traditioque veraciter Apoſtolica. Etenim Apoſtolus Paulus, dum ſolas ſexaginta annorum, & quidem ſolas verè, id eſt, inopes & deſolatas, viduas admitti vult ad continentiæ profeſſionem, mandans juniores nubere & fieri matres familias, ne in Chriſto luxuriatæ incipiant uri à nimium curatæ cutis prurigine, datam Chriſto fidem prævaricentur, denuo tentent nubere, atque ita retro abeant poſt Sathanam: Apoſtolus, inquam, non agit de qualibuſcumque viduis, ſed de ſolis ad Eccleſiæ miniſterium& ſportulas eligendis, admittendiſque ad honorificum viduitatis velamen, varias Sacerdotalium benedictionum preces, & ſolemnem profeſſionem caſtitatis. Abſit ut omnes juniores viduas coëgerit ad nuptias. Eis quæ de datis ſibi à Deo viribus confiderent, ſimplicem profeſſionem non tantum permiſit, ſed & ſuaſit; ſolis de incontinentia periclitantibus ſuaſit nuptias: Verum nullius profeſſionem voluit ſolemniter ab Eccleſia conſecrari. Quod talis conſecratio dirimeret futuras nuptias, adeoque lapſuras viduas dejiceret quaſi in neceſſitatem perpetuæ damnationis. Quæ regula omnino viguit etiam in ſacris Virginibus. Nam virgines etiam ab ipſis Apoſtolis fuiſſe conſecratas, authenticis exemplis poſſit oſtendi. Quo circa & virginalis & vidualis caſti-
Cap. 19. moniæ profeſſio ſemper per ſacri veli, quod mitram vocavit Africana Eccleſia, ſolemnem impoſitionem, Sacerdotales preces, aut aliam conſecrationis formulam fuit ſigillata, eaque eſt illius antiqua ſolemnitas. Et hinc Innocentius Pontifex ſcripſit velatæ virginis nuptias eſſe adulterinam ac ſimultaneam polygamiam, & quidem carnali polygamia & adulterio deteriora. A quibuſdam exiſtimatur loqui cum Canone Ancyrano: ***Quicumque virginitatem profitentes profeſſionem ſuam irritam reddunt, ii Bigamorum definitionem impleant.*** Utique Bigamorum ſimultaneorum. Ejuſmodi virgines, non niſi ſoluto per mortem aut æquivalentem diſſociationem contubernio, vetat Pontifex admitti ad pœnitentiam, ſimpliciter autem profeſſas non mandat ſeparari, ſed dumtaxat
C. 1. & 2. de læſo bonæ fidei ſeu ſimplicis voti pacto caſtigari. Luculentiſſimè dicit primæ eſſe irritum, ſecundæ conjugium valere. Eadem diſtinctione ac eiſdem ferè verbis utitur in reſponſis ad quæſtiones Gallorum. Et hinc fortiter ſuadeor reſponſa iſta eſſe omnino ipſius.

Cap. 40. Voti ſolemnitatem in data per manûs impoſitionem benedictione etiam ponit, ac talium virginum conjugia eſſe adulteria affirmat Ve-
Cap. 6. netica Synodus: Eſſe conjunctiones nefarias ait prima Turonenſis. Eas quæ

Digitized by Google

quæ ſive in Monaſterio, ſive in propria domo per veſtium commutationem converſæ fuerant, quinta Aurelianenſis mandat non admitti ad communionem, *Niſi culpam ſequeſtratione ſanarint.* De lapſis in conjugia Monachis ſtatuit ſecunda Turonenſis: *De uxoris maleſociato conſortio etiam Judicis auxilio ſeparentur.* Id ipſum ex laudata Joviniani Imperatoris lege ſtatuit de ſacris virginibus & viduis, atque adjungit: *Excludatur excuſationis adinventio quam modo aliquæ dicere meditantur, quod propterea ſe veſte mutarint, ne eas inferiores perſonæ macularent. Nam quæ ſe veſte mutaverit, abſque dolo in eo Propoſito, quod diſpoſuit, perſeverare procuret. Illud vero quod aliqui dicunt, Vidua quæ benedicta non fuit, quare non debet maritum accipere? Cum omnes ſciant quod numquam in Canonicis litteris legitur benedictio vidualis.* Non an liceret, ſed an valeret iſtarum perſonarum conjugium, erat quæſtio: Quis enim fidelis unquam quæſierit, an continentiam profeſſæ virgini aut viduæ liceat matrimonium? Quædam virgines non in profeſſionis iſtius ſigillum, ſed dumtaxat adverſus Raptorum violentiam aiebant ſe mutaſſe veſtem, quædam viduæ ſeſe Sacerdotalibus precibus ſolemniter non benedictas cavillabantur, ideòque à valido conjugio non arceri. Ipſarum nihilominus nugas damnat, & attentata conjugia ſeparari mandat Synodus, adeòque palam cenſet irrita. Illarum nuptias eſſe potius ſtuprum quam conjugium definit prima Synodus Matiſconenſis. Quouſque ſeſe ſepararint, ab Eccleſiaſtica communione & omnium Chriſtianorum convivio ſeparant Lugdunenſis tertia, & quinta Pariſienſis.

Cap. 19.
Cap. 15.
Cap. 20.
Cap. 12.
Cap. 3.

Idem pro Hiſpaniarum Eccleſiis ſtatuunt Synodus Ilerdenſis, Barcinonenſis, & quarta Toletana. Sancti Bachiarii, à Gennadio Maſſilienſi in virorum illuſtrium cathalogo laudati, doctiſſimam Epiſtolam non poſſim præterire. Cum ſacra virgine in fornicationem lapſo Monacho ut crimen initis cum ipſa nuptiis emendaret, quibuſdam ſuadentibus inſigniter ille reſpondit: *Abſit hoc à Chriſtiani oris eloquio, Serpentis iſta ſuggeſtio eſt, ut illius quem occidit, etiam cadaver abſumat. Nonne ſimile eſt, ſi quis percuſſus graviter extremo anhelet in fine, & hunc terrenus medicus ſi fortè viſitaverit, quia non poſſe vivere ſuſpicatur, hortetur occidi?* Nervosè oſtendit conjugium eſſe religioſi nominis vocabulum, in Monacho aut Moniali nec licere nec poſſe valere, ideoque hiſce lapſis nullam niſi à Monaſterii carcere eſſe ſpem ſalutis. Exſtat Epiſtola Tomo tertio ſacræ Bibliothecæ. Etiam in litteris ad Lucaniæ, Brutii, ac Siciliæ Epiſcopos Gelaſius primus, Symmachus in litteris ad Sanctum Cæſarium Archiepiſcopum Arelatenſem, ac in litteris variis iſtud ipſum docet ſanctus Gregorius Magnus.

Cap. 6.
Cap. 52.
Epiſt. 9.
Epiſt. 3.

Eadem fuit ſententia Eccleſiæ Græcæ. Etenim in litteris Canonicis

ad

Cap. 6. ad ſanctum Amphilochium ſcribit magnus Baſilius: *Canonicorum fornicatio pro matrimonio non reputetur, ſed eorum conjunctio omnino divellatur. Hoc enim ad Eccleſiæ ſecuritatem eſt utile, & hæreticis adverſum nos non dabit anſam, quod propter peccandi libertatem ad nos attrahamus.* Per Canonicos ceu Regulares intelligi majores Clericos, profeſſoſque Monachos ac Moniales, rectè advertit Theodorus Balſamon. Ego exiſtimem non de quibuſcumque, ſed de ſolis apud hæreticos promotis, ac profeſſis Clericis & Monachis retuliſſe Amphilochium, & Baſilium reſpondiſſe, quod facta extra Eccleſiam vota quidam cenſerent irrita & exſufflanda. Hoc evincit ratio pro reſponſo adducta. Ita lucet de attentati per orthodoxos Clericos aut Monachos connubii invaliditate nec hunc nec illum umquam ambegiſſe. Ea enim jam pridem irrita edixerat ex Apoſtolico Canone Synodus Ancyrana. Et ad Theodorum Monachum, in ſacrilegas nuptias lapſum, Mopſueſtienſem poſtea cum tot poſt mortem contentionibus Epiſcopum, ſcribit ſanctus Joannes Chry-
Epiſt. 2. c. 11. ſoſtomus: *Legitima & juſta res eſt conjugium; & ipſe fateor. Sed tibi jam non eſt integrum jura connubii ſervare. Cœleſti enim ſponſo ſemel junctum, illum relinquere, & uxoris laqueis implicari eſt adulterii crimen incurrere. Quamvis millies hoc ipſum voces nuptias, ego tamen & adulterio illud tanto pejus affirmo, quanto major ac melior mortalibus Deus.* Nervosè oſtendit penitus irritum eſſe iſtiuſmodi conjugium, & ſubjungit cauſam: *Nihil in te penitus tui juris eſt. Nam ſi mulier proprii corporis non habet poteſtatem, ſed vir, multò magis hi, qui Chriſto potius quam ſibi vivunt, ditionem ſui corporis habere non poſſunt.* Solemne caſtitatis votum ponit hominem in ſtatu, & facit eſſe juris alieni.

Conſonat ſextus decimus Canon Chalcedonenſis: *Virginem, quæ ſe Domino Deo dedicavit, ſimiliter & Monachos, non licere matrimonio jungi. Sin autem hoc feciſſe inventi fuerint, ſint excommunicati.* Conjugium
Cap. 7. declarari irritum affirmant in reſponſis ad Francorum conſulta Stepha-
C. 108. nus ſecundus Pontifex, in Canonum Synopſi Arſenius Monachus, ac in adducti Canonis ſcholio Theodorus Balſamon, affirmans ipſum loqui etiam de conſecratis extra Monaſterii clauſtrum in propria domo virgi-
Lege 6. nibus, probanſque ex Juſtiniani Auguſti ad Epiphanium Patriarcham
c. 6. Conſtantinopolitanum novella lege, mandante attentatum à Diaconiſſa conjugium ſolvi, non quovis modo, ſed utriuſque attentantis capitali ſupplicio. Et in ſcholio quadrageſimi quarti Trullani Canonis, Monachum in profanas nuptias lapſum ſola fornicantium pœna ferientis, pergit Balſamon: *Quod fornicatorum ſolum pœnis puniatur, qui venit ad matrimonii ſocietatem Monachus, non eſt, ut exiſtimo, ſine diſtinctione. Vidi enim tempore Patriarchæ Domini Lucæ Monachum quemdam Leontium*



Digitized by Google

*Muzacem nomine, cum veſte militari indutus Synodicè adſtitiſſet, & ab ea muliere cum qua vixerat ſeparari non perſuaderetur, eâ de causâ cùm ſeveritate fuiſſe Monachalibus veſtimentis indutum, & carceri traditum, & alias valdè punitum. Mihi ergo videtur, quod præſens Canon illum Monachum, qui in matrimonio verſatus eſt, fornicatorum pœnis ſubjiciendum dicit, qui ſua ſponte ab illicitis nuptiis ſejunctus eſt, & ad priorem Monachalem ſtatum reverſus, ac confeſſus. Qui enim non ſuâ ſponte ab illicito matrimonio recedit, propter apertam impudentiam graviter punitur.* Et in Scholio decimi noni Canonis Ancyrani diſtinguit votum ſimplex & ſolemne, pergitque de poſteriori: *Qui vitam Monaſticam elegerint, ſuam Deo profeſſionem irritam facientes, & ſe matrimonio conjungentes, Digamorum pœnis non ſubjicientur, ſed divulſo ac ſeparato matrimonio, ut quod conſiſtere non poſſit, valdè punientur, & Monaſterio, in quo tonſi ſunt, tradentur, ſicut in aliis Canonibus diximus.*

Eadem eſt ratio attentati per Epiſcopos ac majores Clericos matrimonii. Dico olim fuiſſe irritum ex Canone antiquiſſimo. Etenim cunctis Orientalis etiam Eccleſiæ Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis novas poſt acceptum ordinem nuptias fuiſſe ab immemoriali conſuetudine, ac ipſis forſan ſanctis Apoſtolis vetitas, ſolumque priùs initarum uſum permiſſum, vario authentico teſtimonio eſt ſupra oſtenſum. Oſtenſum eſt, quod antiquam novarum nuptiarum interdictionem Nicœna Synodus confirmarit. Erat interdictio omninò irritans. Hinc enim Jovinianus & Vigilantius, Clericorum incontinentia Latinam Eccleſiam maculare conati, nequaquam novas illis nuptias, quod ex antiquiſſimo atque Nicœno Canone noſſent irritas, ſed ſolum priùs initarum uſum permiſerunt. Quod Vigilantiani Epiſcopi ordinandos à ſe Diaconos ad prius ineunda conjugia eam ob cauſam cogerent, ſupra audivimus à ſancto Hieronymo. In nullâ item Latinâ Provinciâ, aut Parochiâ legimus nova majorum Clericorum conjugia fuiſſe olim graſſata, nullum adverſus illa antiquum Canonem, niſi hunc unicum tertiæ Synodi Aurelianenſis: *Clerici, qui cum uxores non haberent, benedictione ſuſceptâ conjugia crediderunt eligenda, qui volentes abſque ulla reclamatione in ætate legitima fuerint ordinati, cum ipſis mulieribus, quas acceperint, excommunicatione percellantur. Quod ſi invitus vel reclamans fuerit ordinatus, ab officio quidem deponatur, ſed à communione non pellatur. Epiſcopus autem qui invitum aut reclamantem præſumpſerit ordinare, annuali pœnitentiæ ſubditus Miſſas facere non præſumat.* Cap. 7. Similis eſt Canon octavæ Toletanæ Synodi: *Relatum eſt nobis, quoſdam Subdiaconos, non ſolum carnis immunditia ſordidari, ſed etiam, quod dictu nefas eſt, novis uxoribus copulari, aſſerentes hoc ideò ſibi licere, quia benedictionem à Pontifice ſe neſciant percepiſſe.* Cap. 6.

*cepiſſe. Proinde omni excuſationum deſciſſo velamine id præcipimus obſervari, ut cum iidem Subdiacones ordinantur, cum vaſis miniſterii benedictio eis ab Epiſcopo detur, ſicut in quibuſdam Eccleſiis vetuſtas tradit antiqua.* Irritati Clericalis matrimonii fundamentum eſt ſolemne caſtitatis votum: Votum ſacro quopiam Eccleſiæ ritu ſigillatum. Porrò Gallicani quidam à Presbyteris ac Diaconis nullum hujuſmodi votum exigebant, ordinabantque etiam invitos, ac adverſus ipſum proteſtantes; quidam vero Hiſpani Epiſcopi in ordinatis à ſe Subdiaconibus votum nulla ſacrarum precum benedictione ſigillabant, ideoque hi gradum ſuum non eſſe ſolemnem aut ſacrum, illi licere ſibi voluerunt gratiam Ancyrani Canonis:
Cap. 9. *Diaconi quicumque ordinantur, ſi in ipſâ ordinatione proteſtati ſint & dixerint velle ſe conjugio copulari, quia ſic manere non poſſint, hi ſi poſtmodum uxores duxerint, in Miniſterio maneant, propterea quod eis Epiſcopus licentiam dederit.* Erant cauſationes frivolæ: Ipſas interim exciſas volens Mater Eccleſia, & Subdiaconos deinceps benedici juſſit in Hiſpania, & nullum ità proteſtantem Gallum in Diaconum conſecrari. Vides item novas olim nuptias à nullo umquam latino ſacro Clerico fuiſſe ſine quopiam irritantem legem nubilante fuco attentatas. Eademque diſciplina
Epiſt. 3. viguit in Diœceſi Illyricianâ. Hinc enim Joannis in Cretenſi Eccleſia Diaconi ſacrilegas nuptias ſeparari ac exſufflari per Paulum Metropolitam juſſit Pontifex Vitalianus.

Eandem ſanctitatem ſemper fuiſſe in Eccleſiâ Græcâ docet vulgaris
Cap. 27. Canon Apoſtolicus: *Innuptis qui ad Clerum provecti ſunt, præcipimus ut ſi voluerint uxores accipiant, ſed Lectores & Cantores tantum.* Novas nuptias etiam Subdiaconis eſſe ab Apoſtolis, atque à Nicœnâ item Synodo interdictas Græci omnes conſtanter aſſeverant. Apoſtolicæ item ſub
Lib. 6. c. 17. ſancti Clementis nomine conſtitutiones Epiſcopo, Presbytero, atque Diacono ipſas interdicunt regidiſſimè, ſoliſque Lectoribus & Cantoribus indulgent. Et Nicœnâ Synodo prior Canon Neocæſarenſis: *Pres-*
Cap. 1. *byter, ſi uxorem acceperit, ab ordine deponatur.* Fuiſſe legem irritantem liquet ex ſuperius adducto Canone ſancti Baſilii: *Canonicorum*, ſeu
Cap. 18. majorum Clericorum, *fornicatio pro matrimonio non reputetur, ſed eorum conjunctio omninò divellatur.* Ponticæ, intra quam Neocæſarea, Diœceſios Primas fuit Baſilius, ideoque & iſtius Canonis authenticus interpres. Et omnes hoſce Canones in ſui codicis ad Julianum Prætorio Præfectum lege innovat Imperator Juſtinianus, affirmans eſſe nimium dulces, ideoque addens natas ex ejuſmodi conſtupratione proles, nec legitimas eſſe aut proprias, imò nec naturales, nothas aut ſpurias, ſed prorſus & undi-
L. 1. tit. 3. c. 45. que prohibitas ac damnatas, ſucceſſionis & omnis etiam per interpoſitam perſonam donationis incapaces atque indignas, adinſtar illarum quæ

ex

Digitized by Google

ex inceſtis ac nefariis nuptiis naſcuntur. Quæ palam edicunt omnimodam conjugii nullitatem. Eadem repetit in duabus novellis legibus Lege 5.
ad Epiphanium Patriarcham Conſtantinopolitanum. Penitus ineptum c. 8.
eſt hocce Dionyſii Godofredi marginale ſcholion : *Veriſimile eſt novo* Lege 6.
*jure mutatum eſſe. Jubentur enim Clerici contrahentes nuptias ſuis adhærere* c. 5.
*uxoribus*, *Novellæ vigeſima ſecunda capite quadrageſimo ſecundo.* Novella quippe iſta loquitur de ſolo Lectore. Avitam conſuetudinem variis Canonibus confirmans etiam Trullana Synodus, ejuſmodi conjugia tamquam nefaria diſſolvit. Confirmavit & Leo Sapiens, pœnâ nonnihil mitigatâ. Quin imo in multis Græcorum Eccleſiis fuiſſe etiam Lectoribus & Cantoribus interdictas novas nuptias docet quartus decimus Canon Chalcedonenſis. Et hinc ad Ancyranum, qui Diaconis adverſus caſtitatis profeſſionem proteſtantibus ipſas permittit, rectè ſcribit Theodorus Balſamon : *Hunc Canonem ne ſequaris.* Adverſari dicit Synodo Nicœnæ. Item Novellam Leonis Sapientis legem, permittentem à ſacris Clericis intra ſuæ ordinationis biennium duci uxores. Etiam de Epiſcopi licentia ait non poſſe duci.

Apud nos Latinos, licet quandoque graviter ceſpitarit, permanſit tamen iſta diſciplina uſque ad barbaras in Formoſum Pontificem injurias: Ex iſto ſcandalo nata calamitas omne noſtrum aurum vertit in ſcoriam, adeò ut non ſoli Presbyteri ac alii majores Clerici, ſed & ipſi Epiſcopi, laicorum more, palam ducerent uxores, tamquam ſponſi coronarentur, & feſta nuptialia impudentiſſimè celebrarent. Infami flagitio potentes ac eruditos, etiam in ipſa Romanâ Urbe, non defuiſſe patronos eſt ſupra demonſtratum, & de nefarii commercii validitate nemo audebat vel dubitare. Quod validitatem iſtam Leo nonus, Stephanus decimus, Nicolaus & Alexander ſecundus, Gregorius ſeptimus, Urbanus, Paſchalis, Gelaſius, & Calixtus ſecundus pro chymerico monſtro habuerint, eſt longè certiſſimum, diſertè tamen in ſuis Decretis non expreſſerunt, ideoque libidinoſa Epiſcoporum & Clericorum fex hinc inde non deſiit errorem contumaciter defenſare.

Favere videbatur Paſchalis ſecundi ad Compoſtellæ Antiſtitem Epi- Epiſt. 10.
ſtola, uſque ad Romanæ legis ſuſceptionem natos è conjugatis juxta Hiſpaniæ conſuetudinem Sacerdotibus filios permittens eſſe tamquam legitimos omnis Eccleſiaſticæ & civilis dignitatis capaces. Etiam quidam probati doctores ceſpitarunt in hiſce nebulis, credentes avitum Latinæ, imo Apoſtolicum atque Nicœnum univerſalis Eccleſiæ Canonem per adverſam tanti temporis conſuetudinem ſopiri potuiſſe, imò & abrogari. Quare intolerabili errori omnem anſam atque fomentum præciſa volens Innocentius ſecundus in ſuâ Lateranenſi Synodo ſtatuit,

 aut

aut potius declaravit *iſtiuſmodi copulationem, quam contra Eccleſiaſticam regulam conſtat eſſe contractam, matrimonium non eſſe.* Baſilio Pontio & aliis quibuſdam ſcholaſticis Doctoribus viſus eſt de ſolis futuris conjunctionibus decernere, atque ita creditus fuiſſe primus ipſarum irritator.

Quam omnem doctrinam in ſeptimo Theologicæ eruditionis Tractatu docet, atque inſigniter elucidat etiam Hugo de ſancto Victore:
C. 10. *Virgines devotæ, poſtquam ab Epiſcopo ſunt conſecratæ, & viduæ velatæ, nullo modo poſſunt facere conjugium.* Probat ex Pauli Apoſtoli, Innocentii Pontificis, & quorumdam aliorum Patrum Decretis, quæ & nos laudavimus. Quorumdam ſententiam, omnia iſta ſacrilega virorum & mulierum conjugia habentem rata & valida, refert in undecima parte ſecundi libri de Sacramentis, acriter impugnat, votum publicum ſeu ſolemne diſtinguit ab occulto ſeu ſimplici, ſacrilega poſt hoc conjugia fatetur eſſe ac ſemper fuiſſe valida, & pergit: *Aliud eſt de illis qui poſt votum etiam profeſſione publicâ ſub teſtimonio Eccleſiæ erga Deum ſe obligarunt, & fortè adhuc quod amplius eſt ad continentiæ ſanctimoniam conſecrati ſunt, de quibus verè dicimus, quod poſt tale Propoſitum & poſt tale votum, manifeſtâ profeſſione confirmatum, ad conjugale fœdus deſcendere non poſſunt. Etſi forte hoc aliquando attentaverint, non conjuges, ſed fornicarios, & ſpiritualis caſtimoniæ violatores ad priſtinam ſui propoſiti integritatem reparandam & conſervandam diſtrictè revocandos.* Hanc eſſe dicit mentem omnium antiquorum Canonum, & addit de ſuo tempore: *Sic Eccleſia tenet.* Quare certum eſt cunctarum, quæ mutatâ ſolemniter veſte, aut ſimili publico ritu ſigillarant profeſſionem ſuam, virginum ac viduarum vota fuiſſe olim ſolemnia, & iſtorum Canonum reviviſcentiam eſſe à cunctis optandam. Quod non niſi circa laudati Hugonis tempora cæperit ad Monaſticam profeſſionem & ſacros Ordines contrahi iſta ſolemnitas, lucet ex hac ejus diſputatione, nec non ex ſeptuageſimâ ſextâ Epiſtolâ Sancti Bernardi. Res non eſt hujus loci.

## CAPUT XI.

### *Solvuntur adverſa argumenta.*

PRimo poſſit objici decimus nonus Canon Ancyranus: *Quicumque virginitatem profitentes profeſſionem ſuam irritam reddunt, Bigamorum definitionem impleant.* Utique non ſimultaneorum, ſed ſucceſſivorum Bigamorum, quorum ſecundæ nuptiæ ſemper valuerunt apud omnem Eccleſiam, & quibus ab Orientalibus Patribus definita pœnitentia fuit unius dumtaxat anni. Canonem ità intelligendum tradit non ſolus in

Digitized by Google

in ejus commentario Theodorus Balſamon, ſed & in Canonicis ad Sanctum Amphilochium litteris Sanctus Baſilius. Ait Canonem ſtatuere in ſacras Virgines ſolemne ſuum votum attentato matrimonio prævaricatas. Reſpondeo hæc vera eſſe, addoque à Sancto Baſilio rectè adjungi Canonem eſſe juſto mitiorem, ideoque Virgines iſtas non ſucceſſivis Bigamis, ſed adulteris in pœnitentia & actus invaliditate comparandas. Eas enim à prætenſis maritis mandat omnino ſeparari. Verum ſolas Virgines, quæ ſponte ac liberè poſt ſextum decimum ætatis annum fuerint profeſſæ. Emiſſum ab inferiori ætate votum cenſuit non ſolemne. Loquitur conformiter ad regulam Latinæ Eccleſiæ, à quâ lapſas in matrimonia ſacras Virgines fuiſſe ſemper tractatas ut ſimultaneè Bigamas, eſt ſupra ex Innocentio primo Pontifice oſtenſum. Nec deſunt qui ita intelligant etiam Ancyranum Canonem. Ego ſanè ſic mallem intelligere, ſed nolim ſancto Baſilio ſine firmo fundamento adverſari. L. 18.

Secundo poſſit objici primus Canon Neocæſareenſis: *Presbyter, ſi uxorem acceperit, ab Ordine deponatur; ſi verò fornicatus fuerit, vel adulterium perpetraverit, amplius propelli debet, & ad pœnitentiam redigi.* Hic non tantum degradari, ſed & excommunicari debet, adigi ad omnes Presbyteralis pœnitentiæ gradus, & ſic tandem reponi in Laicam dumtaxat communionem. Cur Presbyteri conjugium quam fornicatio caſtigatur mitius? Quod validum tunc fuerit, idcòque licet Eccleſiaſticæ Regulæ prævaricatorium, à fornicationis tamen ac adulterii ſorde purum. Hic eſt Canon, quem juſto mitiorem attentati matrimonii nullitate adauxit Juſtinianus Auguſtus, ideoque ipſe apud Græcos videtur fuiſſe primus auctor iſtius nullitatis. Reſpondeo non hunc ſolum, ſed & ſupra adductum Sancti Baſilii Canonem, qui talia Matrimonia palam cenſet irrita, fuiſſe reſpectum & adauctum à Juſtiniano, ideoque ipſum talis nullitatis nequaquam fuiſſe auctorem. Sed neque fuit Sanctus Baſilius. Etenim per Nicenam Synodum, imo per antiquiſſimum Canonem fuiſſe ſemper in omnibus ſub cœlo Eccleſiis damnata talia matrimonia, eſt nimis clarum. Per Acaciani ſchiſmatis licentiam ipſa in Orientalibus Eccleſiis invaluerant: Hinc novis pœnis, poſtmodum per Leonem ſapientem mitigatis, Imperator Juſtinianus cenſuit eſſe opus. Etiam poſt illum ſub Juſtiniano ſecundo Synodus Trullana. Neocæſareenſis porrò Canon in illa damnata conjugia quam in fornicationem fuit clementior, quod honeſtatis & pudicitiæ, licet nullam veritatem, tamen aliquam haberent imaginem. Prætereà non de quibuſcumque, ſed de ſolis, qui adversùs caſtitatem fuerant ante Diaconatum proteſtati, Presbyteris agit: Datam ipſis licentiam ſancit cum ſolo dia-

diaconatu durare; à ſuſcepto Presbyteratu ſtatim exſtingui. Delicti hujus ſpecies erat nova apud Ponticos, ac in iſtis proteſtatis mereri videbatur aliquid excuſationis ac veniæ: Hinc mitiùs caſtigata.

Objicitur etiam Sancti Cypriani adverſum Virgines fœdè cum Diaconis concumbentes locus in litteris ad Pomponium Epiſcopum Dio-
Ep. 62. nyſienſem: *Quod ſi ex fide ſe Chriſto dicaverint, pudicè & caſtè ſine ullâ fabulâ perſeverent. Ita fortes & ſtabiles præmium Virginitatis exſpectent. Si autem perſeverare nolunt vel non poſſunt, melius eſt nubant, quam in ignem delictis ſuis cadant.* Reſpondeo ſenſum hunc eſſe à Sancto Cypriano alieniſſimum. Etenim ſi ille ſacris, continere nolentibus aut non valentibus, virginibus matrimonia ſuaſit, manifeſtus fuit Chriſtianæ legis prævaricator, nequaquam cuſtos & doctor. Obſcurum ejus locum mutuatus eſt Sanctus Hieronimus in Epiſtola ad Demetriadem: *San-*
Epiſt. 8. *ctum Virginum Propoſitum quarumdam non benè ſe agentium nomen infamat. Quibus apertè dicendum eſt, ut aut nubant, ſi ſe non poſſunt continere; aut contineant, ſi nolunt nubere.* Elucidat verò in libris adverſus Jovinianum, Apoſtoli verbum, *ſi nupſerit Virgo, non peccavit,* exponens: *Non*
L. 1. c. 7. *illa Virgo, quæ ſemet Dei cultui dedicavit. Harum enim ſi qua nupſerit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit. Virgines quæ poſt conſecrationem nupſerint, non tam adulteræ ſunt quam inceſtæ.* Eas quæ ſe continere nolunt aut non poſſunt affirmat non poſt, ſed ante acceptam conſecrationem debuiſſe nubere. Eodem modo Apoſtoli locum expo-
Epiſt. 9. c. 4. nunt in litteris ad Lucaniæ ac Siciliæ Epiſcopos Sanctus Papa Gelaſius, in libro de ſanctâ Viduitate Sanctus Auguſtinus, & pluribus in locis Sanctus Joannes Chryſoſtomus.

Idem tamen Auguſtinus in libro de ſanctâ Virginitate videtur aliter ſentire: *Multas ſacrarum Virginum revocat à nubendo, non amor præclari Propoſiti, ſed aperti dedecoris timor, veniens à ſuperbiâ, quâ formidatur magis hominibus diſplicere, quam Deo. Hæ igitur, quæ nubere volunt, & ideò non nubunt, quia impunè non poſſunt, quæ melius nuberent, quam urerentur,*
C. 34. *id eſt, quam occultâ flammâ concupiſcentiæ in ipſâ concupiſcentiâ vaſtarentur, quas pœnitet Profeſſionis, & piget confeſſionis, niſi correctum cor dirigant, & Dei timore rurſus libidinem vincant, è mortuis deputandæ ſunt, ſive in deliciis agant, ſive in laboribus atque jejuniis nullâ cordis correctione ſuperfluis, & magis oſtentationi, quam emendationi ſervientibus.* Reſpondeo locum hunc exponi in primo Auguſtini ſermone de communi vita Clericorum: *Malum eſt cadere à Propoſito, ſed pejus eſt ſimulare Propoſitum. Clericus duas res profeſſus eſt: Sanctitatem, & communiter vivendi ſocietatem. Si ab hoc Propoſito ceciderit, & extra manens Clericus fuerit, dimidius cecidit; ſi vero intus,* occultè proprietarius, *habuerit ſimulationem, totus cecidit.*

Ma-

Digitized by Google

Manifeſtis Apoſtatis occultos hypocritas aſſerit eſſe pejores, quod nempe juſtitiæ hiſtriones ſint, & peſſimæ ſuæ nequitiæ addant ſuperbiam & ſimulationem. Quo etiam reſpexiſſe poſſit ſupra laudatus Canon Neocæſareenſis. Presbyterorum nuptias, non quod validas agnoſcat, mitius punit quam fornicationem aut adulterium, ſed quod apertum Attentatum ſentiat eſſe crimen levius, quam Epicurum vivere, & virum ſanctum ſimulare. Et ex ipſo loqui omninò videtur in Apoſtolicorum hæreſi ſanctus Epiphanius, ſacrilega quarumvis ſacrarum perſonarum matrimonia damnans rigidiſſimè, atque adjungens: *Verùm melius eſt judicium quam damnatio. Nam qui, ut ne apud homines in infamiam adducantur, clam ſtuprum perpetrant, Monaſtica vita vel continentiæ ſponſione non ſe apud homines obligant, ſed apud Deum, qui & occulta cognoſcit, & in adventu ſuo univerſam carnem redarguet, in quibus videlicet quiſque peccaverit. Quo circà ſatius eſt uno peccato ſe quampluribus adſtringere. Satius eſt, ubi à curriculo exciderit, palam ſibi uxorem legitimis nuptiis adjungere, ac poſt virginitatem longo intervallo ſuſceptâ pœnitentiâ iterum Eccleſiæ reconciliari: Utpote qui & peccatum admiſerit, & prolapſus fuerit & infractus, & obligatione vulneris opus habeat, ut non occultis indies emiſſa à Diabolo nequitiæ jaculis ſaucietur.* Etiam hoc ſenſu dicit eſſe melius nubere quam uri: Utique nubere, & poſtmodo pœnitentiam agere, quam ob productas ad vitæ finem ſecretas ſcortationes addici ad perpetuas gehennas. Quæ doctrina an omnino irreprehenſibilis ſit, non caret ſcrupulo. Hæreſ. 61. l. 6. & 7.

Objicitur etiam Sanctus Auguſtinus in libro de ſanctâ Viduitate, Apoſtoli de ſacris Viduis verbum, *Nubere volunt*, inſigniter exponens, & pergens: *Habent damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, etſi non nubendo, tamen volendo. Non quia ipſæ vel talium nuptiæ damnandæ judicantur, ſed damnatur Propoſiti fraus, damnatur fracta voti fides, damnatur non ſuſceptio à bono inferiori, ſed ruina à bono ſuperiori. Proinde qui dicunt talium nuptias non eſſe nuptias, ſed potius adulteria, non mihi videntur ſatis acutè ac diligenter conſiderare quid dicant. Fallit eos ſimilitudo veritatis. Quia enim conjugium Chriſti dicuntur eligere, quæcumque Chriſtiana ſanctitate non nubunt, hinc argumentantur quidam dicentes, Si viro ſuo vivo, quæ alteri nubit, adultera eſt, vivo ergo Chriſto, cui mors ultra non dominatur, quæ conjugium ejus elegerat, ſi homini nubit, adultera eſt.* Ex iſta argumentatione affirmat ſequi quædam abſurda: Quod ſacræ Viduæ Chriſtus Dominus ſit non primus, ſed dumtaxat ſecundus maritus, imò & adulter conjugatæ mulieris de mariti venia continentiam voventis. Hinc pergit: *Quapropter non poſſum quidem dicere à Propoſito meliori lapſas, ſi nupſerint, fœminas eſſe adulteria, non conjugia, ſed plane non dubitaverim dicere lapſus & ruinas a caſtitate ſanctiori, quæ vovetur Deo, eſſe adulteriis pejores.* C. 9.

*pejores. Hæc ideò diſputo, ne arbitreris, vel ſecundas nuptias eſſe crimen, vel quaſcumque nuptias, cum ſint crimen, eſſe malum. Non itaque illas à te damnatas eſſe velim, ſed ſpretas.*

Fateor locum eſſe difficilem. Movit ille etiam duos Carnutenſes monachos, ad quos in libro de præcepto & diſpenſatione ſanctus Bernardus: *Poſtulatis abſolvi vobis, cur ſanctus Auguſtinus conjugii legi votum quodammodò ſubjiciat continentiæ, ita ut in libro de Viduitate aſſerere videatur, nec cœlibis quidem vitæ Propoſitum præſcribere poſſe copulæ conjugali, quo minus indiſſolubile maneat etiam quod à continentibus, fallente diabolo, fracto ſanctitatis voto, initum fuerit matrimonium. Et ad hoc nihil ad præſens certius breviuſque reſpondendum occurrit, niſi quod ita ſanctus Antiſtes ſapuit; rectène, ipſe viderit. Nam ego in ſenſibus, actibuſque illuſtrium Patrum cautus profectò ſum omninò non aliud exiſtimare, quam quod beato Apoſtolo teſte quæritur inter Diſpenſatores ut videlicet fidelis quis inveniatur. Certus ſum enim, ſive in ſuo abundaverint ſenſu, ſive in Dei Spiritu, ſicut & in cæteris,*
L.5.c.2. *ita & in hoc Auguſtinum fuiſſe fidelem.* Debitâ cum ſubmiſſione & reverentiâ aſſerit Auguſtinum illic ut hominem deviaſſe. In libris de continentiâ Claudius Eſpencæus locum iſtum ſcribit facilius poſſe negari, quam ſolvi. In libro de Monachis Robertus Cardinalis Bellarminus ait Eccleſiaſticum Canonem, ſacrarum perſonarum conjugia irritantem, fuiſſe ab Auguſtino ignoratum. Et reverà ſacrorum Canonum ille non fuit plenè peritus: Dudum enim octavum Nicenum, per omnem vitam ignoravit cunctos Canones Sardicenſes. Verum quomodo ignoraſſe poſſit à ſe editum atque ſubſcriptum, poſtremum quartæ Carthaginenſis Synodi Canonem, qui profeſſarum mutatâ veſte Viduarum matrimonia lucidè definit eſſe adulteria ac ſecundas nuptias, omni communione privat, mandatque ſeparanda? Quomodo ignoraſſe poſſit ſancti Optati Milevitani Epiſcopi notiſſimos adverſus Parmenianum libros, in quibus lucidè docetur profeſſarum cum aſſumptâ Mytrâ Virginum conjugia non valuiſſe? Quo circà melior videtur Hugonis Victorini ſententia, in poſtremo ſuperius laudato loco, aſſerens Auguſtinum, non de ſolemniter ac publicè, ſed de ſolis ſimpliciter & occultè profeſſis loqui viduis. Loquitur enim ad nobilem Viduam Julianam, quæ cum omni ſuâ priori pompâ degebat in defuncti viri domo, atque ità videtur non aſſumpſiſſe humilem Vidualis profeſſionis veſtem, ideoque nec ſolemne votum habuiſſe. Et ante quartam Carthaginenſem Synodum poſſit eſſe ſcriptus hic libellus, atque illic, ſi quidem de ſolemni voto agat, retractatus.

Verum quid ad ſanctum Epiphanium, qui attentatas à ſolemniter profeſſo Monacho nuptias diſertè affirmat legitimas? Lucidè affirmat



Digitized by Google

in ipſis committi dumtaxat unicum peccatum: Nempe in ipſarum contractu. Earum, quod validas cenſeat, uſum credit non eſſe peccatum Et adjungit: *Hunc in modum prædicare conſuevit eccleſia. Hæc ad remedium* Cap. 8. *comparata ſunt medicamenta.* Reſpondeo originalem ejus textum ſonare hoc modo: *Satius eſt à curſu lapſum accipere ſibi palam mulierem ſecundum legem.* Nequaquam ratas ac legitimas ejuſmodi nuptias, ſed dumtaxat vult ſatius eſſe cum unâ palam pellice vivere ſecundum matrimonii leges, quam vagè cum pluribus clanculo volutari. Quod de unico peccato habet, videtur non de individuo, ſed de unica ſpecie intelligendum. Quidquid ſit, uti in Canonicis litteris, ita & in Patrum ſcriptis occurrunt loca obſcura & dubia, quibus lucidi Eccleſiæ Canones ſunt omninò præponendi. Et ſanctum Epiphanium conſtat non eſſe ubique authenticum.

Opponitur nobis & Sancti Gregorii Magni factum circa Venantium Monachum Apoſtatam. Nobilis vir Venantius, pravis conſiliis circumductus, ſub Pelagio ſecundo Pontifice excutit Monaſticam profeſſionem & habitum, fit Italiæ Cancellarius, ac ducit uxorem. Sanctus interim Gregorius fit Romanus Pontifex, Venantium acriter monet & arguit, conatus reducere ad Monaſterium, ſed non fuit exauditus. Ex Italiæ Cancellario fit ille Siciliæ Patricius, ſeù Romanis per iſtam provinciam militiæ atque ærario Præfectus, & cum Joanne Syracuſæ Epiſcopo habet graves contentiones. Joannes ejus oblationes ſuſcipere noluit, nec in ipſius ædibus celebrari Miſſas; ille autem iratus in Epiſcopum immiſit armatos milites, hoſtili more graſſaturos. Contentionis cauſa non eſt liquida: Ego exiſtimem fuiſſe Monaſticam apoſtaſiam, ob quam generoſus ac primus Siciliæ Epiſcopus noluerit homini communicare. Nihilominus pacem inter ipſos compoſuit Sanctus Pontifex, & Joanni Epiſcopo ſcripſit, *ut & oblationes Venantii, ſicut antea, ſuſciperet, & Miſſas in domo ejus non ſolum celebrari permitteret, ſed etiam ipſe perageret, & cauſam ſuam ſervata charitate exequeretur.* Hinc ergo quidam exiſtimant Apoſtaſiam fuiſſe diſſimulatam à Pontifice, & matrimonii, licet ſacrilegè, tamen validè initi uſum Apoſtatæ ex cauſis diſpenſatorie indultum. Omnes olim Monachos, uti hodie Clericos Societatis Jeſu, volunt ſolutis & exſtinctis votis liberos potuiſſe à Prælatis remitti ad ſæculum, atque id Gregorium Venantio feciſſe.

Lib. 1. Epiſt. 33.

Lib. 5. Epiſt. 42.

Reſp. non feciſſe. Lucet ex Teſtamento morientis Venantii. Omnia quippe ſua Barbaræ & Anthoniæ filiabus reliquit, conjurans Pontificem de ipſis curam gerere, & Mauritio Imperatori ſupplicare, quatenus aut in Romana Urbe ponantur, aut certè non extrahantur de Sicilia, ſed hic aut ibi juxta Principis placitum ordinentur. Et ipſas & omnem ſuam ſubſtantiam coràm laudato Joanne Epiſcopo poſuit ſub tutela & prote-

Lib. 9. Epiſt. 31.

ctione Apoſtolicæ Sedis. Verum Regii Fiſci Curatores omnia defuncti bona mox invaſerunt, arreſtarunt & Regia illis ſigilla appoſuerunt, tamquam ſpectantibus ad Fiſcum. Utique ex Juſtiniani Auguſti ad Julianum Prætorio Præfectum lege, mandante majorum Clericorum & Monachorum ex attentato ſacrilegè matrimonio proles tractari ut natas ex nefario & damnato congreſſu, nihil illis relinqui, nihil donari, ne quidem per interpoſitam perſonam. Hinc ex hujus legis & Fiſcalium Miniſtrorum metu ad Apoſtolicam protectionem, & benignum Pontificem, qui orphanarum filiarum rem apud Principem ageret, Venantius confugit. Porro Pontifex ex Johanne Epiſcopo intellexit hæc omnia, ac reſcripſit: *Uno tempore auditis & Venantium deſperatè ac graviter ægrotare, & in rebus orphanorum homines iniquos inſiſtere, vix ſe dolor in corde meo capere poterat. Veſtra Sanctitas primam, quam decet, curam negligere non debet, ut de anima ejus cogitare debeat, exhortando, rogando, terribile Dei Judicium proponendo, ineffabilem ejus miſericordiam promittendo, ut ad habitum ſuum redire vel in extremis debeat, ne ei tantæ culpæ reatus in æterno Judicio obſiſtat.* Hæc verba demonſtrant Venantium non fuiſſe ſæculo redditum, nec à votis liberatum. Ejus Filias Joanni Epiſcopo cuſtodiendas Pontifex tradidit, & omnem cauſam Mauritio Auguſto per Anatholium Diaconum, ſuum in Regia Urbe Apocriſarium, commendari fecit, dolens quod in Teſtamento ſuo Venantius Principis opem implorandam rogaſſet. Maluiſſet ſolam Apoſtolicæ Sedis protectionem fuiſſe invocatam. Tunc enim Fiſcales Miniſtri manus rapaces in ejus bona extendere non præſumpſiſſent. Tanta tunc erat Authoritas Apoſtolicæ protectionis, imploratæ etiam adverſum publicas de rebus temporalibus leges. Ex his interim lucet ſacrilegum Venantii conjugium neque à Pontifice neque à Principe fuiſſe habitum pro valido, ſed pro clarè nefario, atque per Canones & Leges damnato.

Quæſtio eſt, Quomodo igitur Gregorius ipſum diſſimularit, quomodo Venantium in Monaſterii carcerem non conjecerit, quomodo juſſerit ejus oblationes ſuſcipi, & in illius domo per ipſum etiam Epiſcopum Divina Sacrificia celebrari? Reſpondeo eſſe quæſtionem difficilem. L. 1. Ep. 40. Eamdem ſancto Bernardo propoſuerunt ſupra memorati Monachi Carnutenſes, & ille in Libro de præcepto & diſpenſatione non ſcivit aliud, quam Sanctum Gregorium credere & laudare fuiſſe fidelem Dei diſpenſatorem, qui egerit ex legitimis cauſis, ſed à ſeſe ignoratis. Et certè laudatus Gregorius quoſdam in publica Matrimonia lapſos Surrentinæ Eccleſiæ Monachos per Anthemium Subdiaconum, Apoſtolici in Campania Patrimonii Rectorem, juſſit apprehendi, & reddi ſuis Monaſteriis ad
L. 3. Ep. 24. agendam in carcere pœnitentiam. Lapſas in conjugia Moniales tractari

eodem

eodem modo juſſit per Januarium Calaritanum Epiſcopum, Sardiniæ Metropolitam. Romanum Ravennæ Exarchum eis patrocinia præbentem graviſſimè monet; graves inde diſcordias minatur, & adjungit: *Hujuſmodi iniquitatem impunitam propter Deum nullo modo patimur permanere.* L. 4. Ep. 18.
Etiam Marinianum Ravennæ Archiepiſcopum in ejuſmodi conjugiis ſeparandis & vindicandis tardiorem, graviter arguit ſpondens auxilia per Vitalem Romanæ Eccleſiæ Defenſorem. Arguit & Leonem Catanenſem Epiſcopum ob ſimiliter lapſos Sancti Viti ad Æthnæ montem Monachos, lamentans talia matrimonia apud Siculos quaſi licita graſſari. Forſan Venantii peſſimum exemplum dederat anſam licentiæ. Duos item Sancti Georgii Monachos Apoſtatas, quorum alter etiam uxorem duxerat, per Stephanum Carthularium apprehendi juſſit ac recludi. Ita palam lucet ſacrilega iſta conjugia apud Gregorium fuiſſe omninò irrita & nulla. L. 8. Ep. 9. Epiſt. 20. & 21. L. 12. Ep. 20.

At cur Venantium toleravit? Cauſam edicere videtur in ſcriptis ad ipſum litteris: *Sic culpam tuam inſequor, ut perſonam diligam; ſic perſonam diligo, ut culpæ vitium non amplectar. Si igitur à me amari te credis, Apoſtolorum liminibus præſentare, meque conſiliario utere. Si autem fortaſſe in cauſa Dei minùs credor, & pro Zeli mei ardore ſuſpectus ſum, cunctam ſimul Eccleſiam in conſilio hujus diſceptationis adhibeo, & quidquid omnibus fieri ſalubriter placet, ego in nullo contradico, ſed quod in commune decernitur, lætus ſubſcribam & implebo.* Venantius reclamarat adverſus profeſſionem, ex cauſis dixerat invalidam, ejuſque circumſcriptæ cupiditati plures adulabantur. Hinc non illos, ſed ſe audiendum clamabat Gregorius, ſpondens rem nequaquam ſuo ſolius judicio, ſed Synodaliter tractandam, datamque illic ſententiam à ſe probandam & exſequendam. Verum Venantio examen iſtud non potuit perſuadere. Res videtur fuiſſe dubia: Hinc ſuæ conſcientiæ Pontifex reliquit Romanæ militiæ Ducem, qui graves in omni Italiâ motus potuerat concitare. Attamen in extremis poſitum denuò admonuit redire tandem vel tunc ad Monaſticum habitum: An impetrarit ignoro. L. 1. Ep. 33.

Adverſus nos adducitur etiam ſancti Bernardi Epiſtola ad Artaldum Pultarienſis Monaſterii Abbatem: *Periculoſum eſt, ac fortaſſe illicitum, hominem poſt diutinam in domo & habitu religionis converſationem ad ſæculum rediiſſe, quique prius, & adhuc priori uxore vivente & conſentiente, fortiſſimè ac diutiſſimè continentiam tenuit, ſecundis rurſum amplexibus ſe ineptiſſimè atque inhoneſtiſſimè implicuiſſe. Quia tamen publicè ac ſolemniter juxta morem cæterorum hominum, & ſine querelâ vel calumniâ ipſum qualecumque conjugium celebratum fuit, nobis non videtur tutum, illum illam non conſentientem dimittere, niſi prius Epiſcopalis auctoritatis vel conſilio fretum,* Epiſt. 76.



Digitized by Google

*tum, vel imperio, aut certè Eccleſiaſtico Canonicoq; Judicio.* Neſcio quis pius fidelis poſt ſuæ, cum quâ ex mutuo conſenſu dudum caſtè vixerat, uxoris mortem aſſumpſit in propria domo monaſticum habitum: Quo votum ſuum majori ſecuritate muniret. Quin & Pultarienſis Cœnobii ingreſſum petiit. Verum dum ab Artaldo Abbate differtur, ſuæ carnis infirmitati tentatus ſuccubuit, & ſolemniter in Eccleſiæ facie duxit uxorem. Hinc quæſtio de matrimonii validitate. Et in perplexa facti ſpecie tam ille quam Abbas recurrerunt ad Oraculum ſancti Bernardi, qui & ipſe definire non auſus cenſuit eſſe opus authoritate Epiſcopalis Judicii. Et hinc naſcitur alia quæſtio, quo ex fundamento res hæc perplexa fuerit, & indiga tantæ authoritatis? Quod enim mutata veſte ſigillatum Caſtitatis votum ſit ſolemne, & ſubſecutum conjugium ab ipſo dirimatur, antiqui Canones nobis jam lucidiſſimè & abundantiſſimè dixerunt. Reſp. tunc ceſpitaſſe iſtam diſciplinam, ſimilis voti ſolemnitatem ad ſolam in Clauſtro profeſſionem cæpiſſe contrahi, varias fuiſſe Doctorum ſententias, ideoque Bernardum hæſiſſe quaſi inter incudem & malleum, noluiſſe definire, ſed ad authenticum Epiſcoporum Judicium remiſiſſe. Quod etiam Hugo Victorinus hic hæſerit, eſt ſupra oſtenſum. Fuit tamen utcumque generoſior. Nam antiquos Canones ſtabilire conatus, conſtanter dixit: *Sic tenet Eccleſia.* Oppoſita interim ſententia aſſiduè profecit & prævaluit, ſub Innocentii Tertii Papatu plenè evicit, & omnem votorum ſolemnitatem ad ſacros Ordines, aut Cœnobiticam, & quidem in approbato per Apoſtolicam Sedem Ordine profeſſionem contraxit.

Tandem nobis obiicitur Latinarum Epiſcoparum, Presbyterarum, Diaconarum, ac Subdiaconarum, id eſt, relictarum à maritis in ſacros iſtos Ordines provectis uxorum matrimonium. Ipſum olim poſt maritorum mortem fuiſſe validum, adeoque & poſt earum mortem nova ma-
Canone. ritorum conjugia valuiſſe quidam aſſeverant. Ambo enim, utpote una
15. caro, eâdem lege tenebantur. Reſpondeo fœminarum iſtarum matrimonia ſemper fuiſſe irrita. Etenim prima Aurelianenſis Synodus ipſas ſeparari mandat rigidiſſimè, & utrumque prætenſum conjugem, quouſ-
Canone. que ſeparentur, excommunicari. Idem mandant Epaonenſis, ſecun-
32. da Matiſconenſis, & prima Toletana. Quod ipſum lucidiſſimè patet ex
Canone. ſententia ſancti Gregorii Magni adverſus factum Leonis Epiſcopi Ca-
16. thanenſis. Pelagius ſecundus Pontifex edixerat nullum deinceps in Sici-
Canone. lia ordinari Subdiaconum, niſi ſolemniter profeſſum plenam continen-
15. tiam, & omnes uſque tunc ordinatos aut ab uxoris uſu ceſſare ſimiliter profeſſos, aut à miniſterio ſui Ordinis. Porro Specioſus, Cathanenſis Eccleſiæ Subdiaconus, de viribus ſuis diffidens, noluit uxorem dimit-

tere,

Google

tere, ideoque ceſſavit à Miniſterio, ita defunctus eſt, & tunc ejus vidua nupſit cuidam Honorato. At vero Leo Epiſcopus interceſſit, ſeperavit matrimonium, ac viduam illam ad Monaſtrium coëgit. Solius prioris uſum permiſerat, omne autem novum conjugium Subdiaconis interdixerat Pelagius, hinc eadem teneri lege & ipſorum uxores, ideoque viduæ Specioſi non licuiſſe ſecundas nuptias Leo exiſtimavit. Verum illius maritus Honoratus provocavit ad ſanctum Pontificem Gregorium, atque hic dicto Epiſcopo reſcripſit: *Si, ut fertur, antedictæ mulieris maritus ſe ab adminiſtratione ſuſpendit, ei non debet officere, quod ad ſecundam conjugii copulationem migravit, præſertim ſi non tali mente Subdiacono juncta eſt, ut a carnis voluptatibus abſtineret. Si ergo ita ſe veritatem, quemadmodum edocti ſumus, habere cognoſcis, prædictam te mulierem de Monaſterio per omnia convenit relaxare, ut ad ſuum maritum ſine aliqua poſſit formidine remeare.* Si ergo Specioſus fuiſſet profeſſus continentiam, rectè judicaſſet Leo Epiſcopus: Quod nempe iſtius etiam uxor tunc fuiſſet ſolemniter profeſſa, atque ita ad novas nuptias inhabilis. Quocirca omnes ejuſmodi à Sacris Clericis aut ipſorum viduis attentatas nuptias & Gregorius Magnus, & Leo Cathanenſis Epiſcopus, & omnis ſemper Latina Eccleſia credidit non tenere. Quæ diſciplina jam dudum etiam viguit, & adhuc hodiè viget apud Græcos. Etiam illic majorum Clericorum viduæ non poſſunt amplius nubere.

L. 3. Ep. 34.

Addo ſimplex Caſtitatis Votum, licet matrimonium ſubſecutum non dirimat, cùm ſolemni tamen quoad principalis obligationis ſubſtantum æquari. Epiſcopus, Presbyter, profeſſus Monachus, ſimplex Devota Virgo, per parem carnis lapſum pari etiam reatu votum ſuum prævaricantur. Dico: *Votum ſuum*. Item: *Principalis obligationis*. Etenim ſolemnitas eſt ſingulare ab Eccleſia appoſitum voto ſigillum, ſingularis Eccleſiaſtica Lex, ideòque ejus prævaricatio eſt ſolemniter profeſſis reatus ſingularis. Hinc item qui ſciens ſacram ſimplicis Voti virginem duxit, ejus corpore, quouſque ab Epiſcopo diſpenſetur, nullatenus poteſt uti. Conjugale debitum nec exigere poteſt, nec reddere. Etenim Deo obligatum corpus ſacrilegè invaſit, ideòque acquiſita in ipſum poteſtas eſt quidem verum dominium, ſed undequaque conſtrictum & alligatum, quouſque iſta erga Divinam Majeſtatem obligatio Epiſcopali poteſtate ſolvatur.



Digitized by Google

# CAPUT XII.

## *Exponitur ex Sacrilegis Clericorum Conjugiis natus novus Canon de Irregularitate Illegitimorum Natalium.*

SAcrilega Clericorum apud Latinos conjugia ſecum traxerunt & alium peſſimum abuſum, hæreditariam in Eccleſiaſticas dignitates ſucceſſionem, abundè expoſitam in ſcholiis ad Canones Trullanos. Ex malis tamen moribus nata eſt bona lex: Irregularitas filiorum illegitimorum, præſertim Clericalium. In novella ad Joannem Orientalis Prætorii Præfectum lege ſcribit Juſtinianus Auguſtus: *A Principio quando ſola natura ſanciebat, nulla hominis, antequam ſcripta provenirent leges, fuit differentia naturalis atque legitimi, ſed antiquis parentibus antiqui filii, mox ut procedebant, fiebant legitimi.* Quod an verum ſit, eſt longa quæſtio. Nec enim deſunt rationes, quæ diſcrimen iſtud ſuadeant ſtatim cum primo Protoplaſtorum peccato cœpiſſe. Quidquid ſit, illegitimorum natalium irregularitatem Eccleſia dudum ignoravit. Etenim inter Nicephori confeſſoris Canones habemus & hunc: *Qui ex concubinâ, ſcorto, Digamis, aut Trigamis nati ſunt, ſi virtutibus prediti appareant, & ſint Sacerdotio digni, ordinentur.* Exſtant Canones Tomo ſexto Bibliothecæ ſanctæ. Et ſancto Genebaudo primo Laudunenſium Epiſcopo, Latronem filium ex damnato cum ſua Epiſcopâ congreſſu natum, ſucceſſiſſe in Cathedram teſtantur in Francorum Hiſtoriâ Sanctus Gregorius Turonenſis Epiſcopus, ac in Rhemenſis Eccleſiæ Hiſtoriâ Flodoardus. Etenim tales, licet ex legitimo matrimonio natos, eſſe ſpurios ſupponit apud Gregorium nonum Clemens tertius. Drogonem Metenſem Epiſcopum quis ignoret fuiſſe Baſtardum Caroli Magni? Joannem undecimum Pontificem fuiſſe Sergii tertii ex famoſa Maroſia ſpurium refert liber Pontificalis. Boſonem ſpurium fuiſſe ab Hugone Italiæ Rege nominatum Epiſcopum Placentinum ſcribit Luitprandus Diaconus Ticinenſis. Arnulphum Rhemenſem Epiſcopum, quem ob illegitimos è Carolo Rege natales uti tanto Epiſcopatu indignum ejecerat Hugo Capetus, fuiſſe à Romano tunc Pontifice reſtitutum affirmat Radulphus de Diceto. Et Thomam primum Eccleſiæ Eboracenſis Archiepiſcopum, quod Sacerdotis eſſet filius, fuiſſe ab Alexandro ſecundo Pontifice dejectum, & poſtcà ad ſancti Lanfranci Cantuarienſis Archiepiſcopi preces reſtitutum, habes apud Guilielmum Malmesberienſem. Et ſanctum Guitmundum, quod ipſum æmuli eſſe Presbyteri filium prodidiſſent, regiæ ad Rothomagenſem Archiepiſcopatum nominationi, ne diſcordiarum cauſa foret, renuntiaſſe,

Lege 74. cap. 1. — Canone 15. — L. 1. c. 34. — Lege 1. cap. 14. — L. 1. tit. 17. c. 14. — L. 4. c. 6. — Fol. 213.

&

Digitized by Google

& abiiſſe in Italiam, ibi autem à Gregorio ſeptimo Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, & ab Urbano ſecundo factum fuiſſe Averſanum Epiſcopum, apud Lucam Dacherium narrat Oldericus Vitalis. Plura iſtiuſmodi exempla adducit laudatus Radulphus de Diceto, agens de Richardo Roberti Ceſtrenſis Epiſcopi Spurio promoto ad Epiſcopatum Conventrenſem. Et ad Daimbertum Senonenſem Epiſcopum ſuum Metropolitam de Cathedralis ſuæ Eccleſiæ Canonicis ſcribit ſanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis: *Certum habeat amantiſſima veſtra Paternitas, quia juramentum, quod fecerunt Clerici de non recipiendis vulgo natis in Concanonicos, vel quibuſlibet aliis de extraneâ familiâ genitis, me inconſulto fecerunt.* Ipſum tamen poſteà probavit Ivo, & per Paſchalem ſecundum Pontificem, Carnutenſium Comite fruſtra recalcitrante, impetravit confirmari. Eo namque tempore Duces & Comites ſuos paſſim ex ancillis Baſtardos violenter intrudebant in ſacras dignitates, atque ita ſervili ſimul & adulterino ſanguine fœdabant Eccleſias. Adverſum illos ſolemni juramento ſe aſtrinxerunt plura Capitula de nullis deinceps in ſuum Collegium admittendis Baſtardis, nulliſque ſervis, niſi ex Eccleſiæ ſuæ familia legitimè natis. Et hinc adverſus iſtud Capituli Carnutenſis juramentum, tamquam dignitati & juribus ſuis contrarium, Carnutenſis Comes potentiſſimè inſurrexit, & ab ejus obſervantia ceſſari compulit uſque ad adventum & examen Richardi Cardinalis Albanenſis Epiſcopi, Apoſtolici per Galliam Legati. Quin imo adverſus ſimile Pariſienſis Eccleſiæ Statutum ac juramentum ſcripſit ad Lucium tertium Pontificem Stephanus Epiſcopus Tornacenſis: *Ad ſacri veſtri Apoſtulatus genua procidimus, magnæ indolis juvenem, majoris, ut credimus, virtutis virum mox futurum, Domini Regis Francorum Cancellarium veſtræ gratiæ commendantes.* Eum ſtrenuè prædicat, ac pergit. *Quoniam in regno Francorum quædam Eccleſiæ quadam ſcrupuloſâ nobilitate glorioſam, ut æſtimant, ſibi conſuetudinem adſumpſerunt, ne aliqui niſi ex licito complexu geniti promoveantur, in eis meritorum & virtutis excellentiam origini poſtponentes, prædicto Cancellario ſuperbè potius quam ſupernè titulum nativitatis objiciunt, ne vel ad eos accedat, vel inter eos aſcendat. Eorum, Pater, legibus Romana Eccleſia non ſubditur: Poteris, ſi volueris, vel eis derogare in partem, vel eas penitus abrogare.* Multis inſtat ut Pontifex iſtud quorumdam in Gallia Capitulorum Statutum, tamquam Eccleſiæ & Regni bono adverſum, dignetur exſufflare. Quin de Gregorio nono Pontifice, ſuos Decretalium libros vulgante, ſcribit Matthæus Pariſienſis: *Gregorius Papa nonus in ſuis Decretalibus quædam innovavit, ne ſcilicet illegitimi Prælatias vel Eccleſiaſtica beneficia, niſi adeptâ à Sede Romanâ legitimationis diſpenſatione, obtineant, ſciens inde Romanæ Curiæ pro impetratione tali multa emolumenta provenire.*

Tomo 4. F. 524.

Anno 1611.

Ep. 126.

Epiſt. 99.

Anno 1235.

Men-

Mendaciſſimè calumniatur optimum Pontificem. Exhiſce tamen omnibus lucet nullam tunc uſque firmam legem Eccleſiaſticam adverſus Baſtardos viguiſſe.

Et hinc quæſtio eſt, quis ipſos primus rejecerit ad irregulares? Andreæ Lundenſi Epiſcopo, Danorum Metropolitæ, ac ſuo per Septemtrionem Legato, roganti *Si Presbyterorum filii ſint indifferenter ad ſacros*
Lib. 4. Ep. 118. *Ordines promovendi*, reſpondit Innocentius tertius: *De Presbyterorum filiis tam ex Decreto Urbani Papæ ſecundi, quam ex Concilio colligitur Pictavienſi, quod ad ſacros non ſunt Ordines promovendi, niſi aut in Cœnobiis, aut in Canonicâ Regulari religioſè fuerint converſati.* Primos hujus juſtiſſimæ irregularitatis autores videtur facere Urbanum ſecundum ac Synodum Pictavienſem. Porro Urbanus ſecundus adverſum Baſtardos edidit tres
Canone. 14. Canones. Primum in Synodo Melfitanâ: *Presbyterorum filios à ſacri Altaris miniſterio removendos decernimus, niſi aut in Cœnobiis, aut in Canonicis religioſè probati, converſati fuerint.* Secundum edidit in Synodo Claromontanâ: *Ut nulli filii concubinarum ad ordines vel aliquos honores Eccleſiaſticos promoveantur, niſi Monachaliter vel Canonicè vixerint in Eccleſia.*
Canone. 25. Etiam tertium: *Ne filii Presbyterorum, Diaconorum, vel Subdiaconorum ad Ordines vel alios honores Eccleſiaſticos promoveantur, niſi Monachus vel Canonicus fuerit.* Utique Canonicus Regularis. Per Joannem & Benedictum Cardinales, Paſchalis ſecundi Pontificis Legatos, celebrata Pictavienſis Synodus edidit hunc Canonem: *Ut filii Presbyterorum, & cæteri in fornicatione nati, ad ſacros Ordines non promoveantur, niſi aut Monachi fiant, aut in congregatione Canonicâ regulariter viventes. Prælationes verò nullatenus habeant.*

Attamen certum eſt Urbanum ſecundum non eſſe primum irregularitatis auctorem. Etenim Sanctio Hiſpaniarum Regi, virum quempiam egregiè litteratum & probum, ſed de concubina natum, ad Epiſcopatum
Lib. 2. Ep. 50. nominanti reſpondit Gregorius ſeptimus: *Venerandi Canones ad Sacerdotis gradum tales provehi contradicunt. Et ſolet ſancta & Apoſtolica Sedes pleraque conſideratâ ratione tolerare, ſed numquam in ſuis Decretis & conſtitutionibus à concordiâ Canonicæ traditionis decedere.* Etiam de Rothomagenſis Eccleſiæ Electo ſcripſit ad Hubertum ſuum Subdiaconum, ac in
Lib. 7. Epiſt. 1. Gallia Legatum: *Audivimus Rothomagenſem Archiepiſcopum eſſe Sacerdotis filium, quod ſi verum deprehenditur, noveris nos promotioni illius aſſenſum nequaquam tribuere.* Laudat antiquos Eccleſiæ Canones, atque ità profitetur etiam ſe non eſſe primum hujus irregularitatis auctorem. Etiam Thomam Eboracenſem Archiepiſcopum ob vitioſos natales fuiſſe ab Alexandro ſecundo Gregorii anteceſſore degradatum, atque tandem ad ſancti Lanfranci preces diſpenſatum ac reſtitutum, ſuprà audivimus

mus à Guilielmo Malmesberienſi. Similis diſpenſationis ab eodem Pontifice pro neſcio quo Electo litteras adducit in Decreto ſuo Gratianus, itemque & alias ſancti Martyris Bonifacii, gentis noſtræ Apoſtoli, quibus vagam Anglorum libidinem, natoſque per ipſam & naſcituros baſtardos graviter damnat, atque ita ille creditur ipſos primus ab Eccleſiaſticis ordinibus & honoribus proſcripſiſſe. Nam & ipſe neſcio quem Gentis noſtræ Epiſcopum, quod adulteri & homicidæ ex adulterio filius eſſet, accuſavit apud Zachariam Pontificem, qui tamen ad iſtam quæſtionem directè non reſpondit. Et hinc primi adverſum Baſtardos Canonis authorem fateor à me ignorari. Diſtinctione 9. 56. c. 10. Epiſt. 8.

Primum ejuſmodi Canonem quidam exiſtimant eſſe Synodi Meldenſis, factæ ſub Carolo Calvo Francorum Rege, rigidiſſimè damnantis omnem virginum aut viduarum raptum, ac pergentis: *Filii ex hujuſmodi vituperabili conjunctione ante conjugium etiam minus laudabile procreati ad Eccleſiaſticam dignitatem nullo modo provehantur, nec de tali conjugio procreati Eccleſiaſticis Ordinibus applicentur, niſi fortè eos aut maxima Eccleſiæ utilitas vel neceſſitas poſtulet, vel evidens meritorum prærogativa commendet.* Verùm Synodus de unica dumtaxat Baſtardorum ſpecie ſtatuit. Eodem tamen tempore ad vacantem Eccleſiam Belluacenſem, legitimam novi Epiſcopi electionem fieri mandans, ſcripſit Hincmarus Metropolita Remenſis, vetuitque eligi *eum cui nulla natalium dignitas ſuffragatur.* Quare videtur tunc quivis Baſtardus ad ſolum Epiſcopatum fuiſſe irregularis. Exſtat Epiſtola inter Epiſcopalium promotionum formulas apud Jacobum Sirmondum. Etiam per Alexandrum ſecundum ac Gregorium ſeptimum videntur Baſtardi à ſolo Epiſcopatu fuiſſe proſcripti. Fuiſſe etiam à gradibus inferioribus proſcriptos, nullo poſſit doceri exemplo. Canone 64.

Epiſcopus item erat ille Baſtardus, quem apud Zachariam Pontificem poſtulavit ad degradationem ſanctus Bonifacius. De Remenſi item, quæ Arnulphum Archiepiſcopum dejecit, Synodo ſcribit in Senonenſis ad ſanctum Petrum Vivum Cœnobii Chronico Monachus Clarius: *Dixit non decere fieri Epiſcopum ex concubina natum.* Eum à ſolo Epiſcopatu degradavit. Quare ulterior extenſio poſſit fuiſſe cæpta ab Urbano ſecundo, & hoc in litteris ad Andream Lundenſem Archiepiſcopum dumtaxat voluiſſe Innocentius tertius. Canonum peritiſſimus Pontifex non eſt facilè de lapſu arguendus. Et hinc laudatus Urbanus in Claromontana Synodo non ſolum & Laicorum & Clericorum Baſtardos proſcripſit à ſacris Ordinibus ac dignitatibus, ſed & addidit: *Quod nullus in Epiſcopum eligatur, niſi cui ſuffragatur natalium dignitas, niſi maxima neceſſitate, & licentia Papæ.* Ita Canonem refert ac

Anno 1095. aliis duobus priorem aſſerit Matthæus Pariſienſis. Nempè primo iſto Canone priorem Eccleſiæ diſciplinam innovavit, duobus aliis ipſam ad Clericales etiam Ordines Urbanus extendit.

Et hos ejus Canones non ſola Pictavienſis Synodus confirmavit, ſed
Ep.65.& 66. etiam Innocentii ſecundi Romana, ſancti Hildeberti Turonenſis Archiepiſcopi Namnetenſis, confirmata per Honorium ſecundum, Dalmatica ſub Innocentio tertio, Salisburgenſis ſub Martino quinto, & aliæ plures. Confirmarunt & hocce Pictavienſis Synodi ad Urbani Canones additamentum: *Prælationes nullatenus habeant.* Licet in Monaſterio ſeu regulari Collegio religiosè vixerint. Baſileenſis Synodus addidit, quod
Conſtit. 50. nullus illegitimus poſſit fieri Romanæ Eccleſiæ Cardinalis. Sixtus quintus extendit etiam ad illos quos Apoſtolica Sedes antea legitimarit. Ex
Conſtit. 71. damnato coitu natos vetuit etiam ad Monaſteria admitti. Quin & de
Conſt.3. Leofrico, decimo ad S. Albanum Abbate, ſcribit ejuſdem Cœnobii Mo-
Conſtit. 84. nachus Matthæus Pariſienſis: *Leofricus nullum, niſi genere nobilem, aut certè legitimum, ad Monaſterium admiſit, adſerens ignobiles & illegitimos,*
Conſt.8. *ignotos maximè & inſtabiles, ad enormia fore proniores.* Poſtmodò ad Cantuarienſem Archiepiſcopatum fuit ille adſumptus, pergitque Matthæus: *Recedenti & valedicenti, redarguendo ipſum, dixit quidam fratrum, genere ignobilis & illegitimus, moribus tamen præditus & ſcientia, Leofſtanus nomine, qui poſtea, ſed non immediatè factus eſt Abbas S. Albani: Mundatur totus ſacro Baptiſmate lotus, vel non eſt ſacri mundatio plena lavacri.* Falſa eſt iſta ratio. Rectè tamen rigorem hunc Gregorius decimus quartus mitigavit. Quod legitimati etiam in Valentina Hiſpanorum Eccleſia nullum poſſint habere beneficium, laudatus Sixtus teſtatur. Baſtardos item ab omni Patriarchalium in urbe Eccleſiarum beneficio excluſit Gregorius undecimus: Opus eſſe voluit ſpecialiſſima Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione. Et de Joanne Balle, Wicleffiſta apud Anglos Presbytero, ſcri-
Fol.375. bit Thomas Walſingamenſis: *Docuit neminem aptum regno Dei, qui non in matrimonio natus fuiſſet.* Nempè dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt. Quis enim ignoret Jepte, ab ipſo Apoſtolo adſcriptum Sanctorum Catalogo, fuiſſe filium meretricis?

Hæc igitur Irregularitas pedetentim inter varias variorum contradictiones invaluit. Jam audivimus non ſolum Laicos Duces & Comites, ſed & quoſdam Epiſcopos dudum recalcitraſſe, Gregoriumque nonum Pontificem, dum ipſam Apoſtolico Romani Juris Codici inſeruit, peſſimas calumnias ſuſtinuiſſe à Matthæo Pariſienſi. Etiam ad Turonenſem
L. 1. tit. 17.c.18. Archiepiſcopum ſcribit idem Pontifex: *Nimis in tuâ provinciâ Eccleſia deformatur honeſtas, eo quod filii Sacerdotum, & alii non legitimè nati, ad dignitates & perſonatus, & alia beneficia curam animarum habentia ſine diſpen-*

*diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ promoventur.* Omnes huc uſque promotos mandat ejici, & peſſimam licentiam plenè eradicari. Quod & Theobaldus Stampenſis Baſtardorum cauſam acerrimè defenderit, infra oſtendetur. Laudati etiam Gregorii in Anglia legatum Othonem ſancti Nicolai in Tulliano carcere Cardinalem Diaconum, quod in illegitimos Clericos dura ſtatuturus diceretur, à turbulentis hominibus fuiſſe graviter periclitatum, narrat memoratus Matthæus Pariſienſis. Sanctiſſimos tamen Canones omnis tandem Latina Eccleſia plenè acceptavit. Etiam Latinos ritus ſequi conſueta Eccleſia Armeniorum. Etenim Diaconum conſecrare iſtic ab Archidiacono poſtulatus Epiſcopus, ritualiter & ipſe rogat: *Scitis illum eſſe ex ſancto matrimonio natum?* Ita patet ex ipſorum libro Pontificali, exſtante apud Clementem Galanum. Anno 1237. Fol. 114.

Rogat de ſolis Diaconis: Quod apud ipſos à Diaconatu incipiant ſacri Ordines, à quibus ſolis Urbanus ſecundus Baſtardos proſcripſit. Licet ejus Canones videantur de quovis ordine loqui, eorum tamen interpres Pictavienſis Synodus disertè ait: *Ad ſacros Ordines non promoveantur.* Et Guilielmus Malmesberienſis eoſdem Canones redigit in hocce compendium: *Quod Presbyterorum & Concubinarum filii ad Presbyteratum non promoveantur.* De ſolis item ſacris Ordinibus Innocentium tertium conſuluit Andreas Archiepiſcopus Lundenſis. Poſtmodo tamen ad minores etiam ordines, ipſamque Clericalem tonſuram extenſa eſt irregularitas. Etenim Bonifacius octavus ad minores ordines, & ſimplicia Beneficia per Epiſcopos, ad majores verò gradus & animarum curam permittit Baſtardos à ſolo Romano Pontifice diſpenſari. Epiſcopi poteſtatem ad Cathedrales etiam Præbendas, quæ dignitates non ſint, quidam extendunt. Regulares ad ſui ordinis officia & dignitates à ſuis Prælatis diſpenſari indulſit Gregorius decimus quartus. Et quidem gratiam hanc fuiſſe olim facillimam, lucet ex Innocentii tertii ad Calaritanum Archiepiſcopum Reſcripto: Baſtardum, qui tacito vitio permiſit ſe in Epiſcopum conſecrari, dummodò rectè adminiſtret, & non ſpurius, ſed naturalis ſit, affirmat non ſolum miſericorditer, ſed & utiliter in gradu tolerari. Hinc item Gaufredum, ex Henrici ſecundi Anglorum Regis Baſtardo Epiſcopum Lincolnienſem per diſpenſationem Alexandri tertii, potuiſſe ſine novâ gratiâ eligi & transferri ad Eboracenſem Archiepiſcopatum ſcribunt Radulphus de Diceto, & Joannes Bromptonus. Quod nempe diſpenſatus ad unum Epiſcopatum cenſeatur diſpenſatus ad omnem. Quam liberalitatem, non ſolum quoad Epiſcopatus, ſed quoad omnia beneficia merito reſtrinxit Bonifacius octavus. Baſtardos ſine nova venia noluit de beneficio transferri ad beneficium, ac novo præſertim beneficio cumulari. Quis irregularitatem ad minores Fol. 131. L. 1. tit. 11. c. 1. L. 1. tit. 9. c. 10. Anno 1190. Anno 1189. L. 1. tit. 11. cap. 2. & 1.

etiam ordines extenderit, ignoro. Forſitan nullus Canon, ſed pia conſuetudo. Eſt omnino piiſſima. Cauſam edicit in litteris ad Epiſcopum
Ep. 89. Cameracenſem Innocentius tertius: *Ad Baſtardos peccata Parentum promotionis impedimenta tranſmittunt, eo quod propagatio criminis in tali prole timetur, dum vitiati ramuſculi de vitioſa radice procedunt.* Quo fundamento fuit ſupra uſus etiam Leofricus Abbas ſancti Albani.

Sunt tamen fundamenta, ex quibus Baſtardorum, non ſolum ad Epiſcopatum, ſed etiam ad inferiores gradus irregularitas videatur longè antiquior. Etenim inter crimina, de quibus Euſebium Peluſii Metropolitam accuſavit apud ſanctum Cyrillum Alexandrinum Patriarcham
Lib. 2. Ep. 127. Iſidorus Peluſiota, fuit & illud: Quod Martinianum, ignotæ originis hominem, in Presbyterum promoviſſet. Per ignotam originem videtur intelligere natales meretricios, de quibus ſcribit etiam ad Strategium Monachum:
Lib. 4. Ep. 129. *Quod ex fornicario complexu naſcitur, contumelia afficitur, quippe quod nothum ac ſpurium vocetur, & ubique locorum notetur ignominia, & ſive in cœnaculum, ſive in Judicium ingrediatur, inde exturbetur.* Quanto igitur magis à ſacro Clero, qui ex Apoſtolico Canone eſſe boni teſtimonii ſeu famæ debeat, etiam apud illos qui foris ſunt? Et de Arnulpho, Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Electo, ſcribit in ſacri belli hiſtoria Guibertus
Lib. 7. c. 13. Novigenti Abbas: *Papa Paſchalis ſecundus, poſt mortem Podienſis Epiſcopi, vices ſuper Dominici exercitus cura ſuas mandavit Daimberto Archiepiſcopo Piſano. Qui electionem quæ de Arnulpho fuerat facta eventilans, ſecundum Canonum jura refutandam duxit. Diſcuſſo nimirum hominis genere, Sacerdotis filius reperitur, qui non ſolum à ſacris arceri præcipitur gradibus, ſed ſecundum Toletanæ Synodi ſcita, ejus Eccleſiæ ad cujus injuriam conſtat eſſe progenitum, ſervus jubetur fieri ſempiternus.* Lucidè dicit Arnulphum ad omnes ſacros Ordines fuiſſe irregularem: Nec id probat ex recenti Urbani ſecundi Decreto, ſed ex antiquo Canone Toletano. Utique ex nonæ Synodi decimo, ſacri Clerici ſeu cum Ancilla, ſeu cum Ingenua conjugium affirmante eſſe deteſtandum, & adjungente: *Illi, ex quibus filii geniti probabuntur, Canonica cenſura damnentur. Proles autem nata ex tali pollutione, non ſolum parentum hæreditatem nuſquam accipiat, ſed etiam in ſervitutem ejus Eccleſiæ, de cujus Sacerdotis vel miniſtri ignominia nati ſunt, jure perenni manebunt.* Quarta ſolas Ancillas Concubinas, octava etiam Ingenuas juſſit vendi, hæc Toletana Synodus de filiis ſtatuit duriora, adeoque ſanxit infames atque irregulares. De multa, quæ ob inveteratam in Eccleſiis graſſationem corrigi non poſſit, Canonum prævaricatione lamentatur in Romano ſuo Itinerario etiam Ratherius ex Lobbienſi apud nos Monacho Veronenſis Epiſcopus: *Si manzeres à Clericatu abjicerent, quem etiam ex puerulis in Choro ſtare permit-*

Digitized by Google

*permitterent?* Omnis enim tunc Clerus & ſacrilegis conjugiis, & hæreditaria in paternos gradus ſucceſſione erat pollutus, ideoque conſtabat ſolis ferè filiis Sacerdotum. Hinc & in litteris de illicitis cujuſdam nuptiis exclamat ad ſuum Clerum idem Epiſcopus: *Quo circa monendi & obſecrandi fratres, ut quia prohiberi, proch dolor, à mulieribus valetis nullo modo, filios de vobis generatos dimitteretis ſaltem eſſe laicos, filias laicis jungeretis, ut vel in fine ſaltem veſtro terminaretur, & nuſquam in finem ſæculi duraret veſtrum adulterium.* Sacrilega Cleri conjugia eſſe invalida, & ex ipſis natos lucidè cenſet manzeres, ideoque ejiciendos è Choro, ſeu minorum etiam graduum incapaces. Et ad hanc ſancti Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi relationem: *De Sacerdotum filiis vel Concubinarum, qui quoſdam olim gradus acceperunt, & volunt omnino redire ad immunditiam ſæculi, niſi ad majores promoveantur, promittunt religioſam vitam, quid agendum*, Reſpondit Paſchalis ſecundus: *De Sacerdotum filiis vel Concubinarum, quam vitam tenendam Prædeceſſores noſtri Sedis Apoſtolicæ Pontifices inſtituerunt, noſſe te credimus. Nec nos ab illorum volumus aberrare veſtigiis. Quod igitur tibi ſuper his in barbaris regionibus ſit diſponendum, ex ipſius præceptis poteris collatione diſtinguere.* Non ſolius Urbani, ſed & aliorum Prædeceſſorum urget Decreta, quæ Urbano debeant eſſe antiquiora. Lib. 3. Ep. 45.

Reſpondeo non eſſe. Lucet ex huc uſque dictis, ac inſuper ex Theobaldi Stampenſis diſputatione adverſus Roſcelinum Compendienſem. Hunc, quod Sacerdotum filios, & alios ex carnis lapſu generatos aſſeveraret exleges, ille de improvida ultra ſobrietatem ſapientia ac de antiquorum Canonum prævaricatione arguit, aſſerit ex Baſtardis Eccleſiæ proveniſſe ſummos olim & plurimos Epiſcopos, cum Leofſtano ſancti Albani Abbate vult vitioſos in ipſis natales plenè purgari per Baptiſmum, & adjungit: *Quod autem Sacerdotum filii ab ordinibus reprobentur, ex rigore juſtitiæ factum eſt, ſed nullo modo juſtum eſt.* Lucidè taxat Urbani ſecundi Canonem, uti iniquum hujus novitatis authorem. Et pergit: *Qua igitur fronte quidam homunciones, non palam, ſed è latibulis loquentes, & totam Campaniam libidinoſa peregrinatione polluentes, indignos Sacerdotii judicant, quos Petrus & Joannes regali Sacerdotio dignos eſſe confirmant?* Monachis illis, qui Gregorii ſeptimi adverſum Simoniacos & conjugatos Clericos Decreta divulgarant, ad hocce etiam divulgandum uſus fuiſſe videtur Urbanus, & in ipſos hic declamare Theobaldus. Fundat ſe in argumentis ineptiſſimis, quæ tamen omnia ſupponunt Decretum hoc eſſe heſternum. Nec obeſt Iſidorus Peluſiota: Martinianum enim non de illegitimâ, ſed de peregrina arguit origine, quâ olim quem fuiſſe Irregularem docent cum aliis multis Canones

Eliberini. Spurios in Romano Imperio fateor fuiſſe infames & viles: Attamen qui bonis moribus purgare poſſent vitium, atque ita & ad Reipublicæ, & ad Eccleſiæ dignitates adſpirare. Conſtat enim etiam Conſtantinum magnum fuiſſe Baſtardum. Adductus Toletanus Canon, non quoſvis, ſed ſolos Clericorum Baſtardos facit Eccleſiæ ſervos, nullo tamen modo irregulares. Quis enim neſciat ex Eccleſiarum familiis ſemper potuiſſe Clericos ordinari? Guibertus Abbas & Daimbertus Legatus nuperum tunc Urbani Canonem conati ſunt qualicumque exemplo roborare. De ſolis Clericorum Baſtardis agit etiam Ratherius: Nec editum laudat Canonem, ſed optat edendum. Lucet ex ſancti Adelberonis, coëtanæi Metenſis Epiſcopi, oppoſita Sententia, de qua apud Philippum Labbæum antiqua ejus atque authentica vita: *Epiſcopi ſui temporis, aliqui faſtu ſuperbiæ, aliqui ſimplicitate cordis, filios Sacerdotum ad ſacros Ordines admittere dedignabantur, nec ad Clericatum eos recipere volentes. Hic vir beatus neminem deſpiciens, neminem ſpernens, paſſim cunctos recipiebat, neque perſonam, neque genus eligens, aut præjudicans, ſed id mente fixa retinens, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet Deum & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi.* Tanta Epiſcopalium opinionum ſine mutuo præjudicio diſcordia lucidè & altè clamat nullum tunc fixum ac univerſalem fuiſſe in Eccleſia Canonem. Sancti Anſelmi relatio agit de Baſtardis noviſſimè ante Urbani ſecundi Decreta ad ſacrum Ordinem promotis, ſupponit ipſos tunc fuiſſe regulares, reclamaſſe adverſum novos Canones, prætendiſſe ſe ipſis non comprehendi, ideoque aſcendere voluiſſe ad omnia ſuperiora, etiam Epiſcopatum. Et hinc non ſolius Urbani, ſed & anteriorum Pontificum Sanctiones eis objecit Paſchalis ſecundus. Quod eadem de causâ Gualo Belluacenſis Epiſcopus graves à ſuis Clericis perſecutiones ſuſti-
L. 2. Ep. 33. nuerit, ſcribit laudatus adhuc Beccenſis Abbas Anſelmus ad Urbanum ſecundum. Nempè penitus nova tunc erant Decreta iſta, ideoque adverſus ipſorum executionem multi hinc inde reclamabant. Permaneat ergo Baſtardorum ad Epiſcopatum irregularitatem, licet præciſum ignoremus exordium, eſſe antiquam, & ad ſacros inferiores Ordines extenſam ab Urbano ſecundo. Quis ad minores & primam tonſuram extenderit, item ignoro.

DISSER-

# DISSERTATIO II.

## De Simoniæ crimine, & variis ad ipſum ſpectantibus.

### CAPUT PRIMUM.

*Simoniæ crimen exponitur.*

SIMONIS Magi, à quo Simonia in Novo Teſtamento nomen accepit & originem, crimen eleganter exponit ſanctus Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis: *Simon, qui fidem ſimulavit, putans Apoſtolos & ipſas ſanitates per Magiam, & non virtute Dei perficere, & per impoſitionem manuum Spiritu ſancto adimplere credentes Deo per eum, qui ab ipſis Evangelizatur* JESUS CHRISTUS, *per majorem quemdam Magicam ſcientiam & hoc ſuſpicatus fieri, & offerens pecunias Apoſtolis, ut acciperet & ipſe hanc poteſtatem, quibuſcumque velit dandi Spiritum ſanctum, audivit à Petro: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecuniâ poſſideri. Et cum adhuc magis non credidiſſet Deo, & cupidius intendit contendere adverſum Apoſtolos, ut ipſe glorioſus videretur eſſe, & univerſam Magiam adhuc ampliùs inſcrutans, ita ut in ſtuporem cogeret multos hominum, docuit ſe eſſe ſublimiſſimam virtutem.* Ipſum utique in carnis ſpecie Deum. Simon de Apoſtolis iſtud ipſum, quod de Domino Jeſu Chriſto impii Judæi, opinatus eſt: Quod non in Dei digito, ſed in Dæmoniorum principe ejicerent dæmonia. Proindè nequaquam Spiritum ſanctum, ſed potentiſſimæ Magiæ principem Diabolum voluit pecuniâ comparare. Ex quo vides Spiritus ſancti, ſacri Ordinis, aut ſimilis divini muneris emendi opinionem, aut cupiditatem ad Simoniæ etiam pleniſſimum crimen non requiri.

Lib. 1. c. 20.

Eſt crimen longè graviſſimum, de quo ad Adrianum primum Pontificem in litteris poſt ſeptimam Synodum exſtantibus rectè ſcripſit ſanctus Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus: *Tolerabilior eſt Macedonii & eorum qui circa ipſum ſunt Spiritus ſancti impugnatorum impia hæreſis.*

***reſis. Illi enim creaturam, & ſervum Dei ac Patris Spiritum delirè fatentur, iſti ſui ipſius, ut autumant, eum ſervum efficiunt. Omnis enim Dominus, quod habuerit, ſi voluerit, venumdat, ſive ſervum, ſive aliud quid eorum*** *quæ poſſidet. Similiter & qui emit, Dominus volens eſſe ejus quod emerit, per pretium pecuniæ illud acquirit. Ita & qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui ſancto, æqualiter peccantes his, qui blaſphemant, dicentes in Beelzebud ejicere dæmonia Chriſtum. Atque ut verius dicamus, Judæ comparantur traditori, qui Dei occiſoribus Judæis pretio argenti Chriſtum venumdedit.* Quas litteras in ſuis ad ſancti Gennadii Patriarchæ Conſtantinopolitani Epiſtolam Commentariis laudat Theodorus Balſa-
1. q. 1. c. 21. mon, ac ſuo Decreto inſeruit Monachus Gratianus. Inſeruit & hocce Paſchalis, neſcio an primi aut ſecundi, Pontificis Decretum: *Omnia crimina ad Simoniacæ hæreſis comparationem quaſi pro nihilo reputantur.* Similia Sanctorum Patrum teſtimonia poſſint plurima adduci. Et hinc
L. 1. tit. 3. c. 31. in lege ad Armaſium Prætorii Præfectum exſtante in Juſtiniani codice, & activam & paſſivam, pretio factam, Epiſcopi electionem aut conſecrationem Leo Imperator merito refert inter crimina læſæ majeſtatis. Nam crimen, quo horrendè adeò offenditur divina clementia, lædi omninò oportet etiam humanam majeſtatem. Dum Subdiaconus Hildebrandus, Victoris ſecundi Pontificis in Gallia Legatus, varios per Simoniam promotos Epiſcopos Synodaliter caſtigaret, quidam *ita dicendi arte calluit*, ut omnes illuderet. Hinc aliâ viâ conveniendum hominem videns Legatus edixit: *Ceſſet hominis eloquium, in medium producatur divinum Oraculum. Scimus profectò, quod Epiſcopalis gratia eſt munus Spiritus ſancti, & quiſquis Epiſcopatum mercatur, ſancti Spiritus donum poſſe pecuniâ comparari opinatur. Coram nobis ergo, qui Spiritus ſancti judicio congregati ſumus, dicat iſte, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: Quod ſi expreſſè & ſine titubantia dixerit, apud me conſtabit illum non venaliter, ſed legitimè Præſulatu functum. Libens hanc conditionem ille accepit, nihil minùs quam horum verborum difficultatem ratus. Et verè, Gloria Patri, & Filio, integrè protulit, ſed in, Et Spiritui ſancto, hæſit. Suſcitato cunctorum ſtrepitu, nullo conatu vel tunc, vel in reliquo vitæ ſpatio potuit nominare.* Ab hæretica ſcelerati hominis linguâ Spiritus ſanctus noluit vel profer-
Fol. 108. ri. Ita ex fido Hugonis Abbatis Cluniacenſis, qui Synodo ac miraculo interfuit, teſtimonio refert Guilielmus Monachus Malmesberienſis. Eorum, qui in Judaïco Templo vendebant columbas, Dominus evertit Cathedras: Ita & Simoniacorum Epiſcoporum Cathedras in Eccleſia ſemper cadere, benedictiones verti in maledictiones, & plura ab ipſis enaſci ſcandaloſa facinora, ſcribit frequenter ſanctus Gregorius Magnus. Et hinc facinus iſtud Cathedræ lapſu, ſeu degradatione omnis ſub

cœlo

Digitized by Google

cœlo Eccleſia ſemper punivit. Ex ipſo poſt patrata in Formoſum Pontificem ſcandala prodiiſſe Cleri & populi ruinam, variaſque divinæ Juſtitiæ plagas, Eccleſiæ etiam publicas orationes non fuiſſe à Deo exauditas, omnes ſimul cucuriſſe in Infernum, teſtatur in hiſtoria ſua Glaber Rudolphus. Unde & Patris ſui Imperatoris Conrardi Salici, qui illius temporis ſcelus diſſimularat ſolummodo, nequaquam foverat, animæ etiam timuit filius & ſucceſſor Henricus Niger, & pro ipſa ab omnibus ubique Eccleſiis & Monaſteriis preces efflagitavit. Ex turpi civilium Magiſtratuum quæſtu imminere Romanæ Reipublicæ lapſum prædixit apud Paulinum Presbyterum ſanctus Ambroſius,& Prophetiæ veritatem eventus comprobavit. Quid igitur à graſſante Simonia non metuamus? A tanta peſte tempora noſtra & animas divina clementia præſervet. Ad Ponticæ ſuæ Diœceſis Epiſcopos rectè ſcripſit ſanctus Baſilius: *Levius delinquit, qui ſacros Ordines propter inexperientiam emere volebat, quam qui donum Dei vendit. Auctio namq; eſt. Et ſi quod gratis accepiſti vendideris, tamquam Sathanæ venundatus gratia Dei privaberis. Cauponis enim ritu quæſtum rebus ſpiritualibus infers & Eccleſiæ, ubi Corpus nobis & Sanguinem Chriſti concreditum habemus.* Emens enim partim ob inexperientiam ſeu ignorantiam, partim ob Prælati exigentis reverentiam, impoſitamque ab ejus improba exactione neceſſitatem, quoad culpæ & pœnæ aliquid poſſit revera excuſari.

L. 2. c. 6. L. 4. c. 5. L. 5. c. 5.

Dico, *Quoad aliquid.* Nulla enim neceſſitas, nulla vis, nullus error, nulla ignorantia plenè abluit, niſi ablutum velis ipſum etiam Simonem Magum, unaque illos de quibus in vita ſancti Romualdi Abbatis ſcribit ſanctus Petrus Damiani: *Romualdus inter cæteros præcipuè ſæculares Clericos qui per pecuniam ordinati fuerant, duriſſima ſeveritate corripiebat, & eos, niſi Ordinem ſpontè deſererent, omnino damnabiles & hæreticos aſſerebat. Qui novam rem audientes, occidere illum moliti ſunt. Per totam namq; illam Monarchiam uſque ad Romualdi tempora, vulgata conſuetudine, vix quiſquam noverat Simoniacam hæreſim eſſe peccatum.* In libro gratiſſimo addit: *Quis neſciat uſque ad Henrici tertii Clementiſſimi Regis imperium, Præſulatumq; reverendæ memoriæ Clementis Papæ ſecundi, iſtiuſq; beatiſſimi Leonis noni, quo nunc Præſule ſancta ſe gubernari gratulatur Eccleſia, per Occidentalia regna virus Simoniacæ hæreſeos lethaliter ebulliſſe, ita ut quod paſſim fiebat licenter admiſſum, ultoriæ animadverſioni nequaquam duceretur obnoxium, & quod erat ferè omnibus conſentaneum, pro regula tenebatur, tamquam legali ſanctione decretum.* Quin immo iniquitati non deerant aperti, potentes, ac eruditi defenſores. Etenim de Joanne & Tudethchino, Godefridi Lotharingiæ Ducis Capellanis, ad Alexandrum ſecundum Pontificem pergit laudatus Petrus: *Nonnulli*

Cap. 35. Cap. 27.



Digitized by Google

*Clericorum vitam per exterioris habitus ſpeciem mentientes, prorſus à Deo frigidi, ambitionis Eccleſiaſticæ facibus inflammati, hoc pertinaciter dogmatizant, non ad Simoniacam hæreſim pertinere, ſi quis Epiſcopatum à Rege vel quolibet mundi Principe per interventum emptionis acquirat, ſi tantummodo conſecrationem gratis accipiat. Unde cum nuper in Excellentiſſimi Ducis Godefridi verſaremur alloquio, duo quidam ex Cappellanis ejus, unus, ut erat barbarus, barbarico nomine Tudethchinus, alter vero natione Venetus Joannes vocabatur. Hi nimirum, tamquam Hymenæus & Philetus in prædicatione Pauli, vel certè tamquam Jamnes & Mambres tempore Moyſis, reſiſtentes veritati, hanc non ceſſabant diſſeminare doctrinam, hanc Catholicam atque Canonicam fatebantur eſſe ſententiam. Videlicet ut jure Simoniacus non dicatur, quiſquis abſque manus impoſitione Epiſcopatum comparaſſe convincitur.* Lib. 1. Ep. 13. *Dicebant enim, quia cum hoc fit, non diſtrahitur Eccleſia, ſed facultas: Nec emitur Sacerdotium, ſed poſſeſſio prædiorum. Sub hac enim præſtatione pecuniæ opes tantum, non honoris vel Eccleſiæ redimitur Sacramentum. Venalia ſiquidem ſunt, ſicut aiunt, unde ſint divites; gratis accipiunt, unde fieri debeant Sacerdotes.* Quæ omnia repetit in Epiſtola ad ipſos Capellanos. Lib. 5. Ep. 13.

Simoniæ per Clementem ſecundum, Leonem nonum, ac Alexandrum ſecundum Pontifices facta damnatio, non ſolos Epiſcopos & Clericos, ſed etiam Reges ac quoſvis laicos Principes multo ſpoliavit lucro & quæſtu. Uti antea Epiſcopi & Clerici manus impoſitiones, conſecrationes, omniaque Sacramenta & Sacramentalia, ita Reges & Principes Epiſcopatuum, Abbatiarum, & omnium majorum Beneficiorum nominationem, collationem, atque inveſtituram palam vendiderant quaſi ſub haſta. Nugivendi Theologaſtri vix ullo unquam tempore Eccleſiam non infeſtarunt. Hi ergo dixêre omnem illam laudatorum Pontificum damnationem in ſolos ferri Epiſcopos & Clericos, eis ſolis interdici mercaturam Sacramentorum & Sacramentalium; Reges & Principes manere integros in ſuo antiquo jure. Ab hiſce dixerunt non Eccleſiaſticum Ordinem, gradum, honorem, aut Juriſdictionem conferri, ſed ſolam agrorum, Decimarum, ac aliarum facultatum poſſeſſionem, & jus in ipſorum fructus, quæ omnia ſint merè temporalia, adeòque poſſint vendi. Ejus opinionis Duces erant jam dicti Capellani. Opinio erat adeo probabilis, ut palam ab ipſis ante ſancti Petri Damiani, Cardinalis Epiſcopi Hoſtienſis, barbam uti Catholica & Canonica defenderetur. Eodem modo & ratione Eccleſiaſticorum Beneficiorum jura temporalia dogmatizarunt poſſe ab Epiſcopis & aliis Eccleſiaſticis Collatoribus vendi. Quem errorem pro parte reſorbent quidam hodiè Doctores Scholaſtici, docentes à Clericis, beneficia permutantibus, fructuum inæqua-

Digitized by Google

inæqualium compenſationem poſſe ſtipulatione pecuniariâ fieri, dummodò priùs ipſi tituli gratis commutentur. In beneficio diſtinguunt jus miniſtrandi in Eccleſia, & jus fructus percipiendi: Hoc volunt eſſe temporale, & obnoxium humanis pactis.

Verùm longè aliter ſanctus Petrus Damiani: *O novum Schiſmaticorum genus, & os ſacrilegum, æterni ſilentii cenſurâ damnandum.* Eos Capellanos aſſeverat eſſe hæreticos, Sathanæ prædicatores, Apoſtolos Antichriſti, utpotè qui manifeſtum errorem procaciter adſtruant, & fucatis vanarum rationum verſutiis pertinaciter contendant ſuſtinere. Alexandrum Pontificem urget, ut tamquam novus Joſue evaginato Canonici vigoris mucrone proſternat iſtos Amalecitas, tollatque è medio tartareæ amaritudinis aconitum, ne ferale venenum faucibus influat parvulorum. Et adjungit ſuæ doctrinæ & cenſuræ cauſas: *Cum aliquid ſub venalitate ſuſcipitur, & illud procul dubio comparatur, quod ex neceſſitate ſubſequitur. Ad hoc enim Paſtoralis Eccleſia cuiq; committitur, ut ad ejus regimen obtinendum cenſecratione firmetur. Et ad hoc ſine dubio collata pecunia commercium ſpectat, ad quod is qui promovendus eſt adſpirat.* Et in alia Epiſtola: *Quiſquis Eccleſiam pretio redimit, ſimul & conſecrationem comparare convincitur, ad quam ſcilicet per ejuſdem Eccleſiæ acceptionem promovetur. In Eccleſia quippè commercio & conſecrationem procul dubio comparat, ſine qua videlicet eidem Eccleſiæ præſidere ſe poſſe non ſperat.* Regiam nominationem atque inveſtituram cum conſecratione, item miniſtrandi ſpirituale cum fructuum percipiendorum temporali jure, ait plenè atque indivulsè eſſe connexum, ideòque alterum ſine altero nec emi poſſe nec vendi. Quæ omnia non in ſolis prælaturis, ſed & in cunctis inferioribus beneficiis obtinere conſtanter affirmat. Quæ ejus ſanctiſſima conſilia non ſolus tunc Alexander ſecundus, ſed & hiſce diebus ſecutus eſt Alexander ſeptimus, damnans hunc noſtrorum Theologaſtrorum articulum: *Non eſt contra juſtitiam, beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

Quod laudati Petri conſilium & doctrinam ſecutus fuerit etiam Alexander ſecundus, lucet ex ejus ad Lucenſem Eccleſiam litteris, exſtantibus in Decreto Gratiani, affirmantibuſque peſtem illam eſſe nummulariam in templo negotiationem, quam facto de funiculis flagello Dominus eliminavit, atque ità demonſtravit, non corripiendam dumtaxat, ſed longiſſimè ab Eccleſia projiciendam. *Sicut*, inquit, *per columbarum venditores illi denotantur, qui ſacram manus impoſitionem conantur vendere, ſic per nummularios Eccleſiaſtici beneficii venditores deſignantur.* Eundem vendendo-



Digitized by Google

dendorum beneficiorum abuſum damnat in litteris ad Spirenſem Epiſcopum Gregorius ſeptimus, affirmans jam pridem & in ſuis, & in ſuorum Anteceſſorum Romanis Synodis damnatum. Et nec ità extinctum fuit malum. Hinc rurſus in Placentinâ, Amalphitanâ, & Claromontanâ Synodis Urbanus ſecundus damnavit altarium, id eſt Parochialium Eccleſiarum & Canonicalium Præbendarum venditionem. Item ejus ſucceſſor Paſchalis ſecundus: *Si quis objecerit non conſecrationes emi, ſed res ipſas quæ ex conſecratione proveniunt, penitus deſipere probatur. Nam cum corporalis Eccleſia, aut Epiſcopus, aut Abbas, aut tale aliquid ſine rebus corporalibus in nullo proficiat, ſicut nec anima ſine corpore corporaliter vivit, quiſquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Quod apud Gratianum exſtans Decretum innovat atque confirmat Gelaſius aut Calixtus ſecundus, & adjungit: *Donum Dei eſt Spiritus ſanctus, & donum Dei eſt res ipſa Eccleſiæ oblata. Et ſi benè animadvertitis, Simon Magus, qui ad fidem ficte acceſſit, non Spiritum ſanctum propter Spiritum ſanctum, quo ipſe erat indignus, ſed ideo, quantum in ipſo erat, emere voluit, ut ex venditione ſignorum, quæ per eundem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur.* Hinc concludit non ſolum illos qui ſpiritualia, ſed & qui Eccleſiaſticorum beneficiorum temporalia vendunt vel emunt, eſſe germanos fratres Simonis. Scripta eſt hæc Epiſtola ad Lucium Præpoſitum Eccleſiæ ſancti Juventii Ticinenſis. Gratianus, ejus corrector Auguſtinus Caravita, nec non & Dominus Cardinalis Baronius eam adſcribunt Urbano ſecundo. At certum eſt labi. Epiſtola enim laudat jam adductum Decretum Anteceſſoris ſui Paſchalis Pontificis, quem ipſe idem cum ſuo correctore Gratianus profitentur eſſe Paſchalem ſecundum Urbani ſecundi proximum ſucceſſorem. Severinus Binius perperam vult fuiſſe Paſchalem primum. Hujus enim felicior ætas tales Theologaſtros nec paſſa eſt, nec impugnavit. Epiſtola ergo eſt vel Gelaſii vel Calixti ſecundi, qui Paſchali ſecundo ſucceſſerunt.

L. 5. Ep. 18.

1. quæſt. 3. cap. 7. & 8.

## CAPUT VI.

### *Refutantur varia ad palliandam Simoniam inventa technæ.*

HÆ technæ nequaquam ſunt novæ. Etenim de illis queritur in litteris ad Ponticæ ſuæ Diœceſis Epiſcopos ſanctus Baſilius, & in Synodalibus ad ſanctum Leonem Magnum Pontificem, ac omnes ubique Metropolitas ſanctus Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus. Primam calliditatem & technam producit Baſilius in laudatis litteris: *Feruntur*

Digitized by Google

*runtur quidam ex vobis ab illis, qui ordinantur, accipere pecuniam, idque, quod pejus eſt, pietatis nomine palliare. Duplo namque puniendus venit, qui prætextu boni, quod malum eſt facit. Tum quia operatur quod bonum non eſt, tum quod ad perficiendum peccatum bono utitur cooperario.* Exponit & confirmat in litteris ad Syagrium Auguſtodunenſem Epiſcopum ſanctus Gregorius Magnus: *Adverſarius animarum, dum non poteſt in his, quæ ad faciem ſunt prava ſurrepere, callidè ſpecie quaſi pietatis injectâ nititur ſupplantare, ſuadetque forſitan ab habentibus debere accipi, ut ſit quod poſſit non habentibus erogari, dummodò vel ſic venena mortifera, eleëmoſynæ celatâ obumbratione, transfundat. Nam nec venator feram, aut avem auceps deciperet, vel piſcem piſcator caperet, ſi aut ille laqueum in aperto proponeret, aut ille hamum eſcâ abſconditum non haberet. Omninò ergo metuenda & cavenda eſt hoſtis aſtutia, ne quos aperta nequit tentatione ſubvertere, latenti telo ſævius valeat trucidare. Neque enim eleëmoſyna reputanda eſt, ſi pauperibus diſpenſetur, quod ex illicitis rebus accipitur. Quia qui hàc intentione malè accipit, ut quaſi bene diſpenſet, gravatur potius quam juvatur. Eleëmoſyna redemptoris noſtri oculis illa placet, quæ non de illicitis & iniquitate congeritur, ſed quæ de rebus conceſſis & benè acquiſitis impenditur. Unde etiam illud certum eſt, quia etſi Monaſteria, vel xenodochia, vel quid aliud de pecuniâ, quæ pro ſacris ordinibus datur, conſtruatur, mercedi non proficit: Quoniam dum perverſus emptor honoris in locum ſanctum tranſmittitur, & alios ad ſuam ſimilitudinem ſub commodi datione conſtituit, plura malè ordinando deſtruit, quam ille poteſt ædificare, qui ab eo pecuniam ordinationis accepit.* Inſigniter crimen iſtud exaggerat, & concludit: *Nimis ergo declinandum eſt ſub obtentu eleëmoſynæ peccata Simoniacæ hæreſeos perpetrare. Nam aliud eſt propter peccata eleëmoſynas facere, aliud propter eleëmoſynas peccata committere.* Orono, Ailæ ad rubrum mare urbis primario ac ditiſſimo, pro ſua à peſſimo dæmonio liberatione pecuniam offerenti, ſeſe de Simonia apud ſanctum Hieronymum excuſavit etiam ſanctus Hilarion, reponentique cum fletu, *Accipe & da Pauperibus*, reſpondit: *Tu melius potes tua diſtribuere. Ego, qui mea reliqui, cur aliena appetam? Multis nomen pauperum eſt occaſio avaritiæ, miſericordia verò artem non habet.* Nec Simonis artem, nec Giezi. Eâdem ex regulâ ad Eccleſiam Lucenſem ſcribit apud Gratianum Alexander ſecundus: *Conſtituimus & firmamus, ut nullus cujuſcumque gradus Clericus pro Eccleſiæ beneficio aliquid audeat conferre, aut fabricæ Eccleſiarum vel donariis, ſeu etiam quod pauperibus ſit tribuendum. Quia, teſte ſcripturâ*, utique non aliqua canonica, ſed jam adducta Gregoriana, *qui aliquid malè accipit, ut quaſi benè diſpenſet, potius gravatur quam juvatur.* Quod Decretum in habitâ ad Eugenium quartum Pontificem, & Florentinam Synodum

Epiſt. 70.

Lib. 7. Indictione 2. Ep. 112

1. quæſt. 3. cap. 9.



Digitized by Google

oratione laudavit plurimum & urſit Joannes de Bacchenſteyn, Decretorum Doctor, ac Legatus Conſilii Baſileenſis.

Pontica Diœceſis pauperes paſſim, & Epiſcopali gradui ſuſtinendo non ſufficientes habuit Eccleſias. Hinc ipſarum plures Epiſcopi, quo levarent miſeriam, & fundos paulatim emerent, modicum quid in ſacris Ordinibus exigebant. Nihilominus praxim damnat in laudatis litteris ſanctus Baſilius, & adjungit: *Avaritia Idololatria vocatur. Ne vestis igitur modica pecuniæ gratiâ Idola Chriſto præferre, neque Judam ſectantes, quæſtus gratiâ illum ſecundò prodere, qui ſemel pro nobis cruci eſt affixus. Alioquin & ipſi agri, & manus eorum, qui hoſce fructus metunt, aceldama vocabuntur.* Exponit in Epiſtolæ commentario Theodorus Balſamon: *Quemadmodum ager, qui emptus eſt pecuniâ, quâ venditus eſt à Juda Dominus, pretium ſanguinis eſt appellatus, ita & pecunia, quæ ab iis accipiuntur, qui Domini donum vendunt, & Diœceſes, & vici in quibus qui dant ordinantur.* Quin & iſtorum agrorum conductores, cultores atque meſſores ſanctus Baſilius maledictioni ſupponit. Quo circà Clerici & Monachi, quotquot hodiè apud laicos aut Eccleſiaſticos Principes agunt proxenetas ac interceſſores, impetrare conantes promotionem aut nominationem Prælatorum, qui ipſorum pauperes Eccleſias, Collegia, Monaſteria aut Xenodochia poſtmodum ditare, adjuvare, vel ornare obligentur, committunt pleniſſimam Simoniam, & ſuis perſonis ac rebus evocant divinam maledictionem. Etiam Antiſtites, & quivis alii
L. 1. tit. 18. c. 2. hiſce interceſſionibus promoti. Hinc quemdam Bethlehemitanæ Eccleſiæ Canonicum, qui quingentorum nummorum promiſſione corruptus, Regem ad probandam Epiſcopi electionem mediator induxerat, ab officio & beneficio tamquam plenè Simoniacum meritò dejecit poſterioribus etiam ſæculis Innocentius tertius. Exſtat Decretum apud Grego-
Extra. l. 5. c. 2. rium nonum. Etenim etiam à mediatoribus committi plenam Simoniam, omneſque incurri pœnas, ſanxit Canon Chalcedonenſis, & innovavit Pontifex Paulus ſecundus. Et hinc vides à Magnatibus quoque, dum quid à nominatis Epiſcopis vel Abbatibus exigunt quaſi ad publicas regni neceſſitates, omninò committi Simoniam.

Alteram diaboli technam aperit in laudatis litteris idem ſanctus Baſilius: *Putant quidam ſe nihil delinquere, quod non antè, ſed poſt manuum impoſitionem pecuniam accipiunt. At pecuniam accipere eſt accipere, quandocumque fiat. Hortor itaque, ut quæſtum hunc, imò tranſitum ad gehennam declinetis, nec manus tali lucro polluentes, indignos vos ipſos ad tractandum ſancta myſteria conſtituatis.* Abuſus præſertim in Galatia fuit graſſatus, in quem Synodaliter poſteà rurſum agere compulſus fuit ſanctus Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus. Innovavit Canonem Chalcedo-

cedo-

Digitized by Google

cedonenſem, & ſubjunxit: *Nec ante tempus ordinationis, nec poſt dari pecunias Canon permittit.* Et ſupra memoratus Oronus, cujus munera tamquam Simoniaca ſprevit ſanctus Hilarion, nequaquam anteà pactus fuerat, aut promiſerat, ſed dumtaxat poſt perceptam gratiam offerebat. Et ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales Epiſcopos ſcripſit ſanctus Petrus Damiani: *Sunt nonnulli, qui vel antequam conſecrationis exhibeant miniſterium, vel ante deciſum cauſæ negotium, nullum pacti ſunt commodum, poſtmodum verò tamquam à debitoribus exigunt, & extorquendis remunerationibus vehementer inſiſtunt. Hi ſe Giezi non dubitent crimen incurrere, qui poſtquam Naaman curatus, jamque revertens, de ſancti Spiritus dono auſus eſt pecuniam poſtulare.* Et de ſancto Anſelmo, per Guilielmum Rufum Anglorum Regem gratis promoto ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem, ſcribit Matthæus Pariſienſis: *Rex Anglorum* Anno
*Wilhelmus Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum circumvenire affe-* 1094.
*ctans, mille libras argenti ſibi dari ab eo vehementer poſtulabat. Ad hoc allegabat, ut ſibi videbatur, cauſam juſtiſſimam, quod gratis Epiſcopali ejus promotioni annuiſſet. Archiepiſcopus verò nihil intereſſe ducens, ante promotionem vel poſt, talem ob cauſam numerare pecuniam, pari pœnâ dignum arbitrabatur utrumque. Cum autem ſaccos Regis, niſi læsâ conſcientiâ, implere non poterat, elegit potiùs Regis indignationem, quam diſpendium famæ & periculum animæ in præſens incurrere, & in poſterum confuſionem & ſcandalum in Dei Eccleſiâ ſeminare.* Eccleſiâ ſuâ & regno exulare maluit, quàm conſentire in iſtam iniquitatem. Sanè ſi prævium pactum, promiſſio aut exactio requirantur ad Simoniam, Giezi perperam à ſancto Eliſeo fuit criminis damnatus. Notanda ſunt laudati Damiani verba: *Tamquam à debitoribus exigunt.* Oſtendunt ſpontaneè oblatorum recep- L. 2. Ep.
tionem hocce vitio carere. Et hinc primos Montaniſtas, oblationum 2.
nomine munera admittentes, graviſſimè de avaritia culparunt antiqui Eccleſiæ Patres apud Euſebium Cæſareenſem, nullus de Simoniâ. Hinc L. 5. c.
item dixi ſpontaneè oblatorum receptionem ab hocce ſolo vitio eſſe im- 17.
munem. Quod frequenter avaritiâ maculetur, non eſt ambigendum. Hinc ejuſmodi oblata, vix ullus umquam Sanctus legitur admiſiſſe. Dixi item, *Spontaneè oblatorum.* Qui enim quidquam quaſi debitum offert, lucidè laborat Simoniâ. Qui ipſum ex errore facit docendus à nobis eſt & corrigendus, ejuſque oblatio reſpuenda. Et ita Naaman Syrus, ac dives Oronus videntur obtuliſſe.

Huc ſpectat illa etiam iniquitas, de quâ ſanctus Petrus Damiani in litteris ad Bonifacium Cardinalem Epiſcopum Albanenſem: *Quilibet curialis Epiſcopus hos muneribus attrahit, illis beneficia lautiora concedit. Sic à quibus non erat electus eligitur, & ut ſibi de Simone nihil deſit ipſam electionem*

L. 2. Ep. 3. *nem ſacrilegâ venalitate mercatur. Verum in hoc ſceleris turpitudinem palliat, quia ſub colore fidelitatis Eccleſiaſticæ municipes per juris jurandi Sacramenta confirmat. Cum nemo deterius Eccleſiam lædat, quam eidem ipſi infidi fideles, qui ejus diripere facultates anhelant. Cum illis ergo munera tribuit, cum ſub nomine velut Eccleſiæ ſibi potiſſimum jurare compellit, non Eccleſiæ conſulit, ſed ſibi quietè poſſidendi culminis aditum pandit. Sive ergò hoc ante conſecrationem, ſive poſtquam conſecratus eſt faciat, valdè ei timendum eſt, ne dum non pro Eccleſiæ utilitate, ſed pro ſuâ potius confirmatione, ſacri loci bona dilapidat, in voraginem ſe Simoniacæ hæreſeos, dum extolli conatur immergat. Et hinc perniciosè coram divinis obtutibus corruat, undè ſe inter homines arroganter exaltat.* De quo malo queritur etiam in litteris ad Alexandrum
L. 1. Ep. 10. ſecundum Pontificem, ejuſque Archidiaconum Cardinalem Hildebrandum. Eſt malum antiquiſſimum. Etenim de Georgio Cappadoce, quod militibus, à quibus in Thronum Alexandrinum intruſus fuerat, Eccleſiaſticam ſubſtantiam in præmium ac mercedem dederit, queritur in litteris ad Africanos Epiſcopos ſanctus Athanaſius. Similes querimonias habet Symmachus Pontifex in litteris ad ſanctum Cæſarium Metropolitam Arelatenſem. Agit in Epiſcopos, qui ſcelerata præmia ſpondebant primum, ac deinde ſolvebant, adeòque ſine fuco erant palam Simoniaci. Laudati Damiani tempora fuerunt nequiora. A Ducibus, Comitibus, Baronibus, aliiſque intitulatis nobilibus duras olim calamitates, atque injurias paſſa fuit Eccleſia: Poſſeſſionum ſuarum invaſionem, ejectionem Epiſcoporum, & alia haud inferiora. Hinc lupos iſtos manſuefactura, ſuperfluas ſibi poſſeſſiones, etiam Decimas, ipſis in beneficium dari permiſit ab Epiſcopis, atque ità illos conata eſt ſibi facere juratos fideles, municipes ac vaſallos. Eorum taliter vexas, & iniquos auſus redemit. Verùm curiales, id eſt, per curialia ſervitia, ſeu Palatinum ab obſequio munus, & iſtorum nobilium mediationem promoti Epiſcopi peſſimos hac in re dolos frequenter commiſerunt. Non ſolùm ſuperfluas, ſed & neceſſarias Eccleſiarum ſuarum facultates infeudaverunt mediatoribus iſtis, atque ità ſub legitimi beneficii fuco Simoniacam operam munerarunt.

Commiſſa iſtic fuit duplex Simonia. Prima fuit jam dicta factæ mediationis ſtipendiatio, alteram exprimit hiſce verbis Petrus Damiani: *Quietè poſſidendi culminis ſibi aditum pandit.* Et his: *Pro ſua potius confirmatione.* Damnat curiales Epiſcopos, quod non ſolum per doloſam &
L. 3. Ep. 4. ſecretam Simoniam eſſent Epiſcopatum ingreſſi, ſed etiam quod per eaſdem artes in ejuſdem invalida & nulla poſſeſſione ſeſe ſuſtinerent.
Epiſt. 6. De quo vitio Cadaloum Antipapam graviter arguit in litteris ad Henricum Ravennatem, ac in litteris ad ſanctum Annonem Metropolitam Colo-

Digitized by Google

Colonienſem. Ejuſdem criminis Severum intruſum ſibi Patriarcham accuſant apud Joannem ſecundum Patriarcham Conſtantinopolitanum, in litteris exiſtentibus apud Synodum ſub Mennâ Patriarchâ, Clerici & Monachi Provinciæ Antiochenæ. Uti Epiſcopatum per temporale pretium acquirere, ità & illum per iſtud retinere eſt Simonia manifeſta. Nullus hic redemptæ aut redimendæ vexæ poſſit eſſe fucus. Et Simoniacos ejuſmodi Vaſallos ſanctus Petrus Damiani merito vocat fideles infidos. Promotis enim à ſe Epiſcopis frequenter fecerunt, quod Joanni Aurelianenſium ſimili electo fecit Philippus primus Francorum Rex, in ſancti Ivonis Carnutenſis Epiſcopi ad Hugonem Lugdunenſem Primatem litteris dicens ad Abbatem ejus corrivalem: *Suſtinete interim, donec de iſto faciam proficuum meum, poſtea quærite ut iſte deponatur, & tunc faciam voluntatem veſtram.* Ep. 66.

Et hinc oritur quæſtio, an ſeſe in legitimè accepti beneficii poſſeſſione adverſum iniquos turbatores pecuniâ firmare, & injuſtas violentias redimere, ſit etiam Simonia? Partem affirmativam defendere videtur in aliis ad dictum Primatem litteris laudatus Ivo: *Multi Electi, qui gratuitam & Canonicam habent electionem, quia dilationibus & fatigationibus impediuntur, comparatis ſibi pecuniâ mediatoribus & prolocutoribus, ne turpem patiantur repulſam, in Simoniacam aliquando impingunt conſecrationem.* Epiſcopos & Abbates à Regibus deinceps nominari, aut inveſtiri vetuerat rigidiſſimè Gregorius ſeptimus: Priori Decreto quidam Reges obediebant, alterum penitus adſpernati. Secundum Canones eligi permittebant Antiſtites, at nullum à ſe non inveſtitum benedici aut conſecrari. Aliter initiatos variè & durè vexabant. Imo & acquiſito per electionem jure exturbabant, mandabantque alios eligi. Hinc quidam, longam Eccleſiæ ſuæ vacationem miſerati, per emptos auro Palatinos emolliebant Regem, impetrabantque accipiendæ ſine inveſtitura conſecrationis licentiam. Erat redimere iniquam vexam, eſſe tamen Simoniam ſanctus Ivo affirmat. Quod ipſum ſenſiſſe videtur ſanctus Anſelmus, exulatum abire, imò & occidi malens, quam Guilielmo Regi poſtulatas auri marcas numerare, atque ità iniquam vexam redimere. Et ad Guilielmum Vintonienſis Eccleſiæ Electum, à quo Henricus primus Rex indebitum neſcio cujus caſtri exigebat homagium, hæc ſcripſit: *In hoc vos multùm oportet attendere, quod necdum veſtra Dilectio ſuſcepit Epiſcopi conſecrationem, & ſi hoc faceretis quod à vobis Rex exigit, nullus poſſet exſtinguere execrabilem famam, quia hoc factum eſſet propter Epiſcopatus, quem perdere timeretis, redemptionem.* Quod pro avertenda factæ Electionis aut Regiæ nominationis exufflatione, tantaque redimenda vexa, Regi aliquid dare ſit Simonia, lucidè ſupponit. Item Ep. 60.

L. 5. tit 3. c. 23. neſcio quem Epiſcopum, qui à majori Capituli parte electus minoris partis contradictionem pecuniâ compoſuerat, Simoniacum declarat apud Gregorium nonum Lucius tertius, & cedere cogit.

At verò partem, quæ omninò vera eſt, negativam tradit in hiſtoriâ ſuâ Henricus Huntendonienſis Archidiaconus, ſcribens de dicto Guilielmo Anglorum Rege: *Wilhelmus infirmus Roberto Cancellario ſuo dedit Epiſcopatum Lincolniæ. Sed ex quo ſanus fuit, pœnituit eum. Condolens igitur, quod Epiſcopatum non vendiderat, cum Archiepiſcopo Eboracenſi calumniatus eſt Robertum, quod Urbs Lincolniæ & Provincia Lindiſſæ Archiepiſcopo eidem ſubjacere debuiſſent, nec potuit cauſa terminari, donec Robertus quinque librarum millia Regi pro libertate Eccleſiæ ſuæ pepigerit. Quod Regi quidem Simoniæ, Præſuli verò Juſtitiæ deputatum eſt.* Inter Cantuarienſem & Eboracenſem Archiepiſcopos fuit vetus lis de ſede ſuffraganea Lincolnienſi, quæ Cantuarienſi ſubeſſe ſemper maluit. Hinc ergò dati Epiſcopatus pretium alio ſub titulo emungere volens Guilielmus Rex minatus eſt ipſam Eboracenſi ſupponere, atque ità ille ſolus, non Robertus Epiſcopus, qui ejus iniquitatem redemit, commiſit Simoniam. Ejuſdem ſententiæ fuit Henricus Vintonienſis Epiſcopus, Stephani Regis frater, ac Apoſtolicæ Sedis per Angliam Legatus, à quo quarumdam Abbatiarum, Regiæ commendæ violentiam pecuniâ redimentium, & liberam ſecundum Canones electionem ita recuperantium, cauſam fuiſſe probatàm teſtatur in hiſtoria novella Guilielmus Malmesberienſis. Etiam venerabilem Bertholdum Electum Conſtantienſem, qui ſibi per quemdam Comitem poſitos ineundæ poſſeſſionis obices pecunia diſſolvit, purgat in ejus vita Albertus Argentinenſis. Addit eam eſſe praxim omnium, qui iniquos iſtos à laica poteſtate obices tum frequenter patiebantur, per Sedem Apoſtolicam Proviſorum.

Nec ſanctus Ivo nobis adverſatur. Ejus adductus locus eſt modicæ authoritatis. Rigidiſſima enim Romanæ Eccleſiæ adverſum laicas Antiſtitum inveſtituras Decreta improbavit, volens ob rem nec naturali nec divino jure vetitam non committi Sacerdotium atque imperium, turbarique rempublicam atque Eccleſiam, & dicens ex Decretis iſtis enaſci plura peccatorum pericula, præſertim variæ, quam ſub redimendæ vexæ titulo vel fuco committerent Canonicè etiam Electi, Simoniæ. Nec dubitandum, quin varius ejuſmodi fucus pro vero titulo tunc ſe vendiderit, atque non vexam redemerit, ſed veram cauſarit Simoniam. Præſertim quia ejuſmodi redemptiones etiam vetabat ac damnabat Romana Eccleſia, mandans inveſtituram plenè à Regibus dimitti. Aufer damnationem hanc, & iſta violentia potuiſſet omnino redimi: Olim enim Patres noſtri etiam Idololatriæ violentiam redemerunt.

Digitized by Google

runt. Attamen ſanctiſſima illa, & tunc omnino neceſſaria Decreta iſtorum malorum fuerunt dumtaxat occaſio, non cauſa, ideoque ea improbans ſanctus Ivo exceſſit. Sancti Anſelmi exemplum non facit ad rem. Neque enim Guilielmus Rex illum Regno ejecit. Varia ſervitute ab illo peſſimè affligebatur Anglicana Eccleſia, ideoque omnibus ſimul & ſemel finem impoſiturus per Apoſtolicæ Sedis authoritatem ſanctus Anſelmus, Regno ſpontaneus exceſſit. Ejectionis injuriam omnino, uti in ſimili ſpecie fecit Robertus Lincolnienſis Epiſcopus, potuiſſet pretio evincere. Etiam Lucii tertii Decretum non eſt ad rem. Noſtra quippe aſſertio de ſola loquitur violenta injuria, quæ Superioris authoritate non poſſit averti. Proindè Electus ille, non muneribus, ſed per ſuum Metropolitam, aut per Dominum Papam debuerat motam ſibi à minori Capituli parte contentionem ſopire. Et in quibuſvis circa beneficia aut alia Eccleſiaſtica jura litibus pecuniariam tranſactionem non permittunt ſacri Canones, niſi quæ fiat per Prælati authoritatem. Hinc & ſancti Anſelmi Epiſtola ad rem non facit. Guilielmum enim Electum nulla violentia, ſed ſola prece adgreſſus fuit Rex Henricus, ideoque citra fundatam Simoniæ ſuſpicionem ejus poſtulata non poterant impleri.

Huc etiam ſpectat illa Simonia, adverſus quam in litteris ad univerſos Hiſpaniarum Epiſcopos ſcribit Hormiſda Pontifex: *Nec hanc partem ſollicitudinis & admonitionis omittimus, ne vel ille ſe à culpa æſtimet alienum, qui etſi ipſe quidem à redemptione liber initiaverit benedictione myſtica Sacerdotem, & tamen ad alterius redempti voluntatem vel ſponte in hoc vel neceſſitate conſenſerit. Quid prodeſt illi ſuo errore non pollui, qui conſenſum præſtat erranti? Proculdubio contra mandata committit, & qui habet peccatum proprium, & qui ſequitur alienum. Incaſſum animus reſiſtit cupiditati, ſi non reſiſtit & timori.* Partim Arianis Gothorum Regibus parebat tunc Hiſpania, partim Romano Imperio, cujus ruina per Miniſtrorum, ſacra & profana vendentium, avaritiam cæpta fuit & conſummata. Per eoſdem tunc Epiſcopalium electionum procurationes credo fuiſſe venditas, atque Metropolitas, aut potius ad eorum adhuc poteſtatem ſpectantes provinciales Epiſcopos, neceſſitate & vi adductos ad ſimiles Electos conſecrandos. Hinc enim in iiſdem litteris Pontifex mandat Metropolitis, ſortis ſeu regni diviſione non obſtante, ſuam in his rebus plenam vigere ac manere poteſtatem. Rectè item damnat iſtorum Electorum conſecrationem: Erat enim conſecratio hominis hæretici, à cujus capitis contactu pluſquam à ſpinis abſtinendum eſſe novit omnis Chriſtianus. Romanorum miniſtrorum violentia cogebat ad opus naturâ malum, ideoque moriendum potius erat Epiſcopo quam ad illud concurrendum. Iniquæ vexationis redemptio nullum hic habebat locum.

Ep. 25. c. 2.

Altera quæſtio eſt, quo loco habendus ſit Cardinalis Gratianus, poſtea Gregorius ſextus Pontifex de quo in Epitome Siffridus Presbyter Miſ-
Anno nenſis: *Tantùm Schiſma in Eccleſia fuit, ut tres in ſummos Pontifices electi*
1040. *eſſent, quos tandem Gratianus Presbyter, pecuniâ magnâ eis datâ, induxit ut cederent, & ſic ipſe electus eſt. Imperator Henricus tertius pro tanto Schiſmate ſedando Romam properans, apud Sutrium Urbem habuit Gratianum obvium, qui ei coronam auream obtulit, ut eum propitium haberet. Cæſar primo cuncta diſſimulans, convocata Synodo, Gratianum, qui & Gregorius dictus eſt, de Simonia convicit, & eo amoto Suigderum Bambergenſem Epiſcopum ſubſti-*
Lib. 6. c. *tuit, qui Clemens ſecundus dictus eſt.* Sutrienſis igitur iſta Synodus, Hen-
32. ricus Imperator, ac Presbyter Siffridus cenſuerunt dubiæ electionis Epiſcopum per pecuniam ſeu Eccleſiaſticam penſionem ad cedendum induci non poſſe ſine Simonia. Quod namque Gratianus Cardinalis Benedicto nono & Silveſtro tertio, de Papatu contendentibus, non de propria, ſed de ſancti Petri ſubſtantia penſiones in ceſſionis ſolatium aſſignaverit, diſertè teſtatur in generali hiſtoria Otto Epiſcopus Friſingenſis.
Anno Ejuſdem opinionis fuiſſe videtur Hermanus Contractus: *Romani Bene-*
1044. *dictum Papam multis criminatum ſede ſua pellunt, & Silveſtrum tertium quemdam in ejus locum ſtatuunt, quem tamen poſtea Benedictus, quibuſdam ſibi faventibus, excommunicatum depulit, ſuæq; ſedi redditus ſeipſum poſtea privavit, & alium pro ſe*, utique Gregorium ſextum, *ob avaritiam con-*
Anno *tra Canones ordinavit.* Et infra: *Rex Henricus juxta Natalem Domini non*
1046. *longè ab Urbe Roma apud Sutrium Synodo acta, cauſaq; extraneorum Pontificum diligentius ventilata, Gratianum Papam convictum Baculo Paſtorali privavit.* Et in ſancti Henrici Imperatoris, quam ex Reddorfienſis Monaſterii Archivis publicavit Jacobus Gretzerus, vitâ Nonnoſius Mona-
Cap. 16. chus: *Suigderum ſanctum Bambergenſem Epiſcopum Henricus Rex tertius, tribus invaſoribus Apoſtolicæ Sedis dignè & juſtè exploſis, catholicum & legitimum Papam conſtituens Clementem ſecundum appellavit.* Et ipſe ibidem in litteris ad Bambergenſem Eccleſiam Clemens ſecundus: *Ecce, cum illud caput mundi, illa Romana Sedes hæretico morbo laboraret, ut hujuſmodi ægritudinem propulſares, exploſis tribus illis, quibus nomen Papatus rapina dederat, dignatio cœleſtis gratiæ noſtram mediocritatem elegit.* Lambertus item Schafnaburgenſis: *Rex Henricus tertius Domini Natalem Romæ celebravit, ubi tribus depoſitis, qui Sedem Apoſtolicam contrà regulas invaſerant, Suigderum Bambergenſem Epiſcopum conſtituit Vicarium Apoſtolicum.* Tres ergò iſti intruſi ac Schiſmatici Pontifices non fuerunt à Gregorio diſtincti, ſed erat is omnino unus ex ipſis. Porrò Benedictus no-
L. 1. Ep. nus erat Benedicti octavi & Joannis decimi octavi Germanorum fra-
9. trum, ac Sedis Apoſtolicæ invaſorum, ſucceſſor & nepos, puer decem

anno-

Digitized by Google

annorum, qui quomodò poſt mortem apparens æternam ſuam damnationem revelaverit, edicit in litteris ad Nicolaum ſecundum Pontificem ſanctus Petrus Damiani.

At longè aliter hic ſentit de Gregorio ſexto. Etenim prima ejus Epiſtola eſt ad laudatum Gregorium, vocans ſanctiſſimum Papam & adjungens: *Lætentur cœli, & exultet terra, & antiquum ſui juris privilegium ſe recepiſſe ſancta gratuletur Eccleſia.* Sub illo & per illum ceſſaſſe dicit perverſæ negotiationis commercium, eliminatum Simonem & Giezi, reparari aureum Apoſtolorum ſæculum, non amplius vendi columbas, reflorere Eccleſiaſticam diſciplinam. Ab ipſo expurgari ſupplicat Ecſias Piſaurenſem, Fanenſem, & Caſtellanam, ut erat expurgata Romana. Ejuſdem Gregorii grandia in Romanam ac omnem Italicam Eccleſiam, atque Eccleſiaſticam diſciplinam merita largè deſcribit in ſecundo de Anglorum Regibus libro Guilielmus Malmesburienſis. Ejus cum Benedicto & Silveſtro Pſeudo-pontificibus Acta edicit Glaber Rudolphus, & pergit: *Tunc cum conſenſu Romani populi atque ex præcepto Imperatoris ejectus eſt è Sede Benedictus, & ejus loco ſubrogatus eſt religioſiſſimus ac ſanctitate perſpicuus Gregorius, natione Romanus, cujus bona fama, quidquid prior fœdaverat, in melius reformavit.* Et Ottho Friſingenſis Epiſcopus: *Ob ea cives Romani Gratianum Presbyterum, tamquam Eccleſiæ Dei liberatorem, in ſummum elegerunt Pontificem, & mutato nomine Gregorium vocaverunt.* Fuiſſe injuſtè depoſitum ſcripſit diſertè ad Henricum Auguſtum Wazo Epiſcopus Leodienſis. Magnus ille Wazo, poſt mortem meritus hoc Epitaphium: *Ante ruet mundus, quam ſurgat Wazo ſecundus.* Exſtat Epiſtola apud Anſelmum ejuſdem Eccleſiæ Canonicum. Idem ſemper cenſuit Gregorius ſeptimus, qui optimum Pontificem in Germaniam ab Henrico Imperatore relegatum ſuâ ſponte ſecutus eſt, ipſi ad mortem uſque adhæſit, & in ejus poſtea memoriam curavit ſe ex Hildebrando vocari Gregorium, non ſextum, ſed ſeptimum, quo ipſum oſtenderet fuiſſe legitimum Pontificem. Quare illum Romæ in Papatu defunctum errat Guilielmus Malmesburienſis. Liber Pontificalis ait illum non fuiſſe depoſitum à Synodo Sutrienſi, ſed ſpontaneo pacis amore, ad ſancti Gregorii de Sede Conſtantinopolitanâ exemplar, renuntiaſſe. Verùm omnes, & pro illo, & contra illum jam adducti auctores affirmant dejectum. Etiam Wazo Leodienſis. Interim qui Celeſtinum quintum exiſtimarunt fuiſſe primum Papatus renuntiatorem, & de illius renuntiationis validitate diſputantes turbarunt Eccleſiam, fuerunt omnino hallucinati. Nam etiam Joannem decimum octavum, à fratre Benedicto octavo jam defuncto terribiliter monitum, ſponte renuntiaſſe ſcribit in laudatâ ad Nicolaum ſecundum Epiſtola S. Petrus Damiani.

Lib. 6. c. 32.

C. 106.

L. 1. Ep. 9.

Neque nobis adverſantur Sutrienſis Synodus, Henricus Imperator, Siffridus Preſbyter, Hermannus Contractus, aut Lambertus Schafnaburgenſis. Damnant innoxium Pontificem Gregorium, non quod Benedictum & Silveſtrum per pecuniam & Eccleſiaſticas penſiones ad ſimpliciter cedendum, ſed ad ſibi cedendum Papatum, & ejus electionem procurandam induxiſſet. Et hinc nequaquam Benedictum uti innoxium repoſuit, ſed unà cum Gregorio, uti Giezi cum Simone, dicta Synodus degradavit. Non Simoniam ſolummodo expulit, ſed etiam Romanum Clerum & populum à variis indiſciplinatæ vitæ libertatibus correxit Gregorius: Tetigit montes, & illi fumigarunt. De palliata per purgandæ, & pacificandæ Romanæ Eccleſiæ fucum, in ſui commodum & exaltationem Simoniâ illum accuſarunt, ſuamque calumniam Synodo & Principi perſuaſerunt. Hinc optimus Pontifex dicitur, utique per teſtes iniquos & falſos, fuiſſe convictus. A ſuis ipſis electoribus paſſus eſt iſtud ipſum, quod poſteà Urbanus ſextus. Et quod Joannes Abbas Malmesberienſis, qui Stephanum Anglorum Regem ad Abbatiam à commendæ miſeriâ liberandam, & avito Canonicæ electionis privilegio reddendam pecuniâ induxerat, atque ita à fratribus benefi-
Fol. 185. cium agnoſcentibus fuerat electus, paſſus fuit ab Henrico Vintonienſi Epiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato, de quo Guilielmus ejuſdem Cœnobii Monachus: *Legatus probavit cauſam, improbavit perſonam. Nullo enim modo menti ejus perſuaderi poterat, Regem præter pecuniæ dationem electioni conſenſiſſe.* Non pro ſola Monaſterii libertate, ſed etiam pro perſonæ electione credidit munera militaſſe. Quod porro dubiæ, imò & palàm Schiſmaticæ, aut etiam palàm certæ electionis Pontificem liceat ex cauſis ad ſimplicem ceſſionem promiſſis penſionibus inducere, aut etiam cogere, lucet ex Conſtantienſi Synodo, quæ ità induxit Gregorium duodecimum, legitimum Pontificem, idem Joanni vigeſimo tertio, & Benedicto decimo tertio, ſi obediſſent, præſtare parata.

Aliam adhuc facti in hâc materiâ ſpeciem refert de Urbano quinto
Fol 313. Pontifice magnum Belgii Chronicon: *Fertur Abbas Eccleſiæ ſancti Pauli Romæ dicto Papæ magnam ſummam florenorum obtuliſſe, ut ad Cardinalatum promoveret, Papam verò accepiſſe oblationem, & de eâdem reparaſſe Eccleſiam ſancti Pauli, relicto Abbate in ſuo ſtatu ſine promotione. Sicque factum eſt, ut Papa de dicti Abbbatis pecuniâ faceret, quod ipſe Abbas facere debuit.* Factum laudatur. Et hinc quæritur, an à quovis ſimili Simone liceat cuivis ſimili pio dolo pecuniam accipere, & piis cauſis applicare? Reſpondeo licere ſolis Prælatis, valentibus ſimiles, quibus Canonum pœna needum debetur, criminoſos ex arbitrio caſtigare. Privatus hic nihil poſſit, niſi acceptam pecuniam tradere in manus Prælati. Et hinc

lauda-

Digitized by Google

laudatus Urbanus, non ſolum in ſancti Pauli, quam ex juſtitiâ reparare tenebatur iſte Simon, Eccleſiam, ſed & in quemvis alium pium uſum potuerat iſtud ſanguinis pretium impendere. Burdinum Bracarenſem Epiſcopum, dum pro Toletana Cathedra offert pecunias, eodem modo fuiſſe à Paſchali ſecundo tractatum refert ac laudat Rodericus Toletanus. Lib. 6. c. 28.

# CAPUT III.

## *Exponitur triplex munus, per quod committitur Simonia.*

QUidam hodiè opinantur ad Simoniam requiri pecuniæ vel æquivalentis corporis promiſſionem aut donationem. Errant toto cœlo. Etenim de ſancto Gregorio Magno ſcribit in ejus vitâ Joannes Romanæ Eccleſiæ Diaconus: *Aſtuta turpiſſima cupiditatis iniquitas non ſufferens ſe tantis Paſtellatici commodis, licet turpiſſimis, imò periculoſiſſimis anguſtari, commentum ſatis artificioſum reperit, quo ſcilicet illos Sacerdotio ſublimaret, qui ſibi poſt conſecrationem tantò ſubjectiores eſſe debuiſſent, quantò non divino, ſed potius humano judicio ſe fuiſſe promotos ipſi procul dubio reputarent. Quapropter omnipotentis Dei Præco Gregorius in Evangeliorum tractatibus, ut ſcilicet frequentius legi vel audiri potuiſſet, diſputat errorem redarguens & damnans.* Fecit id in quartâ Homeliâ ſuper Evangelia: *Columbas vendere eſt impoſitionem manus, quâ Spiritus ſanctus accipitur, non ad vitæ meritum, ſed ad præmium dare. Sed ſunt nonnulli, qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen ſacros ordines pro humanâ gratiâ largiuntur, atque de largitate eâdem laudis ſolummodò retributionem quærunt. Hi nimirum quod gratis acceptum eſt, gratis non tribuunt, quia de impenſo officio ſanctitatis munus expetunt favoris. Unde benè, cum juſtum virum deſcriberet Propheta, ait: Qui excutit manus ſuas ab omni munere. Neque enim dicit, Qui excutit manus à munere, ſed adjunxit, Ab omni: Quia aliud eſt munus ab obſequio, aliud munus à manu, aliud munus à linguâ. Munus quippè ab obſequio eſt ſubjectio indebitè impenſa. Munus à manu, pecunia eſt. Munus à lingua, favor. Qui ergo ſacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non ſolum nullam pecuniam, ſed etiam humanam gratiam non requirit.* Latius hæc tradit & exponit in litteris ad Antonium Subdiaconum, Apoſtolici in Dalmatiâ patrimonii rectorem, agens de faciendâ electione Archiepiſcopi Salonitani: *Illud præ omnibus tibi curæ ſit, ut in hâc electione nec datio quibuſq; modis interveniat præmiorum, nec quarumlibet perſonarum patrocinia convaleſcant. Nam ſi quorumdam patrocinio fuerit quiſquam electus, voluntatibus eorum, cum fuerit ordinatus, obedire reverentiâ exigente compellitur. Sic fit, ut & res illius minuantur Eccleſiæ, & ordo Eccleſiaſticus non*

Margin notes: L. 3. c. 6. — L. 2. induct. 11. Ep. 22.

*non ſervetur.* Et ad Joannem Metropolitam ac Primatem primæ Juſti-
Lib. 4. nianæ: *Ne umquam ordinationes facere tentetis illicitas, ſed ſi quos ad Cle-*
Epiſt. 8. *ricatus Ordinem, vel potiorem fortè gradum promoveri contigerit, non præ-*
*miis aut precibus, ſed meritis ordinentur.* Non ſolùm præmia, ſed & preces
eſſe dicit Simoniacæ hæreſis laqueos: Quod nempè per preces promotus
L. 7. Ep. ſuo poſtea Promotori obligetur. Et in litteris ad Brunichildim Reginam
5. Francorum: *Chriſtianitatis veſtræ ſolicitudo diligenter invigilet, ut nullum ad*
*ſacrum Ordinem ex datione pecuniæ, vel quarumlibet patrocinio perſonarum pa-*
*tiatur accedere.* Preces rurſum dicit eſſe Simoniacam hæreſim, ex qua im-
Lib. 2. mineat Regni ruina. Idem docet in litteris ad Columbum neſcio cujus in
Dict. 11. Numidia Sedis Epiſcopum, & in literis ad Adeodatum ejuſdem Provin-
Ep. 47. ciæ Primatem. Fateor commendationes, preces, patrocinia poſſe ſine Si-
Ep. 48. monia, imo & ſine peccato fieri; verum rariſſimè ita fiunt, præſertim à
laicis. Non alio enim fine hi paſſim commendant, niſi ut promoto Epiſ-
copo aut Clerico dominentur poſtmodum, & precis ac patrocinii ſui ſti-
pendia conſequantur, quæ eſt plena Simonia.

Et hæc Theologia eſt antiquiſſima. Etenim Theophilum Alexandriæ
Patriarcham, quod raro viros ſenſatos & integros, ſed paſſim vitioſos,
quorum ſuffragio poſtmodum dominaretur in ſuis Synodis, Cathedris E-
piſcopalibus imponeret, graviter arguit in Dialogo cum Theodoro Ro-
manæ Eccleſiæ Diacono de geſtis ſancti Joannis Chryſoſtomi, & dam-
nat Palladius Epiſcopus Helenopolitanus. Et ad Italiæ ac Galliæ Epiſ-
copos ſcribit ſanctus Baſilius Magnus: *Multa apud nos* per evectos ab
Ep. 63. Euſebiana Ariandorum factione Epiſcopos *peccandi libertas patet. Nam*
*qui favore humano ad imperium devenerunt, eodem ipſo favoris gratiam*
*implent. Non liberè loquuntur. Nam qui per homines ſibi ipſis poteſtatem ac-*
*quiſierunt, ſervi ſunt eorum, quorum favore adjuti ſunt.* Ejuſdem cri-
minis, & ſuarum per ipſum in Epheſina Synodo expletarum cogitatio-
Ep. 28. c. num, etiam ſanctus Cyrillus Alexandriæ & Joannes Antiochiæ Pa-
2. triarcha ſeſe mutuo accuſarunt. Epiſcopalem electionem, uti non pre-
tio emi, ita nec obſequentis operibus poſſe quæri ſcribit etiam Hormiſ-
da Pontifex ad univerſos Hiſpaniarum Epiſcopos. Et in Apoſtolicorum
Actorum Commentariis ſanctus Joannes Chryſoſtomus: *Cogita quid*
*acciderit Simoni. Quid enim refert, ſi non das pecuniam, ſed pecuniæ loco*
*adularis, ſubornas, multa machinaris? Pecunia tua tecum ſit in perditionem,*
*ad illum dictum eſt; & his dicetur: Ambitio tua ſit tecum in perditionem,*
*quoniam putaſti ambitu humano poſſideri donum Dei.* Et in primo adver-
ſus Jovinianum libro ſcribit ſanctus Hieronymus: *Quidam Pontifices*
Cap. 19. *Divitum obediunt Juſſioni, quodque his pejus eſt, illis Clericatus donant*
*gradum, quorum ſunt obſequiis deliniti.* Et in Iſaiæ Prophetæ Commen-
tariis:

tariis: *Non eſt peccatum leve mittere margaritas ante porcos, & dare Sanctum canibus, & Ordinationem Clericatus nequaquam Sanctis & in lege Dei doctiſſimis, ſed aſſeclis ſuis tribuere, & vilium Officiorum miniſtris, quodque his dedecoroſius eſt, muliercularum precibus.* Et in Apoſtolicæ ad Titum Epiſtolæ commentariis: *Cernimus plurimos hanc rem,* Clericalem promotionem, *beneficium facere, ut non quærant eos in Eccleſia columnas erigere, quos plus agnoſcant Eccleſiæ prodeſſe, ſed quos vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis deliniti, vel pro quibus Majorum quiſpiam rogaverit, & ut deteriora taceam, qui ut Clerici fierent muneribus impetrarunt.* Eos præſertim taxat Epiſcopos, qui ſuos famulos ſeu quoſvis in ſacra aut profana re mercenarios miniſtros remunerant Eccleſiaſtico gradu. C. 57. C. 1.

Quæ omnia eſſe Simoniaca, ſolidè oſtendit in litteris ad omnes ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales Epiſcopos, & in litteris ad Bonifacium Cardinalem Epiſcopum Albanenſem ſanctus Petrus Damiani: *Tria dicuntur eſſe munerum genera, ſcilicet munus à manu, munus ab obſequio, munus à lingua. Et munus quidem à manu pecunia, munus ab obſequio obedientia ſubjectionis, munus à lingua eſt favor aſſentationis. Sed ſi ritè conſiderentur hæc tria munerum genera, in eo, quod medium ponitur, & primum ſimul & tertium continetur. In obedientia quippè ſubjectionis & munus à manu, quod eſt pecunia, & munus à lingua, quod eſt favor adulationis, ſubſequenter agnoſcitur. Quis enim manifeſtius approbatur pro adipiſcendis honoribus præſtare pecuniam, quam is qui tot expenſas utendo vehiculis, tot facultatum ſummas in acquirendis pretioſarum veſtium prodigit ornamentis? Eoque ſuperat eum, qui pecuniam ſemel appendit, quia non contentus ſolummodo facultates expendere, ſemetipſum quoque non dubitat tamquam ſervum Domino vendititium ſubjugare. Jam verò quis ambigat eum, cum datur occaſio, favorabilibus Dominum ſuum verbis oblinere, ut eum blandâ poſſit adulatione mulcere? Ut ejus animum capiat, quid ei magis placeat, callidus obſervator explorat. Oculis gliſcit, geſtibus innuit, feſtivitatem ſereni cordis ore prætendit. Pendet ad nutum, ut ſic Herile præceptum, tamquam per Sibyllinum os Phœbi præſtoletur Oraculum. Ire jubetur, evolat; ſtare præcipitur, ſilicem repræſentat.* Agit in Clericos Palatinos, qui Regum aut aliorum Principum perſonas, aulas aut caſtra ſequuntur, eis mira promptitudine & propriis ſubindè expenſis ſerviunt, & omni adulationis forma placere conantur, ut quempiam tandem Epiſcopatum, Abbatiam, aut aliud Eccleſiaſticum beneficium, uti fidelis ſervitii mercedem, conſequantur. Eos eſſe non ſolummodo Simoniacos, ſed omnium Simoniacorum peſſimos laudatus Petrus conſtantiſſimè affirmat. Neque enim dumtaxat unica, ſed omni ſingulorum trium munerum ſpecie & ſcabie laborant. Pro munere donant L. 2. Ep. 1. & 3. L. 1. Ep. 13.

L. 6. Ep. 17. ſemetipſos. Quæ omnia docet etiam in litteris ad Alexandrum ſecundum Pontificem, & in litteris ad Aripandum Monachum, & in laudatis ad omnes Cardinales Epiſcopos litteris addit: *Quam ſui afferent excuſationem, qui licet verbis non contraxerint venalis pacta commercii, operatione tamen, non uno, ſed omnibus his probantur laqueis irretiti? Verumtamen jactant ſe, & eo gloriantur innoxios, quia nullam talenti ſummam pro ſuſcipiendis honoribus ſe pepigêre daturos. Sed dic mihi, ô Clerice, quiſquis es, ſi redempto quolibet aureo vaſe vel prædio diſtractor exigeret, ut retenti apud te vice pretii ſibi ſedulitatis ejuſmodi impendium exhiberes, numquid non poſtmodum conſtanter aſſereres te, quod acceptum eſt, juſto pretio comparaſſe? Non videlicet quia pecuniam perſolviſti, ſed quia ſervitium præbuiſti. Diceres enim, & fortaſſis non impudenter adſtrueres, Carius emi dum tanto me labore vexarem, dum toties facultatum mearum ſumptus expenderem, quam ſi ſemel præfixæ quantitatis pecuniam numerarem. Nequaquam ergo ſibi innocentiam ſpondeant, & à Simoniacæ hæreſeos maculis ſe mundos eſſe confidant, qui licet metalla vibrantia non appendant, pretium tamen pro ſuſcipiendis honoribus per ſubjectionis & obſequii quaſi quædam talenta perſolvunt.* Idem ipſe error etiam hodie graſſatur. Quidam, quia neque pecuniam dederunt, neque obſequii pacta inière, & ſeſe & beneficii Patronum aut Collatorem exiſtimant innoxios. Sed reſpondendum illis, quod ipſo ad Patronum, Collatorem, vel etiam mediatorem obligandum aut inducendum facto opere ſint pacti & ſtipulati. Nec poſſint diffiteri. Nam in ſuis ad ipſos precibus omnia ſuorum obſequiorum merita loquaciſſimè exaggerant, & illis in mercedem expoſtulant Eccleſiaſticam dignitatem.

Et hanc Simoniam, non minùs quam pecuniariam, Patres olim puniverunt. Etenim Remigium Lincolnienſem Epiſcopum, *Quod pro auxiliis Guilielmo primo Anglorum Regi venienti in Angliam præbitis factus eſſet Epiſcopus, divinum munus bellicoſis laboribus nundinatus*, fuiſſe baculo & annulo ſpoliatum à ſancto Lanfranco Cantuarienſium Archiepiſcopo, & plenè degradatum teſtatur Guilielmus Malmesberienſis. Fol. 213. Guilielmus Nortmandiæ Dux Angliæ regnum per Eduardi Regis mortem vacans, & à quodam Haroldo occupatum, ex Alexandri ſecundi Pontificis auctoritate ſibi per arma vindicarat, ei Remigius Monachus, uti juſtam agenti cauſam faverat, & ex Nortmandia fuerat cum ſpe à victore Epiſcopatus conſequendi comitatus & obſecutus, uti refert etiam Joannes Bromptonus Abbas Jornalenſis. An. 170. Hinc degradatum nec ad Regias preces reparare voluit laudatus Alexander Pontifex, ſed tradidit arbitrio Lanfranci. Etiam neſcio quem Hiſpanum Clericum, quod *cuidam, qui manum ei fecit imponi, promiſerat & exhibuerat annuum ex pacto*

*ſervi-*

Digitized by Google

*ſervitium, quaſi non ingratus gratiæ*, ad degradationem poſtulavit Toletanus Archiepiſcopus, *quod munus ab obſequio peraquè ac munus à manu in hoc ſacro contractu reprobetur.* Ex ſimplicitate & ignorantiâ deliquerat, ideoque interceſſionis auxilium ipſi detulit Stephanus Epiſcopus Tornacenſis. Divinas in taliter promotum Bononienſem Epiſcopum plagas refert in litteris ad Bonifacium Cardinalem Epiſcopum Albanenſem ſanctus Petrus Damiani. Euphemium item & Thomam, qui pro deferendâ Anaſtaſii Epiſcopi ſui accuſatione, munere pravi obſequii, acceperant ſacros Ordines, degradavit uti Simoniacos, & perpetuum ſine reparatione ſic manere juſſit ſanctus Gregorius Magnus. Ep. 51 L. 4. Ep. 51.

Huc etiam ſpectat illa Simonia, quam in litteris ad Hugonem Lugdunenſis Eccleſiæ Primatem habet ſanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis. Ep. 60. Lugdunenſis provincia in Romano olim Imperio fuit vaſtiſſima: Comprehendit Lugdunenſem, Rothomagenſem, Turonenſem, Senonenſem, ac Pariſienſem. Conſtantinus Magnus diviſit in duas, Rothomagum exaltans in Metropolim: Ambas Theodoſius Magnus, aut ejus filius Gratianus rurſum diviſit, exaltans civitates Turonenſem ac Senonenſem. Ità fuerunt quatuor Lugdunenſes. Quinta, cujus Metropolis eſt Pariſium, noſtro tempore per Romanam Eccleſiam ad preces Regias acceſſit. Porrò Gebuini Lugdunenſis Archiepiſcopi merita & labores honorare volens Gregorius ſeptimus, dictas quatuor provincias ei uti Primati ſubjecit, uſus titulo antiquæ unionis. Qua dignitate ac poteſtate Gebuini ſucceſſor Hugo potenter eſt uſus. Etenim Daimbertum, Senonenſis Eccleſiæ Metropolitanæ Electum, non dumtaxat confirmandum à ſe voluit, ſed & in propriâ perſonâ venire Lugdunum, & ſibi tamquam Primati ſolemniter profiteri. Oppoſuerunt ſe Conprovinciales Epiſcopi, præſertim ſanctus Ivo provinciæ Protothronus, aſſeverans Primatiali dignitati non eſſe iſtud evocandi jus, & adjungens: *Si his exactionibus Daimbertus cederet, diceretur munere linguæ vel officii ſuam comparaſſe conſecrationem.* Evocationem iſtam dicit eſſe indebitam ſervitutem, ideoque ſine Simoniâ nec à Primate poſſe exigi, nec ab Electo præſtari. Omne enim indebitum officium eſt munus.

Ex eodem principio ad laudatum Ivonem ſcribit Goffredus Abbas Vindocinenſis: *Profeſſum veſtrum me vocaſtis. Satis melius fuiſſet, ut à vobis ſacratum dixiſſetis. Quod etſi pro conſecratione profeſſionem, & pro profeſſione ab Allodiario ſancti Petri ſubjectionem vobis vindicaſtis, conſecrationem utique illam gratis minimè impendiſtis. Non enim gratis impenditur, per quod homo homini ſubjectus efficitur. In profeſſione ſiquidem illa conſilio veſtro nimiâ ſimplicitate acquievi. Ubi ſi quid aliter actum eſt, vos ſcienter feciſtis, ego ignoranter peccavi. Sed Dominus noſter honorabilis memoriæ Papa* L. 2. Ep. 7.

*Urbanus ſecundus, cum per nos tranſiret, audivit à fratribus, me vobis profeſſionem feciſſe. Unde columbam ſeductam cor non habentem me dicens, & vehementer increpans, illud veraciter mihi pro crimine imputaſſet, ſi ignorantiæ meæ ac juventuti miſericorditer non pepercitſſet. Quæ verò ſuper hoc contra vos protulerit, pro reverentiâ veſtri ordinis melius eſt inde ſilere, quam loqui. Igitur quod illicitè commiſeram, irritum fecit. Et ne deinceps Abbas Monaſterii noſtri cuiquam Epiſcopo profiteatur, privilegii ſui irretractabili*
Epiſt. 11. *firmitate prohibuit.* Et in aliâ ad eundem Ivonem ſcribit Epiſtola: *Quod iterum aſſeruiſtis Romanam Eccleſiam à Deo nullam injuſtam accepiſſe poteſtatem, ita eſt planè.* Cum Ivone fatetur ac profitetur Romanæ Eccleſiæ nullam eſſe poteſtatem, niſi ſolvendi ſolvenda, & ligandi liganda, atque ſubjungit: *Proinde mirandum non eſt, ſi illa benè ſolvit, quod vos malè ligaſtis. Profeſſio, quam à me adhuc juvene & novitio extorſiſtis, regularis minimè fuit, eamq; feciſſe peccatum exſtitit, & accepiſſe irreligioſum. Nam ſi pro benedictione, quam omninò gratis dare debuiſtis, uſurpaſtis profeſſionem, & in profeſſione ab Allodiario beati Petri exigitis ſubjectionem, profana fuit illa profeſſio, & ideò non tenenda, quoniam ſubſequens benedictio, quam exhibuiſtis, navicularia potius videtur, quam gratis data, quandoquidem pro illâ temporalem mercedem cum fidei Chriſtianæ injuriâ exigere non erubeſcitis.* Rurſum proteſtatur ſe peccaſſe ex ignorantiâ per Apoſtolicam poſteà ſedem remiſſa. Quod Epiſcopi & Clerici in Monaſteriorum jura ac privilegia violenter involent, eſt calamitas antiqua. Hinc nata Monachorum ſub immediatâ Apoſtolicæ Sedis curâ & protectione exemptio, quæ amaram iſtam radicem ubique non evulſit, ſed hinc inde firmavit. Inter exempta, & ad ſancti Petri ac Romanæ Eccleſiæ Allodium ſpectantia Monaſteria fuit in Diœceſi Carnutenſi etiam Cœnobium Vindocinenſe. Sancto Ivoni id diſplicuit: Præſertim quod ejus Abbas eſſet ſeſe major, utpotè perpetuus Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Presbyter ad ſanctam Priſcam. Hinc Goffredum electum, Juvenem, ſimilium inſidiarum imperitum, niſi ſibi obedientiam & ſubjectionem profiteretur, benedicere noluit, & per neſcio quas perſuadendi artes ad profitendum ſeduxit. Varia, quam ab Ivone & ejus Clericis poſtmodum pertulit, vexatio illi aperuit oculos, didicit profeſſionem fuiſſe indebitam, ideoque & Ivonem & ſeſe Simoniacum, utpotè naviculariè & pro munere benedictum. Hinc ab Urbano ſecundo Pontifice culpæ & pœnæ veniam ſupplicavit ignorantiæ ſuæ ac juventuti, & tamquam ſeducta columba poſt vehementem increpationem impetravit: Etiam profeſſionis caſſationem. At verò Ivonem, uti doloſum hujus criminis operarium, Pontifex notavit adeò durè, ut pro ejus reverentiâ Goffredus cenſuerit id perpetuò ſilendum. Nec aliud doctiſſimus

Epiſcopus reponere ſcivit, quam Monaſteriorum exemptionem, & factarum ab exemptis etiam Monachis in Abbates benedicendis profeſſionum caſſationem eſſe res iniquas, & Epiſcopali poteſtati injurioſas, ideòque Romanæ Eccleſiæ nullam eſſe ejuſmodi poteſtatem. Addidit errori errorem. Utrumque nervosè refutavit Goffredus, atque evicit Ivonem ſcienter Giezi, ſeſe ignoranter fuiſſe Simonem. Hac occaſione ſcripſit eruditum iſtud opuſculum de promiſſionibus, quas pro conſecratione ſub profeſſionis nomine Abbates faciunt Epiſcopis. Agit de ſolis Abbatibus exemptis, iſtaſque profeſſiones affirmat eſſe execrandas, quæ triplici Simoniæ genere contra omnem diſciplinam maculentur: *Quoniam Simonia à linguâ, Simonia à manu, Simonia ab obſequio ibi committitur. Eſt à linguâ, cum publicè recitatur illo promiſſio. Fit à manu, quando charta, quâ continetur, ſcripta ponitur ſuper altare. Fit ab obſequio, cum ipſum malè promiſſum ſubjectionis obſequium ſervatur. Qui ſic agit, forſitan dicit: Pro benedictione non quæro pecuniam. Imò ſatis amplius exigit, quia hominis perſonam. Sicut anima plus eſt quam corpus, ita corpus ſimul & anima, tota videlicet hominis perſona, multò plus eſt quam ejus pecunia.* A ſubjectis Epiſcopo Abbatibus poteſt exigi profeſſio; verum juxtà Canones. Cujuſcumque ultra ipſos obligationis exactio aut promiſſio eſt leproſa, maculatque ſecutam benedictionem. Hinc & Epiſcopi, qui Regularium, dum ad fidelis populi confeſſiones excipiendas, aut Dei verbum prædicandum approbant, litteris ultrà Canones & Romanæ Eccleſiæ Decreta limitationem apponunt, & ejus obſervantiam ſibi ſponderi, & præſtari compellunt, omnino committunt Simoniam. Etiam regulares ipſi, qui ſpondent & præſtant: Præſtant enim *malè promiſſum ſubjectionis obſequium.* Ejuſmodi promiſſionem non poſſe ſine crimine adimpleri, tradit inſigniter in litteris ad Primatem Toletanum Stephanus Epiſcopus Tornacenſis. Tamquam ſeductæ columbæ ſunt ab iſtis palam nullis & iniquis ſponſionibus per Superiores abſolvendi. Huc etiam ſpectat Anglus ille Clericus, quem, quod ſub onere cujuſdam in Romanâ curiâ promovendi negotii accepiſſet à milite beneficium, Alexander tertius apud Gregorium nonum damnavit de Simonia.

Opuſcul. 10.

Ep. 52.

L. 5. tit. 3. c. 12.

Triplex iſtud Simoniæ munus illuſtrat in ſuis ad Ludovicum Germaniæ Regem litteris Synodus Cariſiaca: *Munus à linguâ eſt favor; munus à manu, donatio; munus ab obſequio, indebita ſubjectio.* Rectè addit, *Indebita:* Non ſolum enim ſubjectio, ſed & pecunia debita paſſim poſſit ſine lepra & exigi & offerri. Dico, *Paſſim*: Quoniam qui dubii, vel difficilis debiti ſolutionem pro re ſacrâ offert vel exigit, eſt omnino leproſus. Iſtam enim facilitationem quis non videat eſſe munus? Conſonat

Cap. 12.

ſonat in litteris ad Gebuinum Lugdunenſem Archiepiſcopum Grego-
L. 6. Ep. 34. rius ſeptimus Pontifex : *Munus à manu eſt, ut nullum pretium prorſus à ſe vel ab aliquo tribuatur. Ab obſequio, ut nihil inde ſervitii faciat, ſicut quidam intentione Eccleſiæ prælationis potentibus perſonis ſolent deferre. A linguâ, ut neque per ſe, neque per ſubmiſſam perſonam preces effundat.* Loquitur ex ſuâ quintâ Romana Synodo : *Ordinationes, quæ interveniente pretio, vel precibus, vel obſequio alicujus perſonæ eâ intentione impenſo fiunt, infirmas & irritas eſſe judicamus.* Quod in ſuâ Melfitanâ Synodo
Cap. 1. firmavit Urbanus ſecundus : *Ne quis dato vel promiſſo pretio, vel ſervitio eâ intentione impenſo, vel precibus Epiſcopalem nitatur aſſequi dignitatem.* Extendit ad omnem Eccleſiaſticam dignitatem atque officium, affirmatque eſſe doctrinam Sanctorum Patrum. Quare & adulatio, & favoris ſeu obſequiorum loquax oblatio, & quovis ſimili peccatoris oleo perunctæ preces ſunt munus à linguâ. Eſſe non oportet ex numero illorum, de quibus ad Richardum Albanenſem Epiſcopum, ac in Gallia Cardinalem Legatum ſcribit ſanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis :
Ep. 133. *Sunt quidam, qui infamiam ſuam non aliter ſe poſſe velare arbitrantur, niſi famam bonorum lædere, & vaſa ſincera incruſtare moliantur, qui aliâ de causâ Simoniam non reprehendunt, niſi quia Simoniaci eſſe non poſſunt, cum alii in Eccleſia aſſequuntur, quod iſti præpedientibus quibuſdam incurſionibus aſſequi non merentur.* Hinc non ſimplices, ſed ſolas præfato peccatoris oleo perunctas preces quidam volunt eſſe munus à linguâ. Et quod eo perungi ſoleant preces omnes, generatim omnes à Patribus & Canonibus paſſim de Simoniâ notari. Interim etiam ſimplices, licet fortaſſe non ſint munus, fatentur palam ambitioſas, ideoque graviter culpandas. Quidam tamen volunt & à noſtro Gregorio & ab omnibus antiquis Patribus ſimplices etiam preces de munere damnari. Etenim beneficium quovis modo poſtulare eſt libertatem vendere, eſt ſubire ſervitutem, eſt ſeipſum obligare, adeoque & munus offerre. De obſequii munere Gregorius item & Urbanus ſecundus rectè dicunt, *Eo fine impenſum* : Etenim ad Simoniam requiritur explicitum aut implicitum pactum, id eſt, intentio permovendi ad rem ſacram largiendam.

Etiam aliud beneficium, imò & aliud Sacramentum, poſſit eſſe damnatum Simoniæ pretium. Etenim Oxomenſem Epiſcopum, qui Archi-diacono beneficium, & cuidam Clerico Prioratum pro dando ſibi ſuffragio promiſerat, ipſoſque etiam ſuffragii venditores, à Me-
Cap. 11. tropolita Toletano damnari de Simonia mandat laudatus Pontifex Alexander. Ejuſmodi pacta damnat graviſſimè, & à Romani præſertim Pontificis electione, & eam peragentibus Dominis Cardinalibus
abeſſe

abeſſe longiſſimè ſtatuit in Lugdunenſi Synodo etiam Gregorius decimus. Longiſſimè propelli debent à generalibus item ac provincialibus Regularium Capitulis & Electionibus: Sunt peſſima Simonia, ab electis iſtâ viâ Prælatis abigunt Spiritum ſanctum, ipſorum benedictiones vertunt in maledictionem, ac non unum duntaxat aut alterum Monaſterium, ſed integras provincias implent interminabilibus diſcordiis, omni diſciplina ſpoliant, Eccleſiæ miniſterio reddunt inutiles, immò & nocivas. Ex eodem principio Clericum eo pacto ab Epiſcopo ordinatum, *quod ſuper proviſione ſua non inquietabit eumdem*, Simoniacum definit Gregorius nonus. Iſtius namque inquietationis Clericus habet jus, ideoque ipſi ſine Simonia non poteſt in iſto caſu renuntiare. Si ſimilia fiant de aliis etiam ultrò citroque dandis ac recipiendis Sacramentis pacta, eadem lepra omninò laborabunt. L. 5. tit. 3. c. 45.

## CAPUT IV.

### *Quæſtiones aliquot expediuntur.*

QUæſtio prima ſit, An res ſacra, quæ ſit Simoniæ materia, debeat eſſe Sacramentum, aut aliquid Sacramentale? Partem affirmativam ſuprà ſecuti ſunt Capellani Godofredi Lotharingiæ Ducis, in Epiſcopalibus ac aliis Eccleſiaſticis beneficiis ſpirituale Sacramentum ſecernentes à jure temporalium, volenteſque iſtud ſolum eſſe Simoniæ ſubjectum. Error eſt ſuprà abundè refutatus. Refutarunt ipſum etiam magna Chalcedonenſis & ſecunda Nicæna Synodus, rigidiſſimè vetantes pretio dari non ſolùm ſacros Ordines, ſed & temporale officium Eccleſiaſtici Diſpenſatoris, Manſionarii, aut Defenſoris, omnemque iſtam dationem atque acceptionem damnantes de Simonia. Laicus Patronatus tunc necdum erat in Eccleſia: Hinc ejus Canon non meminit. Eum ad iſtum ſtatim Eccleſia extendit, aut potiùs declaravit extenſum. Et ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſcribit ſanctus Petrus Damiani: L. 1. Ep. 2. *Nec ille ſolummodò dicendus eſt Simoniacus, qui dat vel accipit de ſacris Ordinibus pretium, ſed & qui vendit Synodum, qui diſtrahit Sacerdotale judicium. Sed fortaſſe aliquis dicat: Et ille ergo, qui pro Synodali ſententia aliquid tribuit, Simoniæ crimen incurrit. Non hoc dixerim. Quia neque Naaman deliquit, dum fraudulento ſervo pro mundatoris ſui reverentia munus obtulit.* Eccleſiaſtici judicis, ſive de ſacris, ſive de civilibus rebus, ſententias vendi non poſſe oſtendit eximiè: Quod utinam à quibuſdam Epiſcoporum Officialibus, miſeram plebem ſub ſportularum fuco expilantibus, ſerio attendatur. Vexam illa redimit, ideoque patitur ini-

qui-

Digitized by Google

quitatem, non facit. Antiqua Patrum Lex Eccleſiis ac Monaſteriis, non habentibus aptam Prælato perſonam, permittit eligere aut potiùs poſtulare de aliena Eccleſia aut Monaſterio: Ejuſmodi enim Electum aliena Eccleſia aut Monaſterium dare non cogitur, ſed gratiosè concedit. Neſcio quod Sardiniæ Monaſterium nolebat niſi pretio concedere. Et videtur non caruiſſe fundamento. Uti enim ſervus ad Domini, ita ad Monaſterii jus ac dominium ſpectat Monachus, ideoque videtur gratis non eſſe donandus. Præſertim ſi fuerit eminens aut inſigniter utilis per-
1. q. 1. c. 2. ſona. Oppoſitum tamen reſpondit apud Gratianum, & omnem hîc exactionem de Simonia damnavit Bonifacius quartus: Quod nempe Monachus ſit res ſacra, & ad ſacrum dumtaxat ſervitium Deo conſecratus. Hinc neque quid ſacrum, neque quid ſacro adnexum poſſe vendi, meritò tradunt Doctores Scholaſtici. Niſi ſit res plenè temporalis, & ſeparabilis: Qualia ſunt ſacra vaſa ac veſtimenta, aut poſſeſſiones Eccleſiarum.

Altera quæſtio eſt, An Eccleſiaſticorum beneficiorum, ac præſertim ſimplicium officiorum nundinatio damnetur ſolo humano jure, an etiam naturali ac Divino? Doctores Scholaſtici paſſim Divini ac humani juris Simoniam diſtinguunt, omniaque iſta volunt damnari ſolo humano jure, ideoque ex cauſis poſſe per Romanum Pontificem divendi. Criminis iſtius ſuſpicione graviter olim laboravit Bonifacius nonus, ideo-
L. 2. c. 9. que Palatini Clerici ipſum purgaturi, apud Theodoricum à Niem ex iſta Theologia dixerunt Pontificem hac in re non poſſe eſſe Simoniacum, ſed ipſi ex cauſis ſimilia licere. Aliud ſenſit ejus Anti-Papa Clemens ſeptimus, cujus ad urbem Legati Bonifacio multa improperanti repoſuerunt: *Saltem Dominus noſter non eſt Simoniacus.* Eamque veritatem ſecuta eſt Conſtantienſis Synodus, damnans ac degradans Joannem vigeſimum
Seſſ. 10. tertium, *Quod Eccleſias Cathedrales, Monaſteria, Prioratusq; conventuales, & cætera beneficia Eccleſiaſtica pretio appretiato notoriè diſtribuiſſet.*
Seſſ. 11. Etiam quod Eccleſiæ vendidiſſet officia. Lucet ex variis articulis facti in ipſum proceſſus. Et ad novi Pontificis electionem proceſſura laudata Synodus, eligendum adſtrinxit ad reformandam Eccleſiam in capite & membris, ipſamque etiam Romanam Curiam in variis articulis, quorum fuit quartus decimus: *De exſtirpatione Simoniæ.* Et hæc Decreta reſpicit in opuſculo de Simonia Joannes Gerſon: *Talis Simonia noviſſimè per ſacrum Conſtantienſe Concilium judiciali ſeveritate damnata eſt in capite.* Utique Joanne vigeſimo tertio. Eam damnari dicit à jure Divino, ideoque nec in Domino Papa ex ulla cauſa poſſe purgari. Jus percipiendi temporalia, licèt temporale videatur, eſſe omninò ſpirituale cauſâ finis ac radicis, ideoque Eccleſiaſticum beneficium non magis poſſe vendi

quam

Digitized by Google

quàm officium, cui intrinſecè adnexum eſt, atque ita ejuſdem naturæ. Eam, quæ aliam Divini, aliam Simoniam adſtruit eſſe ſolius humani juris, doctrinam affirmat eſſe commentum Juriſconſultorum, Dei legem ignorantium. Ejuſdem mentis fuit in ſuis Synodis Gregorius ſeptimus, ex Domini verbo, *Gratis accepiſtis, gratis date*, ipſo Divini Juris fonte, definiens, *neque Archi-Diaconatus, neque Archi-Presbyteratus, neque aliquid, quod ad ſpiritualem curam videatur pertinere, ſeu illi eſſe connexum, poſſe dari pretio.* Eſſe Divini Præcepti addit in litteris ad Henricum Epiſcopum Spirenſem. Et Godofredi Ducis Capellanos, non ut humani ſolummodo, ſed & ut Divini juris everſores tractavit ſanctus Petrus Damiani. Et in litteris ad Lucenſem Eccleſiam Alexander ſecundus, ac in litteris ad Lucium ſancti Juventii Ticinenſis Præpoſitum Urbanus ſecundus, Præbendarum & Eccleſiaſticorum ad temporalia ſpectantium officiorum venditionem damnantes de Simonia, ſolis utuntur Divinis ſcripturis, & Canone Chalcedonenſi. A Simone Mago, quem conſtat impegiſſe in jus Divinum, aiunt non ipſam virtutum gratiam, ſed ſola ejus temporalia emolumenta fuiſſe poſtulata ad mercatum. Et ipſe, omnium primus in Simoniam, Chalcedonenſis Canon jus Divinum ac avitam Eccleſiæ pietatem ſolummodò innovat, atque ita etiam Eccleſiaſticorum beneficiorum, & ad temporalia ſpectantium officiorum nundinationem, quam damnat ac punit, ſupponit Divino juri repugnare. Eadem eſt ratio plurimorum ſubſequentium Canonum: Statuunt in ambitioſos, quorum nemo unquam onus ſeu officium, ſed Epiſcopalem dumtaxat honorem ac opulentiam mercari voluit, ipſoſque aſſiduè clamant eſſe Divini juris prævaricatores. Quiſquis beneficiorum nundinationem ſolo poſitivo jure damnari credit, etiam aſſerere debet ante Eccleſiæ Canones nullam iſtic fuiſſe Simoniam: Quod ſanè horrendum eſt atque profanum. Etenim ante omnem de hac re Canonem ſcripſit ex ſola Evangelica lege Tertullianus in libro Apologetico: *Præſident nobis probati quique Seniores, honorem illum, non pretio, ſed teſtimonio adepti. Neque enim pretio ulla Dei res conſtat.* Quod præſidendi honor ſit non ſolum regendæ Eccleſiæ, ſed & percipiendi ſtipendii jus, lucidè docet Apoſtolus, de diligentioribus ſcribens Presbyteris: *Duplici honore digni ſunt.* Utrumque eſſe Dei rem aſſerit Septimius, ideoque non conſtare pretio, ſeu citra Simoniam nec vendi poſſe nec emi. Etiam Eccleſiaſtici Oeconomi, Defenſoris, ac Manſionarii officia ſunt Dei res, ideoque danda ſunt gratis atque accipienda.

L. 5. Ep. 18.

C. 39.

Quæſtio tertia eſt, An Simoniæ crimen ſemper habeat adnexam hæreſim, adeoque omnis Simoniacus ſit etiam hæreticus? Partem affirmativam ſuadere videtur in litteris ad cives Florentinos ſanctus Petrus

L. 8. Ep. 11. Cap. 35. Damiani: *Omnes hujus nefandæ hæreſeos peſte corruptos eſſe hæreticos indubitanter aſſerimus.* Et in vita ſancti Romualdi Abbatis: *Et venenata illa hæreſis, præſertim in Epiſcopali ordine, dura & ad convertendum rigida, ut ſemper promittens, ſemper de die in diem producens, atque in futurum procraſtinans. Faciliùs poſſit Judæus ad fidem converti, quàm hæreticus Latro plenè ad pœnitentiam provocari.* Agit de Epiſcopis & Canonicis ſæcularibus, qui longâ peſſimæ conſuetudinis circumſcriptione cœcati exiſtimabant Præbendarum nundinationem non eſſe peccatum. Ait Canonicos ad communem ac regularem in clauſtro vitam fuiſſe inductos, atque ita correctos, Epiſcoporum verò nec unum potuiſſe converti. Ejuſdem Sententiæ fuerunt Florentini Monachi, de quibus in laudatis litteris idem Petrus: *Dicunt quia à Simoniacis Sacerdotibus nec Chriſma confici, nec Eccleſia dedicari, nec Clericalia jura conferri, nec Miſſarum ullo unquam tempore potuerunt ſolemnia celebrari.* Omnia ab ipſis ſeu data ſeu accepta Sacramenta dixerunt irrita, profana, & nulla: Quin & eorum Baſilicas noluerunt ingredi, aut ſalutare. Quod nempè hæreticos crederent, quorum omnem benedictionem Divina juſtitia haberet pro attentato, ac verteret in maledictionem. Etiam ab ipſis ſine Simonia ordinatos Clericos cenſebant hæreticos, aut certè hæreticâ communione pollutos. Loqui videntur ex ſancti Gregorii Magni ad Syagrium Auguſtodunenſem Epiſcopum, ac ſuum in Gallia Vicarium, litteris: *Be-*
L. 9. indict. 2. Ep. 112. Ep. 115. *nedictio illi in maledictionem convertitur, qui ad hoc, ut fiat hæreticus, promovetur.* Et in litteris ad Brunichildim Francorum Reginam laudatus Pontifex dat rationem: *Ubi dona Divinæ gratiæ venalia judicantur, ad Dei ſervitium non vita quæritur, ſed magis contrà Deum pecuniæ venerantur.* Abſque tali, palam hæretico, judicio non poteſt eſſe Simonia. Reſpondeo aliam eſſe mentis, aliam operis idololatriam. Etenim qui tormentorum metu, aut temporalis boni cupiditate adactus idolo contra conſcientiam thus adolet, veram quidem, ſed ſolius operis, patrat idololatriam. Poteſt & quis mente Orthodoxus voce hæreſim profiteri, poteſt & opere: Et ita facit, qui de Spiritûs ſancti & donatarum ab ipſo gratiarum dignitate rectum ſentit, & tamen humanâ libidine corruptus eadem mercatur. Hoc ſenſu omnem Simoniam Patres affirmant eſſe hæreſim.

Quarta quæſtio eſt, An Simonia ob temporalis muneris, ſeu materiæ exiguitatem poſſit, aliorum criminum more, decreſcere in peccatum dumtaxat veniale? Rationem dubitandi ſubminiſtrat in litteris ad Strigonienſem Archiepiſcopum Innocentius tertius. Et dictum Archiepiſ-
L. 5. tit. 3. c. 18. copum, & dicti Pontificis Cardinalem Legatum, qui iſtius electionem & conſecrationem dato Pallio confirmaturus, ſine equitatura per mare in

in Hungariam venerat, quod ab Archiepiſcopi fratre, viro nobili ac potenti, generoſum ſuis portandis ſarcinis equum accepiſſet, quidam accuſarunt de Simonia, conſultuſque Pontifex reſpondit apud Gregorium nonum: *In accipiendis vel dandis muneribus tria ſunt vel maximè attendenda. Perſona dantis, & accipientis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus. Qualitas perſonarum, ut à quo, & cui, videlicet an à paupere, divite, locuplete datum fuerit; æſtimatio muneris & donationis tempus, ſi magni vel minoris pretii res data exiſtat, & an inſtante neceſſitate, ſeu alio tempore conferatur. Si ergo prædictorum Cardinalis & fratris tui perſonam & qualitatem penſemus, non fuit magnum ab eodem fratre tuo equum unum Cardinali tranſmitti, quem etiam Joculatori non petenti vir tantus, & tam abundans fortè donaret.* Affirmat donum iſtud in perſonis iſtis fuiſſe modicum, ideoque Archiepiſcopum ab omni Simoniæ ſcrupulo mandat eſſe ſecurum. L. 5. c. 33.

Partem verò negativam ſuadet in litteris ad ſuæ Diœceſis Epiſcopos magnus Baſilius: *Ne velitis modicæ pecuniæ gratiâ idola Chriſto præferre, neque Judam ſectantes, quæſtus gratia ſecundò illum perdere, qui ſemel pro nobis cruci eſt affixus.* Epiſcopos iſtos, licet ab ordinandis Clericis pauculos ſolùm & minutos denarios acciperent, damnat tamen idololatriæ & venditi Domini, id eſt, plenæ Simoniæ. Galliæ Epiſcopos, qui à ſolis divitibus accipiebant quid modici, eodem rigore perſtringit in variis litteris Magnus Gregorius. Et ad Theodulfum Comitem, qui Parochialem ſui patronatûs Eccleſiam diſponebat pretio dare, ſcribit apud Flodoardum in Remenſis Eccleſiæ hiſtoria Hincmarus Metropolita: *Scias, quia ſi vel unum denarium tibi aliquis Clericus pro ipſa Eccleſia, vel pro aliqua alia in mea parochia, per ſe aut per immiſſam perſonam dederit, per me ordinatus in ea non erit.* Etiam in Mediolanenſi Eccleſia, ad quam quaſi ex imâ Simoniæ abyſſo liberandam fuit à Romana Cathedra legatus ſanctus Petrus Damiani, Archiepiſcopus exigebat pauculos denarios. Et plurimos, qui etiam unicum in quovis Sacramento exactum denarium de plena Simonia damnant, Canones infra ſuo loco adducentur. Et Malmesberienſis Cœnobii Electum, quod unà cum ſupplicibus pro impetranda confirmatione litteris ſcyphum miſiſſet, uti Simoniacum rejecit, & nec ad Mathildis Auguſtæ preces diſſimulare voluit ſanctus Anſelmus, aſſerens ſe non videre, *quomodo ille à culpa poſſet excuſari.* Etenim uti in re levi pejerare, ita rem ſacram vili vendere eſt grave peccatum, immò & gravius: Quia major Divinæ Majeſtatis injuria. Nam flocci fieri & vendi eſt etiam apud leges civiles inſigni ſervo turpis ignominia. Quare hæc ſententia eſt omnino vera. Ep. 70. Lib. 3. c. 26. L. 3. Ep. 120.

Adverſum argumentum exponit ipſe Pontifex Innocentius: *Quod ſcrip-*

*tum eſt, Beatus qui excutit manus ab omni munere, de illis donis dictum eſt, quæ accipientis animum allicere vel pervertere ſolent. Quoniam ſi ipſa etiam perſona Electi offerat Ordinatori ſuo vel Conſecratori electuarium, aut de vino, ſive de aliquibus hujuſmodi, quæ modici pretii fuerint, & quæ votum recipientis inclinare vel movere non debeant, non tamen Eccleſia Romana interpretari conſuevit, accipientem in his delinquere vel donantem.* Munus, quod Simoniam faciat, debet eſſe pretium, ſeu ut ſuprà à Gregorio ſeptimo ac Urbano ſecundo audivimus, dari aut accipi debet eâ intentione, ut alter ad ſpirituale retribuendum aut recipiendum inducatur. Et hinc qui tali mente non dat aut accipit, à lepra eſt purus. Hinc item quandoque ſolus donans, quandoque ſolus accipiens poſſit inquinari, & de duobus unum actum operantibus verum eſſe, quod de Lucretia Romana & ejus ſtupratore dixit in primo de Dei civitate libro ſanctus Auguſtinus: *Duo fuerunt, & unus adulterium commiſit.* Exemplum ſupra audivimus à ſancto Petro Damiani. Et lucet in innoxia iniquæ vexæ redemptione. Porrò parva munuſcula habere non ſolent generoſi animi movendi virtutem, nec ab eximiis perſonis ad iſtum finem dari vel accipi, adeoque nec inducere Simoniam. Aliter data vel accepta fœdiùs quàm grandia maculabunt. Erunt enim hæreſis in opere, ſeu externa fidei prævaricatio, quæ ob articuli læſi modicitatem non decreſcit in culpam venialem.

Quinta quæſtio eſt, An facta etiam per parentes aut alios circa alium Simonia noceat? Rationem dubitandi facit ſanctus Dominicus Loricatus, de quo ad Alexandrum ſecundum Pontificem ſcribit ſanctus Petrus Damiani: *Dominicus, cum eſſet in ſæculo Clericus, quia tunc Simoniaca vigebat hæreſis, à parentibus ejus data eſt Epiſcopo hircina pellis aluta. Hoc pavore perterritus contempſit ſæculum, induit Monachum, ardnumq́; mox Eremiticæ vitæ arripuit inſtitutum. Sed quia malè promotus eſt, donec advixit, Sacroſancti Altaris uſurpare miniſterium non præſumpſit.* Et de Malguino Nivernenſi Epiſcopo ſcribit ſancti Leonis noni Pontificis Synodus Remenſis: *Nivernenſis Epiſcopus ſurgens, pro Epiſcopio confeſſus eſt plurimùm pecuniæ fuiſſe à parentibus datum, ſe tamen ignorante, eoq́; adepto nonnulla Eccleſiaſtica religioni contraria admiſiſſe. Unde adſerebat ſe Divinæ ultionis vindictam pertimeſcere. Ideòque ſi Domino Papæ & præſenti conventui dignum videretur, idem officium velle dimittere potiùs, quàm in ejus retentione animam ſuam peſſumdare. Quæ ubi dixit, Paſtorale Pedum ante pedes ipſius Apoſtolici poſuit.*

L. 1. Ep. 19.

Pergunt de ipſo ſancto Pontifice Acta Synodalia: *Ille tanti viri flexus devotione, favente Synodo, eumdem, quod abſque ſuo conſenſu eadem pecunia data fuerit, Sacramento comprobare fecit, ſicq́; illi per aliud Pedum mi-*



Digitized by Google

*niſterium Epiſcopale reddidit.* Notanda ſunt verba: *Per aliud Pedum.* Oſtendunt iſtius Epiſcopi, quod promotio vitioſa fuiſſet ac irrita, ceſſionem fuiſſe ratam ac neceſſariam. At ejus humilitatem miſeratus Pontifex ipſum gratioſè reſtituit, ac per aliud Pedum reinveſtivit. Ita neſcio cui per parentum Simoniam promoto puero, qui ad diſcretionis annos perductus Præbendam renuntiarat, & poſtea per novam collationem denuò acceperat, reſpondit apud Gregorium nonum Clemens tertius: L. 3. tit. *Indulgentia, quam fratres tui* Canonici *tibi feciſſe noſcuntur, contentus* 5. c. 26. *exiſtas, ratione primæ receptionis nihil audeas in ipſa Eccleſia vindicare.* Primam receptionem ſeu electionem declarat fuiſſe irritam, iſtumque uti ultimum Canonicum jubet ultimo ubique loco eſſe contentum. Proindè talis Simonia, licèt ignorantis conſcientiam non maculet, ejus tamen adnullat promotionem: Sed non facit irregularem, ne quidem ad iſtud ipſum beneficium. Dico, *Ignorantis*: Etenim conſcium eſſe plenè Simoniacum, & omnibus ſubjici Canonum ac legum pœnis, lucet ibidem ex Reſcripto Lucii tertii. Cap. 23.

Duo ſunt caſus, in quibus iſta Simonia ignoranti non nocet. Primum edicit Celeſtinus tertius: *Reſpondemus, quod niſi conſtaret illos, qui pro-* Cap. 27. *miſſum tale fecerunt, per fraudem in diſpendium illius, qui eligendus erat, id malitioſè feciſſe, quamvis ipſe promiſſionis conſcius non fuerit, ejus tamen electio, tanquam Simoniacâ pravitate præſumpta, eſt penitùs reprobanda.* Dicit Simoniam, quam quis inimico in alium animo doloſè committit, non nocere. Et meritò: *Alioquin,* inquit in litteris ad Abbatem Gemblacenſem Innocentius tertius, *contingeret quod alicujus factum, inſidias ini-* Cap. 33. *mico parantis, ei damnoſum exiſteret, cui penitùs diſpliceret, & ſic aliquis de fraude ſua commodum reportaret.* Iniquitas poſſet quemvis ſupplantare. Abbatem Gemblacenſem à Colonienſi Metropolita, quod Leodienſis ſuffraganea Eccleſia vacaret, confirmatum ac miſſum in poſſeſſionem, novus Leodienſis Epiſcopus extorquendæ pecuniæ animo infeſtabat, poſtulans ad novam confirmationem, ideoque dictus Abbas, ne ulla iſti offerretur pecunia, cunctis ſuis Monachis ſub anathemate interdixerat. Eorum interim quidam, ab Epiſcopi injuriis volens quietare Monaſterium, inconſulto Abbate dedit pecunias. Et hic eſt ſecundus noſter caſus, de quo ad laudatum Abbatem ſcripſit Innocentius III. *Quamvis ſecundùm ſacrorum Canonum inſtituta etiam parvuli, qui cupidi-* L. 5. c. *tate parentum Eccleſias per pecuniam ſunt adepti, eas dimittere teneantur,* 33. *quia tamen longè diverſum eſt non præbere conſenſum, & expreſsè aliquid prohibere, taliter duximus reſpondendum, quoniam ex eo, quod contra prohibitionem & voluntatem tuam, à qua poſtmodum minimè receſſiſti, aliquis te penitus ignorante promiſit pecuniam & exoluit, præſertim cum is nullâ tibi*

*ſit conſanguinitate conjunctus, nihil tibi debet ad pœnam vel culpam imputari, niſi poſteà conſenſeris, pecuniam ſolvendo promiſſam, aut reddendo ſolutam.* Abbas iſte fuit Guilielmus primus, vir per omnia eximius, & Coloniæ Præſul erat ſanctus Martyr Engelbertus. Tua igitur ſeria contradictio facit tibi alienam, etiam amici, non nocere ſimoniam.

Et hæc quidem de Eccleſiaſticis beneficiis. Eadem eſt ratio ſacrorum Ordinum. Etenim eos, quos per commiſſam ab aliis ſimoniam contigerit ignorantes ordinari, non eſſe ſimoniacos, ideoque in accepto ordine poſſe per Epiſcopalis diſpenſationis gratiam permanere ac miniſtrare
Cap. 22. reſpondit apud Gregorium nonum Lucius tertius. Quod diſpenſatione egeant, lucet in Decreti Epigraphe: *Cum ſimoniacè ordinato, qui ſimoniacus non eſt, diſpenſari poteſt.* Utique per Epiſcopum. Canones enim, quoties diſpenſandi facultatem faciunt, non Domino Papæ, cui ipſorum auctoritate non eſt opus, ſed Epiſcopis faciunt. Et hinc per parentum ſimoniam ignoranter conſecratus ſanctus Dominicus Loricatus, nunquam miniſtrare voluit: Ex quo vides Canonem hunc non eſſe Lucii tertii, ſed omnino antiquum. Hircinæ pellis aluta erat res admodum modica: Evincit ſimoniam à parva materia non fieri parvam.

## CAPUT V.

### *Exponitur origo Simoniæ, ac decurſus.*

SImoniæ facinus eſſe Simone Mago longè antiquius, docet profanus
Lib. 2. Ep. 2. Giezi, de quibus in literis ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſanctus Petrus Damiani: *Duo Simoniacæ hæreſeos reperiuntur auctores, unus in veteri Teſtamento, alter in novo, qui etiam duo Simoniacorum genera perfecerunt, vendentium ſcilicet & ementium. Giezi ſiquidem donum ſancti Spiritûs vendidit, Simon Magus comparare tentavit.* Quod ipſum in vita ſancti Hilarionis tradit ſanctus Hieronymus. Vendentium auctorem quidam ponunt profanum Eſau, utpote qui Primogeniti jura, inter quæ erat & Sacerdotium, pro vili lente diſtraxit. Hinc enim habebat domi repoſitas, quas mater Jacob fratri circumpoſuit, veſtes optimas, id eſt, Sacerdotales. Aſt ea via etiam Jacob, qui emit, & matrem Rebeccam, quæ mediatrix fuit atque executrix, reddemus ſcabioſos. Uti hodie laicus Patronatus, ita olim Sacerdotium adhæſit Primogenituræ ideoque & ad illius inſtar potuit ſine ſimonia & emi & vendi. Poſtrema Judæorum ante Domini Adventum tempora fuerunt ſcabioſiſſima: Nam & ipſe tunc Pontificatus & annuus fuit contra manifeſtam Divinæ Legis juſſionem, & lucidè venalis.

In

Digitized by Google

In novo Teſtamento Simon Magus dudum nullos habuit ſequaces. Nequidem apud duplicis Divinitatis fabulones Gnoſticos, nefandiſſimos Chriſtianorum morum everſores. Longè minùs apud alios hæreticos. Eccleſiam Catholicam dudum fuiſſe puriſſimam, lucet ex apologetico libro Tertulliani: *Præſident probati quiq; Seniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti.* Cap. 39. Ad Montanum delapſus idem Scriptor noſtrorum, quos Pſychicos ſeu animales vocat, vitia undequaque congregat, ac invidioſiſſimè improperat: Nullibi tamen improperat Simoniam. Marcionitarum ac reliquorum hæreticorum facinora, & multam circa ſacras etiam Ordinationes indiſciplinationem prodit & præſcribit in Præſcriptionum libro: At nec illic meminit ullius Simoniæ. Omnia fidelis ſuo tempore populi vitia, horrendâ peſte & gentili perſecutione per Divinam Juſtitiam inſigniter flagellata, refert in ſermone de Lapſis ſanctus Cyprianus; Feliciſſimi item ſui Diaconi, & quorumdam illi adhærentium Presbyterorum ac Epiſcoporum facinora in literis ad ſanctum Papam Cornelium, & Baſilidis ac Martialis Epiſcoporum ſcelera in literis ad Hiſpaniarum Eccleſias: Verùm nullibi apparet Simonia. De ſordida avaritia, ambitu, ac turpi in rebus civilibus quæſtu, at non de Simonia accuſavit etiam Paulum Samoſatenum, Antiochiæ Patriarcham, laudata per Euſebium Cæſareenſem Synodus Antiochena. Et hinc Romanæ Reipublicæ vitia curaturus apud Ælium Lampridium Alexander Auguſtus, Provinciarum & Civitatum Magiſtratus deinceps ad eam, quâ Chriſtiani Cleri electiones fiebant, regulam ſanxit creari. Quod nempe tunc electiones noſtræ omnem ignorarent maculam ac rugam. Quam immaculati in Sacramentorum adminiſtratione fuerint olim noſtri parentes, lucet ex canone Eliberino: *Emendari placuit, ut hi, qui baptizantur, ut fieri ſolebat, nummos in concham non mittant, ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio diſtrahere videatur.* Cap. 48. Expoſuit in Baſileenſi Synodo Julianus Cæſarinus, Romanæ Eccleſiæ ad ſanctam Sabinam Presbyter Cardinalis: *Nonne gratis offerre & eleëmoſynam dare, pium eſt & charitatis opus? Sed quoniam tempore Baptiſmi nummos projicere in concham, ſpeciem prætendebat mali, aboleri & emendari talem conſuetudinem juſſit Eccleſia.* Epiſt. 8. Canonis, quo Sacerdotem eſſe turpis lucri cupidum vetat Apoſtolus, violati nec leviſſimâ ſuſpicione voluerunt Patres noſtri laborare.

Fateor ſanctis iſtis temporibus non defuiſſe Cleri, Epiſcopalis præſertim apicis, ambitum. Apoſtolus ſcribens, *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*, nequaquam aërem verberavit. Loqui poſſit adversùs Thebutem, Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Presbyterum, qui iſtic vacantem ex ſancti Jacobi Martyrio Cathedram ambiit adversùs ſanctum Simeo-

Simeonem, ac repulſam paſſus, erroris labe maculare, & ſcindere conatus eſt integram atque indivulſam eò uſque Eccleſiam, factus Dux ac magiſter Simonis Magi. Ita ex Egeſippo refert Euſebius Cæſareenſis. Et quis Valentini, Montani, Novatiani, Fortunati, Pauli Samoſatenſis, pluriumque in mediis Gentilium perſecutionibus aliorum ambitum, natalque exinde hæreſes & ſchiſmata ignoret? Et quod tam ab obſequio quam à lingua munus ambitui tunc ſervierit, non eſt ambigendum. Per datam Eccleſiis à Conſtantino Auguſto pacem ac opulentiam cæpit inſigniter creſcere virus, ac ex ipſo tandem prodiit turbulentia ac hæreſis Ariana. Quod namque Presbyter Arius Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopatum adversùs ſanctum Alexandrum prætenderit, ac ob repulſam cæperit doctrinam ejus agitare, & novam ad divertendum ab ipſo populum ſpargere, conſtat ex authenticis teſtimoniis. Malum cum fœnore traduxit in ſuos ſequaces, de quibus in Epiſtola ad Solitarios ſanctus Athanaſius: *Qui tot & tam graves ætate Epiſcopos relegarunt, in illorum locum juvenes, libidinoſos, Ethnicos, ne catechiſmo quidem imbutos, nec non & digamos, & de maximis criminibus malè audientes, opum gratiâ & pecuniæ commendatione, modò aurum darent, velut emptores in foro, ad Epiſcopatum ſubmiſerunt.* Eaſdem ab ipſis nundinas addit fuiſſe perſuaſas etiam Meletianis. Utraque enim, ad inſtar Herodis ac Pilati, colligata factio ad ſuas in Deum Verbum blaſphemias exequendas nummis indigebat: Ad largitionibus corrumpendum populum. Et hæc apud Eccleſias eſt prima origo & mentio pecuniariæ Simoniæ.

Lib 4. c. 21.

Scabiem illi non ſuis ſolùm, ſed & Catholicis adfricuerunt. Præſertim in Ægypto. Etenim ſui temporis Epiſcopos à ſuis Anteceſſoribus Apoſtolis diſtare plurimùm, in literis ad virum clariſſimum Dorotheum queritur Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter Iſidorus Peluſiota, & dat cauſam: *Cum Apoſtoli unum, qui Apoſtolicam dignitatem pecuniâ ſe empturum ſperaverat, objurgarint, ac dixerint, Pecunia tua ſit tecum in perditionem, iſti contra Sacerdotii munus iis præſertim commiſerunt, qui tamquam in foro ipſum emerunt. Nec verò hoc adhuc grave eſt, quamvis alioquin grave, verùm etiam hoc nomine magis efferuntur, quam alii ob probatam & voluntariam paupertatem. Atque cum à quibuſdam videntur convitiis impeti, ſtatim Apoſtolicam dignitatem proferunt: Non enim nos, inquiunt, ſed Epiſcopatum injuriâ adfecerunt.* Promotis ad Epiſcopatum ob vitæ meritum pauperibus valebant haberi digniores. Antiquæ adeò ſunt hæ ſordes, quas poſtea ſingulari cànone damnavit ſecunda Synodus Nicæna. Sui temporis Eccleſiam avitâ fœlicitate excidiſſe, & ejus ſola ſigna retinere, ideoque mulieri, quæ opibus ſpoliata habeat ſolas amiſſorum ornamentorum thecas & arculas, eſſe ſimilem deplorat idem Iſidorus

L. 3. Ep. 393.

dorus in literis ad Zenonem Monachum, & cauſam denuò adjungit: *Alii* Ep. 406.
*vendere, alii emere Sacerdotium audent.* Adeò graſſari lepram iſtam queritur, ut Chriſti Domini Divinas in ipſam minas pro fabula ducant impuri ejuſmodi Epiſcopi, & pro cujuſdam circulatoris figmento. Depauperatæ mulieris comparationem deſumpſit ex ſancto Joanne Chryſoſtomo. Et in literis ad Herminum Comitem lamentatur, non dumtaxat à lingua & obſequio, ſed etiam munus à manu graſſari peſſimè, ac pergit: *Quamobrem ſermo terra mariq; ſpargitur, nemini rectè viventi ad Sa-* L. 5. Ep.
*cerdotium jam patere aditum, non quod digni tanto deſint muneri, ſed quod* 276.
*non modò in multitudine deliteſcant, ſed & inviſi ſint, & traducantur atque expellantur, nimirum qui multorum vitam reprehendant.* Omittere non poſſim hæc ejus ibidem verba: *Et vendentes & ementes Sacerdotium, magnum contra ſe proferunt argumentum ſuæ, quam de hoc negotio habent, opinionis. Alioquin non eſſent auſi emere & vendere rem Divinam, quæ optima debetur adminiſtrationi, rectiſq; moribus.* Novi Teſtamenti Sacerdotium oſtendit Judaico eſſe longè dignius, ideoque & cum majori crimine deduci in nundinationem. Ei indivulsè adhærere hæreſin, licèt non ſemper mentis internam, tamen externam operis. Quomodò Euſebius, Pelufii Metropolita, non Eccleſiaſtica dumtaxat officia, ſed & ſacros Ordines venderet, ac à ſuis Miniſtris vendi permitteret, atque ideò dicax Ægypti populus publicas in ipſum cantaret contumelias, refert ac deflet in pluribus Epiſtolis. Deflet ex vitio iſto plurimas etiam alias divini Sacerdotii maculas promanare.

Quod etiam in Ponticam Diœceſim penetrarit peſtis, lucet ex literis Ep. 70.
magni Baſilii, ibidem Primatis. Item in Diœceſim Aſianam. Lucet ex actis ſancti Joannis Chryſoſtomi, qui iſtic Antoninum Epheſiorum Primatem, & plures ab illo conſecratos Epiſcopos ob idem crimen degradavit. Ea vide apud Hermiam Zozomenum, varios laudati Joannis Encomiaſtas, præſertim Palladium Helenopolitanum Epiſcopum in Dialogo cum Theodoro Diacono Eccleſiæ Romanæ. Cum trium autocephalarum Diœceſon invaſione malum occupavit & Conſtantinopolitanam Eccleſiam, adversùs quam in Chalcedonenſi Synodo dixit Euſebius Ancyræ Epiſcopus, primæ Galatiæ Metropolita: *Rogo* Act. 16.
*ut civitates pro ordinationibus non ſolvant. Si enim non in civitatibus hi, qui eliguntur à civitate, ordinantur, à Synodo Provincia comprobati, ſolvuntur ſubſtantiæ. Et hoc probatum habeo, qui pro eo, qui ante me fuit, multa reddidi debita.* Agit in morem, quo à conſecratis Epiſcopis grandes pecuniæ ſummas, quaſi ſedis ſuæ xenia aut Annatas exigebat Conſtantinopolitana Eccleſia, atque ita Cathedrarum ſolvebat ſubſtantiam, ac in pauperiem redigebat. Quod exactiones iſtas ſimoniæ arguerit Euſebius,



Digitized by Google

lucet ex reſponſo Philippi Presbyteri Conſtantinopolitani: *Ex regula hoc interemptum eſt. Hæc legibus & regulis interempta ſunt. Altaria munda ſunt.* Eccleſia Conſtantinopolitana, cui ſeptuaginta auri libras poſtea fuiſſe in annuo reditu teſtatur in Juſtinianæo Codice Anaſtaſius Auguſtus, modicas tunc habebat facultates, ideòque Patriarchalis Majeſtatis rapinam cogebatur per ſimoniacam invaſarum Eccleſiarum expilationem ſuſtinere. Hinc Metropolitæ ſuos Provinciales Epiſcopos, hi Clericos cæperunt tractare eumdem in modum, vendere aut gravare ſacras ordinationes, nec non & Eccleſiaſtica officia, facereque omnia, quæ damnat ſecundus Canon Chalcedonenſis. Quod etiam Orientalem Diœceſim ſcabies invaſerit, lucet ex hocce in Ibam Edeſſenum Epiſcopum, Oſrhoënæ Provinciæ Metropolitam, accuſationis articulo: *Adhuc & de ordinationibus accipit.* Quod vitium quia in ſuis ad Antiochæ populum ſermonibus nullibi notat ſanctus Joannes Chryſoſtomus, cenſeo tunc necdum fuiſſe graſſatum. Et laudatus Chalcedonenſis Canon eſt in ipſum omnino primus. Eum ſupra laudavit & Philippus Presbyter: *Ex regula hoc interemptum eſt.* Hoc eſt, abuſus hic per hanc præſentem Synodum jam abolitus eſt & circumſcriptus. Ex quo vides iſtum Canonem etiam adversùs Conſtantinopolitanam Eccleſiam, & natam ex ipſa, ſparſamque per alias Eccleſias lepram proceſſiſſe. Quas adversùs ſimoniam leges laudet Philippus, ignoro. Nam prima in illam lex eſt in Juſtiniani Codice lex Leonis Auguſti, lepram iſtam deinceps cenſeri ſanciens inter crimina læſæ Majeſtatis. Ab illo igitur laudari exiſtimo leges, quæ vetant ſolvi Eccleſiarum ſubſtantias, id eſt, diſtrahi ac diſſipari.

L. 1. tit. 2. c. 19.

L. 1. tit. 3. c. 31.

Et quidem Chalcedonenſis Canon non plenè profecit. Eum quippe per doloſas technas & verſutas humanæ ſubtilitatis eluſiones incruſtare & violare perrexerunt quidam Epiſcopi, adversùm quos elegantem ſuam Synodicam emittere, & laudatum Canonem innovare coactus fuit ſanctus Gennadius, primus poſt Chalcedonenſem Synodum Patriarcha Conſtantinopolitanus. Ab eodem exiſtimo impetratam, uti ſuæ Synodicæ confirmatricem, laudatam legem Auguſti Leonis. Adversùs idem vitium ſtatuit in literis ad Lucaniæ, Brutii, ac Siciliæ Epiſcopos Sanctus Papa Gelaſius, in literis ad ſancti Cæſarii Arelatenſis Archi-Epiſcopi querimonias Symmachus ſucceſſor, ſecunda Synodus Aurelianenſis, ſecunda Turonenſis, Cabilonenſis, in literis ad Hiſpaniæ Antiſtites Hormiſda Pontifex, Patreſque & Synodi plures. Præſertim ſanctus Gregorius Magnus. Graſſari queritur per Galliam & Germaniam, per Helladen, per Epirum, per Africam, per Ægyptum, per Patriarchatum Antiochenum. Eodem de Gregorio habet

Epiſt. 9.

Ro-

Romanum Breviarium : *Syagrio Auguſtodunenſi Epiſcopo Pallium dare noluit, niſi Neophytos hæreticos expelleret ex Gallia.* Id eſt, Epiſcoporum è Neophytis, Palatinis præſertim, ſimoniacas promotiones. Ejus pro expurgandis à peſſima hæreſi Eccleſiis labores variæ Epiſtolæ teſtantur. Quantam puritatem induxerit in Romanam Eccleſiam, ſuo loco patebit.

Porrò etiam Neophytorum hæreſis eſt partus Arianus, invaſit & ipſos Auguſtos Romani Imperii Principes. Etenim à Conſtantio Auguſto ad Euſebianæ factionis ſuaſum, & quidem mediante pecunia, fuiſſe plurimos è Laicis nominatos atque intruſos Epiſcopos adfirmat in litteris ad omnes ubique orthodoxos ſanctus Athanaſius. Et de Chryſaphio, Theodoſii Junioris Eunucho, & rectore peſſimo, ejuſque in ſanctum Flavianum Regiæ civitatis Epiſcopum odio ſcribit Evagrius Epiphanienſis: *Flavianus Chryſaphio, aurum pro ejus ad Epiſcopatum ordinatione poſtulanti, ſacra Eccleſia vaſa, quò eum confunderet, miſit.* Ex hac ſcintilla prodiit flamma Epheſini latrocinii, & omnis violenta tragædia Dioſcori ac Eutycheti. Latiſſimè graſſatum eſt virus, poſtquam Barbarorum Reges Romanum lacerarunt imperium, & in ſua quiſque abſciſſa parte nominandorum Antiſtitum jus, aut ſimilem in Eccleſias violentiam præſumpſerunt. Etenim apud Aurelium Caſſiodorum exſtat Reſcriptum Athalarici Gothorum in Italia Regis ad Joannem Secundum Pontificem : *Nuper ad nos Defenſor Romanæ Eccleſiæ flebili allegatione pervenit, cum Apoſtolicæ ſedi peteretur Antiſtes, quoſdam nefaria machinatione neceſſitatem temporis aucupatos, ita facultates pauperum extortis promiſſionibus ingravaſſe, ut, quod dictu nefas eſt, etiam ſacra vaſa emptioni publicæ viderentur expoſita. Hoc quantum fuit crudele committi, tantùm religioſum eſt adhibita poteſtate reſecari. Atque ita Sanctitas veſtra ſtatuiſſe nos præſenti definitione cognoſcat, quod etiam ad univerſos Patriarchas atque Metropolitanas Eccleſias volumus pervenire, ut à tempore ſanctiſſimi Papæ Bonifacii, cum de talibus prohibendis ſuffragiis, Patres Conſcripti Senatus Conſultum, nobilitatis ſuæ memores, condiderunt: Quicumque in Epiſcopatu obtinendo, ſive per ſe, ſive per aliam quamcumque perſonam, aliquid promiſiſſe declaratur, execrabilis contractus cunctis viribus effetetur.* Simoniacas Romani Pontificis ac aliorum Epiſcoporum electiones damnat, caſſat, punit, ac pergit: *Et quia omnia decet ſub ratione moderari, nec poſſunt dici juſta quæ nimia ſunt, cum de Apoſtolici conſecratione Pontificis intentio fortaſſe pervenerit, & ad Palatium noſtrum perducta fuerit altercatio populorum, ſuggerentes nobis, intra tria millia ſolidorum cum collectione chartarum cenſemus accipere. A quibus tamen omnes idoneos rei ipſius conſideratione removemus. Quia de Eccleſiaſtico munere pauperibus potius eſt conſulendum. Alios verò Patriarchas,*

L. 2. c. 2.

L. 9. Ep. 15.

*chas, quando in Comitatu noſtro de eorum ordinatione tractatur, in ſupradictis conditionibus atque perſonis intra duo millia ſolidorum jubemus expendere. In civitatibus autem ſuis tenuiſſimæ plebi non amplius quam quingentos ſolidos ſe diſtributuros eſſe cognoſcant. Reliquos accipientes & Edicti præſentis & Senatus-Conſulti nuper habiti pœna conſtringat. Sed & dantes Canonum ſeveritas perſequatur. Vos autem, qui Patriarcharum nomine reliquis præſidetis Eccleſiis, quoniam conſtitutio noſtra ab illicita promiſſione alteravit, reſtat ut bona imitantes exempla, ſine aliquo Eccleſiarum diſpendio, dignos Majeſtati Pontifices offeratis. Iniquum eſt enim, ut locum apud vos habeat ambitus, quem nos Laicis divina conſideratione præcluſimus.*

Romanam Eccleſiam cunctis ſemper pauperibus fuiſſe horreum commune atque aſylum, rectè in ſancti Gregorii Magni vita advertit Joannes Diaconus, & multo teſtimonio poſſet oſtendi. Poſt datam Eccleſiis ab Auguſto Conſtantino pacem cæpit & Primatum ſuum, idcòque & ſui Epiſcopi inthronizationem largiùs honorare: In iſta nummos ſpargere pauperibus & alia xenia, uti faciebat Auguſtus Princeps in publico gaudio ſuæ coronationis. Quem morem alii item Patriarchæ, Primates, Metropolitæ, quin & Provinciales Epiſcopi ſunt poſtmodum æmulati. Ex eodem fonte natum eſt, quod de Valentino Papa ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius: *Valentinus* conſecratus *lautiſſimis dapibus ſumptis amantiſſimorum multis, & diverſis munerum donis ſacram plebem, & Senatum, populumq́; Romanum opimè ditavit.* Et in vita Adriani ſecundi Guilielmus Bibliothecarius: *Adrianus* ex ſancti Petri, ubi conſecratus fuerat, Baſilica *ad Patriarchium Lateranenſe reverſus eſt, & conſuetudinem ab eo, quâ diverſorum xeniorum hinc inde confluentium, retentis ſolùm quæ uſibus menſarum ſufficerent reliquiis, pretia capiuntur, excluſit, dicens non eſſe pium, quod gratis accipitur pretio venundare, & chariores habere rationalibus fratribus irrationales nummos, pro quibus Chriſti pretioſus eſt cruor effuſus. Parvi pendantur, inquit, obſecro hæc pudenda pretiorum commercia, & quod gratis accipimus, gratis juxta Domini Præceptum largiamur, & oblationes Chriſti cum ejus hoſpitibus & inopibus partiamur. Propter quos has nobis tribui Divinitùs ſcimus.* Romanus populus conſecratum Pontificem largis honorabat oblationibus & xeniis, è quibus ipſe Clero & veneratioribus civibus convivium, aliaſque ſibi parabat impenſas, reliqua erogabat in pauperes, aut quædam etiam pretio diſtrahebat. Quæ poſteriorum dumtaxat Pontificum fuit conſuetudo. Et hæc videns barbarus Italiæ invaſor Odoacer, Erulorum Rex, avaritiâ captus fuit, ac iſta omnia ſibi adſcripſit. Nec ſine tituli fuco. Etenim nolens in Pontificem deinceps eligi, niſi perſonam ſibi ac ſuæ genti fidam ac firmam, electionem ſibi confirmandam reſervavit, & Regiam

ſuæ

Digitized by Google

ſuæ confirmationis gratiam omnibus iſtis xeniis voluit honorari. Didicerat id à Wandalorum in Africa Regibus, qui etiam nullum ſine ſua licentia Epiſcopum permiſerunt conſecrari, ac inter quos plurimùm laudatur Hildericus, quod omnibus iſtis generatim Eccleſiis reddiderit libertatem electionis. Eadem violentia Romanam Eccleſiam, Sancti Fabiani martyrio vacantem, preſſit Imperator Decius, de quo in literis ad Antonianum Epiſcopum ſanctus Cyprianus: *Tyrannus infeſtus Sacerdotibus Dei fanda atque nefanda comminatus, cum multò patientiùs atque tolerabiliùs audiret levari adverſùm ſe æmulum Principem*, Gallum ac Voluſianum, *quam* ſummum Chriſtianorum Pontificem Cornelium *Romæ conſtitui æmulum Sacerdotem.* Nullum niſi ſeipſum Auguſtum Principem cenſebat in Romano Imperio poſſe eſſe ſummum Pontificem: Hinc talem Chriſtianis creari vetarat Edicto, & cum ejus contemptu conſecratum Cornelium eſt horrendè perſecutus. Ex quo lucet ſummi Pontificis, cui etiam in libro de pudicitia atteſtatur Tertullianus, titulum eſſe Romano Epiſcopo longè antiquiſſimum. Ep. 52.

Odoacri Regis in Romani Pontificis violenta ac ſimoniaca attentata ſucceſſores Gothorum Reges ſunt etiam proſecuti. Acceſſit & aliud malum. Ambitioſi quidam Romani Clerici ab avaris & aurum videre non conſuetis Barbarorum Regibus Pontificatum cæperunt etiam mercari. Hinc ſimilem à Dioſcoro Diacono iniquitatem, unâque ſuæ electionis ſchiſma paſſus Bonifacius II. ex Vigilii Diaconi conſilio ſtatuit à vivo Pontifice deinceps ſibi deligendum cum ſucceſſionis jure Coadjutorem, elegitque dictum Vigilium. Simoniacum mercatum, vacante ſede fieri conſuetum, ita ſperavit præpediendum. At etiam Decretum iſtud erat Apoſtolicis Canonibus adverſum, ideoque patrabat mala, ut evenirent bona. Hinc in vita laudati Bonifacii ſcribit liber Pontificalis: *Bonifacius Papa reum ſe confeſſus eſt, ac ipſum Conſtitutum in præſentia omnium Sacerdotum, & Cleri, & Senatus, incendio conſumpſit.* Erat enim machina ac doloſa techna ambitioſi Vigilii, qui poſteà tandem per inſigniter pravas artes pervenit ad Pontificatum. Hinc igitur laudatus Pontifex per Romanæ Eccleſiæ Defenſorem ſupplicavit Athalarico Regi, peſſimæ iſtius, quæ Romanas Baſilicas expilaret uſque ad ſacrorum vaſorum venundationem, ambitionis atque ſimoniæ pravitates & ſcandala expoſuit, poſtulavitque medelam. Et Rex, licèt Arianus, omninò dedit: Caſſavit electionem iſtiuſmodi, & Palatinos ſimoniæ mediatores damnavit ad plenam omnium receptorum reſtitutionem. Et quidem per Senatus-Conſultum: Ad majorem firmitatem. Attamen Regia exactio manſit integra.

Hinc ejus diminutionem ab eodem Rege efflagitavit Joannes ſecundus Pontifex, & eſt aliquid conſecutus. Etenim Rex, qui antea ex arbitrio



Digitized by Google

exegerat, ſtatuit ſibi deinceps pendi tria dumtaxat ſolidorum millia: Idque computatis etiam juribus chartarum, ſeu Regii Chartularii, & aliorum ad datæ confirmationis conficiendum inſtrumentum concurrentium Miniſtrorum. Et ad hujus exactionis contributionem concurrere voluit ſolos idoneos, id eſt, ſolos opulentos. Etenim perſonas idoneas eſſe cives, licèt plebejos, agrò vel pecunia divites, ideoque ad curialia & alia Reipublicæ onera idoneos, docent leges variæ in Theodoſiano præſertim Codice. Quare in Athalarici Edicto textus eſt vitiatus: *Omnes idoneos removemus.* Legendum eſt, *Inidoneos.* Hinc enim ſequitur: *Quia de Eccleſiaſtico munere pauperibus eſt potiùs ſubveniendum.* Hoc eſt, ab ipſis nihil exigere debet Eccleſia, ſed potiùs donare. Ex eadem benevolentia ſubdit: *In civitatibus ſuis tenuiſſimæ plebi non ampliùs quingentos ſolidos ſe diſtributuros eſſe cognoſcant.* Avita Romani Pontificis aut aliorum Patriarcharum in Clerum & populum dona per Regiam exactionem vult deinceps non abſorberi, ſed dumtaxat contrahi ad pauperes, ideoque ſibi à Pontifice quidem tria, ab aliis Patriarchis duo dumtaxat pendi ſolidorum millia. Hæc ad Patriarchas verba, *Dignos Majeſtati Pontifices offerant*, oſtendunt omnium etiam Provincialium Epiſcoporum confirmationem fuiſſe Regi reſervatam, liberam tamen ab exactione: Quod namque Epiſcopales Italorum Cathedræ tunc paſſim eſſent pauperes, lucet ex Ammiano Marcellino, agente de electione ſancti Damaſi, ex variis ſancti Gregorii Epiſtolis, & ex Cleri Italici literis ad Francorum Legatos, proficiſcentes Conſtantinopolim ad Juſtinianum Auguſtum.

In Athalarici Regno nulli præter Romanum erant Patriarchæ, ideoque quæritur, quomodò hoc ſuum Edictum velit non ſolummodò ad Romanum, ſed omninò ad univerſos Patriarchas atque Metropolitanas Eccleſias pertinere? Dominus Cardinalis Cæſar Baronius per Patriarchas vult intelligi Metropolitas, utique Mediolanenſem ac Aquileienſem, & Ravennatem. Quod enim tunc nec Calabria, nec Apulia, nec Campania, nec ipſa Sicilia aut Thuſcia haberent Metropolitas, ſed ſuffraganeo jure ſpectarent ad Romanam Metropolim, in Græcarum Synodorum ſcholiis eſt oſtenſum. Aſt Edictum lucidè diſtinguit inter Patriarchas & Eccleſias Metropolitanas. Quare malim utramque vocem in conſueta ſignificatione ſupponi. Gothorum Reges cenſeri noluerunt Romani Imperii hoſtes aut laceratores, ſed Auguſti Collegæ, Rectoreſque Imperii Occidentalis. Romanis vixêre legibus: Hinc & Auguſto more Edicta ſua, Leges, Sanctiones pragmaticas, Senatus-Conſulta, non ad ſolos ſui Regni, ſed ad omnes totius Romanæ Reipublicæ homines ſcripſerunt, & voluerunt pertinere.

Et quidem in barbaris Regibus tolerari poterat iſta exactio. At quis crederet

Digitized by Google

crederet ipſam ab iſtorum expulſore Juſtiniano Auguſto fuiſſe continuatam? Certè Romanam Eccleſiam reddere debuerat in avitam libertatem. Verùm alterâ aquam, alterâ manu portabat ignem: Hodiè fovere videbatur, cras Eccleſiaſtica jura hoſtiliter tractabat. Se victorem ſuccedere dixit in omnia Gothorum jura, ideoque & in iſtas exactiones. Eodem pede progreſſi ſunt Juſtinus ſecundus, Tiberius Conſtantinus, & Mauritius Auguſtus, adverſus quem ſcribit in quinti Pœnitentialis Pſalmi commentario S. Gregorius magnus: *Simoniana hæreſis noſtris maximè temporibus malitia ſua virus exercuit, & totius Eccleſiæ pacem ſchiſmaticâ infeſtatione turbavit. Concitavit enim adverſus Eccleſiam Dei, non ſolum innumerabilem populi multitudinem, verùm etiam Regiam, ſi fas eſt dicere, poteſtatem. Nulla enim ratio ſinit, ut inter Reges habeatur qui deſtruit potiùs, quam regat Imperium, & quoſcumque habere poteſt perverſitatis ſuæ ſocios, eos à Chriſti conſortio facit alienos. Qui turpiſſimi lucri cupiditate illectus, Sponſam Chriſti captivam cupit abducere, & paſſionis Dominicæ Sacramentum auſu temerario contendit evacuare. Eccleſiam quippe, quam ſibi Sanguinis pretio redemptam Salvator noſter voluit eſſe liberam, hanc iſte poteſtatis Regiæ jura tranſcendens facere conatur ancillam. Quantò melius foret ſibi Dominam ſuam eſſe agnoſcere, eiq; religioſorum Principum exemplo devotionis obſequium exhibere, nec contra Deum extendere dominationis faſtum, à quo ſuæ dominium accepit Poteſtatis. Ipſe eſt enim qui ait:* PER ME REGES REGNANT. *Sed immenſæ cæcatus cupiditatis caligine, & Divino ingratus beneficio, & contra Deum faſtuoſus, terminos quos poſuerunt Patres noſtri, contempto Divino timore tranſgreditur, & contra Catholicam veritatem furore ſuæ Tyrannidis effertur. In tantùm autem ſuæ temeritatem extendit veſaniæ, ut caput omnium Eccleſiarum Romanam Eccleſiam ſibi vendicet, & in Domina gentium terrenæ jus poteſtatis uſurpet. Quod omnino ille fieri prohibuit, qui hanc beato Petro Apoſtolo ſpecialiter commiſit dicens:* TIBI DABO ECCLESIAM MEAM. *Obſtruatur ergo os loquentium iniqua, & omnis hæreticorum acies obmuteſcat, quia nullas vires habet mendacium, quod ipſius ore veritatis reperitur deſtructum.* Exactionem, quam peſſimè ſimoniacam, Divinæque legi atque Eccleſiaſticæ libertati adverſam declamat tanto impetu, perſolvit tamen optimus Gregorius: Quod nempe nec Papatum declinare poſſet, nec Principis avaritiam moderari. Solus Princeps, non ipſe fuit Simoniacus, quia iniquam ac inevitabilem vexam redemit. Joannes Andreas, & quidam alii legum ac recentiorum Canonum periti, Regias iſtas exactiones à ſimonia ac iniquitate purgare conati per varia rationum & conſuetudinis pigmenta, fœdè hallucinantur. Porrò Gregorius non ſolum Principem, ſed & populi, utique Romani, multitudinem accuſat de ſimonia: Quod nempe conſuetæ, quam



Digitized by Google

adflictiſſimæ tunc per peſtilentiam & Longobardos Romanæ Eccleſiæ paupertas ferre non poterat, in ſeſe rogæ nollet plebs renuntiare. Eam, non uti ſpontaneam eleëmoſynam, ſed uti ſuffragio ſuo debitum xenium expoſtulabat, ideoque omninò committebat ſimoniam.

Duravit iniquitas uſque ad tempora ſancti Agathonis Papæ, & Conſtantini quarti Imperatoris, vulgò pogonati ſeu barbati, de quibus in laudati Pontificis vita Anaſtaſius Bibliothecarius: *Hic Pontifex ſuſcepit Divalem juſſionem ſecundùm ſuam poſtulationem ut ſuggeſſit, per quam relevata eſt quantitas, quæ ſolita erat dari pro ordinatione Pontificis facienda. Sic tamen ut ſi contigerit poſt ejus tranſitum electionem fieri, non deberet ordinari qui electus fuerit, niſi priùs Decretum generale introducatur in Regiam urbem ſecundùm antiquam conſuetudinem, & cum Imperatoris conſcientia & juſſione debeat ordinatio provenire.* Remiſit, idque in gratiam per laudati Pontificis Legatos fœliciter directæ ſextæ Synodi, ſolam penſionem pecuniariam, nequaquam Papalis electionis confirmationem, de qua pergit Anaſtaſius in vita Benedicti ſecundi: *Hic Pontifex ſuſcepit Divales juſſiones clementiſſimi Conſtantini, magni Principis, ad venerabilem Clerum & populum, & fœliciſſimum exercitum Romanæ civitatis, per quas conceſſit, ut perſona, qui electus fuerit ad Sedem Apoſtolicam, è veſtigio abſque tarditate Pontifex ordinetur.* Etiam iſti confirmationi ceſſit, ac Pontificum electioni plenam ac avitam libertatem reddidit idem Conſtantinus, magnus reverà ac optimus Princeps, atque proximus Benedicti ſucceſſor Joannes quintus omnino fuit ita conſecratus. Joannes quidem Platynus, Juſtiniani ſecundi Patricius ac Italiæ Exarchus, à Sergio primo extorſit pecunias; verùm non titulo electionis. Et hæc libertas permanſit uſque ad Leonem Iſaurum, & Carolum Magnum, cujus ſucceſſores confirmationis violentiam reduxerunt, atque ita Romanam denuò Eccleſiam longa & varia, alibi exponenda, ſervitute vexarunt.

Ab Erulis & Gothis impreſſam exactionis ſervitutem Conſtantinopolitani Imperatores, Athalarici Edictum ſecuti, traduxerunt ad quaſvis Patriarchales Eccleſias, ipſam etiam Conſtantinopolitanam. Etenim de Juſtino ſecundo, Juſtiniani magni per ſororem nepote ac ſucceſſore, L. 5. c. 1. ſcribit Evagrius Epiphanienſis: *Juſtinus aliena pecunia adeò fuit appetens, ut omnia iniqui quæſtus gratia divenderet, immò ipſa etiam Sacerdotia, Divinum numen minimè veritus, plebæis hominibus venalia paſſim exponeret.* Et Cap. 5. infrà: *Dicitur Juſtinus Anaſtaſio*, ſanctiſſimo Antiochenorum Patriarchæ, *ſuccenſuiſſe, quod poſtulanti ei pecuniam, cum Epiſcopus eſſet deſignatus, dare noluit.* Hæc optimo viro fuit cauſa relegationis. Et in Florentinæ Synodi Hiſtoria ſcribit Silveſter Sguropulus: L. 2. c. 18. *Per totum Orientem Patriarchæ ſub Mahumetana ditione, ut fama fert, Sultano exhibent mille florenos,*

Digitized by Google

*florenos, ut Patriarcha creentur.* Arabum ac Turcorum Tyranni ſunt Juſtiniani principia ac veſtigia ſecuti: Dixerunt ſe ſuccedere in omnia Romani, quod ejecerant ex iſtis regionibus, Imperii jura, adeoque & in iſtas exactiones. In Turco-Græcia Zygomalas adfirmat Patriarchas hodiè vexari duplici exactione Turcicâ: Peſceſio, quod pro novi Electi conſecratione, & Charatzio, quod ſolvitur pro annuo tributo. Primum fuiſſe mille dumtaxat florenorum audivimus jam à Sguropulo, idemque adſerit Chronicon Conſtantinopolitanum; in Patriarcharum Hiſtoria Malaxus dicit fuiſſe duorum millium, trium millium jam dictus Zygomalas. Symeon Hieromonachus Trapezuntinus penſionem primus obtulit, ſolvitque dumtaxat quingentos florenos. Mahometis Imperatoris, qui cæpit Conſtantinopolim, benignitatem variam in Gennadium ſecundum Patriarcham memorat Turco-Græcia, ejuſque Regias, quibus & ipſum & ſubjectos ei Epiſcopos ſolvit ab omni exactione, litteras adducit Georgius Phranzes: Verùm barbara fuerunt beneficia, non durarunt.

# CAPUT VI.

## *Exponitur aliorum in Europa Regum Simonia.*

PEſſima hæc peſtis inſigniter per Galliam graſſata eſt in Regibus Merovingiis. Etenim de Gumtramno Rege, qui Bituricenſem Remigii Antiſtitis morte vacantem Epiſcopatum gratis dederat ſancto Sulpitio, ſcribit in Francorum Hiſtoria ſanctus Gregorius Turonenſis: *Cùm* L. 6. c.
*multi munera offerrent, hæc Rex Epiſcopatum quærentibus reſpondiſſe fertur.* 39.
*Non eſt Principatûs noſtri conſuetudo, Sacerdotium venumdare ſub pretio, ſed nec veſtrum pretio illud comparare, ne & nos turpis lucri cupiditate notemur, & vos mago Simoni comparemini.* Nempe è ſanctioribus Francorum Regibus fuit Gumtramnus, de quo tamen pergit idem Gregorius: *Laban* L. 8. c.
*Helenenſis Epiſcopus hoc anno obiit. Cui Deſiderius ex Laico ſucceſſit. Cum jure* 22.
*jurando enim Rex pollicitus fuerat ſe nunquam Epiſcopum ex Laicis ordinaturum. Sed quid pectora humana non cogit auri ſacra fames?* Eadem via Gondegeſilus Dodo ex Santonenſium Comite in ejuſdem civitatis Epiſcopum ſubitò præfecit. Et rurſum in eodem opere: *Ragnemodus Pariſiacæ civitatis* L. 10. c.
*Epiſcopus obiit. Cumq; Germanus ejus Faramodus Presbyter pro Epiſcopatu con-* 26.
*curreret, Euſebius quidam negotiator, genere Syrus, datis multis muneribus in ejus locum ſubrogatus eſt. Iſq; accepto Epiſcopatu, omnem Scholam Deceſſoris ſui abjiciens, Syros de genere ſuo Eccleſiaſticæ domui Miniſtros poſuit.* Quomodo Regina Brunichildis mendico ruſtico, à quo in agro errans



Digitized by Google

fuerat reducta in viam, Antiſiodorenſem Epiſcopatum dederit in præmium, videre poſſis apud Monachum Aimoinum. De eadem ſcribit in ſancti Eligii Tornacenſis Epiſcopi vita antiquus Auctor: *Immaniter Simoniaca hæreſis pullulabat in cunctis finibus & urbibus regni Francorum, maximeq; temporibus Brunichildis Reginæ.* Addit duraſſe uſque ad Dagoberti Regis tempora, & pergit: *Violabat hoc contagium Catholicam fidem, ſolicitè tamen pro hoc invigilabant ſancti viri Eligius & Andoënus* Rothomagenſis Archiëpiſcopus, *& communi cum cæteris viris Catholicis habito Concilio, ſuggeſſerunt Principi & ejus Optimatibus, ut hoc mortiferum virus citò deleretur de Corpore Christi, quod eſt univerſalis Eccleſia. Habuit itaq; effectum pia eorum petitio, & libenter obtinuerunt quod devotè rogaverunt. Tunc ergo omnibus placuit uno in Spiritu ſancto accepto conſilio cum Regis Imperio, ut nullus pretio dato ad Sacerdotale officium admitteretur, neque eos qui ut lupi rapaces munera dando mercanda cenſebant dona Spiritûs ſancti, ſed hos potiùs qui eſſent boni teſtimonii viri, & irreprehenſibilis vitæ, ad officium Pontificatus eligerent.* An hujus vitæ Scriptor fuerit ſanctus Andoënus, fateor me hæſitare: Quomodo enim is ſemetipſum titularet virum Sanctum? Conſonat in Patrum vitis ſanctus Gregorius Turonenſis, adfirmans Arvernos electi ſui Galli confirmationem muneribus impetraſſe à Theodorico Rege, & adjungens: *Tunc germen illud iniquum cæpit pullulare, ut Sacerdotium aut venderetur à Regibus, aut compararetur à Clericis.* Uti Wandali in Africa, & Gothi in Italia, ita in Gallia Franci Reges nullum ſine ſuo placito & confirmatione permittebant conſecrari Antiſtitem, atque ita ad vendendas Epiſcoporum & Abbatum Præfecturas ſibi portam aperuerunt. Vendebant etiam Laïcis, præſertim Palatinis. Hæc eſt Neophytorum hæreſis, quam è Gallia ejecit magnus Papa Gregorius.

L. 3. c. 87.

L. 1. c. 1.

Primus ergò hanc inferorum portam clauſit hic ſanctiſſimus Pontifex, deinde denuò reſeratam ſancti Eligius ac Andoënus, & Rex Dagobertus. At ecce hujus poſteri iterum patere fecerunt: Uſque ad Merovingiæ ſtyrpis exitum manſit apertiſſima. Regiæ domus Præfecti tunc ſub ignavis Dominis omnia vendebant. Quin & tandem invaſerunt omnia Eccleſiarum bona, in beneficium dedere ſuis militibus, atque ita ipſum Regnum & omnem Chriſtianam diſciplinam & vitam diſſiparunt. Medicinam adhibere rursùm cæpit Pippinus Rex, ac ejus præſertim filius Carolus Magnus. Etenim per ipſum coacta ſexta Arelatenſis Synodus ſtatuit: *Ut Laici omninò non audeant à Presbyteris munera exigere propter commendationem Eccleſiæ. Quia propter cupiditatem plerumque à Laicis Eccleſiæ dantur talibus Presbyteris, qui ad peragendum Sacerdotale officium ſunt indigni.* Quod ipſum ſtatuunt Moguntina Synodus, ac tertia Turonenſis.

Cap. 8.

Cap. 29.

Sta-

Digitized by Google

Statuunt in ſolos inferiores Patronos, non in Dominum Regem: Quod ipſe, harum Synodorum Auctor, & acerrimus lapſæ diſciplinæ reparator, ſponte depoſuiſſet vitium, ideoque Canonis fræno non egeret. Quod etiam Thuſciæ, Pentapolis, ac reliquæ Italiæ Electos, leprâ iſtâ paſſim ſcabioſos, deinceps in Epiſcopos non conſecrari poſtularit ab Adriano primo Pontifice, lucet ex hujus ad illum litteris, exſtantibus apud Jacobum Sirmondum. Angilberto item Abbati, ſuo ad Leonem tertium Pontificem Legato, dedit hoc Commonitorium: *De Simoniaca ſubvertenda hæreſi diligentiſſimè ſuadeas Pontifici, quæ ſanctum Eccleſiæ Corpus multis malè maculat in locis.* Hinc meritò à ſancti Galli Monacho ſcribitur mundum feciſſe quaſi novum. Ejus item, Aquiſgranenſia præſertim, Capitularia videantur. Sanctum opus ex ſancti Bonifacii Martyris ſuaſu pater Pippinus cæperat, per varias Synodos ipſe perfecit. Ejus filius & ſucceſſor Ludovicus pius eſt proſecutus.

Verum *blanda Patrum ſegnes facit indulgentia natos*: Hac in re deliquit Ludovicus. Sub ejus filiis malum revixit. Licèt enim Ludovicum Germaniæ Regem, quod nullam unquam Eccleſiaſticam dignitatem pretio, ſed ſanctis ſemper moribus dederit, laudent Annales Francorum Fuldenſes, de ſeniori tamen & Auguſto illius fratre Lothario ſcribit magnum Belgii Chronicon: *Illis temporibus viguit Simoniaca hæreſis in tantum, ut publicè venderentur Epiſcopatus, & is qui plus dabat, Epiſcopatum acciperet. Nec erat aliquis Epiſcoporum aut Eccleſiaſticorum virorum, qui zelo juſtitiæ ductus cum Imperatore aut Rege ageret, ut hoc nefas prohiberetur. Quia verò nemo erat Chriſtianorum, per quem hoc malum corrigeretur, miſit Deus flagellum Paganorum. Nam ſupervenientes Saraceni innumeros homines interfecerunt, & multas urbes cremarunt.* Ejus filios Ludovicum ſecundum Imperatorem ac Lotharium Lotharingiæ Regem laboraſſe eadem ſcabie, poſſit exemplis demonſtrari. Adversùs ejus fratrem Carolum Calvum, Galliæ Regem, ſtatuit Synodus Meldenſis: *Cavendum eſt, & ſummoperè præcavendum, ac per virtutem Chriſti Sanguinis interdicendum, & Epiſcopis, & Regibus, & omnibus ſublimioribus Poteſtatibus, ut nemo per Simoniacam hæreſim regiminis locum obtineat.* Quod ipſum ſtatuit & tertia Valentina. Ejuſdem vitii ipſum arguit Remenſium Metropolita Hincmarus, & Bertiniani Francorum Annales. Ad malum è Gallia eradicandum Apoſtolicas vices Roſtagno Arelatenſi Archiëpiſcopo dedit Papa Joannes octavus.

An.876. F.59. Cap.43. An.869.

Accenſa rursùm fuit peſſima, ac vix unquam plenè exſtincta peſtis, poſt mortem Ludovici tertii Imperatoris, & in Germania exſtinctum genus Caroli Magni. Etenim de Adelberti Comitis Hippo-Regienſis, Odalrici Comitis Palatii, Gileberti Comitis, & Lantberti Mediola-



Digitized by Google

nenſis Archiëpiſcopi adversùs Berengarium primum Imperatorem rebellione ſcribit Luitprandus Diaconus Ticinenſis: *Dum Lambertus defuncto Anteceſſore ſuo Mediolanenſis Archiëpiſcopus ordinari debuiſſet, non parvam ab eo Rex Berengarius, contra ſanctorum Patrum inſtituta, accepit pecuniam*; ſtipulatus inſuper, *quantùm Cubicularii, quantùm Oſtiarii, quantùm Pavonarii, ipſi etiam altilium Cuſtodes accipere deberent.* Hanc exactionem, quam Lambertus, licet invitus, tamen ſolvit, adeoque & ipſe fuit Simoniacus, Luitprandus adfirmat fuiſſe cauſam conſpirationis cum Odalrico Palatii Comite, & apertæ tandem rebellionis. Similes alterius etiam Berengarii ſimonias refert in quinto libro. Et de Hugone Italiæ Rege, Epiſcopalem ſuam electionem & conſecrationem confirmante, ſcribit ad Joannem undecimum Pontificem Ratherius è Lobbienſi apud nos Monacho Epiſcopus Veronenſis: *Miſit Rex in pitaciolo certam quantitatem ſtipendii, quod tenerem de rebus Eccleſiæ, de cæteris exigens jus jurandum, ut diebus illius, filiiq; ſui, ampliùs non requirerem. Ego intelligens, quanta abſurditas hoc conſequeretur, non conſenſi. Quid magis? Adhibuit undique perſecutores & adverſarios, qui aut deterrerent me ut effugerem, aut irritarent ut in illum excederem, & ut me expellendi inveniret occaſionem.* Vacantium Cathedrarum bona erant tunc in Regum cuſtodia, ideoque novus Epiſcopus ſupplicare ſtatim debebat levari ab ipſis manum Regiam, anteà ipſis non fruiturus. Et quia non per Regiam nominationem, ſed ad Papales preces promotus fuerat Ratherius, graviſſimè indignatus fuit Rex, *Juravitq; per Deum, nec eſt mentitus, quod diebus vitæ ſuæ de ipſa ordinatione non eſſet gaviſurus.* Simoniaca lucra ſibi eripi fuit indignatus. Hinc manum Regiam de Epiſcopalibus bonis levare noluit, ſed miſerabile dumtaxat pitaciolum dedit Ratherio, tantaſque cievit adflictiones, ut calamitatibus ille quàm ſcientiâ evaſerit clarior, meritus tandem hocce Epitaphium: *Verona Præſul, ſed ter Ratherius exul.* Exſtat Epiſtola in Spicilegio Lucæ Dacherii.

Lib. 2. c. 15.

C. 12. 13

Epiſt. 3.

Res ita cucurrit uſque ad Henricum ſanctum, de quo Sigebertus Gemblacenſis: *Hungaris Franciam, Alſatiam, Allemaniam, Saxoniamq; depopulantibus, Henricus Rex juxta urbem Mersburch congreſſus, vovens Deo pro adipiſcenda victoria ſe hæreſim Simoniacam de ſuo regno eradicaturum, ineſtimabili cæde eos uſque ad internecionem pœnè delevit.* Quod votum in ejus vita laudat etiam Nonnoſius Monachus, itemque Luitprandus Diaconus Ticinenſis. Verùm de illius ſucceſſore Conrardo Salico ſcribit magnum Belgii Chronicon: *Reginardum Archi-Diaconum Virdunenſem Clerus & populus in Epiſcopum petivit, ſed vacabat tunc Leodienſis Eccleſia, cujus Epiſcopatum magis ille ambiens, eum à Conrardo Imperatore per pecuniam obtinuit.* Addit Wippo in vita ejuſdem Principis: *Baſileam civitatem invenit*

An. 922.

Fol. 102.

Digitized by Google

*invenit Rex viduatam Epiſcopo. Ibi Simoniaca hæreſis ſubitò apparuit, & citò evanuit. Nam dum Rex & Regina à quodam Clerico, nobili viro, nomine Vdalrico, qui ibi tunc Epiſcopus effectus eſt, immenſam pecuniam pro Epiſcopatu ſuſciperent, poſteà Rex in pœnitentia motus voto ſe obligavit pro aliquo Epiſcopatu vel Abbatia nullam pecuniam ampliùs accipere, in quo voto pœnè benè permanſit, ſed filius ejus tertius Henricus, qui poſteà Rex & Auguſtus effectus eſt, optimè & ſine omni ſcrupulo Patrium votum expiavit, quia in omni vita ſua pro omnibus dignitatibus Eccleſiaſticis unius obuli pretium non dicitur adhuc accepiſſe.* Et in libro gratiſſimo ſanctus Petrus Damiani: *Ad* Cap. 36.
*conſiderandum magni hujus Henrici Regis inſigne præconium animum transferamus. Poſt Deum ſcilicet ipſe nos ex inſatiabilis ore Draconis eripuit, ipſe Simoniacæ hæreſeos, & multiplicis reverà hydræ, omnia capita Divinæ virtutis mucrone truncavit. Qui videlicet ad Chriſti gloriam non inmeritò poteſt dicere: Quotquot ante me venerunt, fures fuerunt & latrones. Nam uſque ad ſui tempus Imperii Sacerdotium inexplebiles falſitatis, ut ita fatear, Babylonico Beli præbebat impenſas; at poſtquam hic, auctore Deo, paternum obtinuit Principatum, Draconteis mox faucibus offam pius injecit, & ſic immanem beſtiam quaſi Daniel alter exſtinxit.* Rei ſeriem edicit in Virdunenſis Ec- A.1039.
cleſiæ Chronico Hugo Abbas Flaviniacenſis. Barbaricâ rebellium Hungarorum irruptione vexatum Principem ait rediiſſe ad cor, & ad ſuos Synodaliter congregatos Epiſcopos hæc peroraſſe: *Lugens vobis incipio loqui, qui vice Chriſti in ejus Eccleſia conſtituti eſtis, quam ſibi deſponſavit, & ſuo Sanguine redemit. Sicut enim gratuitâ bonitate de ſinu Patris per Virginem ad nos redimendos venire dignatus eſt, ita ſuis præcepit & dixit, mittens eos,* GRATIS ACCEPISTIS, GRATIS DATE. *Vos autem avaritiâ & cupiditate corrupti, qui benedictionem conferre debetis, in hac tranſgreſſione dando & accipiendo maledicti eſtis. Nam & Pater meus, de cujus animæ periculo valdè pertimeſco, eamdem damnabilem avaritiam in vita ſua nimis exercuit. Itaq; quicumque veſtrum hâc ſe maculâ pollutum agnoverit, oportet ut à ſacro Miniſterio arceatur. Propter hanc enim offenſam venit ſuper filios hominum fames, mortalitas, & gladius. Omnes enim gradus Eccleſiaſtici à maximo Pontifice uſque ad Oſtiarium opprimuntur per veſtræ damnationis præmium, & in cunctos ſpirituale graſſatur latrocinium.* Hâc voce ad pœnitentiam concuſſos fuiſſe omnes Epiſcopos addit laudatus Hugo, & à Patris ſui animam commendante Auguſto promulgatum hoc Edictum: *Vt nullus gradus vel Eccleſiaſticum Miniſterium pretio acquiratur. Et ſi quis attentarit, omni honore multetur. Sicut Deus coronam Imperii gratis mihi dedit, ita ego quod ad religionem pertinet gratis impendo. Volo ut & vos ſimiliter faciatis.* Magnum Belgii Chronicon adſerit ipſum etiam nocturnâ malignorum ſpirituum apparitione fuiſſe infeſtatum, liberatum à ſancto Laurentio



Digitized by Google

rentio, atque ita à leproſa Patris imitatione retractum. Hic eſt Henricus, cognomento niger, qui & Romanam à vitio hoc purgavit Eccleſiam, & Benedicto nono, Silveſtro tertio, ac Gregorio ſexto ejectis ſuffici curavit Clementem ſecundum.

At de ejus degenere filio & ſucceſſore Henrico quarto ſcribit ad Waltramnum Magdeburgenſem Archiëpiſcopum Comes Ludovicus: *Omnis qui dignitates ſpirituales vendit, hæreticus eſt. Dominus autem Henricus, quem Regem dicunt, Epiſcopatus & Abbatias vendit. Etenim Conſtantienſem, Babenbergenſem, Moguntinenſem, & plures alios pro pecunia; Ratiſponenſem, Auguſtenſem, Strasburgenſem pro gladio; Abbatiam Fuldenſem pro adulterio, Monaſterienſem Epiſcopatum, quod dicere & audire nefas eſt, pro Sodomitica immunditia vendidit. Quæ ſi impudenter negare volueris, teſte Cœlo, teſte terrâ, omnes etiam à furno redeuntes Scioli concludent: Ergo Dominus Henricus eſt hæreticus.* Extſtat Epiſtola apud Abbatem Dodechinum
A.1090. in Supplemento Mariani Scoti. Confirmat in litteris ad ſanctum Ottonem Bambergenſem Epiſcopum, publicatis per Jacobum Gretzerum,
Ep.45. Fredericus Archiëpiſcopus Colonienſis: *Quem non moveat, quod omnis Eccleſiaſtici vigoris auctoritas Aulicis & Palatinis in quæſtum verſa eſt? Synodalis conventus Epiſcoporum, annua Concilia, omnes denique Eccleſiaſtici ordinis adminiſtrationes in Regalem Curiam tranſlatæ ſunt, quæ ſpiritualiter examinare debuerant. Quid de Epiſcopalibus Cathedris dicemus, quibus Regales villici præſident, quas diſponunt, & de domo orationis Speluncam planè latronum efficiunt?* Et in libro de Bello Saxonico Bruno Merſenburgenſis: *Henricus Rex Epiſcopos, non ſecundùm qualitatem meritorum, ſecundùm Canonum Decreta conſtituit, ſed ſi quis majorem pecuniam dedit, vel major flagitiorum ejus adulator exſtitit, hic quolibet dignior Epiſcopatu exſtitit. Cumq́ alicui ſic Epiſcopatum dediſſet, ſi alius plus daret, vel ejus magis facinora laudaret, illum priorem quaſi Simoniacum fecit deponi, & iſtum ſecundùm quaſi ſanctum in eodem loco conſecrari, unde contigit, ut multæ civitates in illis temporibus duos ſimul Epiſcopos haberent, quorum neuter Epiſcopi vocabulo dignus eſſet. Eccleſiæ Bambergenſi adeò omnis Romana, non ſolùm diſciplinæ, ſed & linguæ imperitum intruſit Epiſcopum, qui in feſtivitatis Paſchalis Vigilia cantaret ad omnem Eccleſiam:* TERRA AUTEM ERAT INANIS ET VACCA. *Nempè ipſe erat vacca biceps & bruta.* Et in libro de Eccleſiæ ſtatu ſub Henrico IV. Imperatore, & Gregorio VII. Ponti-
Cap. 11. fice venerabilis Gerhohus Præpoſitus Reicherſpergenſis: *Non electio Cleri, non conſenſus Honoratorum, non petitio populi in ordinandis Epiſcopis quærebatur, non ſanctitas vitæ, non ſcientia illuſtriori delatum eſt, ſed quicumque volebat, implebat manum ſuam, & factus eſt Sacerdos, non jam Domini, ſed mammonæ, ac Principis hujus mundi dicentis; Hæc omnia*

*dabo*

Digitized by Google

*dabo tibi, ſi cadens adoraveris me.* Ait Epiſcopatus & Abbatias paſſim imperitis ac malè moratis juvenibus fuiſſe venditos, ac pergit: *Parùm dixi vel ad gratiam, vel ad pecuniæ & obſequii exhibitionem honores Eccleſiaſticos Laicâ manu fuiſſe adoleſcentibus collatos, quia inſuper & ad impietatis & miſeriarum augmentum hi faciliùs eoſdem conſequebantur honores, qui opinatiſſimi in flagitiis exſtitiſſent.* Qui Regi utriuſque ſexûs ſcorta adducerent, aut ipſi eſſent. Et adjungit: *Undè à capite, Imperatore videlicet, non benè ſano, & à Pontificibus lepra hujus contagio maculatis, per totum ferè Cleri corpus peſtis ſe diffuderat. Nam dum Epiſcopus Epiſcopatum marcarum aliquot centenariis coëmiſſet, quam non ipſe ſubjectam ſibi dignitatem ad reſarciendum damnum ſuum venderet? Sic ergo ab eo Abbates, Præpoſiti, Archi-Presbyteri, Archi-Diacones, & Presbyteri conſtituti, quid non & ipſi Eccleſiaſticarum adminiſtrationum uſque ad ſepulturæ locum & officium venale haberent? Quatenus & ipſi vel divitias cumularent, vel ſaltem marſupia exinanita replerent.* Ex hoc fœdiſſimo fonte natas adfirmat quaſvis Cleri pro Sacris functionibus exactiones, cùm quarum quibuſdam nonnullæ hinc inde Eccleſiæ etiamnum hodiè conflictantur. Epiſcopalis apicis emptores non poſſe non eſſe inferiorum graduum venditores adſerit in litteris ad Theodoricum ac Theobertum Francorum Reges ſanctus L.7. indict. Gregorius Magnus. Vitii natura ſic compellit. Quidquid adversùs Simoniam ſtatuit Gregorius ſeptimus, ſtatuit adversùs hunc Henricum & 2. Epiſt. ab ipſo inveſtitos Epiſcopos. 116.

Etiam in Anglia graſſatum eſt malum. Etenim de laudatiſſimo Rege Wlphero ſcribit Guilielmus Malmesberienſis: *Ejus bona infecit ac depreſſit gravis Simoniæ nota, quod primus Regum Anglorum ſacrum Londoniæ Epiſcopatum cuidam ambitioſo Winæ venditarit.* F. 27. Quod ipſum de Rege Hardecnut ſcribit Simeon Dunelmenſis, addens divinitùs exindè punitum. L.3. c.8. Et hinc poſteri Reges fuere correcti. Scabiem reſumpſit Guilielmus Conquæſtor, cujus manum ob Epiſcopatus donum adimpleturus Robertus Conventrenſis Epiſcopus ſuę Eccleſiæ ornamenta debuit diſtrahere. Ita ſcribit Joannes Bromptonus Abbas Jornalenſis, addens adeò A.1077. fuiſſe ſordidum, ut ejus Juſtitiarii eſſent latronibus pejores. Attamen de eodem Rege ad Hugonem Dienſem Epiſcopum, ſuum in Gallia Vicarium, ſcribit Gregorius ſeptimus: *Rex Anglorum, licèt in quibuſdam non ita religiosè, ſicut optamus, ſe habeat, tamen in hoc quod Eccleſias Dei non deſtruit, neque vendit, & pacem juſtitiamq́; in ſuis ſubditis moderari procurat, cæteris Regibus ſatis ſe probabiliorem, & magis honorandum oſtendit.* L.9. Ep. 5. Mutationem iſtam debemus ejus in Regem conſecratori Alredo Eboracenſi Archiëpiſcopo, de quo Guilielmus Neubrigenſis: *Alredus hominem ferociſſimum, ſpirantem minarum & cædis in ſubjugatum armis populum,* L.1. c.1.

pulum,

*pulum, mitem reddidit, & religioſis pro conſervanda Republica, tuendaq; Eccleſiaſtica diſciplina Sacramentis adſtrinxit. A quo poſteà loco Patris colebatur, ut cum ille cæteris imperaret, ab eo imperari ſibi æquanimiter pateretur.* Regiam conſecrationem, quam uti tyranno, regni invaſori, ac viro ſanguinum noluit impendere Stigandus Primas Cantuarienſis, Guilielmo uti legitimo Principi dedit laudatus Alredus, ideoque omnia apud illum potuit. Tantùm potuit, ut ejus iram ac maledictionem horreret Rex barbarus, procideret in genua, veniam peteret, ſponderet ſatisfactionem. A circumſtantibus Palatinis quadam vice rogatus Epiſcopus, ut proſtratum Regem erigeret, repoſuit: *Sinite illum jacere ad pedes ſancti Petri.* Bonum opus adjuvit degradati Stigandi ſucceſſor ſanctus Lanfrancus, qui ut hominem avarum & durum à Simoniacis Eccleſiæ rapinis retraheret, à delinquentibus paſſim exegit multas pecuniarias
L.2.c.5. ad commodum Regis. Ita ſcribit Henricus Cnyghtonus.

At verò de ejus filio & ſucceſſore Guilielmo Rufo pergit laudatus Neu-
L.1.c.2. brigenſis: *Homo vecors, & inconſtans in omnibus viis ſuis, Deo indevotus, Eccleſiæ gravis, nuptiarum ſpernens, paſſim laſciviens, opes regni vaniſſima effuſione exhauriens, & eiſdem deficientibus ſubditorum fortunas in hoc ipſum corradens. Homo turgidus typho immaniſſimæ ſuperbiæ, & uſque ad nauſeam vel deriſionem etiam doctrinæ Evangelicæ, temporalis gloriæ fœdiſſima voluptate abſorptus.* Hæc ejus originalia vitia adjuvit Ranulphus Clericus Palatinus, ex infima plebis fæce per loquacis linguæ officia promotus, de quo Guilielmus
F.123. Malmesberienſis: *Hoc auctore, ſacri Eccleſiarum honores, mortuis Paſtoribus, venùm locati. Audita namq; morte cujuſlibet Epiſcopi vel Abbatis, confeſtim Regis Clericus admittebatur, qui omnia inventa ſcripto exciperet, omneſq; in poſterum reditus Regio fiſco inferret. Intereà quærebatur, quis idoneus in loco defuncti ſubſtitueretur, non pro morum, ſed pro nummorum experimento, dabaturq; tandem honor, ut ita dicam, nudus, magno tamen emptus.* Ab iſto igitur Ranulfo ſeductus Guilielmus Rex invaſit tres Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ ſpecies: Epiſcoporum & Abbatum ſpolia, proventus Eccleſiarum vacantium, & mercatum Prælaturarum. Hinc dicitur nudos vendidiſſe honores. Quod eos plus danti quaſi ſub haſta vendiderit, teſtantur Gervaſius Monachus Cantuarienſis, Guilielmus Thorne, Henricus Cnyghtonus, Matthæus Paris, aliique Anglicarum rerum Scriptores. Addunt quod etiam Diœceſeon terminos vendiderit, ac Eccleſiarum conſecrationes. Etenim Remigio Lincolnienſi & Dorcheſtrenſi Epiſcopo, ſuam Lincolnienſem Eccleſiam conſecrare paranti, oppoſuit ſe Archiëpiſcopus Eboracenſis, adſeverans ſe illic Metropolitam, ideoque ſuâ auctoritate eſſe opus. Periculosè æger, ideoque vicinum Dei judicium metuens Rex, ſancto Anſelmo Cantuarienſem, dicto

Remigio

Remigio Lincolnienſem Epiſcopatum gratis dederat, ideoque corpore,
non mente ſanatus ab utroque violenter exegit doni iſtius pretium, pen-
dere nolentem Remigium ſubjecit Metropolitæ Eboracenſi, atque ita
per multas vexationes tandem coëgit ad ſolutionem. Eum Guilielmus
Neubrigenſis verè ſcribit fuiſſe in omnibus ſuis viis inconſtantem. Nam
facti ſpeciem, in qua duos Monachos de majori pretio contendentes
excluſit, & tertio nihil ſpondere volenti Abbatiam cum elogio dedit,
refert Henricus Cnyghtonus. Infœliciſſimè defunctus eſt in hiſce crimi- L.2.c.7.
nibus, quæ inſigniter correxit atque eliminavit ejus frater & ſucceſſor
Henricus primus.

Eodem tempore etiam in Gallia graſſatum fuit malum. Etenim de
Philippo primo Francorum Rege ad Rodericum Cabilonenſem Epiſco-
pum ſcribit Gregorius ſeptimus: *Inter cæteros noſtri hujus temporis Princi-* L.1. Ep.
*pes, qui Eccleſiam Dei venumdando perverſa cupiditate diſſipaverunt, &* 38.
*Matrem ſuam, cui ex Dominico Præcepto honorem & reverentiam debuerant,*
*ancillari ſubjectione penitùs conculcarunt, Philippum Regem Francorum Gal-*
*licanas Eccleſias in tantùm oppreſſiſſe, certa relatione didicimus, ut ad ſum-*
*mum hujus tam deteſtandi facinoris cumulum perveniſſe videatur.* Avitam
Francorum Regum in omnes, Romanam præſertim, Eccleſias pieta-
tem extollit Pontifex, & ſubdit: *Aut Rex ipſe repudiato turpi Simoniacæ*
*hæreſis matrimonio, idoneas ad ſacrum regimen perſonas promoveri permittat,*
*aut Franci pro certo, niſi fidem Chriſtianam abjicere maluerint, generalis*
*anathematis mucrone percuſſi, illi ulteriùs obtemperare recuſabunt.* Vide
alias ejuſdem Pontificis litteras ad ipſum Philippum Regem, ad Hum- Ep.75.
bertum Archiëpiſcopum Lugdunenſem, & ad omnes generaliter Epiſ- 76.
copos Francorum. In Virdunenſi Hugonis Abbatis Flaviniacenſis Chro- L.2. Ep.
nico exſtat erudita Epiſtola, quâ Hugo Dienſis Epiſcopus & Romanæ 5.
Sedis per Galliam Legatus, ſuæ Pictavienſis Synodi Acta referens Gre-
gorio ſeptimo, adſerit plures per Simoniam à dicto Rege intruſos Anti-
ſtites fuiſſe à ſe extruſos ac degradatos, ac inter ipſos fuiſſe Abbatem Ber-
genſis Eccleſiæ in noſtra Flandria. Fœdiſſimam ejuſdem Regis in dan-
dis Epiſcopatibus Simoniam diſces etiam ex variis Epiſtolis ſancti Ivonis Ep.64.
Epiſcopi Carnutenſis. Hæc omnia Hiſtoricè digeſta oportuit, quod iſto- 65.66.
rum temporum Canones vix poſſint ſine illis intelligi.

Et malum non ſtetit in ſolis Regibus: Etenim Regis ad exemplum
totus componitur orbis. Serpſit etiam ad inferiorum in Eccleſia gra-
duum Patronos. Illa præſertim Simonia, nata ex vacantis Eccleſiæ &
proventuum ad ipſam ſpectantium Regia cuſtodia, quam in Ratherium 132.
Veronenſem Epiſcopum exercuit Hugo Rex Italiæ. Adversùs eam ſta-
tuit tertia Francorum Valentina Synodus, ut Parochialium Eccleſia-



Digitized by Google

Cap. 9. rum dotes deinceps non vexentur à Laïcis Patronis, *& nulla redhibitio*
*cenſus inde exigatur*. Et Viennenſis, cui Formoſi Pontificis præſedit Le-
gatio, Synodus: *Nulli cenſus à Presbyteris, loco muneris, ad introitum,*
*ut dicunt, Eccleſiarum exquirantur, aut vi aliqua extorqueantur.* Statuti
juſtitiam atque neceſſitatem multis Scripturis & canonibus firmat Syno-
Cap. 6. dus Tosleiana. *Ut Presbyter apud ſæcularem Seniorem*, id eſt, pagi domi-
Cap. 16. cellum, *nulla precatione vel xenio Eccleſiam ſeu capellam obtineat*, ſancit
Synodus Nannetenſis. Eundem canonem primo ſuorum Capitularium
Cap 17. libro inſeruit Hincmarus Metropolita Remenſis. *Precationes iſtas & xe-
nia eſſe omnino Simoniaca, & digniorum perſonarum promotioni, ideo-
Cap. 8. que & Eccleſiaſticæ diſciplinæ capitaliter adverſa, adfirmat in quarto
libro. Quod nec unum obulum à Laïco patrono permiſerit exigi, iſtam-
L. 3. c. 26. que etiam exactionem de Simonia damnarit, ſuprà audivimus à Flodoar-
do. Et ſub Victore ſecundo Pontifice ſtatuit Synodus Tholoſana: *Nullus*
*Clericus, vel Monachus, vel alius pro eis Epiſcopatum, vel Abbatiam, vel*
*Presbyteratum emere præſumat. Sed neque Comes, aut alia ulla Poteſtas ven-*
*dere, aut pretium pro eis accipere audeat.* Presbyteros, qui Collegas ſuos
de Eccleſiis extrudi per Laïcos Patronos, & ſe intrudi impetrabant pecu-
nia, damnant plurimi Canones, oſtenduntque facinus iſtud fuiſſe fre-
quentiſſimum. Richardus, glorioſi Martyris Thomæ in Cantuarienſi
Cathedra proximus ſucceſſor, apud Rogerum Hovedenſem ſtatuit in
Fol. 543. ſua Londinenſi Synodo: *Nulli liceat Eccleſiam dotalitii nomine ad aliquem*
*conferre, vel pro præſentatione alicujus perſonæ pecuniam vel aliquod emolu-*
*mentum pacto interveniente accipere.* Prævaricantes privat Patronatu. Porrò
dotalitii nomine conferre Eccleſiam erat eam tradere alicui amico, qui
iſta vice præſentaret ad ſuum emolumentum. Quod ipſum ſtatuit habita
ſub Honorio tertio per Stephanum Cantuarienſem Archiëpiſcopum Sy-
nodus Oxonienſis. Eccleſiarum poſſeſſiones à Laïcis Patronis deſtrui,
talliis item & exactionibus gravari queritur, & damnat Lateranenſis Sy-
nodus Alexandri tertii.

## CAPUT VII.

### *An in Sacramentorum adminiſtratione aliquid accipere vel exigere ſit Simonia?*

QUod ex Regiæ ad Epiſcopatum nominationis Simonia natæ ſint omnes Clericorum in Sacris functionibus exactiones, ſuprà audivimus à venerabili Gerhoho Præpoſito Reicheſpergenſi. Demonſtrare id exordiamur de exactionibus in Sacramentis, quorum primum eſt Baptiſmus,

Digitized by Google

tiſmus, de quo Synodus Eliberina: *Hi qui baptizantur, ut fieri ſolebat, nummos in concham non mittant, ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio diſtrahere videatur.* Expoſuit & Statuti rationes edixit in Baſileenſi Synodo Julianus Cardinalis Cæſarinus: *Apoſtolus præcipit ab omni ſpecie mali abſtinendum. Nonnè gratis offerre, & eleëmoſynam dare eſt pium & charitatis opus? Sed quoniam tempore baptiſmi nummos projicere in concham prætendebat ſpeciem mali, emendari & aboleri talem conſuetudinem juſſit Eccleſia.* Eximia erat iſta caſtitas, ſed videtur Hiſpaniam non exceſſiſſe. Etenim in oratione de ſanćto Baptiſmate exclamat ad pauperes Catechumenos ſanćtus Gregorius Nazianzenus: *Turpe eſt dicere, ubi eſt munus quod propter Baptiſmum offeram?* Muneris iſtius conſuetudinem vigere ſupponit, verùm non extendi ad pauperes, ideoque ejus cauſa Baptiſmum ab illis non differendum. Quod Judæorum Patriarcha Ellel Tiberiadenſi Epiſcopo in Baptiſmate obtulerit grandem auri ſummam, teſtatur in Ebionitarum hæreſi ſanćtus Epiphanius. Et de ſuo Baptiſmate ſcribit ad Sulpitium Severum ſanćtus Paulinus: *Fuſis redimens ſua crimina nummis.* Erat oblatio plenè gratuita citra omnem exaćtionem. Cap. 40. Cap. 4. 6. Ep. 12

Verùm ad Lucaniæ, Brutii, ac Siciliæ Epiſcopos ſcribit ſanćtus Papa Gelaſius: *Sacerdotes baptizandis pretia nulla præfigant, nec illationibus quibuſlibet impoſitis exagitare cupiant renaſcentes, quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur. Et ideò nihil à prædićtis prorſus exigere moliantur, quo vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione revocati, redemptionis ſuæ cauſas adire deſpiciant.* Cunćtis aliquid deinceps exaćturis minatur honoris periculum, ſeu degradationem. Similem Canonem quaſi ex neſcio qua Carthaginenſi Synodo adducit Gratianus: *Placuit ut unusquiſque Epiſcopus per Eccleſias ſuas hoc faciat, ut qui infantes ſuos ad Baptiſmum offerunt, ſi quid voluntariè pro voto ſuo offerunt, ab eis ſuſcipiatur; ſi verò per neceſſitatem paupertatis aliqui non habeant quod offerant, nullum eis pignus violenter abſtrahatur à Clericis. Nam multi pauperes hoc timentes, filios ſuos a Baptiſmo retrahunt. Quidam verò, dum differuntur, ſi ſine gratia Baptiſmi de hac vita receſſerint, neceſſe eſt ut ab illis eorum perditio requiratur, quorum ſpolia pertimeſcentes, à Baptiſmi gratia ſe ſubtraxerunt.* Quod facinoroſa hæc avaritia quandoque in Clero graſſata ſit, docet nos etiam venerabilis Rupertus Tuitienſis Abbas in vita ſanćti Hereberti Archiëpiſcopi Colonienſis: *Pauperi cuidam infantulus natus erat. Is quia pauper erat, & quia nihil quæſtus in manu habebat, contemnebatur à Sacerdotibus, per totam urbem Coloniam puerulum illum circumferens, & eidem filiolo regenerationis gratiam offerri poſtulans. Defeſſus ergo & contemptus, ad ſanćtum recurrit Heribertum Pontificem, & quod tali in re contemptus eſſet, magna & flebili voce conqueſtus eſt. Ille ut verè ſapiens, currens, inquit, ad-* Cap. 23.

*fer illum ad me, ego enim illum habeo baptizare. At ille: Suſcipe, inquit, ergo eum tu quoque de ſacro fonte, & compater meus eſſe dignare. Baptizavit itaq; pauperculum, non pro perſonis noſtræ ſalutis appendens Sacramentum: Suo nimirum facto & exemplo tantæ civitatis tam multos redarguens Presbyteros, quod auſi fuiſſent fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti habere in acceptione perſonarum.* Laudatum tamen Canonem, licet adducto Gelaſiano utcumque conſonet, numquam crediderim eſſe Carthaginenſem aut ſæculi quinti. Pauperibus baptizandorum puerorum parentibus violenter pignus abſtrahere eſt ab iſtius temporis Sanctimonia nimis alienum. Etenim quod in Baptiſmate convivium, & candidas neophytorum veſtes tunc conſuerint Epiſcopi donare pauperibus, oſtendi poſſit vario exemplo. Laudatus ergo Canon eſt ſeptimus ſecundæ Bracarenſis, habitæ ſub Pontificatu Joannis tertii, & nonus Synodi Emeritenſis, celebratæ ſub Papa Vitaliano. Ex quo vides Eliberini Canonis caſtitatem nec in ipſa Hiſpania dudum perſeveraſſe. Eam tamen reſumpſiſſe videtur undecima Toletana Synodus, Simoniæ damnans Presbyterum, qui pro baptizandis prœmia acceperit, etiam ſponte oblata. Dico, *videtur*: Utique ex lectione Garziæ Loayzæ. Etenim antiqua lectio non habet, *Etiam voluntariè oblata*; ſed, *Niſi voluntariè oblata.*

Quidquid ſit, juxta laudatum ſancti Gelaſii Canonem omnis dudum Eccleſia vixit. Hunc enim in ſenſum intelligo Carolum Magnum in Ca-
Cap. 12. pitulari Epiſcoporum: *Nullus Presbyter Baptiſmatis Sacramentum pro aliquo pretio vendere præſumat.* Et Hedenulphum Laudunenſem Epiſcopum, niſi priùs profeſſum quod à baptizandis nihil exigi permitteret in ſua Parochia, conſecrare noluit Hincmarus Metropolita Remenſis: Eam eſſedixit regulam Eccleſiæ Romanæ. Etenim antiqui Romani Ordinis
Fol. 174. ad Presbyteros admonitio ſic habet: *Nullus veſtrum pro baptizandis infantibus prœmium vel munus exigat.* Et in ſuo Capitulari ſtatuit Herardus
Cap. 31. Archiëpiſcopus Turonenſis: *Ut nullus pretium pro Baptiſmo accipiat.* Et in ſua apud Guilielmum Malmesberienſem Synodo ſanctus Cutbertus
Fol. 197. Archiëpiſcopus Cantuarienſis: *Presbyteri non accipiant pretium pro baptizandis pueris.* Et in ſua ad omnes Parochos inſtructione Leo Papa IV. *Nullus veſtrum pro baptizandis infantibus prœmium vel munus exigat.* Repetit verba Ordinis Romani. Et in Remenſi ſua Synodo ſanctus Leo nonus: *Ne quis ſuo Baptiſmo quidquam exigat.* Quæ omnia Decreta ſunt Henrico quarto anteriora: Oſtendunt exactionis luem frequenter in Eccleſia fuiſſe.

Adversùs graſſantem ſub dicto Henrico ſcabiem ſtatuit varia Gregorius ſeptimus, & in Placentina Synodo ſingulariter de Baptiſmo ſucceſſor
Cap. 13. ejus Urbanus ſecundus: *Pro Baptiſmo nihil unquam exigatur.* Eam nuper

publi-

publicavit illuſtriſſimus D. Lucas Holſtenius adverſùm illos, qui ejus quidem Decreta norant, ſed adſcripſerant tertiæ Romanæ ejuſdem Pontificis Synodo. Et in ſuis pro Gallicana Eccleſia conſtitutionibus Gualo Cardinalis, Paſchalis ſecundi Pontificis Legatus: *Prohibemus ſub excommunicatione, ne Sacerdotes vel Clerici, occaſione alicujus conſuetudinis, pro Baptiſmo, aliiſq; Sacramentis Eccleſiaſticis, aliquid exigere vel extorquere præſumant, ſed ea liberaliter & ſine difficultate ſtudeant canonicè miniſtrare. Moneantur tamen Laici diligenter, ne quod pro reverentia Sacramentorum devotio fidelium introduxit, ex avaritia velint aliquatenus revocare.* Quod ipſum in ſua Lateranenſi Synodo ſtatuit Innocentius ſecundus, & adjunxit: *Nec ſub obtentu alicujus conſuetudinis ante vel poſt à quoquam aliquid* Cap. 2. *exigatur, vel ipſe* initiatus *dare*, utique ad Miniſtri exactionem, *præſumat, quoniam Simoniacum eſt.* Joannes de Crema, Honorii ſecundi per Angliam Cardinalis Legatus, in Londinenſi, Calixtus ſecundus in Remenſi Synodo, & alii plures idem tunc confirmarunt. Et in ſua apud Rogerum Hovedenſem exſtante Londinenſi Synodo Richardus Primas Cantuarienſis: *Dictum eſt ſolere in quibuſdam locis pro Baptiſmo nummos* F. 543. *dari.* Definit eſſe Simoniam, damnatque anathemate. De omnibus generatim Sacramentis idem in ſua Lateranenſi Synodo ſtatuit Alexander III. & addit: *Plures putant ſibi ex hoc licere, quia legem mortis de longa invaluiſſe conſuetudine arbitrantur, non ſatis, quia cupiditate excæcati ſunt, attendentes, quod tantò graviora ſint crimina, quantò diutius animam tenuerint alligatam.* Circa Leonis IX. tempora hæc mortis lex adeò graſſabatur, ut de S. Adelberone Metenſi Epiſcopo, tamquam grande miraculum ſcribat apud Philippum Labbæum antiqua ejus vita: *Mandatum Dominicum*, GRATIS ACCEPISTIS, GRATIS DATE, *Præſul venerabilis perfectiſſimè adimplens, & dum vixit veriſſimè cuſtodiens, numquam pro Eccleſiaſticis officiis, nunquam pro ordinandis ſui clauſtri Miniſtris, ne dum Abbatibus Monaſteriorum, quos uſque ad quadragenarium ferè numerum conſecravit, præmium aut quodpiam munus accepit, ſimoniacamq; hæreſim, ut venenum mortiferum, mortemq; venenatam, ſemper exhorruit & aufugit.*

Notanda ſunt Cardinalis Gualonis verba: *Moneantur tamen Laici diligenter, &c.* Continent exordia tertiæ in Eccleſia diſciplinæ. Prima quid etiam gratis offerri aut oblatum accipi, ſecunda quid exigi vetuit in Baptiſmo, tertia hoc tandem permiſit, verùm ſub certo moderamine, de quo venerabilis Odonis, qui ſub Gregorio octavo Pariſienſem rexit Eccleſiam, Capitulare ad titulum de Baptiſmo: *Pro Baptiſmo nihil omnino ante exigatur, ſed poſt laudabilis conſuetudo exigi poteſt.* Et in Oxonienſi, ſub Honorii tertii Pontificatu celebrata, Synodo Stephanus Primas Can-

tuarienſis: *Firmiter inhibemus, ne pro aliqua pecunia denegetur Baptiſmus, vel aliquod Eccleſiaſticum Sacramentum. Quoniam ſi quid pro devotione fidelium conſueverit erogari, ſuper hoc poſtmodum volumus per Ordinarium loci Eccleſiæ juſtitiam exhiberi, ſicut in generali Concilio expreſſius & diffuſius eſt ſtatutum.* Utique in generali Innocentii tertii Pontificis Lateranenſi Synodo, cujus hic eſt Canon ſexageſimus ſextus: *Ad Apoſtolicam audientiam frequenti relatione pervenit, quod quidam Clerici pro exequiis mortuorum & benedictionibus nubentium, & ſimilibus pecuniam exigunt & extorquent, & ſi fortè cupiditati eorum non fuerit ſatisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. E contrà verò quidam Laïci laudabilem conſuetudinem erga ſanctam Eccleſiam, pia devotione introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere ſub prætextu canonicæ pietatis. Quapropter & pravas exactiones ſuper his fieri prohibemus, & pias conſuetudines præcipimus obſervari, ſtatuentes ut liberè conferantur Eccleſiaſtica Sacramenta, & per Epiſcopum loci, veritate cognita, compeſcantur qui malitiosè nituntur laudabilem conſuetudinem immutare.* Verba, *Ex fermento hæreticæ pravitatis*, notant eo tempore graſſantes Albigenſes, qui adductis jam pro prima & ſecunda Eccleſiæ priori diſciplina Canonibus freti, omnem in Sacramentis, etiam poſt ipſa collata & ſub conſuetudinis obtentu, exactionem damnarunt de Simonia, blaterantes omnem Chriſtianitatem eſſe lapſam in hanc peſſimam hæreſin, & periiſſe. Ex hac radice natus Joannes de Purneie, apud Anglos homo Wicleffiſta, omnes generatim, quod pro Eccleſiarum conſecrationibus aliquid exigerent, Epiſcopos
A.1382. blateravit Simoniacos atque hæreticos, uti teſtatur Henricus Cnyghtonus. Calumnia quibuſdam viſa eſt habere aliquid fundamenti, ideoque deducta fuit ad generalis Synodi examen: Eam tamen ſprevit laudatus Pontifex, ſtatuitque nemini ex quovis titulo negari Sacramenta aut ſepulturam, nihil antea pro ipſis exigi, ſed poſtea poſtulari poſſe conſuetam eleëmoſynam, & ad ejus impartitionem duros fideles per Epiſcopum cogi. In ſua poſtmodum ſub Eugenio quarto habita Synodo Nicodemus de Scala Friſingenſis Epiſcopus addidit: *Diſtrictè præcipiendo interdicimus, ut quiſquis Sacerdotum pro adminiſtratione ullius Sacramenti vel Sacramentalium paciſcatur de ſibi danda pecunia, nec aliquo alio æquivalenti pro eâdem, ſed volumus diſpoſitis abſque dilatione, tempore & loco congruis, adminiſtrari & exhiberi ſecundùm ritum Eccleſiæ. Verùm quod rationis & juris explorati exiſtit, quod ſocii paſſionum ſint pariter & ſocii conſolationis, permittimus ex poſt exigi, etiam cum imploratione officii Judicis, quantitatem in talibus conſuetudine deciſam, ad quam Laïcos hortamur, & quantum de jure eſt diſtringimus, & compelli volumus.*

Quæſtio eſt, an iſtam, toties & adeò graviter de Simonia damnatam,

ſeu

Digitized by Google

ſeu ante ſeu poſt exigendi conſuetudinem purgare potuerit Innocentii tertii Synodus ac probare? Reſpondeo à cunctis Eccleſiaſticæ diſciplinæ dilectoribus optari, ut Eccleſia in avita caſtitate & ſanctimonia manſiſſet. Cordis noſtri duritia extorſit aliud permitti. Duritia illa, adverſùs quam apud Rogerum Hovedenſem dicunt Decreta Abrincenſis in Normandia Synodi, factæ per Cardinales Albertum ac Theoduinum, Legatos Alexandri tertii: *De exactionibus pro Baptiſmo nihil perfectum eſt, quia Epiſcopi Normandiæ Decretum illud recipere noluerunt.* Utique Decretum, quo quid in Baptiſmo exigi vetabatur. Latiùs hæc referunt Joannes Bromptonus Abbas Jornalenſis, & Gervaſius Monachus Cantuarienſis. Similes in omni Gallia Epiſcopos reperit Gualo Cardinalis, qui vel ipſi, vel ipſorum Cathedralia aut Collegiata Capitula poſſidebant Parochialium Eccleſiarum Decimas, ideoque volebant de ipſis ſplendidè vivere, & miſeros Parochos eſurire, atque ita cogi ad victitandum de ſolis oblationibus aut exactionibus Sacramentorum. Crevit adſiduè malum, & ſua extirpante manu validius reperit laudatus Innocentius: Hinc Epiſcopos & alios Parochialium Decimarum poſſeſſores ad plenam Parochorum ſuſtentationem cogere non valens, antiquam ſpontaneæ in Baptiſmo & quibuſvis Sacramentis oblationis conſuetudinem admiſit in legem ac neceſſitatem, permiſitque exigi, at poſt datum gratis Sacramentum. Non ſacri miniſterii, ſed Clericalis alimentationis titulo per debitæ eleëmoſynæ medium fit exactio iſta, atque ita pura eſt à lepra Simonis. Attamen Epiſcopi, & alii jam dictas Decimas poſſidentes Prælati, eorumque Capitula ac Monaſteria, rigidum coram Deo onus portant dandæ Parochis ſuſtentationis integræ, & miſeras plebes liberandi ab exactionibus variis, ſuſpectis & offenſivis, ad quas iſti à paupertate coguntur. De qua re largiùs ſuo loco.

Fol. 531.

A. 1178.

A. 1172.

Secundum Sacramentum eſt Chriſtiana Confirmatio, circa quod olim ſimul cum Baptiſmo conferri ſolitum adductos jam Baptiſmales Canones antiqua ſervavit Eccleſia. Elementum ejus eſt Chriſma, utcumque pretioſum. Hinc variam de illo exactionem poſterior vidit ætas, & damnavit. Prima id fecit Bracarenſis Synodus ſecunda: *Placuit ut modicum balſami, quod pro Baptiſmi Sacramento Eccleſiis datur, quia à ſingulis tremiſſis pro ipſo exigi ſolet, nihil ulteriùs exigatur.* Exactio fiebat ab Epiſcopo: Eam Synodus damnat ut ſuſpectam Simoniæ. Quod ipſum facit ſub Gregorio Magno habita Barchinonenſis Synodus: *Nihil pro liquoris pretio exigatur.* Utique per Epiſcopum à Presbyteris Parochialibus. Sponte oblatum accipi permittit Synodus Emeritenſis. Eadem exactio in Gallia adeò viguit, ut ad ſeptimi ſæculi medium Landericus Pariſienſis Epiſcopus in ſuo, quod ſancti Dionyſii Monaſterio dedit, Synodali privilegio

Cap. 4.

Cap. 2.

Cap. 9.

interuerit hunc articulum: *Volumus, & pro ſancti Dionyſii Martyris reverentia concedimus, ut ſine pretio Chriſma & oleum ſuſcipiant.* Idem privilegium Corbeienſi Monaſterio dedit cum quindecim Collegis Bertefridus Epiſcopus Ambianenſis. Et hinc Gallicanæ Eccleſiæ ſub Merovingiis Regibus lapſam diſciplinam reparans Carolus Magnus, ſtatui voluit à

Cap. 16. Cabilonenſi Synodo: *Quidam fratres dixerunt conſuetudinis antiquæ fuiſſe in eorum Eccleſiis, ut pro balſamo emendo ad Chriſma faciendum, ſive pro luminaribus Eccleſiæ concinnandis, binos vel quaternos denarios Presbyteri darent. Unde omnes uno conſenſu ſtatuimus, ut ſicut pro dedicandis Baſilicis & dandis Ordinibus nihil accipiendum eſt, ita etiam pro balſamo ſive luminaribus emendis nihil Presbyteri Chriſma accepturi dent. Epiſcopi itaq; de facultatibus Eccleſiæ Balſamum emant, & luminaria ſinguli in ſuis Eccleſiis concinnanda provideant.* Radicem peſſimam, ſub Caroli filio Ludovico repullulan-

L. 1. c. 5. tem, exſcidit denuò ſecunda Synodus Aquiſgranenſis: *Nullus Epiſcoporum vel Miniſtrorum ipſorum pro acceptione ſacri Chriſmatis aliquid exigere præſumat.* Et ſub Ludovici filio Carolo Calvo Synodus Meldenſis:

Cap. 45. *Nemo Epiſcoporum, vel quilibet Miniſter Eccleſiaſticus propter ſacrum Chriſma aliquid muneris accipiat, neque denarios, vel qualibet munuſcula, quæ per Miniſtros Epiſcoporum inordinabiliter exiguntur.* Exactionem hanc eſſe nefariam ſcripſit in canonicis ad Laudunenſem Eccleſiam litteris Hincmarus Metropolita Remenſis, ideoque ejus Electum Hedenulfum conſecrare noluit, niſi facta ejus ſolenni ejuratione. Etiam in ſuis ad Archi-

L. 5. c. 5. Diaconos Capitulis edixit: *Ne apud Presbyteros, quando pro Chriſmate accipiendo venerint, Eulogias exigant.* Spontè oblatum permittit accipi.

Malum etiam in Anglia fuiſſe graſſatum uſque ad tempora ſancti Lanfranci Cantuarienſis Archiëpiſcopi, qui illud è multis proſcriptum Ec-

A. 1120. cleſiis reliquit in propria, teſtatur Guilielmus Thorne. Et huic fundamento nixa fuit longa & dura Monaſterii Cathedralis cum ſancti Auguſtini cœnobio ſub Theobaldo Archiëpiſcopo lis de Chriſmalibus exactionibus, quas Auguſtinenſes Monachi Simoniacas, & à variis Romanorum Pontificibus damnatas, cum dicto autem Archiëpiſcopo Cathedrales Monachi adſerebant, non pro oleo & balſamo, ſed exigi ſubjectionis titulo, ideoque eſſe immaculatas. Nam quod ſubjecta Eccleſia imperanti Eccleſiæ quid annuè pendat in ſubjectionis & prælationis notam, eſt antiquiſſima conſuetudo. Hinc Auguſtinenſes Cathedralibus tandem in perpetuum dederunt quamdam poſſeſſionem ea lege, ut illis deinceps Archiëpiſcopus Chriſma, Oleum, Sacramenta omnia gratis adminiſtra-

A. 1143. ret. Rei ſeriem latiùs refert laudatus Guilielmus. Et hinc Cathedralibus

1144. favens Richardus Prior Haguſtaldenſis adfirmat, quod Anglic. Eccl. ſuis

1139. Epiſcopis & ipſorum Archi-Diaconis debeant pro Chriſmate aliquam conſue-

Digitized by Google

conſuetudinem. Quoſpiam nummos ſolere exigi ſcribit Gervaſius Mona- L. 2. c. 3.
chus Cathedralis. Quod Eboracenſis Diœceſeos Parochiales Eccleſiæ ſep- A. 1175
tenos, Capellæ quatuor denarios penderent, teſtatur in opere de Ebora-
cenſibus Epiſcopis Thomas Stubs, laudans Turſtinum Archiëpiſcopum,
qui eos in perpetuum remiſit. Eos à Richardo Cantuarienſi Archiëpiſco-
po, ſancti Thomæ proximo ſucceſſore, fuiſſe de Simonia damnatos ad-
dit laudatus Gervaſius, ejuſque Londinenſem Canonem refert Roge- F. 543.
rus Hovedenſis: *Dictum eſt ſolere in quibuſdam locis pro perceptione Chriſ-
matis nummos dari.* Damnat ut Simoniam ſub anathemate. Quod ipſum
rigidiſſimè confirmavit Hubertus Archiëpiſcopus, cujus Canonem vide
apud eundem Rogerum. Damnarunt item Joannes de Crema, Cardi- F. 808.
nalis Legatus Honorii ſecundi in Synodo Londinenſi, & in Oxonienſi Cap. 2.
Stephanus Archiëpiſcopus Cantuarienſis, addens exactionem hanc eſſe
rem abſurdam, & jam toties damnatam.

Abuſum in Romana etiam Eccleſia fuiſſe graſſatum adfirmant Græci Schiſmatici, de quibus incogniti Auctoris Tractatus repertus Conſtantinopoli in Conventu Patrum Prædicatorum: *Tertia ſchiſmatis occaſio fuit, quam Græci aliquando nobis in familiari colloquio adſignaverunt, ſcilicet ſuperba nimis exactio Legatorum Papæ. Dicebant namque referentes, quod quando Legati Summi Pontificis ab ipſa Sede Apoſtolica annuatim Chriſma deferebant, niſi octoginta libras auri à Clero & urbis populo, præter alia dona & munuſcula, eiſdem impenderentur, non recedebant. Taceo agere, ajebant, de pompa & ſuperbia, quam ipſi oſtendebant.* At certum eſt eſſe fabulam. Etenim Chriſma per Legatos Apoſtolica Sedes nunquam miſit Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, nec ulli Græcæ: Niſi forſan Photianis temporibus Nicolaus primus, aut Adrianus ſecundus miſerit in Bulgariam, & tunc quid ſordidi commiſerit Formoſus Portuenſis Epiſcopus, de quo actum eſt abundè ad octavam Synodum. Nos Latini ex ſolo oleo & balſamo, Græci inſuper ex plurimis odoribus Chriſma ſemper confecerunt: Quomodò igitur nos poſſumus ad ipſos tranſmiſiſſe? Ejuſmodi tranſmiſſionis nulla exſtat authentica memoria. Apud ipſos ſoli Patriarchæ conficiunt, & ad omnes ſuæ Diœceſis Metropolitas & Epiſcopos tranſmittunt: Hinc enim Bulgarorum Archiëpiſcopo, dum ad Romanam communionem reverſo tranſmittere noluit Patriarcha Conſtantinopolitanus, illius conſecrandi poteſtatem fecit Innocentius tertius, uti tradit ejus vita, publicata per Franciſcum Boſquettum, Epiſcopum Montis Peſſulani. Hinc forſan ſumpta occaſio, ut Græci Schiſmatici fabularentur illud olim fuiſſe conſecratum à ſolo Romano Pontifice, tranſmiſſumque ad omnes ubique Patriarchas. Eſt fabula, cujus neque Photius, neque Michaël Cerularius, neque Nicetas Pectoratus, neque



Digitized by Google

Marcus Epheſius meminit, neque octava Synodus, aut Florentina.

Quidquid ſit, exactiones has Romana Eccleſia ſemper rigidiſſimè damnavit. Etenim ad ipſas ſingulariter ejerandas adegit Widonem Mediolanenſem Archiëpiſcopum, dum ab omni Simonia iſtam purgavit Eccleſiam, Nicolai ſecundi Pontificis Legatus ſanctus Petrus Damiani. Quod eas in Placentina, Turonenſi, & Claromontana Synodo damna-
A. 1094. rit Urbanus ſecundus, teſtatur Bertholdus Presbyter Conſtantienſis. Eſt
1096. in Placentina, per Lucam Holſtenium publicata, Synodo Canon tertius decimus. Et in Remenſi apud Rogerum Hovedenſem Synodo ſtatuit Calixtus ſecundus: *Pro Chriſmatis & ſacri Olei receptione nullum pretium exigatur.* Quod ipſum eiſdem verbis in Lateranenſi Synodo ſtatuit Innocentius ſecundus, Eugenius tertius in Remenſi, Alexander tertius in Turonenſi, ac Lateranenſi. Et ad Abbatiſſam & Conventum Aure-
L. 2. Ep. 46. gniacenſem ſcribit Innocentius tertius: *Pro Oleo ſancto, vel alio quolibet Eccleſiaſtico Sacramento Epiſcopus, vel Archi-Diaconus ſub obtentu conſuetudinis, vel quolibet alio modo quidquam exigere vel extorquere non præſumat.* Loquitur ex laudata Alexandri tertii Synodo Turonenſi: *Nec ſub obtentu conſuetudinis reatum ſuum aliquis tueatur. Quia diuturnitas temporis non minuit peccata, ſed auget.* Et ex laudata ejuſdem Lateranenſi Synodo: *Putant plures ex hoc licere, quia legem mortis longa conſuetudine invaluiſſe arbitrantur, non attendentes quod tantò graviora ſunt crimina, quantò diutiùs infœlicem animam tenuerint alligatam.* Quem utrumque Canonem ſuis ad
Cap. 8. 9. titulum de Simonia Decretalibus inſeruit Gregorius nonus. Apud eundem idem Alexander ſcribit ad neſcio quem Epiſcopum: *Audivimus*
Cap. 16. *quod nummos pro Chriſmate ab Eccleſiis extorquetis, quos nunc Cathedraticum, aliquando Paſchalem præſtationem, interdum Epiſcopalem conſuetudinem appellatis.* Exactionem damnat de Simonia. Et ad Cantuarienſem
Cap. 36. Archiëpiſcopum Innocentius tertius: *Pervenit ad audientiam noſtram quod cum olim quidam Suffraganei tui pro Chriſmate certam conſuerint accipere pecuniæ quantitatem, non metuentes pœnam Canonicam, & correctionem tuam eludere cupientes, tempus faciendæ ſolutionis anticipant, recipientes in media Quadrageſima quod recipere conſuevere poſt Paſcha, & ut cauſam recipiendi diſſimulent, nomen denariorum variant, denarios, quos priùs Chriſmales, ſecundò Paſchales dicebant, conſuetudinem mediæ Quadrageſimæ nuncupantes.* Eam adfirmat nequiſſimam, utpote quæ fiat anticipato pretio, venditionem ac Simoniam, mandatque funditus eradicari. Ex quibus omnibus vides vitium fuiſſe dudum graſſatum in Eccleſiis, & ab ipſo ſemper alieniſſimam fuiſſe Eccleſiam Romanam.

Quod etiam in ipſa Confirmatione quidam olim Epiſcopi exegerint, lucet ex ſancti Gelaſii Pontificis decretalibus litteris ad Lucaniæ Epiſcopos:

Digitized by Google

pos : *Conſignandis fidelibus pretia nulla Epiſcopi præfigant.* Et undecima Toletana Synodus , non pro Chriſmate , ſed pro conſignandis fidelibus vetat aliquid accipi , niſi ſpontaneè oblatum. Nempe poſt damnatum à Barchinonenſi & ſecunda Bracarenſi Synodo , qui pro Chriſmate exigebatur per Epiſcopos ab Eccleſiis Parochialibus , tremiſſem cœperant ab ipſis conſignandis aliquid exigere Hiſpani Epiſcopi : Et iſtud damnat laudata Synodus Toletana. Alibi graſſatum fuiſſe hunc abuſum non lego.

Tertium Sacramentum eſt ſacro-ſancta Euchariſtia , de qua etiam quod olim cum Baptiſmo daretur , omnino intelligendus eſt ſanctiſſimus , ſuprà adductus , Canon Eliberinus. De adultorum Euchariſtia ſtatuit vigeſimus tertius Canon Trullanus : *Ut nullus , ſive Epiſcopus , ſive Presbyter , ſive Diaconus , immaculatam tribuens communionem , ab eo qui communicat , ejus participationis gratia , obulos vel quamlibet aliam ſpeciem exigat.* Exactionem damnat de Simonia , & exactorem mandat ut Simoniacum degradari. Et iſtum Canonem ſic commentatur Theodorus Balſamon : *Cum ſatis longo ab hinc tempore in quodam loco , qui Calobychas appellatur , & in Cherſoneſi regione poſitus eſt , ſancta Dominica Paſchæ Chriſti Reſurrectionis diverſarer , vidi quaſdam illius regionis mulierculas , & quoſdam homunculos , poſt matutinam Divinam Pſalmodiam ad Catholicæ Eccleſiæ templum confluentes , cum ovis gallinæ panis fermento mixtis , & aliis quibuſdam eſculentis , vel etiam ad aliquid aliud aptis , & interrogavi quamnam ob cauſam hoc fieret , & audivi quod unuſquiſque iis , quibus poteſt , Sacerdotem donis , qui populo Divina Sacramenta porrigit , proſequitur. Neque enim aliter cui quam licet Sacerdotem adire , & Divina ab eo Sacramenta percipere. Et tunc quidem reprehendi quod fiebat.* Damnat de Simonia. Quod judicium etiam in Latina Eccleſia ſemper viguiſſe adversùm ſimiles quorumdam Parochialium Presbyterorum abuſus, in dicti Canonis ſcholio oſtendi. Similis enim oblatio non eſt ſpontanea , ſed extorta.

Quintum Sacramentum eſt Extrema Unctio , de quo in Remenſi Synodo ſtatuit ſanctus Papa Leo nonus : *Ne quis pro infirmorum viſitatione aliquid exigat.* Quod ipſum in alia ibidem Synodo ſanxiſſe Calixtum ſe- A. 1119.
cundum teſtantur Richardus Prior in libro de bello Standardico , & Simeon Monachus Dunelmenſis. Et in Londinenſi Synodo Joannes Car- A. 1148.
dinalis de Crema : *Pro viſitatione infirmorum , ſeu Unctione pretium non exi-*
*gatur.* Et in alia ibidem apud Rogerum Hovedenſem Synodo Richardus F. 533.
Primas Cantuarienſis : *Pro Extrema Unctione nihil exigatur.* Confirmant Turonenſis ac Lateranenſis ſub Alexandro tertio Synodorum Decreta , quæ in ſua Londinenſi executus eſt Primas Hubertus. Et in ſuo Capitulari ad titulum de Extrema Unctione Odo Pariſienſis Epiſcopus : *Nihil inde penitùs exigatur , ſive à paupere , ſive à divite , ſed ſi quid gratis datum*



Digitized by Google

*fuerit accipiant.* Quod ipſum ſtatuiſſe Turſtinum Eboracenſem Archiëpiſcopum laudat Thomas Stubs in Actis Pontificum Eboracenſium. Et hac lege etiam hodie vivimus. Agunt laudati Canones in illos Presbyteros, qui ſanctum Oleum, quod ab Epiſcopis emerant, ipſi quoque vendebant.

Poſtremum Sacramentum eſt Matrimonium, de quo ad Januarium
L. 3. Ep. Calaritanum Epiſcopum, Sardiniæ Metropolitam, ſanctus Gregorius
24. Magnus: *De nuptiis Clericorum*, utique minorum, *nullus, ut nunc fieri dicitur, quidquam præmii accipere præſumat, niſi quidquam ſua ſponte offerre maluerint.* Cur de ſolis Clericorum nuptiis acciperent ac exigerent, ignoro. De omnium generatim nuptiis ſtatuit in Lateranenſi Synodo
Cap. 7. Alexander tertius: *Ne pro nubentibus benedicendis aliquid exigatur, diſtrictius inhibemus.* Et de celebrata per ejus Cardinales Legatos Theoduinum & Albertum Rhotomagenſi Synodo ſcribit Rogerus Hovedenſis: *De benedictionibus ſponſarum nihil perfectum eſt, quia Epiſcopi Normandiæ illud Decretum recipere noluerunt.* Utique Decretum de non exigendo. Ab illis Epiſcopis non multum diſſentire videtur Capitulare laudati Odonis: *Prohibetur diſtrictè, ne ullus Sacerdos aut Capellanus exigat aliquid ante benedictionem nuptialem, ſive pro teſtimonio ferendo, ſive pro Matrimonio celebrando, occaſione ferculorum quæ debentur pro nuptiis; celebrato autem Matrimonio recipiat fercula, & exigat, ſi neceſſe fuerit, ſicuti conſuetum eſt.* Quoniam Parochiales Presbyteros nuptiali convivio adeſſe vetat rigidiſſimè antiquus Patrum Canon, eis ex ipſo fercula mitti permiſit Gallicanæ Eccleſiæ conſuetudo, quæ & iſta fercula ob varia incommoda commutari induxit in oblationem pecuniariam: Hanc oblationem uti debitam exigi permittit Odo, verùm poſt celebratum Matrimonium, & impenſam Sacerdotalem benedictionem. Hinc etiam in Oxonienſi Synodo ſtatuit Stephanus Archiëpiſcopus Cantuarienſis: *Firmiter inhibemus, ne pro pecunia Matrimonium contrahendum impediatur. Quoniam ſi quid pro devotione fidelium conſueverit erogari, ſuper hoc poſtmodum volumus per Ordinarium loci juſtitiam exhiberi.* Ita nuper ſtatutum eſſe dicit in Lateranenſi Synodo Innocentii tertii: Ejus Decretum ſupra expoſui. Simile ſancti Edmundi Cantuarienſis Archiëpiſcopi Decretum laudat Guiliel-
A. 1234. mus Thorne. Etiam Joannes Tuſculanus Epiſcopus, Martini quinti per Germaniam Cardinalis Legatus, obſcœnam quorumdam, nuptialem benedictionem vendentium, abominationem damnat in Salisburgenſi Synodo, & adjungit: *Per hoc non intendimus quod laudabiles conſuetudines infringi debeant, quando poſſint Rectores Eccleſiarum recipere licitè, ſi nubentes poſt benedictionem aliquid offerre voluerint devotionis intuitu & pietatis.* Quæ omnia ad puerperarum purificationem extendit laudatus Archie-

chiëpiſcopus Edmundus. Et iſta lege etiam nos hodie vivimus. Proinde circa omnia Sacramenta diſtingui debet triplex Eccleſiæ tempus ac diſciplina: Prima neque exegit neque accepit, ſecunda accepit ſponte oblatum, tertia etiam exigit, utique ſuſtentationis titulo, ac poſt datum Sacramentum.

## CAPUT VIII.

### *Exponitur oblatio ac exactio in Sacramento Pœnitentiæ.*

ELeëmoſynas eſſe ad Deo pro peccatis ſatisfaciendum longè efficaciſſimas, clamant omnia Chriſtianorum documenta. Et hinc poſtquam quatuor famoſi antiquæ Pœnitentiæ gradus abire cæperunt in diſſuetudinem, ipſorum in locum principaliter ſucceſſit eleëmoſyna, jejuniis tamen ac variis mortificationibus ac epitimiis veſtita, quouſque tandem ſucceſſit & alia Pœnitentialis rigoris relaxatio, de qua ad Alexandrum ſecundum Pontificem ſanctus Petrus Damiani: *Sanctus Rudolfus*, Eugubii Epiſcopus, *ne à lapſis quidem commodum aliquod præter ſolam Pœnitentiam requirebat. Lapſos, inquit, potiùs erigam, quam ex eorum cadaveribus, more corvino, pingueſcam.* Et in litteris ad neſcio cujus Eccleſiæ Epiſcopum: *Non ignoras, quia cum à Pœnitentibus terras accipimus, juxta menſuram muneris eis de Pœnitentiæ quantitate relaxamus, ſicut ſcriptum eſt; Divitiæ hominis, redemptio ejus.* Et in litteris ad Clericos Florentinos: *Cum Sacerdotes Eccleſiæ annoſam indicunt quibuſdam peccatoribus Pœnitentiam, numquid non aliquando certam pecuniæ præfigunt pro annorum redemptione menſuram? Ut nimirum facinora ſua eleëmoſynis redimant, qui longa jejunia perhorreſcunt. Sed quia hæc pecuniæ redemptio in antiquis Patrum Canonibus non reperitur, abſurdum eſſe & frivolum judicabitur? Quod ſi hoc Laïcis indulgetur, ut peccata ſua eleëmoſinis redimant, ne ſurripiente mortis articulo ex hac vita ſine reatus ſui, quod abſit, abſolutione recedant, quid Monacho præcipiendum erit, qui & longam fortè Pœnitentiam, peccatis exigentibus, accepit, & pecunias olim, quibus redimatur, funditùs abjecit?* Uti Laïcis pecuniâ, ita Monachis voluntaria flagellatione ſuadet & probat redimere peccata, & hiſce injunctas Canonicas ac Sacramentales ſatisfactiones. Et in litteris ad neſcio quem Monachum: *Canonica vetat auctoritas, ut Pœnitenti Sacerdos unius diei jejunium non relaxet, niſi ad præſens digni pretii taxatione per eleëmoſynam compenſet.* Et de ſuis apud Mediolanenſem, cujus & caput & membra de varia Simonia punivit ac purgavit, Eccleſiam Actis ſcribit: *Widoni Archiëpiſcopo centum annorum Pœnitentiam indidi, redemptionemq; ejus taxatam per unumquemque annum pe-*

L. 1. Ep. 19.

L. 4. Ep. 12.

L. 8. Ep. 5.

L. 6. Ep. 20.

*cuniæ quantitate præfixi.* Quibuſdam iſtic Clericis quinque, quibuſdam ſeptem annorum Pœnitentiam, & bina aut terna ſingulis ſeptimanis jejunia injunxit, & addidit: *Qui jejunare facilè non poteſt, unam ex his diebus redimere licentiam habet, ita ut unum Pſalterium meditetur, aut medium cum quinquaginta metaneis*, id eſt, genuflexionibus, *aut unum pauperem paſcat, & lotis pedibus nummum porrigat.* Ex quo vides redimendæ ſatisfactionis morem fuiſſe tunc adeò ſolemnem, ut quomodò ſingula peccata ſuam pœnitentiam, ejuſque qualitatem & tempus, ita & ſingulæ pœnitentiæ ſuam redemptionem, ejuſque modum, & pro ſingulis annis, menſibus, diebus taxam haberent à Canonibus & Pœnitentialibus libris præfixam. Pœnitentialis Romanæ Eccleſiæ liber, quem ſuo tempore exſtantem & uſitatum laudat ſancti Ivonis Carnutenſis Epiſcopi Decretum, habebat hanc regulam: *Centum ſolidi dati in eleëmoſynam annum excuſant.* Ejuſmodi plures aliarum Eccleſiarum Canones laudatus Ivo iſtic adducit.

L. 15. ca. 106.

Rectè ſanctus Petrus Damiani adfirmat redemptionem iſtam non haberi in antiquis Canonibus. Etenim ſimilem redemptionis Canonem, quem Alexandro primo adſcribit in ſua Conciliorum collectione Severinus Binius, certum eſt eſſe ſuppoſitum & multò poſteriorem. Ejus interim meminit ſub Benedicti octavi Pontificatu habita Synodus Salegunſtadienſis: *Omnes bannitum jejunium diligentiſſimè obſervent. Et ſi quis octo rerum*, tali jejunio *interdictarum aliquam redimere voluerit, unum pauperem, prout facultas ſua erit, eodem die reficiat.* Et ſub Joanne decimo per Sedulfum Metropolitam facta Remenſis Synodus *decernit hanc Pœnitentiam his, qui in bello Sueſſionis inter Robertum & Carolum*, de Francorum regno contendentes, *acto interfuerant, injungendam*: *Videlicet ut tribus Quadrageſimis per tres annos agant Pœnitentiam, ita ut prima Quadrageſima ſint extra Eccleſiam, & in Cœna Domini reconcilientur. Omnibus verò his tribus Quadrageſimis, ſecunda, quarta, & ſexta feria, in pane, ſale, & aqua jejunent, aut redimant.* Et in ſuo ad Parochiales Presbyteros Capitulari Iſaac Lingonenſis Epiſcopus: *Nullus Presbyter aut Laicus Pœnitentem cogat vinum bibere, aut carnem manducare, niſi ad præſens pro ipſo unum vel duos denarios juxta qualitatem Pœnitentiæ dederit.* Verbum *Cogat*, idem vult quod, *Permittat.* Et Herardus Archiepiſcopus Turonenſis: *Pœnitentem nullus cogat manducare aut bibere, niſi redemptio permiſſa ſit, ita tamen ut pro eo priùs donet coram ipſo redemptionem.* Ex quo vides redemptionem non potuiſſe credito fieri, ſed debuiſſe præmitti: Et aliquando Pœnitentis arbitrio permiſſam à Canone, quandoque opus fuiſſe auctoritate & gratia Epiſcopali. Et in ſuo ad Parochos Capitulari Leo Papa quartus: *Nullus Pœnitentem invitet carnem manducare & bibere vinum,*

Cap. 15.

L. 1. c. 1.

Cap. 26.

Digitized by Google

*num, niſi pro eo ad præſens eleëmoſynam faciat.* Quod ipſum habet antiquus Ordo Romanus. Et in litteris ad Auguſtam ſuam uxorem Fuſtradam Carolus Magnus, laudans Litanias ob ſuam de Barbaris Avaribus victoriam indictas: *Et à vino & à carne ordinaverant Sacerdotes noſtri, qui propter infirmitatem, aut ſenectutem, aut juventutem abſtinere poterant, ut abſtinuiſſent, & qui redimere voluiſſet, quod vinum licentiam habuiſſet bibendi ipſis tribus* Litaniarum *diebus, ditiores & potentiores homines in unaquaque die ſolidum unum dediſſent, minus potentes juxta poſſibilitatem ipſorum, & qui ampliùs dare non poterat, & vinum bibere volebat, ſaltem vel unum denarium donaſſet.* Et ſanctus Cutbertus, qui ad octavi ſæculi medium floruit Archiëpiſcopus Cantuarienſis, ſtatuit in ſua Choveshovienſi Synodo: *De hoc*, utique de divitibus peccatoribus Pænitentias pecunia redimentibus, *prolixiùs diſputandum eſt, ideò quia nuper quidam dives ſecundùm hoc ſæculum, petens Reconciliationem pro magno quodam ſuo facinore ſibi citiùs dari, adfirmans in litteris ſuis idem nefas juxta multorum promiſſa in tantùm eſſe expiatum, ut ſi deinceps vivere poſſit, trecentorum annorum pro eo plene jejunium ſatisfactionum modis, per aliorum ſcilicet Pſalmodiam, & jejunium, & eleëmoſynas perſolutum eſſet, excepto illius jejunio, & quamvis ipſe utcumque aut parum jejunaret. Ergo ſi ita per alios placari poteſt Divina Juſtitia, cur divites, non ſtulti promiſſores, qui pro ſuis flagitiis aliorum innumera poſſunt præmiis jejunia redimere, difficiliùs voce veritatis Regnum intrare cœlorum, quam per foramen acûs Camelum tranſire dicuntur?* Earumdem redemptionum meminit magnus Theodorus Archiëpiſcopus, ipſaſque laudat & probat, verùm Cutbertus proſcribit & damnat. Eis contigit quod ſancto Petro Damiani & ſancto Rudolfo Eugubino Epiſcopo: Hic enim redemptiones iſtas, quas Petrus omninò probat, eſſe ait improbitatem coruinam, pinguedinem hauſtam è cadaveribus. Agit præſertim in Epiſcopos ac Presbyteros, qui redemptiones iſtas vertebant in ſuum lucrum, accipiebant fundos & alias res immobiles, atque ita Eccleſias ſuas ditabant. Ita enim ſuo tempore fuiſſe factitatum edixit ſuprà laudatus Damiani. Et reverà omnis iſta redemptio habuit anſas, ex quibus probari potuit, & improbari. Adducta interim teſtimonia evincunt eſſe antiquam. Nam & in Decreto ſuo ſanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus adducit illius ſpeciem & Canonem, quæ eſſe dicit L. 5. c. à Bonifacio Papa, utique tertio aut quarto. Quidquid ſit, eſt vetuſta, & 200. ejus auctorem ignoramus.

Præter ipſam fuit olim & alia exactio, fieri conſueta in ipſa Confeſſione, aut Reconciliatione. Erat ſtipendium, Honorarium, aut xenium Miniſtri injungentis Pœnitentiam, Reconciliantis, aut certè ad Reconciliationem adducentis. Olim enim omnes graviorum peccatorum rei im-

impoſitam ſibi à Presbyteris ſatisfactionem adimplere cogebantur ante Reconciliationem, quæ omnibus ſimul per Parochos adductis impendebatur ab Epiſcopo in quinta feria Dominicæ Cœnæ. A paucis ſæculis deſiit iſta conſuetudo. Adversùs dictam exactionem ſtatuit in ſuo ad Parochos Capitulari Leo Papa quartus: *Nullus veſtrum pro infirmis reconciliandis præmium aut munus exigat. Nullus minùs dignè Pœnitentem cujuscumque rei gratia ad Reconciliationem adducat, & ei Reconciliationis teſtimonium faciat.* Quod ipſum habet antiquus Ordo Romanus. Quiſque olim Parochus ſuo, quem Epiſcopo reconciliandum adducebat, Parochiano dabat impartitæ per Epiſcopum Reconciliationis teſtimoniales litteras. Et ſub Gregorio quarto facta ſexta Pariſienſis Synodus *Sacerdotes, qui muneris cauſa tempora & modum Pœnitentiæ ad libitum Pœnitentium indicunt*, culpat graviſſimè, adſerens eos vana loqui, & divinare mendacium. Et in ſuo Parochorum Capitulari Hincmarus Metropolita Remen-
L.1.c.13. ſis: *Nemo Presbyterorum à quocumque Pœnitente aut gratiam, aut favorem, aut munus ſuſcipere præſumat, aut minùs dignè Pœnitentem ad Reconciliationem adducat, aut ei teſtimonium Reconciliationis faciat.* Adfirmat eſſe Deo & hominibus abominabilem Simoniam. Et in Capitulari ad Archi-Dia-
L.9.c.9. conos: *Solicitè providete, ne vos vel Presbyteri negligenter Pœnitentes pro aliquo munere ad Pœnitentiam adducatis, vel poſt Reconciliationem eos negligatis, quod Simoniacum eſt.* Reconciliati enim per Epiſcopum Pœnitentes manebant per aliquod tempus ſub ſingulari ferula ſuorum Parochorum, à quibus quotidiè inſtruebantur acceptam Reconciliationis gratiam cum multæ ſollicitudinis cautela cuſtodire. Etiam Hedenulfum, Laudunenſis Eccleſiæ Electum, antequam conſecraret, laudatus Hincmarus compulit ad ſolemnem ſimilium exactionum ejerationem. In ſuo item ad
Cap. 87. Parochos Capitulari ſcribit Herardus Archiëpiſcopus Turonenſis: *Presbyteri regulariter Pœnitentias dent, & in judicando æquitatem habeant, & munera inde non exigant.* Et Riculfus Epiſcopus Sueſſionenſis: *Videant ne Simoni Mago & Judæ traditori efficiantur ſimiles, ſi pro pretio Pœnitentes ante tempus ad Reconciliationem adduxerint, & eis pro Reconciliatione teſtimonium dederint.*

Iniquitatem hanc eſſe longè antiquiorem, lucet ex ſancti Hieronymi
An. 377. ad Euſebii Cæſareenſis Chronicon appendice: *Alexandriæ* poſt magnum Athanaſium *ordinatur Epiſcopus Petrus, qui poſt Valentis interitum tam affabilis in recipiendis hæreticis fuit, ut nonnullis ſuſpicionem acceptæ pecuniæ intu-*
L. 3. Ep. 250. *lerit.* Quod vitium etiam in Zozymo Peluſioticæ Eccleſiæ Presbytero notat, ac graviſſimè damnat Iſidorus Peluſiota, demonſtrans ejuſmodi abſolutionem eſſe irritam ac nullam. Et hanc ſolam exactionem ſanctus Rudolfus Eugubinus Epiſcopus poſſit corvinæ improbitatis damnaſſe. Peſſi-

Digitized by Google

Peſſimorum in grandi hoc Sacramento abuſuum originem & cauſam fuiſſe vides iſtam exactionem, ideoque meritò damnatam. Laudati tamen Epiſcopi, juxta iſtius temporis Canonem in aliis Sacramentis conſuetum, permiſere ſpontaneam Pœnitentium oblationem, de qua ad Petrum Santonenſem Epiſcopum, & Goſcelinum ejus Archi-Diaconum ſcribit Goffredus Abbas Vindocinenſis: *Pervenit ad nos, quod oblationes confeſſionum in Eccleſia Surgeriarum nobis abſtuliſtis. Quod ſi ita nos abſentes de hoc, quod per triginta annos nullo Epiſcopo vel Archi-Diacono reclamante tenuimus, atque Romanorum Pontificum licentia nobis conceſſum eſt, exinveſtiſtis, & Presbytero noſtro, quod noſtrum erat, nobis nolentibus, contuliſtis, nec dilectionem nobis exhibuiſtis, nec dilectionis ſpeciem.* Multis expoſtulat adversùs iſtam injuriam, & adjungit: *Si dicitis quod ille oblationem confeſſionis habere debet, cui Pœnitens confitetur, ſimili modo dicere poteſtis, ut oblationem Altaris habeat à quo Miſſa cantatur, & oblationem mortui à quo mortuus ſepelitur, & ſic Miniſter noſter totum accipiat, ut nihil oblationum in Eccleſiis, quibus die & nocte ſervimus, nobis relinquat.* Vigebat tunc mos, quo Altaria, ſeu Parochiales cum ſuis Decimis & aliis proventibus, ipſiſque etiam oblationibus Eccleſias, Monaſteriis & Clericorum Collegiis, Vicarium iſtic cum ſimplici ſuſtentatione Presbyterum impoſituris, donabant & Epiſcopi & Laïci Patroni, atque hac ratione Altare Surgeriarum à Romano Pontifice acquiſierat Monaſterium Vindocinenſe. Inopiam forſan patiebatur, aut certè allegabat iſte illic Presbyter, atque ita invaſit oblationem confeſſionis, & ipſam illi ſupra Canonicam portionem confirmavit Petrus Santonenſis Epiſcopus. Et hæc eſt expoſtulatio Goffredi Abbatis. L.3. Ep. 40.

Ejuſdem oblationis meminit apud Matthæum Pariſienſem in ſua Londinenſi Synodo Otto Cardinalis Diaconus ſancti Nicolai in Tulliano carcere, Gregorii noni Pontificis ad Henricum tertium Angliæ Regem Legatus: *Auditu terribili audivimus & relatu, quod quidam, ſcilicet miſeri Sacerdotes, dum forſan in beneficium Vicaria, vel ad firmam, vel quacumque alia quæſtus cauſa, proventus ex Altari aut ex Pœnitentia venientes recipiunt, non aliter admittunt ad Pœnitentiam confitentes, niſi priùs ab ipſis in ſinu avaritiæ ſuæ aliquid reponatur. Sicq; faciunt de aliis Sacramentis.* Eos omnes mandat inquiri per Epiſcopos, & uti Simoniacos amoveri. Graſſabatur tunc abuſus peſſimus, quo apud ſuam Plebem non reſidebant Parochiales Presbyteri, ſed Vicarium Eccleſiæ ſuæ miniſterium dabant ad firmam, id eſt, ſub annua penſione elocabant alicui pauperi Presbytero, qui acquirendi victus neceſſitate cogeretur ad ejuſmodi ſordes. Et in ipſos ſtatuit Cardinalis Otto. In eoſdem videtur olim ſtatuiſſe in ſua Londinenſi Synodo Joannes Cardinalis de Crema, Honorii ſecundi Legatus: A. 1237.



Digitized by Google

gatus: *Pro Pœnitentia nullum omnino pretium exigatur.* In ipſos lucidè ſcribit in eruditiſſima, qua ad exſtinguendum Clementinum ſchiſma & in ipſo graſſantes diſciplinæ lapſus hortatur Carolum ſextum Regem ſuum, Epiſtola Univerſitas Pariſienſis: *Quid de Simoniaca hæreſi loquamur, quæ in Eccleſia domo ſic præſidet, ut jam ejus ditioni omnia ſint propemodum ſubjecta? Hæc damnatiſſima corruptela Sacramentorum omnium myſticas collationes, & præcipuè Ordinum ac Pœnitentiæ, turpi deteſtabiliq; quæſtu vendit.* Exſtat Epiſtola in Spicilegio Eruditi Lucæ Dacherii. Quæ in libro de corrupto Eccleſiæ ſtatu largiùs deplorat Nicolaus de Clemangis Archi-Diaconus Bajocenſis, & in ſua ad Adrianum ſextum Pontificem querimonia Nürembergenſis Germanorum Procerum Conventus. Eorum nullus ſpontaneam oblationem damnat, ſed ſolam exactionem. In hiſce enim cunctis omnino verum eſt, quod de ſancto Paulo Apoſtolo, apud Melitenſes prædicante, & ſanitatum gratias operante, ideoque non ſoli ſibi, ſed & ſuis ducentis ſeptuaginta ſex è naufragio ſociis, multorum dierum alimenta ac multos inſuper honores accipiente, ſcribit in ſuis ad
Homil. 52. Apoſtolica Acta commentariis ſanctus Joannes Chryſoſtomus: *Num mercedem accipiebant? Abſit. Sed, ut ſcriptum eſt, dignus eſt operarius ſuo cibo.*

Sponte oblatum confeſſionis nummum, ejuſque avitam conſuetudinem primus damnare cæpit Joannes Wicleffus, garriens Pœnitentiæ Sacramentum eſſe Sacerdotum commentum Anti-Chriſtianum, ad populum tenendum ſub ſua Leonina ſubjectione, ad noſcenda ejus ſecreta omnia, & ad venandas ejus poſſeſſiones. At rectè illi in libro de Sacramentis reſpondet Thomas Waldenſis, Carmelitici Ordinis in Anglia eruditiſſimus Prior Provincialis: *Non ſic miſer iſtum cibum, quo carnem paſ-*
Ca. 147. *cat & impinguet, non quærit ex confeſſionibus Eccleſia Sacerdotum, qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam. Ambroſius tibi dixit: Cibus & refectio orthodoxorum Sacerdotum eſt remiſſio peccatorum. Tibi cibus iſte hoc numquam ſapuit, ut videtur. Si tibi fuit in Sacerdotio ſemper talis eſuries, non miror ſi cibus putridus coëgit ad vomitum.* Omnes Sacerdotes ex ſemetipſo judicavit miſerabilis Wicleffus: Omnes ad ſui normam credidit confitentium Pœnitentiæ & aliis Eccleſiæ Sacramentis ex carnali cupidine miniſtrare. Ex re caſtiſſima ſordes quæſierat, & ſibi congregarat: Ex ipſarum eſu fœdiſſimam hæreſin eructavit. Ejus mentem apud Henricum Cnyghtonum lu-
A. 1382. cidiùs expoſuit Nicolaus Herefordenſis, blaterans confeſſionis denarium eſſe maledictum, & tam dantem quam accipientem eſſe excommunicatos. Quem errorem, uti veram hæreſin, ab Anglicanis ibidem Epiſcopis coactus eſt abjurare neſcio quis Guilielmus Eremita. Similes in iſtum denarium calumnias vomuerunt noſtro ſæculo Lutherani etiam & Calviniſtæ:

niſtæ: Hinc ipſum jam dimiſerunt pleræque & ſæculares & Regulares Eccleſiæ, & ſemetipſas in Eliberini Canonis ſpontaneam ſanctitatem repoſuerunt. Servanda item eſt caſtitas illa, quam apud Rogerum Hovedenſem ſanxit Eboracenſis Synodus Huberti Primatis Cantuarienſis: *Prohibemus ne Sacerdos Laico ad Pœnitentiam venienti, obtentu cupiditatis, injungat ut Miſſas faciat celebrari.* Fol.758. Et ejuſdem Synodus Londinenſis: *Adjicimus ad Sacerdotum cupiditatem refrænandam, ut Miſſæ non injungantur in Pœnitentia his, qui non fuerint Sacerdotes.* F. 807. Et in ſuo ad Parochos Capitulari Odo Pariſienſis Epiſcopus: *Nullus Miſſas, quas injunxerit, celebret.*

Uti alia paſſim omnis, ita & Wicleffiana hæreſis in ſui exordio habuit callidiſſimos diſcipulos & buccinatores, horumque unus fuit Joannes de Aſton, inter cujus ab Anglicana Eccleſia damnatos articulos numerat etiam hunc Henricus Cnyghtonus: *Epiſcopi accipientes pecuniam pro peccatis ſunt filii diaboli.* A.1382. Non Confeſſionis denarium, ſed quaſdam redimendæ per eleëmoſynam ſatisfactionis ſuperſtites damnat reliquias, adverſùm quas iſto etiam tempore ſtatuit in ſua Synodo Pilgrinus Archiëpiſcopus Salisburgenſis: *Cum interdum tam à Sede Apoſtolica, quam ex ſpeciali indulto pleriſque gratiosè concedatur, ut in caſibus Superioribus reſervatis cum ſibi ſubditis diſpenſare, ac eos abſolvere, eiſq; pro modo culpæ Pœnitentiam injungere valeant competentem. Verùm quia nonnulli indulto hujuſmodi abutentes, Pœnitentias hujuſmodi in pecuniarium proprium & burſalem quæſtum vertunt, &c.* Ejuſmodi abſolutiones acerrimè inſequitur, damnat, reddit irritas, ipſarumque impartitores ſuſpendit à Divinis. Quod ipſum in ſecunda ſua ſub Martini quinti Papatu celebrata Synodo fecit ejuſdem Sedis Archiëpiſcopus Eberardus. Quorumdam & ſæcularium & Regularium Presbyterorum exceſſum & ſacrilegam cupiditatem damnant jure meritiſſimo, quam Erro ille Joannes nequiter in Epiſcopos tranſcripſit. Nec ob ipſos, licèt quidam eodem morbo laboraſſe queant, omnis iſta, quam lucet poſſe eſſe legitimam, per eleëmoſynam redemptio fuerat damnanda. Eodem ſpiritu ad Adrianum ſextum Pontificem ſcripſit Nurembergenſis Germanorum Principum Conventus: *Papalis Sanctitas, ceteriq; Epiſcopi, ac Eccleſiæ Romanæ columnæ, caſus aliquot ſuæ tantùm abſolutioni reliquos fecerunt. Quorum ſi unum aut alterum commiſeris, jam aut numerandum, aut abſolutione tibi carendum eſt. Nempe qui in hoc tantùm reſervati ſint, ut vel inde nummorum aliquid eis adcreſcat. Quod ex eo conjicere licet, quod in caſibus etiam quantumvis pro tempore honeſtis, aut neceſſariis, numquam tamen, niſi numeretur aliquid, diſpenſant. At ſi nihil attuleris, numeraveriſve, indiſpenſatus perpetuò maneas oportet.* Martinum Lutherum inſigniter oluit iſte Conventus: Hinc de quorumdam exceſſu non erubuit cunctos generatim Epiſcopos, immò & ipſos Summos Pontifices



Digitized by Google

tifices accuſare. Ad ejuſmodi interim partim abuſus, partim calumnias ſepeliendas, omnem deinceps non tantùm abſolutionem, ſed & diſpenſationem dari gratis, rigidiſſimè ſanxit ſacro-ſancta Synodus Tridentina.

Laudatus Cnyghtonus adducit & hoſce Joannis de Aſton damnatos articulos: *Quod inter omnia facta, quæ unquam fuerunt, reputat ſtatum Cruciatæ maligniſſimum. Promoventes cauſam Cruciatæ ſunt fures. Promoventes Cruciatam inducunt Chriſtianos ad conferendum bona ad occidendum homines.* Addit idem Scriptor: *Nam illis temporibus Norwicenſis Epiſcopus habuit Cruciatam conceſſam à Papa Urbano ſexto in Regnum Franciæ contra Anti-Papam Clementem. Nam Franci eidem Clementi adhærebant. Et duxit Cruciatam in Flandriam.* Quæſtuarias Indulgentias prædicabat Epiſcopus, & præſertim à Flandris nummaria ac militaria ſubſidia poſtulabat Urbano, ideoque duo iſtic culpavit dictus Wicleffiſta: Quod Indulgentias venderet, & ſacro-ſancto Crucis ſigno ad fundendum Chriſtianum ſanguinem abuteretur. Horrenda fuit iſta ſchiſmatis plaga. Nec enim Catholici dumtaxat ſchiſmaticos, ſed & ſeſe mutuò, uti ſolent rabidi leones, laniabant. Urbano enim fidiſſimos Flandros, quod eorum Comes Philippus Burgundus cum ſuo nepote Francorum Rege Carolo ſexto adhæreret Clementi, Urbaniſtæ Angli armato vaſtarunt milite, & præſertim noſtram Ipreńſem civitatem miſerè lacerarunt. Et hinc poſterior iſtius Joannis accuſatio habuit aliquid fundamenti. Eccleſiæ enim ſchiſma non armis & fuſo fidelium ſanguine, ſed rationibus ac fuſis ad Deum precibus debet extingui. Aliud tamen accuſationis caput fuit omnino hæreticum. Quis enim neſciat quæſtuarias Indulgentias dudum viguiſſe in Eccleſia, & dum debito modo & cauſâ fiunt, eſſe caſtas & ſanctas? Aliud non ſunt, quam injunctarum ſeu injungi debitarum ſatisfactionum eleëmoſynariæ redemptiones, quibus præſertim ſacrum Terræ ſanctæ bellum adjuvare per multos annos conata eſt Apoſtolica Sedes, & omninò adjuvit. Eas nihilominùs acerrimè impugnavit etiam Martinus Lutherus, & in ſuis ad Adrianum ſextum litteris multa in ipſas congeſſit jam dictus Germanorum Procerum Conventus. Hic tamen plurimum receſſit à Lutheri rabie: Non ipſarum damnavit ſubſtantiam, ſed ſolos corrigi poſtulavit abuſus. Quod abunde fecit ſacro-ſancta Synodus Tridentina.

Alium circa hæc abuſum, graſſantem præſertim in Græca Eccleſia, Cap. 4. edicit & damnat ſeptima generalis Synodus: *Si quis Epiſcopus per auri exactionem vel alterius ſpeciei à miniſterio arcere inventus fuerit, vel ſegregare ſuorum Clericorum aliquem, vel venerandum templum claudere, ne in eo Divina fiant miniſteria, ad id quod non eſt ſenſu præditum, ſuam inſaniam immit-*

*immittens, eſt reverà ſine ſenſu, & talionis eſt legi obnoxius, & labor ejus in caput ipſius redibit, ut qui ſit mandati Dei transgreſſor.* Theodorus Balſamon ait damnari duplicem Græcorum Epiſcoporum ex avaritia inſolentiam: Prima Clericos degradabat aut ſuſpendebat, Laïcos excommunicabat, Eccleſias interdicebat ad extorquendam pecuniam aut alia xenia; Altera legitimas ejuſmodi cenſuras pro pecunia relaxabat. Utramque Divino non ſolùm ac naturali juri, & ſacris Eccleſiæ Canonibus, ſed & variis ſuorum Principum legibus repugnare, & irritas eſſe tales cenſuras oſtendit. Utramque inſolentiam viguiſſe etiam in Latinis Eccleſiis, in laudati Canonis Scholio oſtendi ex Gregorio ſeptimo Pontifice, ſancto Petro Damiani, Hincmaro Remenſium Metropolita, aliiſque teſtibus authenticis. Viguit præſertim ſecunda. Etenim quod etiam venerabilis Theobaldus, Eccleſiæ Cantuarienſis Archiëpiſcopus, ab excommunicatis Laïcis pecuniariam redemptionem in abſolutione exegerit, iſtumque morem damnarit, & ad omnium acceptorum reſtitutionem coëgerit in Remenſi Synodo Eugenius tertius Pontifex, teſtatur Guilielmus A.1194.
Thorne. Quod Normandiæ Epiſcopi quadraginta octo libras à quovis excommunicato exegerint, iſtamque peſſimam conſuetudinem nec ad Alexandri tertii, aut ab ipſo Legatorum Cardinalium Theoduini ac Alberti Juſſum deſerere voluerint, in adducto Scholio dixi ex Rogerio Hovedenſi. Quod ipſum adfirmat Joannes Bromptonus Abbas Jorna- A.1172.
lenſis. Quin & primam inſolentiam in Conventrenſis Eccleſiæ Archi-Diaconis notat apud Gregorium nonum laudatus Alexander, mandans L.5. tit.
per Cantuarienſem Archiëpiſcopum eliminari. Et in Londinenſi apud 37. c.3.
Matthæum Pariſienſem Synodo adversùm cunctos Angliæ Archi-Diaconos ſtatuit Cardinalis Otto Legatus Gregorii noni: *Ne ſententiis ali-* A.1237.
*quos involvant injuſtè, quò ab eis pecuniam poſſint extorquere.* In excommunicatione pertinaciter defunctos pro datis per eorum conſanguineos pecuniis aut prædiis olim abſolvebant, ac terræ ſanctæ tradebant etiam Leodienſes Archi-Diaconi, *adſerentes ex ejuſmodi rebus Palatia ſtare, Eccleſias inſtaurari.* Adversùm quos apud Baldricum Tornacenſem Epiſcopum in Cameracenſis Eccleſiæ Chronico exſtat elegantiſſima Beati Ge- L.3.c.
rardi Cameracenſis Epiſcopi Epiſtola, ſolidè demonſtrans ex ejuſmodi 25.
ſordibus Palatia ruere, ſubverti Eccleſias, ſcandaliſque & calamitatibus impleri.

# CAPUT IX.

## *Exponitur exactio & oblatio pro Sacris Ordinationibus.*

PAtriarcharum & Metropolitarum à conſecratis Epiſcopis exactiones ſunt in Græca Eccleſia abuſus admodum antiquus. Etenim in tractatu de Alexandriæ Patriarchis Orientale Chronicon habet de Patriarcha, qui decimo ſæculo ſedit, Ephrem Syro: *Optimis moribus ornata erat hujus Patris vita, qui munera pro Ordinum collatione abrogavit.* Supponit abuſum uſque ad ejus tempora viguiſſe. Hinc pergit de ejus proximo ſucceſſore Philotheo: *Erat Patriarcha iſte congregandis opibus deditiſſimus, nec minùs navabat operam comeſſationibus & potui, & balnei lavacris apprimè delectabatur, nec a muneribus accipiendis pro Ordinum collationibus abſtinebat.* Avitum abuſum reduxit. Et de Patriarcha Cyrillo: *Ipſe munera pro Ordinum collatione anathemate prohibuit.* Quomodo Antoninus Epheſiorum Epiſcopus, Aſiaticæ Diœceſios Primas, conſuetus fuerit à conſecratis Epiſ-
C.14.15. copis aurum exigere, multis exponit in Dialogo cum Theodoro Romanæ Eccleſiæ Diacono Palladius Epiſcopus Helenopolitanus. Ea de cauſa à Clero & populo invitatus ſanctus Joannes Chryſoſtomus ivit Epheſum, Synodum fecit, ab Antonino, qui interim defunctus evaſerat humanum judicium, conſecrati ſunt confeſſi facinus, & pro ſua purgatione addiderunt: *Dedimus, hanc eſſe conſuetudinem exiſtimantes, ut videremur à curia liberari.* Omnis iniquitas, Simonia præſertim, ſemper eſt aſtuta, & vario colore ſe fucat. Antiqua Conſtantii Auguſti in
L.12.tit. Theodoſiano Codice eſt ad Taurum Prætorio Præfectum lex: *Solum E-*
1. c.49. *piſcopum facultates ſuas curiæ, ſicut ante fuerat conſtitutum, nullus adigat mancipare, ſed Antiſtes maneat, nec faciat ſubſtantiæ ceſſionem.* Eccleſiæ Clerum ex ſolis pauperibus, ad Reipublicæ onera inidoneis, adſumi ſanxerat Conſtantinus Auguſtus, addens nullum, niſi prius de ſuis facultatibus compoſuiſſet cum curia, ordinari Curialem, aliter ordinatum retrahi, cogique ad ſua onera, aut ſanè omnes ejus facultates in curiam tranſcribi: Exceptis tamen Epiſcopis. Quam legem hîc confirmat Conſtantius, aut certè ipſam declarat deinceps non valere in Epiſcopos. Hæc enim verba, *Sicut ante fuerat conſtitutum*, eſſe ambigua, & in oppoſitos ſenſus verſatilia, rectè advertit eruditus Jacobus Gothofredus. Quidquid ſit, ſeſe non pro Epiſcopali conſecratione, ſed pro dicto adversùs curiam privilegio dediſſe memorati Epiſcopi allegarunt. Allegarunt & conſuetudinem: Quam eſſe *Judaicam aut Ægyptiacam*, repoſuit laudatus Joannes & omnis Synodus. *Ajunt enim eum, qui Patriarcha apud*

*apud Judæos falsò nomine dicitur, ut pecunias cumulet, annis ſingulis, & intra annum quoque ſæpiùs Archi-Synagogos mutare. Similiter Ægyptiorum Patriarcham, hunc imitando, peragere.* Hoc eſt iſtud ſancti Joannis Aſiaticum iter, in quo plures degradavit Epiſcopos: Omnes utique iſtos Simoniacos.

Neque tamen malum extinxit. In iſtud enim adhuc omninò vivens ſtatuit ſecundus Canon Chalcedonenſis Epiſcopum, qui non niſi à Patriarcha aut Metropolita poterat, per pecuniam non ordinari. Et adverſus Patriarcharum Conſtantinopolitanorum à conſecratis Metropolitis extorſiones dixit eadem in Synodo Euſebius Ancyranus Epiſcopus, Primæ Galatiæ Metropolita: *Rogo ut civitates pro Ordinationibus non ſolvant.* Act. 16. *Si enim non in civitatibus ipſis hi, qui eliguntur à civitate, ordinantur, à Synodo Provinciæ comprobati, ſolvuntur ſubſtantiæ. Et hoc probatum habeo, qui pro eo, qui ante me fuit, multa reddidi debita.* Ob iſtas exactiones conſentire diſtulit in vigeſimum octavum Canonem, nec conſenſit quouſque Philippus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbyter reſponderet: *Ex Regula hoc interemptum eſt.* Utique ex ſecundo Canone jam laudato, qui ejuſmodi exactiones damnavit de Simonia. Adeò nec propriam Eccleſiam laudatus Joannes plenè expurgarat. Nec item Patriarcha, de quo ſibi multa laudatus Euſebius ſpondebat, Anatolius. Etenim ad Julianum Coënſem Epiſcopum, ſuum in Regia civitate Legatum, ſcribit ſanctus Leo: *In Epiſcopo Conſtantinopolitano Catholicus vigor non eſt, nec multùm* Ep. 56. *aut pro Sacramento ſalutis humanæ, aut pro ſua eſt æſtimatione ſolicitus.* Eodem ex tepore ſolicitus non fuit pro executione laudati Chalcedonenſis Canonis, ideoque ſucceſſor ſanctus Gennadius fuit coactus ipſum Synodaliter innovare. Exſtat ejus Epiſtola apud Theodorum Balſamonem. Acacianum ſchiſma denuò turbavit omnia. Hinc ipſo exſtincto Eccleſiaſticam diſciplinam reparaturus Juſtinianus Auguſtus, in Novella ad L. 123. Petrum Officiorum Magiſtrum lege permittit Epiſcopis, ut ſuis Conſe- c. 3. cratoribus dent, & exigantur aliqua jura ſeu conſuetudines, non ſolùm pro Enthroniſmo, ſed etiam pro beneficio conſecrationis. Quam legem ponit non ſolis Epiſcopis, qui à ſuis Patriarchis, Exarchis, aut Metropolitis conſecrantur, ſed & hiſce ipſis, etiam Romano, qui initiantur à ſubdita ſibi Synodo, ideoque rectum Scholiaſten hìc agit Dionyſius Gotofredus: *Res eſt notanda, Papam nequidem excipi à conſuetudinibus præſtandis pro ſua conſecratione.* Et reverà dignum erat, ut Epiſcopis ac eorum miniſtris Clericis, ad peragendam novi Epiſcopi conſecrationem ex ſua in aliam civitatem venientibus, viaticum & quoddam honorarium offerretur. Conſuetudinis quantitatem Juſtinianus taxavit juxta cujuſque Eccleſiæ facultates, & adjunxit: *Jubemus hæc omnibus modis obſervari,*

*ſervari, ut non ex talibus occaſionibus Eccleſiæ debitis prægraventur, & Sacerdotia venalia fiant. Si quis autem ultra quantitatem à nobis definitam præſumat accipere, jubemus, quidquid plus acceperit, triplum ex illius rebus vindicari Eccleſiæ dantis.* Exactionem hanc Græci poſteriores vocarunt tributum ſeu aurum coronarium, id eſt, pro Clericali corona exigi conſuetum, ejus quantitatem denuò præfixit Imperator Iſaacius Comnenus, & à Simonia purgavit adversùm inſimulatores Nicolaus tertius, cognomento Muſalius, Patrarcha Conſtantinopolitanus, quorum Decreta ſuis ad Photii Nomo-canonem Scholiis inſeruit Theodorus Balſamon, & nos infrà adducemus. Et huc omnino reſpexit eruditi, in Conſtantinopolitano Patrum Prædicatorum Conventu reperti, adversùm Græcos ſchiſmaticos Tractatus Auctor: *In ſorte Simonis Magi de jure ponendi ſunt Græcorum Pontifices, qui nullis Eccleſias ſine pecunia largiuntur.*

Verùm idem mos fuit dudum in Latina Eccleſia. Etenim in ſuo, apud
L. 9. Ep. Aurelium Caſſiodorum exſtante, ad Joannem ſecundum Pontificem E-
17. dicto ſtatuit olim Gothorum in Italia Rex Athalaricus: *Vos qui Patriarcharum honore reliquis præſidetis Eccleſiis, ſine aliquo Eccleſiarum diſpendio dignos Majeſtati Pontifices offeratis.* Quibuſdam videtur de ſola Epiſcoporum confirmatione loqui: Ego loqui exiſtimem etiam de conſecratione. Quidquam accipi vetat, & accipientem damnat ad reſtitutionem. Attamen abuſum nec ab ipſa Romana Eccleſia plenè eliminavit. Manſit illic Paſtellaticum, à conſecratis Epiſcopis exigi conſuetum xenium, contra quod in prima ſua Synodo ſtatuit magnus Gregorius: *Antiquam Patrum Regulam ſequens, nihil unquam de Ordinationibus accipiendum eſſe conſtituo, neque ex datione Pallii, neque ex traditione chartarum, neque ex ea, quam nova per ambitionem ſimulatio invenit, appellatione Paſtelli. Pro ordinatione vel Pallio, ſeu chartis atque Paſtello, eundem qui Ordinandus vel Ordinatus eſt, omnino aliquid dare prohibeo.* Quod Decretum uti Simoniæ eliminativum laudat in ejuſdem Pontificis vita Joannes Diaconus. Abuſum fuiſſe à ſe eradicatum adfirmat ipſe in litteris ad Joannem Corinthiorum Epiſ-
L. 4. Ep. copum, Achaiæ Metropolitam: *Novit Fraternitas veſtra, quia prius*
55. *Pallium niſi dato commodo non dabatur. Quod quoniam incongruum erat, facto Concilio antè corpus beati Petri Apoſtolorum Principis, tam de hoc quam de Ordinationibus aliquid accipere ſub diſtricta interdictione vetuimus,* Quod ipſum vetat huic Metropolitæ Joanni, Joanni Archiepiſcopo primæ Juſtinianæ, Januario Metropolitæ Calaritano, Virgilio Arelatenſi, Eulogio Alexandrino, Anaſtaſio Antiocheno, & Heſychio Patriarchæ Hieroſolymitano: Atque ita non ſolam Romanam Eccleſiam ac ejus Diœceſes, ſed omnem ſub cœlo Chriſtianitatem conatus eſt à lepra purgare. Antiqua, quam in hiſce litteris laudat, Patrum Regula eſt omnino

ſecun-

Digitized by Google

ſecundus, quem uti omnes ejuſdem Synodi alios numquam confirmarat ſanctus Leo, Canon Chalcedonenſis: Ex Romanis Pontificibus ipſo primus uti cæpit hic magnus Pontifex, atque ita illi auctoritatem paulatim obtinuerunt apud omnem Eccleſiam. Et iſta caſtitas dudum duravit in Romana Eccleſia.

Etenim Apoſtolo noſtro S. Bonifacio adversùs abuſum illum, uti Romæ graſſantem, expoſtulanti reſpondit Zacharias Pontifex: *Reperimus in tuis litteris, quæ nimis animos noſtros conturbant, quod talia à te nobis referantur, quaſi nos corruptores ſimus Canonum, & Patrum reſcindere traditiones quæramus, ac per hoc, quod abſit, cum noſtris Clericis in Simoniacam hæreſin incidamus, accipientes & compellentes, ut hi, quibus Pallia tribuimus, nobis præmia largiantur, expetentes ab illis pecunias.* Exactiones has damnat de peſſima Simonia, & ab illis Romanam Eccleſiam adfirmat alieniſſimam. Reſcribit de ſolo Pallio, quod de ipſo ſolo queſtus fuiſſet Bonifacius; ejus tamen integer contextus palam laudat ſancti Gregorii Decretum, loquiturque omnino etiam de Epiſcoporum conſecrationibus. Et hinc notanda ſunt verba, *Expetentes & compellentes*: Non ſponte oblatorum acceptionem damnant, ſed ſolam exactionem. Quod namque & ipſe magnus Gregorius ſpontaneas oblationes admiſerit, lucet ex ejus ad Joannem primæ Juſtinianæ Primatem, qui Pallium poſtulans xenia ex antiquo more miſerat, Reſponſo: *Xenia veſtræ Sanctitatis ſuſcipere omnino nolueram, quia valdè eſſet incongruum, ut à prædatis atque afflictis fratribus munera percepiſſe videremur. Sed Reſponſales veſtri alio me argumento vicerunt, ad eum illa deferentes, à quo non poſſint oblationes veſtræ Fraternitatis repelli.* Xenia iſta non tamquam Canoni adverſa refutavit Pontifex, ſed quod recenter à Barbaris raſum fuiſſet omne Illyricum, ideoque ejus Primas & omnes Epiſcopi accipere potiùs deberent eleëmoſynas, quam xenia dare. Arte & aſtu uſa fuit Joannis Legatio: Xenia ſua ſancto Petro Apoſtolo obtulit, atque ita ipſa Gregorius non potuit refutare. Spontaneas oblationes poſſe à Conſecratoribus admitti, diſertè adfirmat etiam in litteris ad Januarium Archiëpiſcopum Calaritanum.

Ep. 5. c. 2. — L. 4. Ep. 8. — L. 3. Ep. 24.

Et hinc intelliges Anaſtaſium Bibliothecarium, de Leone ſecundo Pontifice, cui Ravennatem Eccleſiam, exſtincta omni autocephalia, juxtà antiquum morem plenè ſubjecerat, & ejus Electum Romæ conſecrari juſſerat Conſtantinus quartus Imperator, ſcribentem in libro Pontificali: *Hic fecit conſtitutum, ut qui ordinatus fuerit Archiëpiſcopus, nulla conſuetudine pro uſu Pallii, aut diverſis Officiis,* Eccleſiæ Romanæ *perſolvere debeat.* Ravennates Epiſcopi, dum autocephaliam inſanire cæperant, ne ſine fundamento delirare viderentur, Romanam Eccleſiam fuerant variè calumniati, atque inter cætera de importabilium pro Pallio & conſecra-


Digitized by Google

ſecratione exactionum Simonia. Cui calumniæ omnem rimam præcluſam volens laudatus Pontifex, à dicto Archiëpiſcopo etiam ſponte quid offerri vetuit, deſuperque fecit Conſtitutum, quod ad perpetuam rei memoriam ſervari juſſit in utriuſque Eccleſiæ archivis. Quare vox, *Conſtitutum*, nequaquam hîc, uti quidam volunt, importat privilegium, ſed rigidam legem adversùs cavillos Eccleſiæ Ravennatis.

Ad iſtas tamen exactiones poſtea rediit Romana Eccleſia: Coacta per gravem paupertatem, inflictam ab Iconoclaſticis Græcorum Imperatoribus, & rapacitate Regum Longobardorum. Exigere aliquid denuò cœpit à conſecratis aut Pallio donatis Epiſcopis, non uti mercedem, ſed uti ſtipendia neceſſariæ ſuæ ſuſtentationis. Hinc profluxit famoſa illa, exſtans poſt ſeptimam Synodum, ſancti Tharaſii Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Adrianum primum Pontificem Epiſtola, omnem illum demonſtrans Simoniacum, *qui dederit aliquando vel acceperit, ſive ante manus impoſitionem, ſive in manus impoſitione, ſive poſt manus impoſitionem*. Palam eſt ab illo notari Romanam Eccleſiam. At neſcio an juſtè. Etenim de Italiæ ac Thuſciæ Epiſcopis, ipſoque Ravennatum Metropolita, ad Romani Pontificis conſecrationem ſpectantibus, & ſuas promotiones apud Græcos Exarchos aut Longobardos Reges tunc paſſim ementibus grandi pretio, ſcribit ad Carolum Magnum Francorum Regem laudatus Papa Adrianus: *Abſit à nobis, ut ſuper tales viros, veritate comperta, manus conſecrationis imponeremus, etiamſi qualibet Poteſtas à nobis tales Acanoniſtas viros popoſciſſet conſecrari.* Atamen etiam in Romana Eccleſia fuiſſe aliquid lepræ, evincit Commonitorium, quod Angilberto Abbati, ſuo ad Leonem tertium Legato, dedit idem Rex Carolus: *Dominum Apoſtolicum Papam noſtrum admoneas & de Simoniaca hæreſi ſubvertenda, quæ ſanctum Eccleſiæ Corpus multis malè maculat in locis.* Et ad ejus filium Ludovicum Imperatorem Pium ſcribit ſexta Synodus Pariſienſis:
L. 1. c. 11. *Deo odibilis Simoniæ peſtis neceſſe eſt ut Imperiali auctoritate & poteſtate, cum conſenſu venerabilium Sacerdotum, à Romana Eccleſia amputetur. Quoniam ſi caput languerit, membra incaſſum vigeant, neceſſe eſt.* Palam agit in exactiones à conſecratis Epiſcopis, quam ab omni Eccleſia Chalcedonenſis Synodus, & à Romana ejecit Gregorius Magnus. Et quod Leo quartus, Benedictus tertius, Nicolaus primus, aliique iſtius ævi Pontifices almam urbem à malo iſto pleniſſimè iterùm expurgarint, lucet ex Capitulari laudati Leonis. Recruduit iterum poſt Formoſi Pontificis mortem per intruſos à Laïca violentia ſucceſſores. Etenim in litteris apud Guilielmum Malmesberienſem exſtantibus, qui ſua Romæ Acta exponit, Cnuto Angliæ Rex ſcribit ad omnes ſui Regni Epiſcopos & Proceres: *Conqueſtus ſum coram Domino Papa*, Joanne decimo, *& mihi valde diſpli-*

Digitized by Google

*diſplicere dixi, quod mei Archiepiſcopi in tantùm angariabantur immenſitate pecuniarum, dum pro Pallio accipiendo, ſecundùm morem, Apoſtolicam Sedem expeterent, decretumq; eſt ne deinceps fiat.* Plenè correctum fuit malum poſt Gregorii ſexti tempora à ſancto Leone nono, ejuſque ſucceſſoribus: Neque tantùm in Romana Eccleſia, ſed & in aliis Metropolitanis. Etenim Nicolai ſecundi ad expurgandam Mediolanenſem Eccleſiam Legatus ſanctus Petrus Damiani, Widonem Archiëpiſcopum compulit ad hoc inter alia juramentum: *Inviolabiliter promitto, ut neque de Epiſcopis conſecrandis vel nos vel noſtri familiares aliquid omninò tollamus.* Et in ſua Placentina Synodo ſtatuit Urbanus ſecundus: *Nullus Primatum, Archiëpiſcoporum, & Epiſcoporum, in ordinatione & conſecratione Epiſcoporum vel Abbatum cappas, tapetia, bacinos, & manutergia qualibet exactione requirat vel ſuſcipiat.* Per D. Lucam Holſtenium edita Synodus non habet hunc Canonem: Habet tamen antiquus Henniniani inter Duacum & Baſſæam Monaſterii Codex, quem quidam volunt fuiſſe Lamberti Epiſcopi Atrebatenſis. Et in ſecunda Pictavienſi Synodo Cardinales Benedictus & Joannes, Paſchalis ſecundi per Galliam Legati: *Ut neque Archiëpiſcopi ab Epiſcopis, neque Epiſcopi ab Abbatibus cappas, tapetia, bacinos, vel manutergia in conſecratione eorum exigant, ſub excommunicatione interdicimus.* Quod ipſum in Remenſi Calixtus ſecundus, & in Londinenſi Synodo ſtatuit Cardinalis Joannes de Crema, apud Anglos Honorii ſecundi Legatus.

Et hinc neſcio an verum ſit quod de Richardo primo Anglorum Rege, profecto ad ſacrum bellum & apud oſtia Tiberina morante, nec non & de Clemente tertio Pontifice ſcribit Apoſtolicæ Sedi palam infenſus Matthæus Pariſienſis: *Venit ad Regem Octavianus Oſtienſis Epiſcopus, rogans eum ex parte Domini Papæ, ut illum viſitaret. Quod facere renuens Rex improperavit illi turpia de Simonia & concupiſcentia Romana, dicens quod acceperat ſepties centum marcas pro conſecratione Epiſcopi Cenomaniæ.* Quod ipſum ſcribit Joannes Bromptonus Abbas Jornalenſis. Omni rerum antiquarum perito certum ac manifeſtum eſt, Romanam Eccleſiam peſſimis circa hanc rem calumniis fuiſſe frequenter gravatam. Quidquid ſit, omnino verum eſt quod de ſimili ſuorum Clericorum concupiſcentia ac ſordidis exactionibus accuſatus ſanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus reſcripſit Richardo Albanenſi Epiſcopo, Paſchalis ſecundi per Galliam Cardinali Legato: *Quod vobis ſuggeſtum eſt, Simoniacam hæreſin me permittente in Carnutenſi Eccleſia publicè dominari, omnino veritate caret, quia ab hoc malo ab initio Clericatus mei ſemper exhorrui, & poſtquam ad Epiſcopatum veni, quantum Deo donante prævalui, in ſuperficie reſecavi. Si qua autem adhuc ſunt, quæ pro conſuetudine antiqua publicè exigant Decanus & Cantor, & alii*

A. 1190. Ep. 133.

*Miniſtri ab his qui Canonici fiunt, me contradicente & perſequente, Romana Eccleſiæ conſuetudine ſe defendunt, in qua dicunt (ubicularios & Miniſtros ſacri Palatii multa exigere à conſecratis Epiſcopis & Abbatibus, quæ oblationis vel benedictionis nomine palliantur, cum nec calamus nec charta ibi, ut ajunt, gratis habeatur. Et hoc quaſi lapide conterunt frontem meam, cum non habeam quid reſpondeam, niſi Evangelicum illud:* QUOD DICUNT SERVATE ET FACITE, SED SI ID FACIUNT, SECUNDUM OPERA ILLORUM FACERE NOLITE. *Si autem hanc peſtem radicitùs evellere non valeo, non tantùm invaletudini meæ hoc imputandum eſt, quia ad hoc ab ipſa origine naſcentis Eccleſiæ Romana Eccleſia laboravit, nec à gremio etiam ſuo tales ſua quærentes penitùs prævaluit eliminare. Nec in diebus malis regnare deſinet cupiditas, donec finito mundi termino pacatum regnum accipiat charitas.* Elegantiſſima Epiſtola eſt integrè legenda. Hæ, inquam, ſordidæ exactiones, quas neſcio quæ almæ urbis fæx committit in tenebris, frequenter imputatæ fuerunt Romanæ Eccleſiæ Tribunalibus, à quibus tamen vetantur & damnantur rigidiſſimè, ac inſigniter puniuntur. Romanæ Eccleſiæ innocentiam in ſua Lateranenſi Synodo demonſtravit Innocentius tertius: *Sicut pro certo didicimus, in pleriſque locis à pleriſque perſonis, quaſi columbas in templo vendentibus, fiunt exactiones & extorſiones turpes & pravæ pro conſecrationibus Epiſcoporum, & benedictionibus Abbatum, & Ordinibus Clericorum, eſtq́ taxatum, quantum ſit iſti vel illi, quantum alteri perſolvendum. Et ad cumulum damnationis majoris quidam cupiditatem & pravitatem hujuſmodi nituntur defendere per conſuetudinem longo tempore obſervatam.* Conſuetudinem hanc proſcribit ab omni Eccleſia, damnatq́ue de plena Simonia. Ea Epiſcopalis conſecrationis jura quædam Eccleſiæ vocabant Cathedraticum, erantq́ue tanta, ut Hartuicum Bremen-
L. 4. c. 21. ſem Archiëpiſcopum, deductum ad pauperiem, ex ipſis ac Eccleſiarum dedicationibus victitaſſe ſcribat in Sclavorum Chronico Arnoldus Abbas Lubecenſis, laudans Theodoricum Lubecenſem Epiſcopum, quod horum nihil unquam acceperit. Laudari ſupra audivimus & Alberonem Metenſem Epiſcopum. Et venerabilem Hugonem Primatem Lugdunenſem, quod ejuſdem Eccleſiæ adhuc Canonicus ob has in Gallia graſſantes exactiones Sacris initiari noluerit, laudat Hugo Abbas Flavinia-
A. 1075. cenſis. Ex quibus vides laudatum Papam Innocentium à Matthæo Pari-
1240. ſienſi iniquiſſimè traduci de commento ac introductione novorum quæſtuum ac exactionum. Nequaquam tamen improbanda eſt conſuetudo,
L. 5. tit. de qua ad Strigonienſem Archiëpiſcopum ſcribit apud Gregorium no-
3. c. 18. num Alexander tertius: *Si ipſa etiam Electi perſona offerat Ordinatori vel Conſecratori ſuo Electuarium, aut de vino aut de hujuſmodi quæ modici pretii fuerint, Romana Eccleſia interpretari non conſuevit accipientem in his delin-*

*quere*

Digitized by Google

*linquere vel donantem.* Non tantùm quod ſit res modica, ſed præſertim quod ſit ultro oblata.

Notandum eſt quod de Urbano ſecundo Pontifice, per Schiſmaticos Wigbertiſtas ejecto, & latente in domo Joannis Frangi-Pani, ſcribit ad ejus ſucceſſorem Paſchalem ſecundum Goffredus Abbas Vindocinenſis: *Quaſi alter Nicodemus ad Dominum Papam noctè veni, ubi eum pœnè omnibus temporalibus nudatum, & alieno ære nimis oppreſſum inveni.* In alia ad eundem Epiſtola adfirmat quod pro laudato Urbano tunc expenderit pluſquam duodecim millia ſolidorum. Etiam de fugato per Petrum Leonis Anti-Papam Innocentio ſecundo ſcribit ad Gualterum Archiëpiſcopum Turonenſem: *Dominus Papa ad Beneventanam urbem moratur, ſed Romam revertendi non habet facultatem. Si verò perſona qualibet ad eum tranſiens invenitur, non ei cappa aufertur, ſed de vita ſtatim & membris agitur.* Extremam ejus in Schiſmate paupertatem videre poſſis latiùs apud alios etiam auctores. De Alexandro tertio per Octavianum Anti-Papam ejecto, & per Gallias quaſi mendicante, ad Hugonem Sueſſionenſem Epiſcopum ſcribit ipſe illius duriſſimus perſecutor Fredericus Auguſtus: *Terram Francigenarum intravit, ut quomodocumque corradat viginti mille libras, & ampliùs, unde creditoribus ſuis debita perſolvat.* Extat Epiſtola poſt Annales Godefridi Monachi Colonienſis ad ſanctum Pantaleonem. Nec tantùm dicta Schiſmata, ſed & ſancti Petri per iſtorum temporum Principes invaſa patrimonia Romanam Eccleſiam miſeranda paupertate adflixerunt, coëgeruntque ad aliquod graviſſimis ſuis, quæ ab omnium Eccleſiarum ſolicitudine ſeparari non poſſunt, oneribus ſubſidium à conſecratis Epiſcopis & opulentis Abbatibus accipiendum, immò & exigendum. Romana enim Eccleſia, quia omnium Magiſtra & caput, communibus hac de re regulis non eſt ſubdenda, nec ſui territorii contenta eſſe debet oblationibus ac Decimis, ſed per omnem ſub cœlo Chriſtianitatem habet jus ad Decimas Decimarum, exponendum largiùs in materia de Annatis. Hac interim via purgari poſſit Clemens tertius, & alii quidam Pontifices, à libertinis hinc inde Scriptoribus de Simonia aut turpi quæſtu accuſati.

L. 1. Ep. 5.

Epiſt. 9.

L. 5. Ep. 3.

Sanctus Ivo & Innocentii tertii Lateranenſis Synodus Epiſcoporum conſecrationibus rectè adjungunt benedictiones Abbatum. Nam & in hiſce aliquid exigi vetat antiqua Eccleſiæ diſciplina. Hinc Widonis Mediolanenſis Archiëpiſcopi juramento etiam iſtud inſeruit ſanctus Petrus Damiani. Et non ſolùm de Epiſcopis, ſed etiam de Abbatibus ſtatuerunt Placentina Synodus ac Pictavienſis. Quod ipſum à Calixto ſecundo in Remenſi Synodo ſancitum adfirmant Simeon Dunelmenſis, Richardus A. 1126. Prior in libro de bello Standardico, & Gervaſius Monachus Cantuarien- A. 1138.

 ſis.

Digitized by Google

ſis. Et in Londinenſi Synodo ſtatuit Joannes Cardinalis de Crema: *In conſecrationibus Epiſcoporum, vel Abbatum benedictionibus non cappa, non tapetes, non bacilia, non manutergia, & nihil omnino per violentiam, niſi ſponte oblatum fuerit, penitùs exigatur.* Exponit Placentinæ & Pictavienſis Synodi Canones, qui etiam ſponte oblatum videbantur damnare. Ex eiſdem ad Audomaropolitanum ſancti Bertini Monaſterium ſcripſit olim
L. 1. Ep. 204. adversùs Morinenſem Epiſcopum Innocentius tertius: *Ne vel Epiſcopo, vel Archi-Diacono, ſeu Capitulo Morinenſi pro conſequenda benedictione Abbatis cappam ſericam, Palefridum, paſtum, & his ſimilia, ſeu aliam conſuetudinem perſolvatis. Diſtrictiùs inhibentes, ne ipſi ea à vobis exigere vel extorquere præſumant, ſed benedictionis munus Abbati ab eodem Epiſcopo gratis & ſine pravitate qualibet impendatur. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis Catholicum adire Antiſtitem, gratiam & communionem Apoſtolicæ Sedis habentem, qui noſtra fretus auctoritate ipſi Electo munus benedictionis*
L. 2. Ep. 46. *impendat.* Quod ipſum in Abbatiſſarum benedictionibus valere ſcribit in litteris ad Monaſterium Auregniacenſe. Idem de ſacrarum Virginum
L. 3. Ep. 24. velamine ſeu conſecratione definit in litteris ad Januarium Calaritanum Archiëpiſcopum Gregorius Magnus. Hæc enim omnia, licèt Sacramenta non ſint, ſunt tamen Sacramentalia, & quidem per ſolos Epiſcopos exhibenda.

Hinc eadem eſt ratio conſecrandarum Eccleſiarum, de quibus ſecunda, ſtatim poſt Joannis tertii Papæ mortem celebrata, Synodus Braca-
Cap. 5. renſis: *Quoties ab aliquo fidelium ad conſecrandas Eccleſias Epiſcopi invitantur, non quaſi ex debito munus aliquod à fundatore requirant, ſed ſiquidem aliquid ex ſuo voto obtulerit. Si verò aut paupertas illum aut neceſſitas retinet, nihil penitùs exigatur ab illo.* Mendoſa eſt hæc lectio, ſupplenda ex habita
Cap. 2. ſub Adriano ſecundo Synodo Wormatienſi: *Si aliquid ex ſuo voto obtu-*
Cap. 16. *lerit, non reſpuatur.* Et ſecunda Synodus Cabilonenſis: *Pro dedicandis Baſilicis nihil accipiendum eſt.* Et ſub Ludovico pio habita ſecunda Synodus Aquiſgranenſis: *Nullus Epiſcoporum vel Miniſtrorum ipſorum pro dedicatione ſancta Eccleſia aliquid exigere præſumat. Qui fecerit, convictus Canonicæ ſubjaceat diſciplinæ.* Et in Canonicis ad Hedenulfum Laudunenſis Eccleſiæ Electum litteris Hincmarus Metropolita Remenſis damnat quævis Epiſcoporum turpia lucra, nominatim *quæ capiuntur de Eccleſiarum conſecratione.* Eundem articulum Widonis Mediolanenſis Archiëpiſcopi juramento inſeruit ſanctus Petrus Damiani. Et Tholoſana ſub victore ſecundo habita Synodus: *Dedicationes Eccleſiarum ſancta Synodus per pecunias nullatenus fieri voluit.* Et per Cardinales Joannem ac Benedictum celebrata prima Synodus Pictavienſis: *Nullus Epiſcopus pro ſacris orationibus, vel pro Eccleſiarum benedictionibus munus accipiat.* Taliter factas

Altarium

Altarium vel Eccleſiarum conſecrationes de Simonia damnat in Lateranenſi Synodo Innocentius ſecundus. Etiam in Remenſi Calixtus ſecundus, & in Londinenſi Joannes Cardinalis de Crema. Et in alia Londinenſi Richardus Archiëpiſcopus Cantuarienſis: *Nec pro dedicatione quidquam exigatur. Si quis hoc fecerit, anathema ſit.* Exſtat apud Rogerum F. 543. Hovedenſem. Et ejus ſucceſſor Hubertus id confirmavit. Hinc in Gerardum Engoliſmenſem Epiſcopum, Petro Leonini adversùs Innocentium ſecundum Schiſmatis peſſimum fautorem, inſignemque Simoniacum, meritò invehitur Arnulfus Lexovienſis Epiſcopus: *Baſilicarum* Cap. 1. *dedicationes & benedictiones Altarium eodem, quo cætera, more tractaſti, ut planè nihil faciendum putares, quod non alicujus emolumenti auſpicatio præveniret.* De quo vitio notari & Hartuicum Bremenſem Archiëpiſcopum, ac de oppoſita virtute Theodoricum Lubecenſem Epiſcopum, ſupra audivimus ab Arnoldo Abbate Lubecenſi. Addit tamen in litteris ad Vigilienſem Epiſcopum, apud Gregorium nonum exſtantibus, Alexander tertius: *Nihil pro Eccleſiarum conſecratione potes vel debes præter procurationem exigere.* L. 5. tit. 3. c. 10. Eccleſiæ enim conſecratio eſt quædam viſitationis ſpecies, cui juxta antiquos etiam Canones debentur iſtius diei alimenta, quæ paſſim dicimus procurationes. Verùm eſſe debeant alimenta ſimplicia, ac verè Epiſcopalia, non lauta & ſumptuoſa convivia, longè minùs comeſſationes, quibus fidelis plebs ſcandalizetur, & pauperes Ruſticorum pagi ad miſeriam redigantur. Ejuſmodi procurationes in Petro Leonis, adhuc Cardinali Romanæ Eccleſiæ, & Legato per varias Provincias, inſigniter depingit ac damnat laudatus Epiſcopus Arnulfus. Cap. 3.

Porrò in Presbyterorum & aliorum Clericorum ordinatione aliquid exigere eſt antiquiſſimus Græcorum Epiſcoporum abuſus. Etenim Ponticæ Dioceſeos Epiſcopi, quos Simoniæ arguit Sanctus Baſilius, nequaquam inito pacto vendebant Sacros Ordines, ſed dumtaxat paucos, quibus tenues ſuarum Eccleſiarum proventus pedetentim augerent, nummulos à quovis Ordinato accipiebant. Etiam Ibam Edeſſenum Epiſcopum in Tyria ac Berytenſi Synodo accuſavit Clerus de hoc articulo: *de Ordinationibus accipit.* Quod plures tunc Epiſcopi laborarent eâdem ſcabie, docet ſecundus Canon Chalcedonenſis: Nec enim adverſus unicæ Eccleſiæ abuſum ille emanaſſet. Ipſum etiam in Ægypto fuiſſe graſſatum audivimus ſuprà ab Iſidoro Peluſiota. Et morem peſſimum laudatus Canon non evulſit: Etenim nova illum Synodo impugnare debuit Sanctus Patriarcha Gennadius. An evulſerit, ignoro; quidquid ſit, poſt compoſitum Acacii ſchiſma Eccleſiaſticam diſciplinam reparans Juſtinianus Auguſtus, in Novella ad Petrum officiorum Magiſtrum lege iſtas dandi & exigendi conſuetudines reliquit intactas. Novellæ

de

Digitized by Google

de Sacris rebus leges, licet Juſtiniani nomen præferant, ſunt tamen doctiſſimorum, quos per integras quandoque noctes cum ipſo de iſtis cauſis lucubraſſe adfirmat Procopius Cæſareenſis, tunc in Oriente Epiſcoporum opus: Norant hi Collegas ſuos, videbantque iſtas conſuetudines ſine magnis contentionibus non poſſe abrumpi. Hinc eaſdem confirmavit, & ad certam taxam deduxit Imperator Iſaacius Comnenus, iſtiuſque legis hanc partem ſuis ad Photii Nomo-Canonem Scholiis

Tit. 1. c. 34. inſeruit Theodorus Balſamon: *Statuit Imperatoria mea Majeſtas, ut etiam in ordinatione Sacerdotum & coronariis tributis vetus forma auctoritatem obtineat, & nihil in ordinatione Epiſcopus, qui ordinat, ampliùs accipiat, quàm præſtimatæ monetæ meæ Imperatoriæ Majeſtatis ſeptem aureos nummos dumtaxat, unum videlicet quando ordinandum facit ſimplicem Papam ſive Lectorem, tres quando ordinat Diaconum, alteros tres quando Sacerdotem ſeu Presbyterum perficit.* Et quia haſce exactiones quidam notabant de Simonia, pergit dictus Theodorus: *Cum hac aurea Bulla confectus eſt etiam à Sanctiſſimo Patriarcha Domino Nicolao Synodalis commentarius, qui jubet ut ſecundùm hanc auream Bullam coronaria tributa, ac pro ordinatione dari ſolita dentur.* Adfirmat ipſa non eſſe Simoniaca, & adjungit cauſam: *Neque enim merces eſt, quod alimentorum gratiâ Pontifici datur.* Quod tamen non probavit Latinus Auctor eruditi adversùm Græcos tractatus: *In ſorte Simonis Magi de jure ponendi ſunt Græcorum Pontifices, qui Sacros ordines, qui gratis debent dari, niſi manus eorum ære graventur, non tribuunt.*

Durè quidem, ſed tamen loquitur juxta vetuſtam Latinæ Eccleſiæ diſciplinam, ex qua ſimiles in variis Provinciis graſſantes exactiones de Simonia damnavit in variis Epiſtolis & Sanctus Gregorius magnus. Suam regulam vigere juſſit etiam in Patriarchatu Alexandrino, Antiocheno, Hieroſolymitano & Conſtantinopolitano. Nec dubitandum, quin in datis ad iſtos Patriarchas litteris, licèt non exprimat, notet conſuetudines recens tunc probatas à Principe Juſtiniano. Regulam edicit in litteris ad Januarium Sardiniæ Metropolitam, vetans quidquam exigi, ſpontè oblatum indulgens admitti. Eamdem probat ſecunda

c. 28. Synodus Turonenſis: *Nullus Epiſcoporum de ordinationibus Clericorum munera præſumat exigere, quia non ſolùm ſacrilegum, ſed & hæreticum eſt.* Et

c. 3. ſecunda Bracarenſis: *De ordinationibus Clericorum Epiſcopi munera nulla ſuſcipiant.* Quod ipſum ſtatuit ejuſdem loci tertia. Videntur tamen non adverſùm exactores Epiſcopos, ſed ſtatuere adversùm ambitioſos Clericatûs appetitores, qui ad ipſum impetrandum profuſis muneribus corrumpebant Epiſcopos, palàm Simoniani. Adversùm Epiſcopales exactiones ſtatuit Synodus Barchinonenſis: *Cùm ad officia Eccleſiaſtica*

Cle-

Digitized by Google

*Clerici provehuntur, nihil pro benedictione aut Subdiaconii, vel Presbyterii collata ſub obligationis nomine à quocumque Epiſcopo aut ejus Clero inquiratur.* GRATIS ACCEPISTIS, GRATIS DATE. Quod pleroſque Francorum Epiſcopos repererit hâc leprâ laborantes, in ſuis ad Sedem Apoſtolicam litteris queritur frequenter ipſorum Apoſtolus ſanctus Bonifacius, verùm Pippinus Rex ac ejus filius Carolus Magnus adeò eliminarunt, ut ſub hujus Imperio ſtatuerit ſecunda Cabilonenſis Synodus: *Pro dandis Ordinibus nihil accipiendum eſt.* Et adversùs Longobardorum Epiſcopos ſtatuit in primo ſuo Capitulari Ludovicus Imperator Pius: *De Epiſcopis in Longobardia conſtitutis, qui ab his, quos ordinabant, munera contra Divinam & Canonicam legem accipere ſoliti erant, vel exigere, modis omnibus inhibitum eſt ne ulteriùs fiat.* Exactores ejuſmodi adfirmat juxta Sacros Canones eſſe degradandos. Cum Caroli magni ſemine exſtincta, aut ſanè plurimùm læſa fuit iſta caſtitas, ideoque ad Henrici tertii juſſum reparare ipſam denuò cœpit Clemens ſecundus, ac præſertim Leo nonus. Et Nicolai ſecundi ad expurgandam Mediolanenſem Eccleſiam Legatus Sanctus Petrus Damiani Widonem Archi-Epiſcopum compulit ad ſolemniter ejerandum vetuſtum morem, *qui in iſta ſancta Eccleſia conſuetudinaliter obtinebat, ut quiſquis ad Clericales Ordines provehendus accederet, de Subdiaconatu quidem duodecim nummos, de Diaconatu decem & octo, de Presbyteratu ſuſcipiendo viginti quatuor, quaſi per præfixam conditionis regulam daret.* Pro ipſo jurarunt & Primates Clerici: *Dominus meus Wido nunquam conſecrabit alicujus ordinis Clericum ſuæ Diœceſis præter Monachos, quem ante promotionem non faciet jurare, quod in hoc breviculo ſcriptum eſt. Ita me Deus adjuvet, & hæc ſancta Evangelia.* Breviculus ſeu promovendorum Clericorum profeſſio fuit in hanc formam: *Pro ſuſcipiendis Eccleſiaſticis gradibus, ſive per me, ſive per ſubmiſſam perſonam, ſeu per quodlibet ingenium, neque dedi, neque promiſi, neque per promiſſiones daturus ſum aliquid. Ita me Deus adjuvet, & iſta ſancta Evangelia.* Dicit, *Neque per promiſſiones, &c.* Quia gratuitam & ſpontaneam poſt acceptum Ordinem oblationem Eccleſia non prohibet. Verba, *Præter Monachos*, laudant Monachorum inſignem in tanta corruptela innocentiam. Quæ omnia Decreta ſtrenuè executus eſt, atque ampliavit Gregorius ſeptimus, & in ſecunda ſua Pictavienſi Synodo ſtatuerunt Cardinales Joannes ac Benedictus: *Ut nullus in faciendis coronis forcipes vel manutergia exigat.* Uti in danda Clericali corona Græci aurum coronarium, ita tunc Latini quidam Epiſcopi exigebant jura forcipum ac manutergiorum: Et hanc exactionem Synodus damnat. Malum, & quidem cum dandi ad ſingulos Ordines xenii fixa taxa, denuo ſurrexit, denuoque damnatum eſt per Innocentii tertii Latera-

Cap. 16.

teranenſem Synodum, per Synodum Baſileenſem, per varias Provinciales, ac noviſſimè per Sacro-ſanctam Tridentinam: *Quoniam ab Eccleſiaſtico Ordine omnis avaritia ſuſpicio abeſſe debet, nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis tonſura, nec pro litteris dimiſſoriis aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacumque de cauſa, etiam ſponte oblatum, Epiſcopi & alii Ordinum collatores, aut eorum Miniſtri, quovis pratextu recipiant.* Omnes antiquos Canones, ſponte oblatum accipi permittentes, exſtinxit hæc Synodus, reduxitque avitam hoc in Sacramento caſtitatem Synodi Eliberinæ. Et hac lege eſt omnibus hodie Epiſcopis omnino vivendum.

Seſſ. 21. cap. 1.

## CAPUT X.

### *Exponuntur exactio & oblatio pro donatione Eccleſiaſtici Beneficii.*

VT Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, quivis Clericus, Eccleſiæ, in cujus Catalogum inſcribitur, tamquam ſuæ ſponſæ ac Matri uti dotem donet omnia ſua bona, aut aliquam iſtorum portionem, eſt antiquiſſima omnium Chriſtianarum gentium conſuetudo, cujus meminit in Præſcriptionum libro Tertullianus, dicens de Valentino &
Cap. 30. Marcione Hæreſiarchis: *Conſtat illos neque adeò olim fuiſſe, Antonini ferè Principatu, & in Catholicæ primùm doctrinam crediſſe apud Eccleſiam Romanenſem ſub Epiſcopatu Eleutheri Benedicti, donec ob inquietam eorum ſemper curioſitatem, quâ fratres quoque vitiabant, ſemel & iterùm ejecti, Marcion quidem cum ducentis ſeſtertiis, quæ Eccleſiæ intulerat, noviſſimè in perpetuum diſcidium relegati, venena doctrinarum ſuarum diſſeminarunt.*
Cap. 4. Et in quarto adversùs Marcionem libro: *Marcion pecuniam, in primo calore fidei, Catholicæ Eccleſiæ contulit, projectam mox cum ipſo, poſteaquam in hæreſin ſuam à noſtra veritate deſcivit.* Ad priora verba hæc Jacobus Pamelius: *Ad antiquum Chriſtianorum morem pertinet, qui non ſe tantùm, ſed ſua ſimul offerebant Eccleſiæ, in communi viventes.* At morem iſtum, qui in Hieroſolymitana ac Alexandrina Eccleſiis viguit ad paucos annos, viguiſſe etiam in Pontica aut Romana Eccleſia, nullo teſtimonio poſſit oſtendi. Non ergo illum, quo quiſque Fidelis, ſed quo plerique paſſim Clerici ſua cum ſemetipſis bona tradebant Eccleſiæ, morem Tertullianus laudat: Hunc enim ſolum conſtat omnibus ſub cœlo Eccleſiis fuiſſe familiarem. *Ducenta ſeſtertia*, inquit Beatus Rhenanus, *faciunt quinque millia Ducatorum.* Quod ipſum ex Budæo adfirmat memoratus Pamelius, recteque adversùm Lutheranos & Calviniſtas adjungit: *Reſpondeant*

Digitized by Google

*deant hic mihi, qui mentiri non erubeſcunt Eccleſias primitivas, noſtrarum matrices, adeò vixiſſe pauperes, immò tam tenues, indigas, & mendicas exſtitiſſe, tamque nihil habuiſſe proprium vel ſuum, ut oſtiatim penè compellerentur quæritare cibos. Hic vides auri pondo multa donata Eccleſiæ, atque reddita, non cunctanter, ſed mox atque repopoſcit is qui donarat.* Antiqua, cui Lutheranorum & Calviniſtarum Miniſtrorum cupiditas invidet, Eccleſiarum opulentia multo teſtimonio poſſit demonſtrari.

Tertulliani verba, *Apud Romanenſem Eccleſiam*, adfirmare videntur Marcionem tunc priùs credidiſſe, & antea non fuiſſe Chriſtianum. Verùm longè aliter ſanctus Epiphanius: *Marcion fuit genere Ponticus, ex eâ parte quæ Helenopontus dicitur, oppido Synope, quemadmodùm frequenti de eo fama percrebuit. Qui initio vitæ ſcilicet caſtitatem præ ſe ferens, Monachorum inſtituta profeſſus eſt, parente natus Catholicæ communionis Epiſcopo. Poſtea cum Virginem quamdam adamaſſet, ac fraudibus pellexiſſet, à ſpe vitæ cœleſtis illam juxtà ac ſemetipſum dejecit. Ob hunc igitur incœſtum Eccleſia ab ipſo parente pulſus eſt, viro cumprimis religioſo, ac veritatis amore flagrantiſſimo, & in hac Epiſcopalis muneris adminiſtratione præſtanti. Cui cum Marcion diu multumq; ſupplicaſſet, ac pœnitentiam poſtulaſſet, hanc à Patre precibus nullis obtinuit. Vehementem ſiquidem ex ea re dolorem optimus ſenex & Epiſcopus cæperat, quod non ille ſolùm excidiſſet, ſed & ignominiam ſibi ac dedecus impoſuiſſet. Ergo ubi nullis ſe artibus eblandiri poſſe quod cuperet animadvertit, popularium ſuorum probra ac ludibria non ſuſtinens, clàm ab oppido ſeceſſit, ac Romam poſt Hygini Papæ obitum ſeſe contulit. Eo ſtatim ac Marcion pervenit, ad Seniores adiens, qui ab Apoſtolorum diſcipulis edocti adhuc ſupererant, ut in communionem admitteretur ab iis fruſtra petiit. Quamobrem exſtimulatus invidia, quod non Principem illic locum, ac ne Eccleſiæ quidem aditum impetraſſet, ad impoſtoris Cerdonis hæreſin confugere in animum induxit.* Non dumtaxat Epiſcopi filium, ſed & Epiſcopum fuiſſe adfirmat ſanctus Optatus Epiſcopus Milevitanus. Quod ipſum innuunt Epiphanii verba: *Non impetravit Principem locum*, ſeu Præſidentiam. Quod ſi verum ſit, exiſtimo nativæ Synopenſis civitatis fuiſſe Epiſcopum, atque ita Pater, qui illum gradu & communione movit, eſſe debuit Amalenus Epiſcopus, unicus tunc totius Ponti Metropolita. Non itaque ut crederet, ſed ut gradum & communionem reciperet, Romam venit appellans Marcion, ac proindè ducenta illa ſeſtertia, non Romanæ videtur dediſſe, ſed Eccleſiæ Synopenſi. Longa ac erudita eſt quæſtio, ſed non hujus loci. Lucet interim antiquitas moris, quo Clericus non ſolummodò ſeipſum, ſed & ſimul ſubſtantiam ſuam in titularem Eccleſiam, quaſi dotem in ſponſam, tranſcribebat.

L. 42. c. 1.

L. 3.



Digitized by Google

L. 2. c. 7. Ejuſdem moris meminit in libris de Sacerdotio Sanctus Joannes Chryſoſtomus, referens è Plebe quoſdam maledicè murmurare adverſùm Epiſcopos, quod in eligendis Clericis attenderent ſolas divitias & ſplendorem generis, quibus poſſent ſuas Eccleſias ditare. Et in litteris ad ſuos Epiſcopos Sanctus Syneſius Ptolomaidis Epiſcopus, Pentapolitanæ

Epiſt. 5. Provinciæ Metropolita, loquens de Clericis Arianis: *Infames illi Ptolomaidos finibus expellantur, & quidquid rei cum ipſis importatum eſt, ſecum non appenſum auferant.* Meminit in litteris ad nobilem matronam Albinam etiam Sanctus Auguſtinus, laudans Eccleſiam Hipponenſem, quæ dum ei Clericatum detulit atque impoſuit, paternos ejuſdem agellos non in-

Ep. 225. vidit Eccleſiæ Tagaſtenſi. Nempè poſt ſuſceptum in Italia cum Baptiſmo Monachatum rectâ Tagaſtam Auguſtinus iverat, de hæreditate ſua compoſiturus cum Curia, ejuſque profeſſioni ſuæ ſuperfluam portionem dederat Tagaſtenſi Eccleſiæ: Hinc laudat Hipponenſem, quæ inopem ſuſceperat in Presbyterum, & adversùs iſtam nihil unquam querelæ moverat de repetundis. Hujuſmodi enim querela movit famoſam illam in laudati Auguſtini Epiſtolis litem inter Thianenſem & dictam Taga-

Ep. 239. ſtenſem Eccleſias de patrimonio Honorati Presbyteri. Hinc item nobilem & opulentum virum Pinianum, laudatæ Albinæ filium, Presby-

Ep. 228. teratu donare contenderunt & Hipponenſis Plebs ac Tagaſtenſis. Eumdem morem probat, & ab omni ſorde purum declarat in Novella ad Pe-

L. 123. c. 3. trum Officiorum Magiſtrum lege Juſtinianus Auguſtus: *Si quis Epiſcoporum, ſive ante ſuam ordinationem, ſive poſt voluerit proprias res aut earum partem Eccleſiæ offerre, cujus Sacerdotium accepit, non prohibemus, & omni condemnatione & pœnâ eum liberum eſſe ſancimus, ſed etiam omni laude dignum judicamus, quoniam hoc non eſt emptio, ſed oblatio.* Quare eamdem oblationem nullo modo damnat quintus Canon ſeptimæ Synodi: Solummodò damnat eorum ſtultitiam & faſtum, qui ſimilis oblationis cauſa contemnebant pauperes, qui nihil contulerant, ipſis ambiebant anteponi, atque ita eorum virtutibus ſuum aurum etiam cum improperiis & contumeliis præferebant. Damnat & iſtos, qui non poſt, ſed ante ſuam electionem obtulerant, atque ità elicuerant electionem: Eſſe dicit plenam Simoniam, damnatam à Synodo Chalcedonenſi. Hinc item ſecunda Cabilonenſis Synodus Epiſcopos & Abbates, qui opulen-

c. 6. 7. tos homines ſimili ſpe adliciebant & circumſcribebant ad Clericatum aut Monachatum, damnat Simoniæ & rapacitatis, cogitque hæredibus ad reſtitutionem. Ex eodem principio illum, qui Præbendam aut aliud beneficium ſub ejus prima vice accipiendi pacto erigit aut fundat, de Simonia damnavit Innocentius tertius. Verùm hæc oblatio aut exactio non ſpectat ad præſens inſtitutum.

Spe-

Digitized by Google

Spectat illa exactio, quam olim Patriarchæ, Primates, Metropolitæ, Epiſcopi pro Metropolitarum, Epiſcoporum, Abbatum, ac aliorum Electorum confirmatione aut Pallio poſtularunt, de qua ad Patriarcham Antiochenûm ſcribit Innocentius tertius: *Cùm aliquis eligitur in Abbatem Sancti Pauli, vos occaſione confirmationis procurationem extorquetis trecentorum Byzantiorum valorem excedentem.* L. 3. Epi. 205. Eam damnat de Simonia. Quod ipſum de omni Electorum, etiam Epiſcoporum & Archiëpiſcoporum, confirmatione ſanxit Synodus Baſileenſis. Sanxit adversùs Romanam Eccleſiam; imitata Conſtantienſem Synodum, quæ inter articulos, ob quos dejecit Joannem vigeſimum tertium Pontificem, poſuit & hunc: *Joannes Papa canonicè electos idoneos, uſque ad ſatietatem appetitûs ſui ſolvere non volentes, confirmare recuſavit.* Seſſ. 18. Et quidem ad ſolam Pallii dationem, id eſt, à ſolis, quibus vel in ipſa conſecratione, vel in confirmatione donabat Pallium, Metropolitis ac quibuſdam ad iſtum honorem privilegiatis Provincialibus Epiſcopis exigebat olim Romana Eccleſia, cujus moris varium ſucceſſum & ſtatum ſuprà digeſſi. Verùm ubi jus Patriarchicum Sedi Apoſtolicæ juxta antiquum Eccleſiæ Canonem reſtaurantes poſteriores Pontifices cœperunt omnium generatim ad dictum Patriarchatum ſpectantium Epiſcoporum prævium confirmationem reſervare, cœperunt etiam iſtius confirmationis jura exigere, & ſubjectas Eccleſias quandoque ultrà æquum gravare. Fateri cogimur non ſolùm Joannem vigeſimum tertium exceſſiſſe. Attamen pejùs exceſſit Baſileenſis Synodus, non ſolùm Annatas damnans, ſed & in ipſam Papalem auctoritatem extendens audacem manum: Etenim quòd ipſa Nicæna Synodus ſuper Sedem Apoſtolicam per ſextum, quo reliquis Patriarchis fixit leges & terminos, Canonem nihil fuerit auſa ſtatuere, ſciens illi omnia conceſſa à Domino, ad Theſſaliæ Epiſcopos diſertè ſcribit Sanctus Papa Bonifacius primus. Romanum Epiſcopum ſcimus eſſe hominem, qui etiam pro ſuis debeat offerre peccatis; ſcimus delinquenti à generali præſertim Synodo poſſe ac debere impendi, quam Petro Apoſtolo Paulus impendit, fraternæ correptionis gratiam & charitatem: Verùm cui non deſit reverentia præſcripta per Synodum octavam. Et quis ignoret Baſileenſe Clericorum potiùs quàm Epiſcoporum conventiculum fuiſſe generalis Synodi nomine indignum? Et ad præſentes exactiones ſingulare jus habet Romana Sedes, ſuo loco exponendum.

De alio olim graſſato abuſu Hincmarum nepotem ſuum, Laudunenſem Epiſcopum, in quinquaginta quinque capitum Epiſtola arguit Hincmarus Metropolita Remenſis: *De Eccleſiarum datione, quæ etiam non ampliùs quam dotem ſuam habent cum Decima fidelium, præmia requi-* C. 38.



Digitized by Google

*rebus*. Prima Regiæ amortizationis exordia apud Francos ſunt admodùm antiqua. Etenim etiam Caroli Magni Capitularia cuique Parochiali Eccleſiæ vix aliquid permiſerunt immobile, niſi unicum terræ manſum: Et hoc unà cum Decimis erat Eccleſiæ dos, inſigniter privilegiata. Quod ergò ab hujuſmodi, nihil ſuperfluum habentibus, Eccleſiarum Presbyteris in ipſa curæ collatione xenia ſeu jura exegerit Laudunenſis, Remenſis damnat, atque ita in opulentiorum Eccleſiarum collatione videtur exactionem toleraſſe. Quidquid ſit, etiam ad Electum, qui degradato nepoti ſucceſſit, Hedenulfum ſcribit in litteris Canonicis: *Epiſcopus pro conſtituendis Miniſterialibus Eccleſiaſticis, videlicet Oeconomo, Archi Presbyteris, & Archi Diaconis, præmia non conſtituat, quia Eccleſiaſticum obſequium, quod malè comparaverint, accipientes munus à ſubditis pejus venundare curabunt*. Etiam Viennenſis, per Paſchalem & Joannem
Cap. 4. Formoſi Pontificis in Gallia Cardinales Legatos celebrata, Synodus ſtatuit: *Nulli cenſus à Presbyteris, loco muneris, ad introitum, ut dicunt, Eccleſiarum exquirantur, aut vi aliqua extorqueantur*. Etiam Widonem Archiëpiſcopum Mediolanenſem, quod deinceps pro ordinandis Eccleſiis nihil exigeret, jurare coëgit Nicolai ſecundi Legatus ſanctus Petrus Da-
Cap. 2. miani. Haſce omnes conſuetudines damnavit Innocentii ſecundi Synodus Lateranenſis. Et adversùs aliam Collatorum iniquitatem ſtatuit in
Cap. 7. ſua Synodo Alexander tertius: *Partem redituum ſuis uſibus applicare non præſumant*. Et hinc Mediolanenſem Archiëpiſcopum, qui Eccleſiæ ſuæ Cancellariam, retentis ſibi ad annum fructibus, alicui contulerat, uti Simoniacum laudati Canonis tranſgreſſorem damnat apud Gregorium
L. 3. tit. nonum Innocentius tertius, laudans vetuſtam Eccleſiæ regulam: *Ut be-*
12. c. 1. *neficia ſine diminutione conferantur*. Collatores, qui Eccleſiarum aut Præbendarum, quas dabant, necdum collectos fructus ſibi reſervabant, ejuſdem criminis damnat Oxonienſis Synodus Stephani Primatis Cantuarienſis. Viguit abuſus etiam apud Græcos, de quibus tractatus Latinus repertus Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores: *Græcorum Pontifices nullis Eccleſias ſine pecunia largiuntur*. Et in ſuis ad Photii Nomo-Ca-
Tit. 2. c. nonem ſcholiis Theodorus Balſamon adducit auream Iſaaci Comneni
34. Imperatoris Bullam, quæ unicuique pago juxtà infumibulorum ſeu caminorum numerum præfigit, quot Epiſcopo aureos vel argenteos, quot arietes vel agnos, quantùm grani aut vini debeant pro acceptô novo Parocho pendere. Nempe Græcorum Patriarchæ Auguſto, Metropolitæ Patriarchis, Epiſcopi Metropolitis pendebant pro gratia conſecrationis: Hinc, quoniam qui emit poſtea & vendit, Epiſcopi à Parochianis Presbyteris exigebant.

Aliam in hac ſpecie iniquitatem aperit in litteris ad Cardinalem Ri- 

char-

chardum, Albanenſem Epiſcopum, Paſchalis ſecundi in Gallia Legatum, ſanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus: *Pro conſuetudine antiqua adhuc exigunt publicè Decanus & Cantor, & alii Miniſtri, ab his qui Canonici fiunt, me contradicente & perſequente.* Eccleſiæ, Cathedralis præſertim, Canonicatus, quoniam magna eſt dignitas, varias requirit qualitates, quaſdam ex generali Chriſtianitatis Præſcripto, quaſdam ex ſingulari cujuſque Capituli ſtatuto. Hinc nullum Proviſum ad poſſeſſionem admittebat Carnutenſe Capitulum, niſi per Decanum, Cantorem, Subdecanum, & Succentorem, quatuor primarias dignitates, examinatum: Et pro ſuo ipſi examine aliquid exigebant. In pluribus Galliarum Eccleſiis graſſantem conſuetudinem improbabat Ivo Epiſcopus, at expugnare non valuit, ideoque à laudato Legato fuit graviter redargutus. Expugnavit ejus ſucceſſor Gaufredus de Leugis, hortatu Roberti Arbreſcellenſis: Proviſos omnes, antequam ad poſſeſſionem admitterentur, adversùs ipſam jurare ſtatuit, iſtudque ſtatutum fecit confirmari à Calixto ſecundo Pontifice, cujus ſanctionem in novis ad laudati Ivonis Epiſtolas ſcholiis adducit Joannes Baptiſta Souchettus, Canonicus ac Theologus Carnutenſis. Hanc ſanctitatem non ſolùm à Cardinale Richardo didicerat Gaufredus, ſed & à Synodo Namnetenſi, omnem munerum cupiditatem acriter damnante in Clericorum ad ſacros Ordines promovendorum Examinatoribus, præſertim qui munerum intuitu indignos Epiſcopi manibus applicarent. Ne Archi-Presbyteris aut Archi-Diaconis examinis titulo aliquid perſolvant Ordinandi, mandat etiam Palentina Synodus, habita ſub Pontificatu Joannis vigeſimi ſecundi. Sacra Tridentina Synodus accipi vetat etiam ſponte oblatum. Quod etiam ad eſculenta ac poculenta extendit ſancti Caroli Borromæi quinta Synodus Mediolanenſis. Et hoc jure quoad Sacrorum Ordinum examen eſt nobis hodie omnino vivendum.

Ep. 133.

Nec tantùm pro Electi ſeu Proviſi examine, ſed etiam pro inthronizatione, inveſtitura, inſtallatione, ſeu in poſſeſſionem immiſſione aliquid exigere fuit olim admodum familiare. Lucet ex S. Petri Damiani apud Mediolanum Actis, ubi Wido Archiepiſcopus etiam de inveſtiendis Eccleſiis nihil deinceps accipere juravit. Hinc ſanctum Hugonem, ex Carthuſienſi Monacho Lincolnienſem Epiſcopum, quod Archi-Diacono pro inthronizationis juribus poſtulanti equum dare noluerit adfirmans ſe malle Epiſcopatum cedere, meritò laudat Henricus Cnyghtonus. Sordidam Senonenſis Archi-Diaconi cum quodam Parochiali Presbytero, jura hæc ſolvere recuſante, de aliquot denariis litem refert in ſuis apud Franciſcum du Cheſne litteris Sugerius Abbas ſancti Dionyſii. Et ad Pariſienſe ſancti Maglorii Monaſterium ſcribit Inno-

A. 1208.

Ep. 107. 108.

L. 1. Ep. 143. Innocentius tertius: *Cum Abbatem veſtrum contingit de novo in ſede collocari, Archi-Diaconus Pariſienſis pro inſtallatione ipſius centum ſolidos monetæ Pariſienſis à vobis extorquere nititur, hujuſmodi exactionem in jus annuum convertendo.* Eſſe dicit exactionem rationi & Patrum inſtitutionibus adverſam. Et apud Gregorium nonum ſcribit ad Archiëpiſcopum L. 5. tit. 3. c. 36. Cantuarienſem: *Pravam illam conſuetudinem de tua Provincia ſtudeas abolere, per quam pro Eccleſiarum inveſtitura Archi-Diaconi marcam argenti, minores verò Decani vaccam albam ſibi dari poſtulant, vel certam ſolvi pecu-* Cap. 7. *niæ quantitatem.* Loquitur ex Alexandri tertii Synodo Lateranenſi: *Horribile nimis eſt, quod in quibuſdam Eccleſiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro Epiſcopis vel Abbatibus, ſeu quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis ponendis in ſede, ſeu introducendis Preſbyteris in Eccleſiam, aliquid exigatur.* Eſſe dicit Simoniam, additque adversùs longam, qua quidam ſe excuſabant, conſuetudinem: *Putant plures ex hoc ſibi licere, quia legem mortis de longa invaluiſſe conſuetudine arbitrantur, non ſatis, quia cupiditate cæcati ſunt, attendentes, quod tantò graviora ſunt crimina, quantò diutiùs ani-* Ep. 22. *mam infœlicem tenuerint alligatam.* Apud laudatum Franciſcum du Cheſne exſtat inſignis Epiſtola, quâ Simonem Eccleſiæ Pariſienſis Archi-Diaconum, quod pro inſtallando ſancti Victoris Abbate centum ſolidos exegiſſet, notat de Simonia idem Pontifex, adfirmans non minùs inſtallationem, quam electionem eſſe gratis faciendam.

Nec ſolus Epiſcopus aut Archi-Diaconus inſtallator, ſed & tota variarum Eccleſiarum Capitula ſeu Collegia olim exigebant jura in- L. 56. ſtallationis, de quibus ad Memnam Patriarcham Conſtantinopolitanum ſcribit in Novellis legibus Juſtinianus Imperator: *Qui ordinantur à tua Reverentia Clerici in ſanctiſſimis Eccleſiis, abſque tamen ſanctiſſima majori Eccleſia, omnium patiuntur crudeliſſima, non ſuſcipientibus eos illic Eccleſiis, antequam quantum voluerint accipiant aurum. Sancimus igitur Beatitudinem tuam hoc validiſſimè cuſtodire, ut ſiquidem ſit conſuetudo dare eos qui ordinantur in ſanctiſſima majori Eccleſia, hoc eos præbere. Nihil enim de iis, quæ dantur in ſanctiſſima majori Eccleſia, novamus. Præterea verò in aliis omnibus nulli Clericorum licentiam eſſe penitùs pro iis, quæ vocantur Inſinuativa, aliquid ferre.* Quidam exiſtimant legem loqui pro ſolis Conſtantinopolitanorum Oratoriorum, ſeu ſecundariarum Eccleſiarum Cleri- L. 191. cis. Et favent Juliani Anteceſſoris verba: *Si quis in Conſtantinopolitana civitate Clericus fuerit factus, ſi quidem magna Eccleſia Clericus ſit, Enphanoſtica ſeu Inſinuativa præſtet quæ ex conſuetudine præſtari oportet; ſin autem Clericus Oratorii alterius fuerit, nihil ab eo Enphanoſticorum nomine exigatur.* Exiſtimo tamen loqui præſertim pro Clericis aliarum Parochiarum ſeu Diœceſeon. Etenim Patriarchali ſuæ poteſtati per rapinas exſtendendæ

ſemper

ſemper intentus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ſpectantium ad tres autocephalas Diœceſes Metropolitarum primò, deinde & Provincialium iſtic Epiſcoporum conſecrationes invaſit, tandemque etiam quorumvis Clericorum ordinationes, de qua ejus poteſtate Theodorus Balſamon varia hinc inde nugatur. Et quidem etiam ab hiſce extorquebat ordinationis jura, quæ non in ſuo curſu permittere debuerat Juſtinianus, ſed omnino damnare. Rapina iſta peſſimè habuit aliarum Eccleſiarum Epiſcopos, ideoque quod palam non auderent violentiæ refragari, ſuos inſtigarunt Clericos ad ordinatos Conſtantinopoli Collegas non admittendos in poſſeſſionem, niſi ſolutis grandibus Inſinuativis, de quibus rectè Dionyſius Gotofredus: *Inſinuativa ſunt, quæ novi Clerici dant veteribus pro ſuo introitu.* Seu pro ſui nominis in Clericorum Catalogum inſcriptione aut inſinuatione. Ea ergo ad Mennæ Patriarchæ preces ſuſtulit magnus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ exaltator Juſtinianus. Suſtulit quoad ſolos Conſtantinopoli ordinatos Clericos: Quare aliarum Eccleſiarum Clerici à novis per proprios Epiſcopos ordinatis Collegis omnino poterant conſueta Enphaniſtica poſtulare. Et hinc ſolos Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Defenſores ad legis hujus executioni invigilandum hortatus fuit Juſtinianus. Ab ipſis exemit ſolos Conſtantinopoli ordinatos, ne quis eorum metu deinceps illic ordinari refugeret: Hoc enim fine ipſa alii Epiſcopi induxerant, aut permiſerant.

Hæc pecuniaria Inſinuativa reperimus etiam apud Eccleſias Latinas. Quædam inſuper Capitula primi, ſecundi, quandoque & tertii anni fructus dividunt inter veteres Canonicos, & novum cogunt jejunare. Aliam adhuc ſpeciem memorat apud Gratianum, & damnat Paſchalis ſecundus: *Nullus emat Eccleſiam vel Præbendam, nec paſtellum nec paſtum ſolvat antea vel poſtea pro hujuſmodi.* Et per ejus Cardinales Legatos Joannem ac Benedictum celebrata ſecunda Synodus Pictavienſis: *Ut Præbenda non ematur aut vendatur, neque paſtus inde exigatur, ſub excommunicatione interdicimus.* Et Innocentii ſecundi Synodus Lateranenſis: *Nec pro paſtu, nec ſub obtentu alicujus conſuetudinis antea vel poſt à quoquam aliquid exigatur, aut ipſe* Proviſus *dare præſumat, quia Simoniacum eſt.* Et adversùm Canonicos Aprutinenſes, qui novum collegam Jacobum nolebant admittere ad plenam fructuum perceptionem, *quamdam conſuetudinem prætendentes quod prandium habere deberent à Canonico recepto de novo*, ad ſancti Thomæ Eſculanenſis Priorem ſcribit Gregorius nonus: *Mandamus quatenùs dictos Canonicos, ut tali conſuetudine non obſtante, illi ſicut uni ex aliis in proventibus & præbendis provideant, appellatione remota compellas.* Quod Epiſcopus aut quivis Clericus in ſuæ conſecrationis aut ad beneficium promotionis die exhibeat confratribus & amicis Chriſtianum

1. q. 2. c. 7.

Cap. 7.

Cap. 2.

L. 5. tit. 3. c. 44.



Digitized by Google

num convivium, eſt conſuetudo antiquiſſima, & laudabilis: At ſpontaneum id eſſe debet, ejus exactionem uti Simoniacam meritò proſcripſit à Romana Eccleſia magnus Gregorius, meritò poſteriores Canones Decretum iſtud ad omnes generatim Epiſcopos, Clericos, & Monachos extenderunt.

## CAPUT XI.

*Exponuntur exactio & oblatio pro Miſſis & Orationibus.*

Seſſ. 8. IOannis Wicleffi vigeſimus quintus à Conſtantienſi Synodo damnatus Articulus eſt hic: *Omnes ſunt Simoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis, eis in temporalibus ſubvenientibus.* Datos pro Miſſis ac Pſalteriis denarios nihil prodeſſe docuit apud Henricum Cnyghtonum etiam inſignis Wicleffiſta Nicolaus Herefordenſis: Ejus Collegæ docuerunt in Miſſa pro defunctis non faciendas oblationes pecuniarias, imò & illos, qui Sacerdoti pro quavis dicenda Miſſa dent denarios, eſſe cum ipſo accipiente A. 1383. maledictos. Et quidem ipſius Wicleffi adductum Articulum optimo jure damnavit laudata Synodus. Etenim mandat ipſe Dominus, ut faciamus nobis amicos de Mammona iniquitatis, qui nos, cum defecerimus, recipiant in æterna tabernacula: Hoc eſt, ut de noſtra temporali ſubſtantia nobis conciliemus Chriſti pauperes, qui nobis per ſuas preces impetrent compunctionis ſpiritum, benè vivendi gratiam, ac remiſſionem peccatorum. Quoſdam Fideles in die Judicii de ſua ſalute periclitaturos, & iſtiuſmodi Sanctorum interceſſionibus fore gratioſè donandos à Divina miſericordia, docet in libris de Dei Civitate Sanctus Auguſtinus. Et divitum defunctorum hæredibus nihil frequentius aut ardentius inculcat & declamat Sanctus Joannes Chryſoſtomus, quàm ut per largas eleëmoſinas eis implorent multorum pauperum orationes. Clara nimium eſt hæc Eccleſiaſtica veritas: Nec ob unum Wicleffum eſt nobis tempus perdendum. Omittere tamen non poſſum pauca laudati Chryſoſtomi verba in prioris Apoſtolicæ ad Corinthios Epiſtolæ Hom. 27 Commentariis: *Si filii aut fratris defuncti memoriam ageres, pungereris in conſcientia, ſi morem non impleviſſes, & pauperes vocaſſes.* Morem dandæ agapes, ſeu ſolemnis convivii cunctis civitatis pauperibus, qui defuncto, cujus edebant temporalia, ſua ſpiritualia communicarent, ſine conſcientiæ punctura dicit non poſſe intermitti. Nec in ſola Antiochena aut Conſtantinopolitana Eccleſia, ſed in noſtro etiam Occidente mos iſte viguit. Etenim iſtud, quoniam res ſancta à profano hominum abuſu rugas contraxerat, convivium eſt unus ex Africanæ Eccleſiæ abuſibus, quos

Digitized by Google

quos per Aurelium Primatem Carthaginenſem purgari ac aboleri ſuaſit Presbyter adhuc Sanctus Auguſtinus. Eundem morem in litteris ad Alethium laudat Sanctus Paulinus : *Patronos animarum noſtrarum pauperes, qui tota Roma ſtipem meritant, multitudinem in aulam Apoſtoli congregaſti. Pulchro equidem tanti operis tui ſpectaculo paſcor. Videre enim mihi videor tota illa religioſa miſerandæ plebis examina, illos pietatis divinæ alumnos, tantis influere penitus agminibus in ampliſſimam glorioſi Petri baſilicam, ut tota & intra baſilicam, & pro januis atrii; & pro gradibus campi ſpatia coarctentur. Video congregatos ità diſtinctè per accubitus ordinari, & profluis omnes ſaturari cibis, ut ante oculos Evangelicæ benedictionis ubertas, eorumque populorum imago verſetur, quos quinque panibus & duobus piſcibus panis ipſe verus, & aqua viva piſcis explevit.* Hoc modo Alethius uxoris ſuæ exequias celebrarat. Ex ejuſdem moris reliquiis eſt quod in divitum fidelium funere pauperibus paſſim panes diſtribuantur. Ep. 64. Ep. 33.

Etiam futuros pauperes ad iſtiuſmodi ſuffragia & preces per hæreditates, legata, aut donationes obligare eſt omninò pium. Quidquid cum Wicleffiſtis etiam Lutherani & Calviniſtæ exſibilent, eſt pietas antiquiſſima omnium Eccleſiarum. Etenim de Beliſarii Ducis in Joannem Armenium, ſtrenuum militem, iniquiſſimè trucidatum, pietate ſcribit in libris de bello Wandalico Procopius Cæſaræenſis: *Beliſarius ad Joannis properans ſepulchrum, illius inſontis caſum magnoperè flevit, ejuſq; tumulum Cenſus redditu honeſtavit.* Hoc eſt, perpetuas Eccleſiæ aut pauperum preces illi per annuum Cenſum adfixit. Et Remenſium Sanctiſſimus Archiëpiſcopus Remigius ſuo teſtamento inſeruit hunc ad quoſdam pauperes articulum : *Matriculæ Sanctæ Mariæ, quæ Xenodochium dicitur, ubi duodecim pauperes ſtipem exſpectant, ſolidus dabitur. Quam matriculam, ubicumque fratribus meis & filiis*, Remenſis Eccleſiæ Clericis, *oſſa mea ponere placuerit, perſeverare præcipio, & ut diu noctuq; pro peccatis atque criminibus meis Dominum deprecentur, de proprio hæreditatis meæ jure rebus, quas Anteceſſores mei in eorum ſtipendiis Domino dederunt, ſuperaddo etiam villam Saladronam & villam Sancti Stephani, & quidquid in villa Hermundi mihi per ſucceſſionem evenit.* Hunc item articulum ad Lupum Sueſſionenſem Epiſcopum, ſuum ex fratre Nepotem : *Vineam, quam Bebrimodus facit, tibi eatenus derelinquo, ut diebus Feſtis & omnibus diebus Dominicis indè mea ſacris Altaribus offeratur oblatio, atque annua convivia Remenſibus Presbyteris & Diaconibus præbeantur.* Anniverſariæ Miſſæ, & conventualis poſt illam refectionis fundatio eſt adeò antiqua. Ejuſdem formæ plura ab hoc Sancto Epiſcopo legata refert in Remenſis Eccleſiæ hiſtoria Flodoardus. Et de Sancto Rigoberto ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopo adjungit : *Clericis Remenſibus delegavit Eccleſiam Sancti Hilarii* Lib. 3. Lib. 1. c. 33.

 *cum*

Digitized by Google

*cum Suburbio ad eam pertinente, ut in annua tranſitûs ſui die ſufficiens eis*
Lib. 2. c. 11. *refectio indè pararetur.* Et nona Toletana Synodus permittit Epiſcopo, ut ſæculari Eccleſiæ, *quam ſuâ magnificare voluerit ſepulturâ*, dare poſſit centeſimam partem de Eccleſiæ ſuæ bonis: Utique ad perpetuum onus ſuffragiorum. Quod item Dagobertus Francorum Rex Eccleſiis ſub quotidiani ad tres annos ſacrificii onere, & Sancti Dionyſii matriculariis ſub ſuffragantium animæ ſuæ precum lege legarit multa, authentica ejus apud
Cap. 40. Franciſcum du Cheſne vita teſtatur. Et inſignia munera ad omnes Anglicanas Eccleſias miſit Carolus Magnus cum hiſce ad Offam Merciorum Regem litteris, exſtantibus apud Guilielmum Malmesberienſem:
Fol. 32. *Direximus in eleëmoſynam Domni Apoſtolici Adriani, deprecantes ut pro eo intercedi jubeatis.* Et de ſancti Judoci Cella ſcribit ad Carolum Calvum
Ep. 45. Francorum Regem ſanctus Lupus Abbas Ferrarienſis: *Intercedente glorioſà Matre veſtrâ, Sereniſſimus Pater veſter Ludovicus Auguſtus ad remedium animæ ſuæ & ſalutem poſteritatis, ſupplementum hoc Monaſterio noſtro contulerat.* Eam neſcio qualiter ereptam ſupplicat ſibi reſtitui, ex ejus ſpolio natam grandem Monaſterii ſui pauperiem amplificat, & adjungit: *In tanta calamitate Patri & Matri veſtræ quotidianas preces & annuum officium perſolvimus, quaſi quòd illi contulère poſſideamus. Fecerunt enim illi totum quod potuerunt, & donum ſuum robuſtiſſimè firmaverunt.* Quam regulam notent illi qui ceſſantibus fundationis proventibus mox etiam Miſſas & alia fundata ſuffragia intermittunt. Etiam ſanctus Gerardus Conſtantienſis in Germania Epiſcopus partim Cathedrali ſuæ Eccleſiæ, partim ſancti Petri Monaſterio varia prædia legavit eâ lege, ut Canonici *ter in anno cum ſolemni proceſſione ipſum Monaſterium adeant, ſingu-*
Epiſc. 26. *liſq; vicibus pro ejus anima Miſſam cantent.* Ità teſtatur Chronicon Eccleſiæ Conſtantienſis. Et in Mindenſis Eccleſiæ Chronico exſtat Diploma, quo ad Milonis Epiſcopi precem inſignes proventus transfundit Imperator Otto ſecundus *eâ ratione, ut perenniter pro noſtræ animæ remedio unus*
Li. 62. cap. 6. *Presbyter talem habeat Præbendam*, quæ hodiè apud nos vocatur Præbenda animarum. Et ad Hugonem Cluniacenſis Monaſterii Abbatem ſcribit ſanctus Petrus Damiani: *Sicut ego pro vobis non dubitavi corpus meum*
Lib. 6. Epiſt. 2. *crudelibus offerre periculis, ità per vos ſuperna clementia dignetur animam meam ab infernalibus liberare tormentis.* Apoſtolicæ Sedis per Galliam Legatus multa pro iſto, in quo defunctorum ſuffragia ſingulariter vigebant, Monaſterio tulerat: Hinc pro mercede expoſtulat inſcribi in Catalogum eorum, quorum animas per ſacrificia & alia pietatis opera fratres quotidiè apud Deum adjuvabant. Hujuſmodi fundationum nec Dux Beliſarius, nec ſanctus Remigiùs fuerunt primi auctores: Avitam conſuetudinem ſecuti ſunt, atque ità lucet illam eſſe inſigniter antiquam

quam & probatam. Quod & Toletanus Canon evincit, Epiſcoporum, qui ſepulturæ ſuæ Monaſteriis erant de Eccleſiæ ſuæ bonis nimium liberales, priorem morem compeſcens. Nullum hîc eſt Simoniæ periculum aut ſpecies: Niſi cum impio Monacho Arnaldo Brixienſi damnare velimus omnia bona Eccleſiaſtica, cunctoſque ipſorum donatores. Etenim Eccleſiaſticorum pro anima ſua ſuffragiorum fundator aliud non agit, quàm Clericis aut Monachis, ea in perpetuum celebraturis, ſuſtentationis ſtipendia aſſignare.

Etiam Miſſæ denarius eſt longè antiquiſſimus. Etenim vetuſtos Africanæ Eccleſiæ abuſus enumerans ſanctus Auguſtinus ſcribit ad Aurelium Primatem: *Oblationes pro ſpiritibus dormientium, quas verè aliquid adjuvare credendum eſt, ſuper ipſas memorias non ſint ſumptuoſa, atque omnibus petentibus ſine typho & cum alacritate præbeantur, neque vendantur. Sed ſi quis pro Religione aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præſenti pauperibus eroget. Ità nec deſerere videbuntur memorias ſuorum, quod poteſt gignere non levem cordis dolorem, & id celebrabitur in Eccleſia quod piè & honeſtè celebratur.* Antiquiſſimis ergo illis temporibus oblationis ſeu Miſſæ pro defunctis denarium non ſolummodò admittebat, ſed & exigebat Africanus Clerus, eamque exactionem venditionis ſeu Simoniæ taxat ſanctus Auguſtinus, nihilominus permittens ſponte oblatum accipi, ità tamen ut in Cleri non cedat lucrum, ſed mox ſub offerentium oculis in pauperes erogetur. Quam regulam fixerunt Patres noſtri, fidelis populi ad ſacrificium de pane & vino oblationem in denarium mutantes, de quibus in animæ Gemma ſcribit Honorius Auguſtodunenſis: *Statutum eſt ut populus denarios offerret, qui in uſum pauperum cederent, vel in aliquid ad Sacrificium pertinens.* Et hocce ſtatutum omnino ſecutus eſt etiam ſanctus Petrus Damiani, qui ſibi Miſſam celebranti oblatos à quadam Duciſſa Byzantios noluit accipere, ſed poſt Altare deſeruit, adeoque parvi fecit & ſprevit, ut etiam furto per neſcio quem Palatinum Clericum ſublatos, & per Duciſſam Beatricem reportari ipſos recipere noluerit, licet multis precibus à pœnitente fure fatigatus. Clam tamen recepit ejus ſocius Frater Paulus. Et hinc forſan à Godefridi Lotharingiæ Ducis Capellanis ſumpta eſt anſa *notam ei cupiditatis inurendi.* Sanè iſta, cui operoſiſſimam apologiam oppoſuit optimus Petrus, calumnia oſtendit ſimilem oblatæ pecuniæ admiſſionem & in Clerico & in Monacho malè tunc oluiſſe.

Epiſt. 64. — Lib. 1. cap. 66. — Lib. 5. Ep. 13.

Attamen hæc ſanctitas non eſt Divini aut Apoſtolici præcepti. Quod enim Sacerdos poſſit de Altari, Sacrificio, aut alio quovis Evangelii miniſterio vivere, in prima ad Corinthios epiſtolâ Apoſtolus oſtendit multis argumentis, de quibus rectè S. Joannes Chryſoſtomus in ejuſdem

Hom. 22 dem epiſtolæ commentario : *Multum ponit ſtudii Apoſtolus, ut oſtendat non eſſe vetitum accipere.* Utique ſpontè oblatum. Et ad Apoſtoli verbum, *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*, adjungit : *Vivere, non mercaturam facere, nec thezaurizare.* Hoc eſt, nihil à quoquam exigere, & nihil accipere è ſponte oblatis niſi neceſſariam ſuſtentationem. Hæc eſt Evangelica lex : Paulus Apoſtolus, nihil etiam ſponte oblatum admittens, & de ſuis manibus in Evangelio vivens, ſibi fixit perfectiorem regulam, quam & ſuæ Diœceſeos Clero poſteà fixit Synodus Eliberina. Africanæ item Eccleſiæ figere conatus eſt S. Auguſtinus; at non video obtinuiſſe. Eamdem Apoſtolicam ſanctimoniam ſibi dumtaxat ſoli fixit ſanctus Petrus Damiani : Byzantios ipſos admitti Canon illius temporis omninò permittebat. Etenim de laudato Petro adhuc puerulo ſcribit in ejus vita Joannes

Cap. 2. Monachus : *Petrus quâdam die nummum reperit, & tamquam ſubitò dives effectus, gratulabundus quid eo mercari aptius poſſet, diu mente revolvere cœpit. Divinitus tandem inſpiratus ait : Melius eſt ut tradam Presbytero, qui Deo Sacrificium offerat pro Patre meo defuncto.* Et in ſuis ad Deſiderium Caſſinenſem Abbatem litteris oblata Sacerdoti pro defunctis celebraturo Xenia nequaquam improbat jam vir & Doctor Petrus: Solùm ſuadet opulentis, carnaliter viventibus, & avaris Sacerdotibus non facilè offerenda. Et in litteris ad Damianum Monachum, ſuum ex ſorore Nepotem, ſcribit de quodam illiterato Comenſis Eccleſiæ Presbytero :

Lib. 6. Ep. 21. *Tam parvam ac tenuem in litterarum doctrina habet notitiam, ut apertæ quoque ſcriptionis articulum ſyllabatim vix valeat legere, nimiâ tamen paupertate conſtrictus, utcumque Miſſarum ſolemnia cogitur celebrare.* Ut nempè ex Miſſæ denario diætim vivat. Et ad Petrum Sanctonenſem Epiſcopum ſcribit Goffredus Abbas Vindocinenſis : *Oblationem Altaris habet à quo Miſſa cantatur.* Et in Summa Theologica Robertus Cardinalis Pullus :

P. 7. c. 17. *Quid eſt Miſſarum ſolemnia contuitu temporalis commodi celebrare, niſi cum Juda Chriſtum vendere, tantò nequius, quanto reſurgendo eſt ſublimatus?* Utique contuitu commodi. Et in Eboracenſi apud Rogerum Hovedenſem Synodo ſtatuit Hubertus Archiëpiſcopus Cantuarienſis :

Fol. 755. *Decrevimus prohibendum, ne Sacerdos aliquis pro celebratione Miſſarum pretio conſtituto pactum ineat, ſed hoc dumtaxat quod in Miſſa offertur, recipiat.* Et in Toletana ſub Joannis vigeſimi ſecundi Pontificatu celebratâ Synodo graviter queritur Joannes Archiëpiſcopus, *Quòd aliqui Presbyteri, deteſtandâ & abominabili ambitione cæcati, pro Miſſis per eos celebrandis pecuniam exigunt, & deſuper hoc, acſi vellent vendere rem profanam, impudenter mercantur.* Hanc Eccleſiæ maculam acriter exaggerat, & concludit : *Ne aliquis Presbyter pro Miſſis celebrandis pecuniam exigat, vel rem*

*rem aliam temporalem, ſed gratis accipiat, ſi aliquid per facientem Miſſas celebrari, oblatum ſibi charitativè fuerit, abſque pactione & conventione quacumque.* Prævaricantem per annum ſuſpendit à celebratione Miſſarum, ac inſuper mandat proprii Epiſcopi arbitrio puniri.

Notanda ſunt verba Goffredi Abbatis: *Oblationem Altaris.* Et Huberti Archiëpiſcopi Cantuarienſis: *Quod offertur in Miſſa.* Exponit in animæ Gemma Honorius Auguſtodunenſis: *Fertur quod olim Sacerdotes* Lib. 1. *à ſingulis domibus vel familiis farinam accipiebant, quod adhuc Græci faciunt,* cap. 66. *& inde Dominicum panem faciebant, quem pro populo offerebant, & conſecratum eis diſtribuebant. Nam ſinguli farinam offerentium Miſſæ interfuerunt, & pro his in Canone dicebatur: Et omnium circumſtantium, qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis. Poſtquam autem Eccleſia numero quidem augebatur, ſed ſanctitate minuebatur propter carnales, ſtatutum eſt ut qui poſſent ſingulis Dominicis, vel tertia Dominicâ, vel ſummis feſtivitatibus, vel ter in anno communicarent, & quia populo non communicante non erat neceſſe tam magnum panem fieri, ſtatutum eſt eum in modum denarii formari, ut populus pro oblatione farinæ denarios offerret, pro quibus traditum Dominum recognoſcerent, qui tamen denarii in uſum pauperum cederent, vel in aliquid quod ad hoc Sacrificium pertinet.* Fidelis populi ad Sacrificium oblatio eſt omnino antiquiſſima, inſtituta ab ipſis Apoſtolis. Eam laudant antiquiſſimi Canones. Etiam Juſtinus Martyr, Tertullianus, aliique vetuſtiſſimi Patres. Et ad ſuam plebem declamavit olim in Sermone de eleëmoſyna ſanctus Cyprianus: *Locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis, qui in Dominicum ſine Sacrificio venis, qui partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, ſumis.* Non farinam tunc, ſed coctum domi ſuæ panem & vinum, quæ per Sacerdotem conſecrata ſumeret in Miſſa, quiſque Fidelis offerebat. Quin imo non panem, ſed panes plures cum larga vini amphorâ, quorum ſolummodo modica pars conſecraretur, & reliqua maſſa Sacerdoti & Clero ejus cederet, offerebat quiſque dives: Etenim maſſam iſtam in ſolos Clericos dividi, atque ab ipſis ſolis, & qui cum illis ſunt fidelibus fratribus, nequaquam à catechumenis ſumi poſſe reſpondit in ſuo ad Ammonem Lycopoleos Archiëpiſcopum Canonico Reſcripto Theophilus Patriarcha Alexandrinus. Quin ejuſmodi oblata non cum lacte, caſeo, aut piſcibus, ſed ſeparatim & per ſe ſumi juſſit in Synodicis ſuis ad Monachos Reſponſis, exſtantibus apud Theodorum Balſamonem, Nicolaus tertius Patriarcha Conſtantinopolitanus. Quam diſciplinam dudum viguiſſe in Latinis etiam Eccleſiis, ſuo loco oſtendetur. At vero coctum à quavis Laïca manu panem in Domini Corpus conſecrare eſt res incommodis ſubjecta, ideoque mutavit Eccleſia, & triticeam farinam, ex qua Clerici panes facerent, juſſit à populo offerri. Quam rurſus variata tempo-



Digitized by Google

porum ratio perſuaſit mutari in denarios, qui partim emendæ farinæ eſſent pretium, partim ad fugandam Clericalis avaritiæ ſpeciem in pauperes ſub offerentium conſpectu dividerentur. Quæ puritas, quod non eſſet Apoſtolicæ legis, & quod priorum oblationum emolumentis aut non poſſent aut nollent privari Sacerdotes, non diu permanſit: Uti antea panis, vinum & farina, ita hi denarii illis pedetentim appropriari cœperunt. Ita ſuo tempore fuiſſe conſuetum, ſupra palam dixerunt Goffredus Abbas Vindocinenſis, & Hubertus Archiëpiſcopus Cantuarienſis. Et hinc ob avitam populi de Cleri avaritia & nimiis proventibus calumniam defecit paulatim etiam denariorum oblatio, contracta ferè ad ſolam Miſſam in exequiis defunctorum. Accedens Eccleſiarum, Altarium in eadem etiam Eccleſia, Sacerdotum, plurium quotidie in eodem quoque Altari Miſſarum multiplicatio iſtam contractionem ſtrenuè adjuvit. Exinde ergo Miſſam ſibi celebrari volens, eam oblato denario poſtulat à Sacerdote, & hic eſt denarius, quem Wicleffiſtæ, Lutherani, & Calviniſtæ hoſtiliter inſectantur. At ſine fundamento. Eſt enim, licèt non in iſta ſpecie, tamen in ſubſtantia ac valore Inſtitutum Apoſtolicum. Etiam in propria ſpecie eſſe antiquum, oſtendunt ſuperiùs laudata puerilis pietas ſancti Petri Damiani, & per ipſum adducta plura exempla. Quis Sacerdos non ab omni fideli panem & vinum malit accipere ad quamvis Miſſam, quam ab unico homine paucos aſſes? De varia hujus oblationis mutatione largiùs eſt ſuo loco dicendum.

An ad ſingulas etiam privatas Miſſas olim ab audientibus vel audiente fuerit facta panis, vini, farinæ, vel denarii oblatio, poſſit diſputari. Certum eſt fuiſſe factam ad illas, quæ pro quopiam ſeu vivo ſeu defuncto, vel propriæ pietatis motu, vel ad alicujus poſtulationem fuerunt celebratæ. Nam in his oportebat fieri iſtius nominis recitationem, quam ſine oblatione fieri non permiſit antiqua diſciplina. Olim ergo Miſſam pro ſe aut amico dicendam poſtulans à Sacerdote, non prævię dabat, ſed in ipſa offerebat denarium, quo ſolo Sacerdotem oportebat eſſe contentum. Servatum tamen oportebat etiam laudatum ſuperiùs Cardinalis Gualonis Canonem: *Moneantur Laïci diligenter, ne quod pro Sacramentorum reverentia devotio Fidelium introduxit, ex avaritia velint aliquatenus revocare.* Devotionem iſtam paulatim omninò diminuit, ac propemodum exſtinxit olim Laïcorum avaritia, atque ita ipſis taxare Miſſæ denarium Epiſcopi tandem fuere compulſi. Ita ſolita intra Miſſam oblatio pedetentim etiam deſiit, & jam pridem denarius vel ante vel poſt ipſam offerri cœpit, immò & exigi. Et hanc conſuetudinem uti innoxiam probavit Tridentina Synodus, Miſſarum fundationes, quibus adnexi cenſus tenuitas nequeat competentem ſuppeditare denarium, permittens reduci

duci ad minorem numerum. Quam diſciplinam eſſe antiquam, docet fundatio Monaſterii ſanctæ Mariæ de Silva Regali in *Arelatenſi Diœceſi, cui ſub perpetuo variarum Miſſarum onere fundos quoſdam donavit Alphonſus Aragoniæ Rex, & adjecit: *Si in prædicta donatione naufragium evenerit, illud ſolvo & relaxo.* Inſtrumentum exſtat in Spicilegio Lucæ Dacherii. Quo júre ſolos, quibus competens ſuſtentatio aliunde non ſuppetit, inopes Sacerdotes & Eccleſias uti poſſe quidam non ſine fundamento adſeverant. Reformata quædam, omnem etiam ſponte oblatum denarium refutantia, Monaſteria ſunt plurimùm laudanda, & orandus eſt Deus, ut ad omni ſaltem exactioni renunciandum nos permovere, atque ita caſta Patrum corda in nos reducere dignetur. Interim penitus neceſſe eſt longiſſimè proſcribi iniquiſſimas ſordes, quas hâc in re damnarunt Romani Pontifices, Clemens octavus, Urbanus octavus, & noviſſimè Alexander ſeptimus. Et adverſum quas Adriano ſexto ſupplicavit Nurembergenſis Germanorum Principum Conventus: *Sacerdotes unius diei Miſſas, ad quas fundationis, ſeu annuæ recordationis jure celebrandas obligantur, non ſemel, ſed quater, quinquies, pluriesvè venundant, unaq; Miſſa duobus, tribus, aut pluribus Eccleſiaſticis beneficiis ſatisfacere præſumunt.*

Lib. 3.

## CAPUT XII.

### *Exponuntur exactio & oblatio pro exequiis & ſepulturâ.*

Antiquum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ morem exponit in Codice Juſtinianæo lex Anaſtaſii Auguſti: *Conſtitutio aſſignat magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſeptuaginta librarum auri reditum, eam ob cauſam, ut ſcilicet exequiæ ſine ſumptu & gratis fiant in urbe Conſtantinopolitana, & uſque ad novos muros, & Blachernas.* Eſt antiqua, per Anaſtaſium dumtaxat innovata, magni Conſtantini lex, de qua in novellis ad Joannem Prætoriorum Præfectum, & ad Longinum urbis Præfectum legibus Imperator Juſtinianus: *Quod Conſtantinus rectè cogitans diſpoſuit, & poſt hæc Anaſtaſius firmavit, adjiciens etiam reditus cauſæ, hoc nos ipſi, cum periculum patiatur cadere, reparare & dare cum omni cautelâ & terminis competentibus cogimur, illud facientes manere immortale.* Erectam à ſe Conſtantinopolim Romanæ urbis dignitate, & ampliſſimis privilegiis donavit Conſtantinus, ejus Eccleſiæ mille & centum tabernas ſeu officinas, locatas in præcipuis civitatis foris, & ab omni Regia exactione ac publico onere liberas adſcripſit, ex quarum reditu omnes funerum impenſæ ſolverentur. Eximium optimi Principis donum, Clericorum avaritia

Lib. 1. tit. 2. cap. 18.

Leg. 43. Leg. 59. cap. 1.

aut negligentia in alienos uſus detortum, avitæ pietati reſtituerunt Anaſtaſius & Juſtinianus, Clericis, Monachis, Monialibus funus pio cantu proſequentibus, veſpillonibus, quos Decanos, Lecticarios, & Copiatas appellat, & cuique alteri ad hoc opus ſpectanti aſſignans ſuam ex iſto reditu portionem. Unicuique cadaveri adſcripſit etiam ſuam ſolemnitatem pro varia ejus in vivis qualitate, addens ut qui pompam vellent excedere, tenerentur ad exceſſus impenſas, quæ tamen decem ſolidis non poſſent eſſe majores. Et hinc Eccleſia magna Conſtantinopolitana inter reliquas ſuas dignitates atque officia habuit Decanum, de quo antiqua ejuſdem Eccleſiæ notitia: *Decanus Sacerdotes componit in contributionibus*
Fol. 290. *ad eos ex æquo ſpectantibus.* Et alia recentior notitia: *Decanus Sacerdotes ad jura ſua & oblationum partem accipiendam advocat.* Exponit in ſuis ad Græcorum Euchologium Scholiis eruditus Joannes Goar: *Decanus idem eſt quod Veſpillo ſeu Lecticarius, & ut Epiphanius loquitur, qui mortuorum effert corpora. Unus hic tantum eſſe perhibetur, ſupra alios videlicet de grege plebis ad efferendos mortuos abſque Eccleſiaſtico titulo aſſumptos eminentior, cujus eſt etiam ea provincia, ut Sacerdotes componat in juribus & contributionibus, ad eos ex funeribus & alio quovis obſequio provenientibus, accipiendis.* Veſpillones apud antiquos erant Barbari, dicebantur que Bargenæ ſeu Bergenæ. An apud primorum ac mediorum ſæculorum Fideles fuerint Laïci, eſt quæſtio examine digna: Apud nos Belgas jam dudum ſunt viri Religioſi, fratres Alexiani. Quidquid ſit, Conſtantinopolitana Eccleſia habuit Presbyterum, qui iſtarum mille & centum domorum annuas penſiones reciperet, curaret omnia funera, & cuique ad illa operanti ſuam diſtribueret portionem. Et is dicebatur Decanus, ſeu Præfectus Decanorum.

Leg. 22. De hac per Clericorum avaritiam lapsâ rursùm pietate queritur graviſſimè in Novella ad Stephanum fratrem ſuum germanum, Regiæ urbis Patriarcham, lege etiam Imperator Leo ſapiens, & adjungit: *Statuimus ut quæ de his jam olim edita conſtitutio eſt, immota & inviolata permaneat.* Quæ lex an firma permanſerit, fateor me ignorare. Eas porrò mille & centum officinas hodiè poſſident Sacerdotes Mahometani. In Chriſtiani Cleri jus ſucceſſerunt. Hæc interim omnia evincunt, quod pro funerali officio ſemper apud Græcos aliquid fuerit Clero oblatum uſque ad Conſtantini tempora, qui à debito illo extraxit ſolam civitatem Conſtantinopolitanam. Et huc forſan reſpexit Latinus Author eruditi tractatûs adversùm Græcos, reperti olim apud Conſtantinopolim in Conventu PP. Prædicatorum: *In ſorte Simonis Magi de jure ponendi ſunt Græcorum Pontifices, qui ſepulturas in cæmiteriis non faciunt, niſi acceptâ pecuniâ.* Solam Regiæ urbis pietatem attendens, omnes alias Eccleſias

cleſias de Simonia damnavit. Poſſit tamen ab avita pietate iterum defeciſſe etiam urbs Regia, ideoque per pium Authorem fuiſſe item notata. Simile privilegium habet alma noſtra Iprenſis civitas. Ejus Cathedralis Eccleſia fuit olim dumtaxat Abbatialis ſub Regularibus ſancti Auguſtini Canonicis, ſex iſtic Parochialium Eccleſiarum etiam Paſtoribus, qui ſuo communi refectorio ac veſtiario ex Auguſtiniana regula contenti, omnia Sacramenta, ipſumque etiam funerale officium plebi ſemper miniſtrarunt gratis. Eorum bona in opulentas Præbendas diviſerunt ſibi hodiè ſæculares Canonici ſub antiquo onere ejuſdem caſtitatis ac pietatis. Et jure merito. Inſignem enim cunctis Clericis regulam figit in ſuis ſuper primam ad Corinthios Epiſtolam homiliis S. Joannes Chryſoſtomus: *Dei gratiâ, pro nobis minimè moleſti ſumus, ſed ſine ſumptu vobis poſuimus Evangelium, nequaquam quidem facientes ſicut Paulus, ſed contenti propriis.* Hom. 43 S. Paulo Apoſtolo, qui ex manuum ſuarum labore victitans prædicavit, ait ſe non poſſe comparari, vivere tamen ex proprio patrimonio, atque ità prædicare ſine populi ſumptu. Ad ipſum obligari quemvis opulentum Clericum affirmat conſtanter in libris de vita contemplativa Julianus Pomerius. Quidquid ſit de hoc articulo, ex beneficio opulenti Clerici videntur pro exequiis & quovis miniſterio nullas, ex ſola ſuæ ſuſtentationis neceſſitate juſtificabiles, poſſe facere exactiones.

Etiam in Latina olim Eccleſia fuiſſe aliquid oblatum, immò & exactum pro exequiarum officio, oſtendit in litteris ad Bonum Maſſilienſem Epiſcopum Sanctus Gregorius magnus: *Filius noſter Fauſtinus queſtus nobis eſt, quod pater ejus quondam Peltraſius aliqua veſtræ Eccleſiæ, ſepultura ſua gratiâ, juris alieni reliquerit.* L. 7. Ep. 4. Ait illum ex ſolis hæredum ſuorum neceſſitati ſuperfluis potuiſſe aliquid Eccleſiæ relinquere, atque adjungit: *Noveris nos antiquam conſuetudinem à noſtra Eccleſia omnino vetuiſſe, nec cuiquam aſſenſum præbere, ut loca humani corporis poſſint pretio adipiſci. Nam ſi Gentiles, ut arbitramur, viri Sichimitæ Abrahæ pro Sara mortua, atque in loco proprio humandâ, ſepulturam gratis obtulerint, & vix magnâ ejus importunitate coacti ſint, ut pretium de loco ſepulturæ perciperent, nos qui Epiſcopi dicimur, de humandis Fidelium corporibus penſa quid facere debeamus. Hoc ergo Fraternitatis veſtræ judicio committimus.* Et in litteris ad Januarium Calaritanum Epiſcopum, Sardiniæ Metropolitam: *Queſta eſt nobis Nereida clariſſima fœmina, quod ab ea centum ſolidos pro filiæ ſuæ ſepulturâ Fraternitas veſtra non erubeſcat exigere, atque ei ſuper doloris gemitum ſtudeat majorem diſpendii inferre moleſtiam. Quod ſi ita ſe veritas habet, quia gravè nimis eſt, & procul nimis à Sacerdotis officio, pretium de terra conceſſa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium, ab hac ſe petitione Fraternitas veſtra contineat, & moleſta ei de cætero non exi-* Li. 7. indic. 2. Epiſt 56.

*ſtat. Hoc autem vitium & nos, poſtquam Deo auctore ad Epiſcopatus honorem acceſſimus, de Eccleſia noſtra omnino vetuimus, & pravam denuo conſuetudinem nequaquam uſurpari permiſimus, memores quia dum Abraham à filiis Emor, hoc eſt, Efron filio Sejor, ſepulchrum pretio ad humandum corpus conjugis poſtularet, pretium accipere renuit, ne commodum videretur de cadavere conſecutus. Si ergo tantæ conſiderationis paganus vir fuit, quanto magis nos, qui Sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus? Unde ne hoc avaritiæ vitium vel in aliens denuo tentari præſumatur, admoneo. Sed ſi quando aliquem in Eccleſia veſtra ſepeliri conceditis, ſi quidem parentes ipſius, proximi, vel hæredes pro luminaribus ſponte quid offerre voluerint, accipere non vetamus: Peti verò, vel exigi aliquid omnino prohibemus, ne quod valde irreligioſum eſt, aut venalis fortaſſe, quod abſit, dicatur Eccleſia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, ſi ex eorum cadaveribus ſtudeatis quærere quolibet modo compendium.* Idem in ſuo ad Parochianos Presbyteros Capitulari ſtatuit Pontifex Leo quartus: *Nullus veſtrum pro mortuis ſepeliendis præmium aut munus exigat.* Et in Canonicis ad Hedenulfum Laudunenſem Epiſcopum litteris Hincmarus Metropolita Remenſis: *Epiſcopus aut Presbyter pro ſepultura, obaudiens Decreta B. Gregorii, pretium de terra conceſſa putredini quemquam non permittat in ſua Parochia quærere, & de alieno velle luctu compendium.* Adducit laudati Gregorii verba ad Januarium Calaritanum. Et in primo ſuorum Capitularium li-
Cap. 12. bro: *Presbyter pro ſepeliendis quidquam xenii non exigat, vel extorqueat. Si quid autem Altari, vel Eccleſiæ, aut ſibi gratis oblatum fuerit à devotis quibuſlibet, cum benignitate recipere non interdicimus.* Et in tertio libro:
Cap. 12. *Ut pro loco ſepulturæ, ſicut Sacra & Canonica ſanxit authoritas, nemo à quocumque quid quam xenii exigat; ſi autem aliquid quiſquam gratis offerre voluerit poſt ſepultum corpus, hoc ſuſcipi non vetamus.* Et Concilium Meldenſe: *Nemo pro loco ſepulturæ, ut verbis S. Gregorii utamur, pretium de terra putredini conceſſa, & de alieno velle facere luctu compendium, aliquo modo tentet. Si quando autem proximi vel hæredes ſponte aliquid offerre in Eccleſia voluerint in eleëmoſynam defuncti, accipere non vetamus. Peti vero vel exigi aliquid, omnino prohibemus.* Et in ſuo Capitulari Herardus Archië-
Cap. 77. piſcopus Turonenſis: *De venditionibus ſepulchrorum, & de his qui pro ſepulturis munera exigunt, ut ſeveriter puniantur & diſtringantur.* Et Synodus
Can. 6. Namnetenſis: *Præcipiendum ſecundùm Canonum authoritatem, ut de ſepulchris & hominibus ſepeliendis nihil muneris exigant, niſi forte qui ſepelitur, vivens juſſerit Eccleſiæ, in cujus atrio ſepelitur, de ſuis aliquid tribuere, aut etiam poſt mortem illius, quibus commiſſum eſt ejus eleëmoſynam facere, de rebus illius aliquid dare ſponte voluerint. Tamen nullatenus a Presbyteris illis aliquid exigatur, ſive ab illis qui locis & vicis præſunt.* Et Synodus Tribu-
rienſis;
Digitized by Google

rienſis: *Abrogandus, & Chriſtianis omnibus devitandus mos iniquus ſubrepſit, ſepulturam mortuis debitam ſub pretio vendere, & Dei gratiam facere venalem.* Eſſe dicit morem naturæ & Evangelio adverſum, & ſubjungit: *Interdictum ſit omnibus Chriſtianis terram mortuis vendere, & debitam ſepulturam denegare. Niſi proximi & amici defuncti propter nomen Domini, & redemptionem animæ viri, gratis aliquid donare velint.* Et S. Leonis noni Pontificis Synodus Remenſis: *Ne quis pro ſepultura quidquam exigeret.* Et in litteris ad Hugonem primum Byzuntinenſem Archiepiſcopum S. Petrus Damiani: *Hinc notandum quam deteſtanda ſit avaritia Clericorum, qui de ſepulturis Eccleſiæ pretium ſperant, cum hoc etiam Deum ignorantes Gentiles exhorreant. Illi recipiunt cum offertur, illi impudenter exigunt, etiam dum negatur. Illi contemnentes Abrahæ pretium dicunt, In electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum, nullusq; te poterit prohibere; iſti gentilium ſuppares, ajunt, Appende pecuniam, & ſuſcipe ſepulturam.* Et Urbani ſecundi Placentina Synodus: *Præcipimus ut pro ſepultura nihil unquam exigatur.* Et ejuſdem Synodus Claromontana: *Nullus deinceps ſepulturam exigat.* Et in ſuo Capitulari Gualo Cardinalis: *Prohibemus ſub excommunicatione, ne Sacerdotes vel Clerici occaſione alicujus conſuetudinis pro ſepultura aliquid exigere vel extorquere præſumant, ſed eam liberaliter ſtudeant miniſtrare.* Et in ſua exſtante apud Rogerum Hovedenſem Remenſi Synodo Calixtus ſecundus: *Præcipimus ut pro ſepulturæ exactione nullum omnino pretium exigatur.* Et in Lateranenſi Innocentius ſecundus: *Pro ſepulturæ acceptione nullum venditionis pretium exigatur.* Et in Londinenſi Joannes Cardinalis de Crema: *Pro ſepultura nullum omnino pretium exigatur.* Et in Remenſi Eugenius tertius: *Pro ſepulturæ acceptione nullum pretium exigatur.* Et in Turonenſi Alexander tertius: *Pro ſepultura nulla cujuſpiam pretii venalitas intercedat, neque ſub obtentu alicujus conſuetudinis reatum ſuum aliquis tueatur. Quia diuturnitas temporis non minuit peccata, ſed auget.* Et in Lateranenſi: *Horribile nimis eſt quod in quibuſdam Eccleſiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro ſepulturis & exequiis mortuorum requiratur, & non poſſit ille, qui indiget, iſta percipere, niſi manum implere curaverit largitoris.* Adverſam conſuetudinem dicit eſſe legem mortis, & Clericalis avaritiæ cœcitatem pœnalem, ideoque ab ipſa non minui peccatum, ſed augeri. Et in Londinenſi Synodo Richardus Primas Cantuarienſis: *Pro ſepultura nihil exigatur. Si quis contra hoc facere præſumpſerit, anathema ſit.* Quod ipſum confirmavit apud laudatum Rogerum ſucceſſor illius Hubertus. Omnes hac de re Canones adducere ſi velim, deficiet me dies: Quoſdam tamen volui adductos, ut parentum noſtrorum caſtitas fiat cunctis manifeſta.

Lib. 3. Ep. 8. Can. 13. Can. 8. Fol. 475. Can. 24. Cap. 16.

Regnat hodie lutum iſtud, adverſus quod in ſuo Capitulari ſtatuit

 Guiliel-

Guilielmus ſancto Ivoni Carnutenſi Coætaneus Epiſcopus Pariſienſis:
Cap. 5. *Presbyteri non detineant corpora mortuorum ſuper terram, occaſione pecuniæ extorquendæ.* Et in ſuo item Capitulari ſucceſſor ejus Odo: *Prohibetur diſtrictè, ne pro interraſio corpus ſepeliri differatur, ſed poſt ſepulturam exigant laudabiles conſuetudines.* Et in Oxonienſi Synodo Stephanus Primas Cantuarienſis: *Ne pro aliqua pecunia denegetur ſepultura.* Laudat & exequitur Lateranenſem Innocentii III. Canonem, exactiones iſtas damnantem de Simonia. Et in litteris ad Daimbertum ſuum Senonenſem Archiëpiſcopum Thomas Abbas Maurigniacenſis: *Scimus quam deteſtabile malum ſit accipere ſepulturam, & divinarum ſcripturarum eruditione, & pauperum oppreſſione, quos in vicinia noſtra, & ſolùm in Diœceſi veſtra videmus ad ſepulchra mortuorum plorare magis amiſſiones bonorum, quam corpora defunctorum.* Agit adverſus Monaſterio ſuo vicinum Stampenſe Capitulum, de quo pergit in litteris ad Chryſogonum, Romanæ Eccleſiæ Diaconum Cardinalem, & Calixti ſecundi Bibliothecarium & Cancellarium: *Canonici quidam in vicinia noſtra, ſi tamen Canonici dicendi ſunt, qui in Templo Dei columbas vendunt & emunt, qui de Baptiſmo pretium, de mortuis ſepulturam violenter exigunt, &c.* Et infrà in eiſdem litteris: *Contra patrium morem, contra conſuetudinem omnium Eccleſiarum, contra Jus, contra Canones, contra Deum, ſepulturas graviores exigunt, & omnibus, ut alibi pro ſalute animæ ſuæ ſepeliri non poſſint, contradicunt. Dici non poteſt, quantus hinc populi tumultus oriatur, quanta nobilium querimonia, quanta convicia, quantæ maledictiones. Scandalum hoc jam multa homicidia ſeminavit.* Extat Epiſtola in ejuſdem Monaſterii Chro-
A. 1119. nico apud Franciſcum du Cheſne. Exponit ejuſdem Author incognitus Monachus: *Inter nos & Canonicos Stampenſes fœdiſſima & turbulentiſſima de ſepeliendis corporibus quæſtio verſabatur.* Multis ediſſerit, quomodo Canonici Apoſtolica Monaſterii ſpreverint privilegia, per Laïcam poteſtatem & malas artes ea exſufflarint, oppreſſerint Monachos, atque ita in fideli, Monachis ſemper addicto, populo plurima ſcandala, convicia, maledictiones, imo & homicidia ſeminarint.

Ex hoc fonte videmus etiam hoc noſtro tempore cadavera ſuper terram detineri. Rem barbaram de cujuſdam creditoris in moribundum debitorem violentiis refert in Novella ad Joannem Orientalis Prætorii Præfectum lege Juſtinianus Auguſtus, & de attentatis in defuncti cadaver
Lege 60. injuriis proſequitur: *Neque ita receſſit, ſed etiam defunctum injuriare eum non piguit, primum quidem inſiſtens non fieri exequias, deindè cùm vix cœpiſſet de domo deponi mortuus, inſtabat publicè portari lectum non ſinens, neque deducendum dicens, niſi debitum perceperit, donec ſponſorem accepit, & ita jam defunctum tradi terræ permiſit.* Barbariem hanc rigidiſſimè damnat

nat & punit, innovans & amplians ſimilem Avunculi ſui Juſtini legem, exſtantem in ſuo Codice ad titulum de ſepulchro violato. Eandem barbariem acerrimè damnat in libro de ſancto Tobia ſanctus Ambroſius: *Quoties vidi à fœneratoribus teneri defunctos pro pignore, & negari tumulum dum fœnus expoſcitur.* Eleganter demonſtrat homines iſtos eſſe carnificibus duriores. Quin imo gentilis Imperator Severus ſanxit, *Ne corpora detinerentur aut vexarentur, aut prohiberentur per oppidorum territoria transferri.* Et Divus Marcus reſcripſit: *Nullam pœnam meruiſſe eos, qui corpus in itinere defuncti per vicos aut oppidum tranſvexerunt, quamvis talia fieri ſine permiſſu eorum, quibus permittendi jus eſt, non debeant.* Ita habes in quadrageſimo ſeptimo Digeſtorum libro ad titulum de ſepulchro violato. At vero hodie apud nos Chriſtianos ſi quis peregrè moriens ſepeliri velit in Patria, ejus cadaver loco moveri aut transferri non ſinitur, niſi ſingulis, per quarum territoria tranſierit, Parochialibus Eccleſiis perſolverit ſua jura. Ea de cauſa quandoque videmus cadavera arreſtari. Cujus conſuetudinis juſtitiam non video uſque huc, & cupio edoceri. Cap. 10.

Rectè tamen in ſua Londinenſi Synodo aliquid Parochiali Presbytero juſtè ex ſepultura deberi ſuppoſuit potiùs apud Guilielmum Malmesberienſem, quam ſtatuit ſanctus Anſelmus Primas Cantuarienſis. Eodem tempore Gualo Cardinalis, Paſchalis ſecundi per Galliam Legatus, Canoni ſuo, quidquam pro ſepultura vel exequiis exigi vetanti, adjecit hanc moderationem: *Moneantur tamen Laïci diligenter, ne quod pro Sacramentorum reverentia Fidelium devotio introduxit, ex avaritia velint aliquatenùs revocare.* Et Odo Pariſienſis Epiſcopus: *Poſt ſepulturam exigant laudabiles conſuetudines.* Et in Lateranenſi Synodo Innocentius tertius: *Quidam Laïci laudabilem conſuetudinem, erga ſanctam Eccleſiam pia Fidelium devotione introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere ſub prætextu Canonicæ pietatis. Quapropter & pravas exactiones ſuper his fieri prohibemus, & pias conſuetudines præcipimus obſervari, ſtatuentes ut liberè conferantur Eccleſiaſtica Sacramenta, ſed per Epiſcopum loci, cognita veritate, compeſcantur, qui malitioſè nituntur laudabilem conſuetudinem immutare.* Agit adversùs omnium generatim Laïcorum in Præpoſitos ſibi Presbyteros irreverentiam, præſertim tamen adversùm Albigenſes hæreticos, noſtrorum Lutheranorum & Calviniſtarum Præcurſores, honeſtam ſuſtentationem invidentes Clericis, ideoque damnantes etiam gratuitam fidelis populi oblationem, atque ſperantes adverſum ſuæ perfidiæ Clerum, quem ferro exſtinguere non poterant, hoc modo evellendum. Etiam in ſua Salisburgenſi Synodo Joannes Cardinalis, Tuſculanus Epiſcopus, & Martini quinti per Germaniam Legatus, haſce exactiones abominatur & damnat, & tamen adjungit: F.228. Cap. 66.

*Per*

*Per hoc non intendimus, quod laudabiles conſuetudines locorum ſeu Eccleſiarum habentium cæmeteria, infringi debeant, & quod poſſint Rectores earumdem Eccleſiarum recipere licitè, ſi conſanguinei vel alii pro defunctis poſt ſepulturam aliquid offerre voluerint devotionis intuitu, & etiam pietatis.* Laudabilibus iſtis conſuetudinibus ad Laïcalem & Clericalem avaritiam frænandam plures jam Epiſcopi fixerunt menſuram & modum, de quibus ego non poſſim judicare.

## CAPUT XIII.

*Exponuntur exactio & oblatio pro Concionibus, Exorciſmis, & aliis id genus.*

Divini verbi prædicationem eſſe præcipuam Chriſtiani Sacerdotii partem affirmat in prima ad Corinth. Epiſtola Apoſtolus: *Non ſum miſſus Baptizare, ſed Evangelizare.* Quare ab omni turpi quæſtu, omnique ejus ſpecie debet eſſe immunis & remota. Hinc de Domino noſtro JESU CHRISTO, omnium Prædicatorum Principe, ſcribit in ſancti-
Hom. 71 Joannis Evangeliſtæ Commentariis S. Joannes Chryſoſtomus: *Nemo pecuniam Chriſto dediſſe narratur, ſed quod diſcipulæ victui neceſſaria præbebant.* Fuiſſe enim vetuſtum Judaicæ gentis morem, ut Magiſtrum ac Prædicatorem diſcipulæ ſequerentur & alerent, teſtatur in primo adver-
Cap. 14. ſus Jovinianum libro, & in S. Matthæi Commentariis S. Hieronymus. Neque refert quod Dominus habuerit loculos. Reſpondet enim laudatus
Cap. 27. Chryſoſtomus: *Habuit ad pauperum miniſterium, ut intelligas quanta tibi inopum & miſerorum hâc etiam in parte cura impendat.* Et Dominum non ſolummodo imitatus, ſed quodammodo ſupergreſſus eſt Paulus Apoſtolus, qui nequidem ſororem mulierem voluit circumducere, ſed ex proprio manuum labore victitans ſeminavit Evangelium, apud quaſdam Eccleſias gravavit neminem, & omnibus ſeſe ſine onere ſervavit. Hæc eſt illa ſuprema Apoſtoli gloria, affectata etiam per quoſdam Pſeu-
Cap. 11. do-Apoſtolos, de quibus ipſe in ſecunda ad Corinth. Epiſtola: *Ut amputem occaſionem eorum qui volunt occaſionem, ut in quo gloriantur, inveniantur ſicut & nos.* Exponit in primæ Epiſtolæ Commentariis laudatus Chryſo-
Hom. 1. ſtomus: *Ut laudem atque authoritatem ſibi conciliarent, ſe nihil omnino accipere ſimulabant.* Rectè dicit, *Simulabant.* Loquitur enim ex eodem Apoſtolo: *Abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia, ſed in manifeſtatione veritatis, commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo.* Dedecoris occulta ſunt in cordis intimo occultata hypocriſis, quam dealbatum ſepulchrum dixit ipſe etiam Domi-



Digitized by Google

minus. Hinc ſemetipſum exponens Apoſtolus addidit, *Non ambulantes in aſtutia*, de quâ eleganter rurſum Chryſoſtomus: *Quidnam eſt in aſtutia? In ea exiſtimatione erant Pſeudo-Apoſtoli, quaſi ab accipiendis muneribus abhorrerent, cum tamen acciperent; ſanctorum virorum & proborum Apoſtolorum exiſtimatione florebant, cum interim innumeris ſcaterent vitiis.* De illis enim denuo Apoſtolus: *Suſtinetis, ſi quis vos in ſervitutem redigit, ſi quis accipit, ſi quis devorat, ſi quis in faciem vos cædit.* Quæ verba iterum exponit Chryſoſtomus: *Pecunias non accipiunt, ut plures accipiant, & animas perdant. Quin id quoque falſum: Nam & accipiebant, ſed furtim.* Et intrà: *Videſne quo pacto Apoſtolus eos accipere oſtendat? Ac non ſimpliciter accipere, ſed etiam ſupra modum. Hoc enim vocabulo,* DEVORAT, *indicatur.* SI QUIS VOS IN SERVITUTEM REDIGIT: *Et pecunias, inquit, veſtras, & corpora, & libertatem dediſtis. Hoc enim majus eſt quam accipere. Nimirum quod ipſi non modo pecunias, ſed vos etiam ipſos in arbitrio ſuo & poteſtate habeant.* Eam eſſe dicit artem peſſimam, & vafritiem diabolicam, quâ doloſi iſti operarii perfectiſſimos ſeſe Apoſtolos mentiantur. Hom. 3. Hom. 24

Iſta Apoſtoli ſanctitas fuit opus ſuperogationis, fixam verò cunctis Evangelici verbi Præconibus à Chriſto Domino legem edicit in ſecunda ad eoſdem Corinthios Epiſtolâ, jubens Dei Miniſtrum ambulare *in caſtitate.* Exponit denuò S. Joannes Chryſoſtomus: *Per caſtitatem intelligit, quod à muneribus capiendis abhorreret, atque gratis Evangelium prædicaret.* De Evangelio dumtaxat vivere, ſeu ſola ad ſuſtentandam Sacerdotali parcimonia vitam neceſſaria, non exigere, ſed ſpontè oblata accipere poſſumus, ſuperflua omnia, niſi fortè ad pauperum cauſam, refutantes. Hinc ad eundem Apoſtoli locum rectè ſcribit Theodoretus: *Caſtitatem vocat pecuniæ contemptum.* Ex Evangelio enim dumtaxat manducare & bibere permittit prima ad Corinth. Epiſtola, ubi rurſum Theodoretus: *Vult oſtendere Apoſtolus, quod poſſet ex lege Dominica neceſſarium alimentum à diſcipulis accipere.* Hoc eſt licitum miniſterii noſtri ſtipendium, ab eadem Apoſtolica Epiſtola laudatum, de quo item laudatus Chryſoſtomus: *Non ad profuſos ſumptus, ſed ad neceſſarios uſus. Stipendii enim vocabulo neceſſarium cibum intelligit.* Et in primæ Epiſtolæ Commentariis: *Oſtendit Apoſtolus quod oportet Doctorem eſſe parvo ſolatio contentum, ſoloq́; neceſſario cibo.* Quæ multum notanda ſunt ab illis, quibus lubet ex Evangelio, imò ex Eccleſiaſticis ſine omni labore beneficiis ſplendidè luxuriari. Ex iſta Domini lege adverſum Valentinianos, alioſque arcanæ iſtius dementiæ Prædicatores ſcribit etiam S. Irenæus: *Convenienter videntur mihi non omnes velle manifeſtè docere, ſed ſolos illos qui etiam grandes mercedes pro talibus myſteriis præſtare poſſunt. Non enim dicunt ſimilia* Cap. 6. Hom. 11 Cap. 9. Cap. 11. Hom. 23 Hom. 21 Lib. 1. c. 1.

***milia illis, de quibus Dominus dixit, Gratis accepiſtis, gratis date.*** Eos damnat, non ſolum quod hæreticas ſeminarent fabulas, ſed inſuper quod ſeminarent apud ſolos opulentos, opima munera reddituros. Damnat
Cap. 9. nominatim Marcum Ægyptium, qui ex ſimilibus ſeductarum mulierum donis collegerat grandem maſſam divitiarum. Adverſus Montanum item Hæreſiarcham & ejus Pſeudo-prophetiſſas ſcribit apud Euſebium Cæſa-
Lib. 5. c. 17. ræenſem antiquus Eccleſiæ Scriptor Apollonius: *Iſte eſt qui pecuniarum exactores conſtituit, qui oblationum nomine munera accipienda præfixit, qui denique ſui verbi Prædicatoribus, ut ejuſdem verbi doctrina ſordido ventris abdomine & ingluvie roboretur, ſalaria ſuppeditat. An non univerſa Scriptura videtur vetare, ne Propheta munera & pecuniam accipiat? Quando ego igitur Prophetiſſam fortè video aurum, argentum, & veſtes pretioſas cupidè accipientem, quid eſt cur illam Prophetiſſarum numero non excludam?* Et infrà: *Illos, qui à Montano Propheta & Martyres dicuntur, non à divitibus ſolum, ſed à pauperibus etiam, ab Orphanis & Viduis pecunias exegiſſe, perſpicuè oſtendemus.* Montanus à ſuis auditoribus & ſequacibus exigebat pecunias, fucabat honeſto & licito neceſſariæ ad ſobrium Cleri victum oblationis nomine, exigebat etiam aurum & veſtes pretioſas, ordinabat ſimilium oblationum Præfectos & Exactores, & ex fœdo iſto gazophylacio ſuis Miniſtris erogabat ac figebat ſalaria: Quæ omnia merito damnat Apollonius. Etiam Severianum Gabalorum in prima Syria, & Antiochum Ptolomaidis in prima Phænicia Epiſcopum, quod quæſtus gratia Conſtantinopolim venerint concionaturi, & magnam pecuniæ
Lib. 6. c. 10. copiam ita collegerint, acriter notant Socrates & Hermias Zozomenus. Longè aliter egit S. Thadeus Apoſtolus, de quo apud Edeſſenos, ipſorum-
Lib. 8. c. 10. que Regem Abgarum prædicante ſcribit Euſebius Ceſaræenſis: *Abgarus præcepit, ut cives ſui in unum convenirent, Thadeum concionantem attentè audituri. Paulò poſt auro illum donari mandavit. At ille reſpuit, ſic fatus: Si noſtra prorſus dereliquimus, quomodo accipiemus aliena?*

Gratuitum ſine quovis ſtipendio ac populi gravamine miniſterium Apoſtolus rectè vocat *Gloriam ſuam.* Cauſam dat in ſecundæ ad Corin-
Hom. 23 thios Epiſtolæ commentariis ſanctus Joannes Chryſoſtomus: *Nihil mundanos perindè ædificat, ut nihil accipere. Hinc etiam doloſi operarii, iſto ſanctitatis fuco, quaſi hamo aptiſſimo, ſimplicem populum devorandum, ac in ſervitutem redigendum, capturi, illud olim affectarunt, & etiamnum hodie affectant.* Et in Homilia ſequenti: *Novum eſt hoc impoſturæ genus. Nam cum alii, qui impoſturam faciunt, largiri & aſſentari ſoleant, iſti contra fallunt & accipiunt.* Porro virtutem iſtam, non ubique gentium, ſed in ſola Achaia & minori Aſia Apoſtolus exercuit. Etenim ad Aſiaticos Epiſ-
Act. 20. copos dixit Mileti: *Argentum & aurum aut veſtem nullius concupivi. Ipſi ſcitis,*
Digitized by Google

*ſcitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ.* Quod ipſum de Achaia teſtatur in utraque Epiſtola ad Corinth. Quod alibi ita non fecerit, lucet ex ſecunda Epiſtola: *Alias* Cap. 11.
*Eccleſias exſpoliavi, accipiens ſtipendium ad miniſterium veſtrum. Et cum eſſem apud vos, & egerem, nulli oneroſus fui, nam quod mihi deerat, ſuppleverunt fratres qui venerant à Macedonia.* Et infrà: *Hæc gloriatio non exſtinguetur in me in regionibus Achaiæ.* Et rurſus in Capite ſequenti: *Quid eſt quod minus habuiſtis ab aliis Eccleſiis, niſi quod ego ipſe non gravavi vos? Donate mihi hanc injuriam.* Exponit ſanctus Joannes Hom. 27
Chryſoſtomus: *Siquidem injuriæ hoc ducebant Corinthii, quod Apoſtolus à ſe id impetrari minimè paſſus eſſet, ut quidquam ab ipſis ſumeret, nec tantum fiduciæ concepiſſet, ut ab his ali ſuſtineret.* Etiam Lucam, Titum, Timotheum, Barnabam, alioſque ſuos Corinthum miſſos diſcipulos ali non ſuſtinuit. Hinc enim pergit in eadem Epiſtola: *Sed eſto, ego non gravavi vos, ſed cum aſtutus eſſem, dolo vos cepi. Nunquid per aliquem eorum, quos miſi ad vos, circumveni vos? Rogavi Titum, & miſi cum illo fratrem, nunquid Titus vos circumvenit? Nonnè eodem ſpiritu ambulavimus? Nonnè* Hom. 28
*iiſdem veſtigiis?* Exponit rurſum Chryſoſtomus: *Objectioni occurrit Apoſtolus, eamq; ſolvit. Quod ait eſt hujuſmodi: Equidem ipſe per avaritiam vos minimè circumſcripſi. Verum fortaſſe quiſquam hoc dicere queat, quod quamquam ipſe nihil ſumpſerim, tamen cum vafer ac ſubdolus eſſem, id molitus ſum, ut ii qui à me miſſi erant, ſuo nomine aliquid à vobis poſtularent, ſicq; per eos ſumpſerim atque ita me compararim, ut aliorum manu accipiens, interim tamen acceptæ pecuniæ opinionem à me removerim.* Adverſus hanc calumnioſam ſuſpicionem dicit: *Nonnè eodem ſpiritu ambulavimus? Nonnè iiſdem veſtigiis?* Uti ipſe ne neceſſarium quidem alimentum ſumere voluit à Corinthiis, ita nec fieri id paſſus eſt à diſcipulis. Vide & quintam decimam laudati Chryſoſtomi Homiliam ſuper Epiſtolam ad Philippenſes. Verum quæ hujus Apoſtolicæ abſtinentiæ cauſa? Eſt duplex. Cap. 12.
Primam habes in laudata ſecunda Epiſtola: *Omnia, chariſſimi, propter ædificationem veſtram.* Exponit iterum Joannes Chryſoſtomus: *Demulcet* Hom. 12
*Corintheos Apoſtolus. Amarulentè & aculeatè non dixit, ob imbecillitatem veſtram, ſed ut ædificemini.* Phraſis eſt mollior, res eadem. Nam ubi ſpirituali ædificatione opus eſt, non poteſt non eſſe aliquid infirmitatis. Eandem rationem adducit in prima Epiſtola, ubi hanc ſuam de ſcandalo regulam & exemplum: *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.* Hanc, inquam, regulam ſuo exemplo probaturus, multis oſtendit Evangelici Præconis ex Evangelio alimentationem eſſe juris naturalis, Evangelici atque Apoſtolici, additque ſe rigidiſſimè apud Corinthios ab ipſo abſtinuiſſe. Uti-

que ne ipſos ſcandalizaret. Chriſtianæ charitatis eſſe affirmat, ut etiam ab utili nobis actione ob fratris infirmi ſcandalum abſtineamus. Corinthii erant mercatores, dediti lucro, tenaces ſuæ rei, ſuſpicioſi, dicaces, ideoque ab Apoſtolis, hominibus Hebræis, ſuſurrabant ſibi importari Evangelium, ut exportaretur aurum: Suſpicabantur Evangelium eſſe Judaïcam negotiationem. At verò Macedones olim fuere viri hoſpitales, benefici in extraneos, adfectatores alienæ menſæ, & propriæ prompti largitores. Hinc ergo ab his accipiendum, ab iſtis nequaquam duxit Apoſtolus.

Alteram Apoſtolicæ abſtinentiæ rationem habes in ſecunda ad Corin-
Cap. 11. thios Epiſtola: *Ut amputem occaſionem eorum, qui volunt occaſionem, ut in quo glorìantur, inveniantur ſicut & nos.* Infirmitas, in qua Apoſtoli virtutem proficere atque perfici Dominus voluit, fuerunt contumeliæ, fames, ſitis, carceres, publica infamia, flagra, ſtigmata, ac præſertim Pſeudo-Apoſtoli, ſeu falſi fratres, adeò adverſi & maligni, ut ad inflammandam, quæ ejus vincula & captivitatis calamitates adgravaret, Neronis Auguſti rabiem, *per contentionem & invidiam*, id eſt, inſolenti audacia, Chriſtum prædicarent. Horum aliqui etiam Corinthum acceſſere: Et licèt ipſi novellos illic Fideles devorarent in abſcondito, redigerent in ſervitutem, quin & in faciem cæderent, ſeu ob non acceptas ad placitum pecunias contumelioſè invaderent, doloſè ſimularunt ſe nihil accipere, blateraruntque Paulum non eſſe legitimum Apoſtolum, ſed hominem gyrovagum, cui non foret alius ſcopus, quàm ex Apoſtolatus fuco facere quæſtum. Ita multorum animos à Paulo & ejus Evangelio diverterunt. His nugivendis hiſtrionibus omnem gloriandi, & ſeſe ſuprà veros Apoſtolos exaltandi occaſionem abſciſſam volens Paulus fecit in veritate, quod ipſi mendacio ſimulabant. Quæ regulæ ab hodiernis etiam ad Hæreticos aut Gentiles Apoſtolis ſeu Miſſionariis notandæ ſunt, atque ſervandæ. Horreant fieri ſimiles Joanni Buggenhaghio, Martini Lutheri ſocio, qui à Danis, quos Pſeudo-Apoſtolus ſeduxerat, ad ſuos rediens fertur abeuntem terram ſpectaſſe è navi, ac ſalutaſſe: *Vale Dania, habeas tu meum Evangelium, ego tuum aurum.* Quales nundinatores meritò perſequitur Romana Eccleſia, ſuis ad inopes aut duras gentes Apoſtolis conſueta viaticum & ſportulas impartiri. Ex eodem fonte Innocentius tertius in ſua Lateranenſi Synodo mandavit cunctis am-
Cap. 10. plarum Diœceſeon Epiſcopis, *Ut viros idoneos ad ſanctæ Prædicationis officium exequendum aſſumant, potentes in opere & ſermone, qui commiſſas ſibi plebes vice ipſorum, cum per ſe idem nequiverint, ſolicitè viſitantes, verbo ædificent & exemplo, quibus ipſi, cum indiguerint, congruè neceſſaria ſubminiſtrent, ne pro neceſſariorum defectu compellantur deſiſtere ab incepto*, aut ple-
A.1478. bes gravare. Ita Argentinenſes, quod prædicationis officium in ſua Eccleſia

Google

cleſia inſtituerint cum magna penſione, laudat Conrardus Abbas Uſpergenſis.

Iſtos Pſeudo-Apoſtolos in litteris ad Columbenſes ſuæ Parochiæ Monachos inſectatur etiam S. Ivo Carnutenſis Epiſcopus: *Prætereà qui de laboribus manuum neceſſaria ſibi præparare non ſufficiunt, non benè proſpiciunt. Quia quæ in aliis reprehendunt, frequenter ipſi committunt, dum victi penuria victus prædicant populis innocentiam ſuam, quod eſt oves vendere; prædicant ut manducent, quod eſt boves vendere: Cum tales venditores cum venditoribus columbarum de Templo Dominus ejecerit, & à Catholicorum ſocietate eliminandos boum ſimiles præfiguraverit. Neque enim hoc eos excuſare videtur, quod manu ſua pecunias non accipiunt, ſed Gieziitas ſuos aut ſecum habent, aut poſt ſe mittunt, qui collectionem accipiant, & in quorum voluerint uſus expendant. Hæc in ſe ſi conſiderarent, Clericos, Monachos, Rectores Eccleſiarum & Monaſteriorum non tanto ſtudio lacerarent.* Cap. 192 Quidam eo tempore Monachi garriverunt communes Eccleſiarum & Monaſteriorum poſſeſſiones eſſe Clericali ſanctimoniæ, & Monaſtico præſertim paupertatis voto adverſas, damnaverunt, deſeruerunt Monaſteria, & ſeſe transformarunt in Anachoretas. Eorum aliqui de manuum ſuarum labore aut non poterant, aut ex deſidia nolebant ſibi comparare victum: Hinc populis non ſolum Evangelium, ſed & ſuam ſanctimoniam abiere prædicatum, idque cum ſocio, qui mendicaret pro ipſis, & faceret collectam. Eccleſias, Cœnobia, Clericos, & quoſvis Cœnobitas Monachos lacerabant peſſimè, ajebant eſſe in ſtatu damnationis, ad Apoſtaſiam ſollicitabant, titubare fecerunt multos, etiam quoſdam Columbenſes, quibus adverſum iſtos ſeductores muniendis adjunxit Ivo Epiſcopus: *Hæc ſcripſi vobis, fratres, ut non terreamini tonitru vanarum comminationum, neque moveamini à veſtro ſenſu, ſed ſecundùm ſtatuta præcedentium Patrum vitam veſtram dirigatis, & obedientiam, quam Prælatis veſtris debetis, & ſtabilitatem, quam Monaſterio veſtro profeſſi eſtis, firmiter teneatis, ne damnationem eorum, qui vota ſua irrita faciunt, incurratis.* Hi ſunt illi gyrovagi, adverſum quos in ſecunda Pictavienſi Synodo ſtatuerunt Cardinales Joannes & Benedictus, Paſchalis ſecundi per Galliam Legati: *Ut ſanctorum Reliquias cauſa pecuniæ & quæſtus circumferentes ad prædicationem non admittantur.* Erant hypocritæ & Sarabaitæ, prædicabant ex amore quæſtus, & ſine Epiſcopali authoritate, ideoque ipſos meritò notat de Simonia S. Ivo, & ipſorum mendicos ſocios appellat Giezitas. Abſit ergo ut damnet, qui tunc necdum erat in Eccleſia, regularem ſtatum fratrum mendicantium. Etenim gratis docere & prædicare, & ex mendicato vivere eſt omnino Apoſtolica perfectio: Nam ità Paulum Apoſtolum vixiſſe apud Corinthios, in ſecunda ad ipſos Hom. 27

Epiſtolæ Commentariis palam teſtatur ſanctus Joannes Chryſoſtomus.

Notanda ſunt ſancti Ivonis verba, *Prædicant ut manducent:* Continent antiquam & certam Chriſtianitatis regulam, quæ divini verbi præconium, quodvis Sacramentum, Eccleſiæ regimen aut miniſterium, ſeu ſtatum Clericalem, non dico ex abundantiæ aut luxus, ſed ex neceſſarii victus amore factum, adminiſtratum, aut ſuſceptum, de gravi ſemper peccato damnavit. Palam id docet in libris adverſus Parmenianum S. Auguſtinus: *Apoſtolus ait, Si volens hoc facio, mercedem habeo; ſi autem invitus, diſpenſatio mihi credita eſt. Id eſt, illis prodeſt quibus hoc diſpenſo, non mihi qui fictus ſum. Qui enim invitus facit propter commoda & gaudia carnalia, quæ ſi aliter habere poſſet, illud Eccleſiæ miniſterium deſereret, ipſe utique fictus eſt, ideoq; invitus facit.* Neque enim in miniſterium, ſed in illa commoda fertur ejus voluntas, atque ita eſt palam fictus & invitus. Conſonat in Canonicis ad ſuos Chore-Epiſcopos litteris magnus Baſilius: *Plurimi metu, ne in milites referantur, ſeipſos miniſterio ingerunt.* Eos eſſe dicit miniſterio indignos. Quod notent illi, qui ad laïcum forum, vectigalia, aut alia reipublicæ onera declinanda ſuſcipiunt Clericatum. Ad ſuos item Presbyteros ſcribit S. Syneſius Ptolomaidis Epiſcopus, Pentapolitanæ Provinciæ Metropolita: *Illud par eſt ad vos uſurpare, Honeſta fiant honeſtè. Amputetur omnis de lucro contentio: Omnia Dei cauſa ſuſcipiantur. Non eandem eſſe virtutis atque nequitiæ materiam oportet. Curſus ille pro pietate eſt: Pro animabus certandum. Quiſquis per Eccleſiæ tuendæ ſpeciem marſupium auget, atque hoc ipſo, quod iis temporibus utilis eſſe videatur, quæ animæ vim efflagitant, ſibi poteſtatem conciliat, is eſt quem nos extra Chriſtianum conſortium volumus amandatum. Non mancam virtutem fecit Deus: Non illa ſocietate nequitiæ indiget. Non Deo milites deerunt, Eccleſiis idonei. Commilitones inveniet, hic quidem mercedis expertes, ſed in Cœlo plena mercede donandos. Ejuſmodi vos ſitis.* Eruditi quidam Laïci, quod operam ſuam ad expugnandos tunc graſſantes Arianos viderent Eccleſiæ utilem ac quaſi neceſſariam, ſibi ab Epiſcopis oblatum Miniſterium & Clericatum non niſi ſub pinguis ſtipendii ſponſione voluerunt admittere: Eos non ſolum omni miniſterio, ſed & communione indignos adfirmat Syneſius, confidens Eccleſias ſine idoneis & caſtis Miniſtris nunquam à Domino deſerendas. Quod ipſum in Paſtorali ad ſuos Clericos & Monachos Epiſtola tradit elegantiſſimè ſanctus Agobardus, ſub Ludovico pio Lugdunenſis Archiëpiſcopus: *Sunt qui non apparent hominibus impii, ſed per ſimulatam juſtitiam fiunt in oculis hominum ſepulchra dealbata, in Dei autem oculis, id eſt, intus ſunt pleni oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia. Ait beatus Paulus Apoſtolus:* NON ENIM SUMUS, SICUT PLURIMI, ADULTERANTES VERBUM DEI,

L. 2. c. 11.

Epiſt. 5.

DEI, SED EX SINCERITATE, SICUT EX DEO, CORAM DEO IN CHRISTO LOQUIMUR. *Et iterum:* HABENTES HANC MINISTRATIONEM, JUXTA QUOD MISERICORDIAM CONSECUTI SUMUS, NON DEFICIMUS, SED ABDICAMUS OCCULTA DEDECORIS, NON AMBULANTES IN ASTUTIA, NEQUE ADULTERANTES VERBUM DEI, SED IN MANIFESTATIONE VERITATIS. *Sicut enim adulter non quærit fructum prolis, ſed tantum ut ſuæ voluntati ſatisfaciat & libidinem impleat, ita omnis, qui miniſtrationem verbi ſuſcepit, ſi ex ſinceritate ſalutem audientium, & ædificationem Eccleſiæ non quærit, ſed cauſa alterius rei, quæ minor eſt quam ſalus Auditorum, Verbum Dei loquitur, ut ſuæ nimirum propriæ voluntati obtemperet, adulter eſt. Ergo non ſoli hæretici adulterant Verbum Dei miſcendo fallacias ſuas, ſed & omnes qui per ſacrum Miniſterium ad honores & divitias temporales pervenire feſtinant. Etiam & illi, qui ad honores & divitias ſublimari non poſſunt, & victum aut tegumentum quotidianum ex ſacro Miniſterio adipiſci cupiunt. Quia non ideo ſumptus accipiunt ut prædicent, ſed ideo prædicant ut accipiant; nec loquuntur ex ſinceritate ſicut ex Deo coram Deo, ſed ambulant in aſtutia; nec abdicant occulta dedecoris, ſed amplectuntur: Adulteri ſunt.* Eruditè & acriter proſequitur iſtud argumentum. Quod ipſum in variis Epiſtolis Iſidorus Peluſiota, ac in ſecundæ ad Corinthios Epiſtolæ Commentariis facit Theóphylactus. Ex Clericatu, Eccleſiæ Miniſterio, aut prædicationis officio non vetant victum & alimentum accipi, ſed vetant hæc eſſe ſuſcepti ſtatus aut Miniſterii finem. Adimpleri hic volunt legem Domini: *Quærite primum regnum Dei & Juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Nec ſecundario hæc poſſunt quæri. Qui enim partim ex Dei, partim ex lucri amore prædicat, miniſtrat, aut Miniſterium accipit, miſcet aquam vino, in bove & aſino arat, veſtimento veteri aſſuit pannum novum, quid ejus dextera faciat ſiniſtra novit. Attamen dum Deus eſt principalis finis, ejuſque amor uti primus motor opus noſtrum dirigit, eſt macula dumtaxat venialis.

Eadem eſt ratio ingreſſus Monaſtici & profeſſionis. Egregiè id in primo libro de Cordis compunctione tradit S. Joannes Chryſoſtomus: *Quod homines ſæculi viam ſpatioſam gradiantur, non valdè mirum eſt, eos autem qui videntur crucem ſuam ſuſtuliſſe & ſequi Chriſtum, per hanc ſpatioſam velle incedere, non tibi prodigioſum videtur? Denique Monachi, cum de Monaſteriis & habitationum locis percunctantur, ante omnia requirunt, ſi requies ſit in loco, ſi abundent omnia, ſi aquarum copiæ fluant. Sed etſi de eremo requirant, etiam ibi ante omnia de requie tractant, & de opportunitate miniſterii corporalis. Si vero ad aliquam diſpenſationem vocaveris, aut aliquid Miniſterii divini injungere volueris, prima ſtatim ſollicitudo eſt ejus, &* Cap. 6.

*prima*

Digitized by Google

*prima illius verba ſunt: Sic eſt ibi requies ubi eundum eſt, ſi inveniantur quæ neceſſaria ſunt abundanter, ſi nihil deſit eorum quæ lata & ſpatioſa via depoſcit.* Cur inter Fideles ſint multi non tantum tepidi, ſed & pravi, quærit in actuum Apoſtolicorum Commentariis idem Chryſoſtomus, &
Hom. 23 reſpondet: *Alii, quoniam cum parvuli eſſent, baptiſmum ſuſceperunt, alii vero cum infirmi, carent alacritate vivendi juxta Deum.* Infantes aliena, infirmi aut non recta aut non plena voluntate Chriſtianam legem ſuſcipiunt, ideoque ipſorum multi in arena ædificant, atque ita facilem patiuntur ædificii ruinam. Quærenti cur etiam Clericorum & Monachorum multi teporem patiantur in ſuſcepto gradu, imo & quidam ab illo excidant, reſpondebo quod illum non caſta, aut non plena mente ſuſceperint, atque ita adeo ponderoſam & ſublimen ſanctitatis molem in debili fundamento fabricarint. Eſt vitium in Eccleſia antiquum adeo & frequens, ut de ipſo laudatus Joannes in adducto libro accuſet quaſi omnes, etiam ſemetipſum. Caſta enim intentio non ſolet omnibus in primo converſionis aut promotionis exordio donari.

Etiam pro exorciſmis exigere eſt Simonia, de qua in Apoſtolicorum Actuum Commentariis idem Chryſoſtomus, agens de filiis Scevæ adhuc
Hom. 41 in Judaïſmo infidelibus, & tamen per invocatum Domini nomen Dæmonia exorcizantibus: *Vide impietatem potentiſſimam. Judæi cum adhuc manerent in impietate, per ipſum negotiari voluerunt, atque ſic omnia faciebant ad vanam gloriam & lucrum.* Lucri cauſa obambulare eſſe dicit Judaïcorum Exorciſtarum morem peſſimum & antiquum. Et hinc Oriono, Ailenſis ad rubrum mare civitatis Primario, à Dæmonum læſione per ſancti Hilarionis exorciſmos liberato, ideoque magna dona offerenti, reſpondit apud S. Hieronymum laudatus Hilarion: *Non legiſti, quid Giezi, quid Simon paſſi ſint, quorum alter accepit pretium, alter obtulit, ut ille venderet gratiam Spiritus ſancti, hic mercaretur?* Nec in pauperes eroganda voluit iſta munera admittere. Etiam pro aliis miraculis & pre-
Hom. 52 cibus poſſe quidem neceſſarium victum, nequaquam tamen munera accipi docet laudatus Chryſoſtomus in iiſdem Commentariis. Et hinc Chriſtianam ancillam, quæ miraculis Iberos ad Chriſti Domini fidem perduxit, & ab ipſorum Rege munera accipere pauper noluit, merito laudant Ruffinus, Socrates, Theodoretus, ac Hermias Zozomenus.

C A-

# CAPUT XIV.

## *Exponitur varia exactio Miniſtrorum Epiſcopalium.*

QUod Patriarchæ Conſtantinopolitani Carthophylax, & alii Miniſtri ab ordinatis Clericis aliquid exigant, eſt antiqua conſuetudo. Et quia Patriarcha ille non ſolos ſuæ Parochiæ, ſed quoſvis Orientalis Eccleſiæ Clericos ex longa invaſione & uſu ordinabat, erat pingue lucrum. Quin & poſterioribus ſæculis cum ſchiſmate crevit avaritia & exactio, ideoque multi noluerunt apud Conſtantinopolim ordinari. Hinc in ſua, quam in quinquageſimi Carthaginenſis Canonis commentario adducit Theodorus Balſamon, ad Alexiaca Cathecumena Synodo ſtatuit Michaël Patriarcha: *Ne ſit prætextus, iſque ſatis elegans, iis qui nolunt hic ordinari, ad religioſum noſtrum Carthophylacem accedentibus, quod majorem fortè ſubeant innovationem, quam olim dari fuerit conſuetudo, & ei quoque rei à noſtra Mediocritate eſt hodie proviſum. Cautum eſt enim, ne antiqua in eis conſuetudo tranſiliatur, ſed illa ſola dentur Epiſcopi Miniſtris & religioſiſſimo hujus temporis Carthophylaci, quæ ab iis, qui ordinantur, jam olim dari conſuevere.* Exactionem non damnat aut abolet, ſed ſolummodo reducit ad antiquos limites, & vetat deinceps augeri. Ridiculum eſt vetus ad centeſimam vigeſimam tertiam Juſtiniani Auguſti novellam legem in Joannis tertii Patriarchæ Conſtantinopolitani collectione Græcum de omnibus hiſce exactionibus ſcholion: *Hæ præſtationes legitimo jure fiunt, poſtquam Imperator, qui ſæcularium eſt Dominus, illas approbavit. Non enim ob ordinationis gratiam pecunia accipitur, neque propterea indigni admittuntur, ſed Honorarii & beneficentiæ vice præbetur illud modicum, quod lege definitum eſt.* Quaſi vero ad Laïcum pertineat Principem Simoniam ſtatuere vel purgare.

Adversùs ſimilem Romanæ Eccleſiæ abuſum longè ſanctiùs in ſua Romana Synodo proceſſit magnus Gregorius: *Antiquam Patrum regulam ſequens, nihil unquam de ordinationibus accipiendum eſſe conſtituo, neque ex datione Pallii, neque ex traditione chartarum, neque ex ea, quam nova per ambitionem ſimulatio invenit, appellatione paſtelli. Quia enim ordinando Epiſcopo Pontifex manum imponit, Evangelicam vero lectionem Miniſter legit, confirmationis autem ejus Epiſtolam Notarius ſcribit. ſicut Pontificem non decet manum, quam imponit, vendere, ita Miniſter vel Notarius non debet in ejus ordinatione vocem ſuam vel calamum venundare. Pro Ordinatione vero vel Pallio, ſeu chartis atque paſtello, eundem qui ordinandus eſt vel ordinatus, omnino aliquid dare prohibeo. Ex quibus prædictis rebus ſi quis hinc aliquid commodi appellatione exigere, vel deferre fortè præſumpſerit, in diſtricto Dei omni-* Lib. Ep. 44.

 potentis

Digitized by Google

*po:entis examine reatui ſubjacebit. Is autem, qui ordinatus fuerit, ſi non ex placito, neque exactus, neque petitus, poſt acceptas chartas & Pallium aliquid cuilibet ex Clero, gratia tantummodo cauſa, dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus, quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non proceſſit.* Quam ſanctitatem dudum in Romana Ec-
Epiſt. 5. cleſia perſeveraſſe oſtendunt litteræ, quas ad ſancti Bonifacii Martyris, ſui per Franciam Legati, de oppoſito vitio querimonias ſcripſit Pontifex Zacharias.

Poſteà tamen defecit. Etenim ad Richardum Albanenſem Epiſcopum, Paſchalis ſecundi per Gallias Legatum, de tribus Primatibus Eccleſiæ ſuæ Clericis, ſimilium exactionum accuſatis, ſcribit ſanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis: *Romana Eccleſia conſuetudine ſe defendunt, in qua*
Ep. 133. *dicunt Cubicularios & Miniſtros ſacri Palatii multa exigere à conſecratis Epiſcopis vel Abbatibus, quæ oblationis vel benedictionis nomine palliantur, cum nec calamus nec charta gratis ibi, ut ajunt, habeatur.* Iniquitatem iſtam dicit in Eccleſiis eſſe antiquiſſimam, adeoque contumacem, ut non ipſa omnium Mater Romana poſſit à ſuo gremio eliminare. Et hinc ſecunda Ravennas ſub Clemente quinto celebrata Synodus ſanxit, ut Epiſcopo-
Can. 32. rum Notarii & Sigilliferi pro ſcriptura, charta, ſcedula, cera, ſigillo, omniqúe ſuo, quod ſacris Clericorum ordinationibus impendunt, miniſterio ultra duos Venetos non poſſint accipere. De Notariis & aliis Miniſtris, aliquid circa Epiſcoporum & Prælatorum electiones aut confir-
Seſſ. 12. mationes ſcribentibus, ſtatuit Synodus Baſileenſis: *Emolumentum eis aliquod moderatè taxetur, habendo reſpectum ad laborem & operam ſcripturæ, non ad fructuum Prælaturæ valorem.* Et generatim de cunctis, qui in Epiſcoporum aut Clericorum conſecratione, electione, confirmatione, inveſtitura, inſtallatione, aut quovis alio quid ſcripſerint: *Nihil penitus ante vel poſt exigatur ratione litterarum, Bullæ, ſigilli, prætextu cujuſvis conſuetudinis, privilegii, vel ſtatuti, aut alia quavis cauſa vel occaſione, directè vel indirectè, ſolum ſcriptoribus, abbreviatoribus, & regiſtratoribus litterarum ſeu minutarum pro ipſorum labore competenti ſtipendio ſolvendo.* Exactiones iſtas etiam Apoſtolicæ Sedi interdicit, damnatque de Simonia. Et Toletana ſub Xiſti quarti Pontificatu Synodus, non ſolum Epiſcopis, ſed & ipſorum Janitoribus, Barbitonſoribus, ac aliis Officialibus diſtrictè vetat omnem pro ſigillo aut cera exactionem, Notariis tamen permittens ut pro Reverendis ſeu dimiſſoriis, & pro teſtimonialibus ordinum litteris accipiant decem Moraberinos. Quæ omnia firmavit & auxit Sacro-ſancta Tridentina Synodus, pro cunctis iſtiuſmodi litteris quid
Seſſ. 21. etiam ſponte oblatum vetans accipi ab Epiſcoporum Miniſtris, ſoliſque
cap. 1. fixum ſtipendium non habentibus Notariis indulgens decimam, cujus

Epiſ-

Digitized by Google

Epiſcopus nequaquam poſſit eſſe particeps, aurei partem, & hoc in illis tantum Eccleſiis, ubi non viget melior conſuetudo. Omnem aliam non dumtaxat exactionem, ſed & ſponte oblati acceptionem damnat de Simonia.

Iſta avaritiæ lepra peſſimè olim laborarunt Chor-Epiſcopi, Archi-Presbyteri, ac præſertim Archi-Diaconi. Quod Archi-Diaconi in Parochiales Presbyteros dominatum, tyrannidem & iniquas exactiones exercerent, palam aſſeverat & damnat ſecunda Synodus Cabilonenſis. Can. 15. Et tertium Ludovici pii Imperatoris Capitulare Regiis Miſſis, ſeu Eccleſiarum Viſitatoribus injungit ut inquirant de Epiſcoporum Miniſtris: *An indebita xenia à Presbyteris exigant.* Probos ac integros, qui plebem ac inferiorem Clerum non vexent exactionibus, deinceps ab Epiſcopis fieri Chor-Epiſcopos, Archi-Presbyteros, atque Archi-Diaconos, etiam promotorum avaritiam compeſci mandant ſexta Pariſienſis, & ſecunda Synodus Aquiſgranenſis. Lib. 1. c. 26. Addunt ex iſta improbitate ſcandalizari populum, Sacerdotium contemni, & plura in Eccleſiam mala cumulari. Lib. 1. c. 2. Quæ omnia etiam Canonicis ad Hedenulphum novellum Laudunenſis Eccleſiæ Epiſcopum litteris inſeruit Hincmarus Metropolita Remenſis. Archi-Diaconorum in Parochiales Presbyteros & Clericos angarias atque indictiones ex vigeſimo tertiæ Toletanæ Synodi Canone damnat item in litteris ad Liſiardum Sueſſionenſem Epiſcopum ſanctus Ivo Carnutenſis. Ubi tamen advertas Canonem iſtum non in Archi-Diaconos, ſed in Epiſcopos loqui. Adeò hac in re exceſſit Theobaldus Archi-Diaconus Pariſienſis, ut ejus Nepotes venerabilem, à quo ſiſtebatur & culpabatur iſta improbitas, Thomam Canonici ad ſanctum Victorem Monaſterii Priorem, intra ſacras, ad quas confugerat, Stephani Pariſienſis Epiſcopi manus impiè & barbarè trucidarint. Facinus exponunt Ep 17. Petrus Venerabilis & ſanctus Bernardus. Ep. 158. Et hinc in Synodo ſua Lateranenſi ſtatuit Alexander tertius: *Archidiaconi ſive Decani nullas exactiones ſive tallias in Presbyteros ſeu Clericos exercere præſumant.* Quem Canonem ſuis Decretalibus meritò inſeruit Gregorius nonus. Lib. 3. tit. 39. c. 6.

Porrò exactiones ſuas variis illi titulis fucabant, & purgare conabantur. Chor-Epiſcopus, Archi-Presbyter & Archi-Diaconus ſunt Epiſcopi manus & oculi, in ſuos diſtrictus habent juriſdictionem ordinariam, ipſiſque multam curam debent: Hinc ex cujuſvis ſibi ſubjectæ Eccleſiæ proventibus volebant portionem aliquam, quaſi decimam decimæ. Nam & Epiſcopali curæ aliquod ex illis ſolatium, ſeu partem ſacri Canones aſſignant. Juſtus erat titulus, maculatus tamen exceſſibus, adversùm quos ſtatuit ſecundum Ludovici pii Imperatoris ad Epiſcopos Capitulare: *Ne Eccleſia in reſtauratione aut in luminaribus juxta poſſibilitatem re-*

Cap. 5. *rum negligantur, veſtra invigilare debet ſolertia. Et ſicut alios prohibetis, ne de manſis ad Eccleſiæ luminaria datis aliquid accipiant, ſic & vos & veſtri Archidiaconi, de eiſdem manſis nihil accipiendo, aliis exemplum præbeatis.* Regia amortizationis lex erat tunc ignota: Attamen ne jura ſua perderet Dominus Rex, aut in illis ſolvendis nimium gravaretur populus, exempta à publicis oneribus manſa ad certum dumtaxat numerum habebat quævis Parochialis Eccleſia, & ipſis quidquam pendi Archi-Diaconis, ipſiſque etiam Epiſcopis piè vetuit pius Ludovicus. Ea enim ultra honeſtam Eccleſiæ & Cleri ſuſtentationem nihil aut parum ſuppeditabant. De aliis manſis & proventibus aliquid accipi omnino permittit.

Et hinc de *portionibus Eccleſiarum* ad Epiſcopum pertinentibus, quas ſui Archi-Diaconi ante & poſt ejus electionem ſibi uſurparant, num haberet Canonicam ſententiam, quâ iſta rapacitas cohiberetur, à S. Ivone poſtulavit memoratus Liſiardus Epiſcopus Sueſſionenſis. De cunctis Parochialium Eccleſiarum præter exempta manſa proventibus ſuam portionem habebant & Epiſcopus & Archi-Diaconus, verum Archi-Diaconi Sueſſionenſes, ſuâ non contenti, etiam Epiſcopi portionem ex neſcio quo titulo aut fuco invaſerant & detinebant. Hinc repoſuit S. Ivo: *Nova ſunt hæc genera morborum, & ideo nova exigunt genera medicamentorum. Tamen ſi inſpiciamus Epiſtolam Iſidori Leutredo Epiſcopo Cordubenſi directam, patenter intelligi poterit, quia non pertinet ad Archi-Diaconum præter portionem ſuam aliquid de reditibus Parochiarum ſibi retinere, vel ultra terminos à Patribus poſitos aliquid uſurpare.* Disertè aſſerit Archi-Diaconis deberi portionem ſuam, idque ex ſtatuto Patrum. Et hinc indictiones & talliæ, quas Alexander tertius ac aliæ damnarunt Synodi, ſunt ſolæ illæ quæ fiant ultra iſtam portionem.

Alter Archi-Diaconalium exactionum fucus fuit Eccleſiarum viſitatio, adversùs quem ſtatuit in quinto Capitularium libro Hincmarus Metro-
Cap. 2. polita Remenſis: *Ut non occaſione victus Parochias circumeatis, quatenus de aliorum ſtipendiis viventes veſtra ſtipendia conſervetis.* Subditas Eccleſias viſitanti, uti Epiſcopo, ita & Archi-Diacono debentur procurationes, ſeu honeſtum viaticum ac alimentum: Hinc quidam, ne domi comederent & expenderent, lentè ac moroſè viſitatum abibant, iſtaſque artes Hincmarus abolet & damnat. Et quia etiam neceſſariarum viſitationum procurationes frequenter habuerunt varios exceſſus, ipſas eſſe moderatas & non gravari Parochos ſanxit in ſua Lateranenſi Synodo Alexander tertius. Pergit Hincmari Capitulare ad Archi-Diaconos: *Ut à Presbyteris xenia non accipiatis, quatenus illorum mala fama cooperiatur.* Quod ipſum in Canonicis ad Hedenulphum Laudunenſem Epiſcopum litteris expreſſit. Nec ſolum criminum pœnas, ſed & ipſam viſitationem pecunia re-

dimi

Digitized by Google

dimi à criminoſis Clericis permittebant quidam Archi-Diaconi, quas ſordes in ſua laudata Synodo damnat etiam laudatus Pontifex Alexander. Pergit rurſum Hincmarus: *Quando Parochias circumitis, nolite graves eſſe Presbyteris, petentes friskingas vel piſces, vel formaticos, aut annonam, aut alias quaſlibet res, ut habeatis, quando ad civitatem reverſi fueritis, unde quaſi fratribus refectionem faciatis, ut ſalvis ſtipendiis veſtris habeatis unde vos & veſtros conducatis.* E viſitatione redux Archi-Diaconus ſolebat Agapes facere, ſeu amicum inter Eccleſiæ ſuæ confratres convivium: Hinc partim ad illud, partim ad ſuum ac ſuorum in via & reditu paſtum exigebat à Parochis eſculenta varia, peſſimumque abuſum Hincmarus circumſcribit. Cap. 4.

Tres inſuper alios iſtarum exactionum fucos adducit idem Hincmarus: *Nolite quaſi pro aliquo adjutorio ad quamcumque rem denarios apud Presbyteros poſtuletis, neque quando ad Synodum, vel pro inquiſitione miniſterii ſui venerint, eulogias exigatis, ſed ſi fortè commodum fuerit pro ſua voluntate & commoditate aliquid gratis offerre, cum gratiarum actione accipite.* Parochianam ſeu Diœceſanam Synodum dirigere, dubios Parochialis miniſterii caſus exponere, & pro communi Eccleſiæ bono quandoque onera ſubire debet ex officio Archi-Diaconus: Et pro cunctis iſtis aliquod ſolatium, ſtipendium, & adjutorium exigebant à Parochis. Rurſum Hincmarus: *Nolite quaſi per precationem caballos veſtros vel amicorum veſtrorum ad paſtum Presbyteris commendare, neque annonam vel fodrum ab eis exigatis.* Fodrum eſt vox Lombardica, ſignificans publicam exactionem. Porrò ne minium durus in Archi-Diaconos videretur Hincmarus, laudatis ſuis Capitulis admiſcuit aliquid dulce: *Ideo vobis de facultatibus Eccleſiaſticis, juxta quod Apoſtolus de lege dicit, Non obturabis os bovi trituranti, ſolatium præbeo, ut Presbyteros non gravetis.* Dedit Archi-Diaconis ſpeciales proventus & pinguiorem Præbendam, quæ ſanctiſſima conſtitutio etiamnum viget in multis Eccleſiis, quarum proinde Archi-Diaconi ſine gravi crimine nequeant Parochiales Presbyteros exactionibus gravare. Cap. 5. Cap. 6.

Adverſùm Ceſtrenſes Archi-Diaconos ſcripſit ad ipſorum Epiſcopum Stigandum etiam ſanctus Lanfrancus Primas Cantuarienſis: *Clerici villarum noſtrarum, qui in veſtra Diœceſi exiſtunt, queſti nobis ſunt, quod veſtri Archi-Diaconi repertis occaſionibus pecunias ab eis exquirunt, & à quibuſdam jam acceperunt.* Exaggerat facinus, & pergit: *Mandamus itaq; vobis, ut male accepta ſine dilatione reddi jubeatis, & Miniſtris veſtris, ne ulterius id præſumant, ſervandæ charitatis ſtudio prohibeatis.* Et in Auſcenſi Synodo ſtatuit pro ſancti Orientii Monaſterio Cardinalis Hugo Blancus, Legatus Alexandri ſecundi: *Archi-Diacono interdicimus, convivia more* Ep. 27.

 *Symbo-*

Digitized by Google

*Symbolorum in Monaſteriis Eccleſiis peragi, aut in honore ejus aliquid uſurpari contra conſuetudinem veterem.* In ſuis ad prædictam laudati Lanfranci Epiſtolam Scholiis Lucas Dacherius publicavit inſignem Epiſtolam, quâ Archi-Diaconorum à ſuo ſancti Petri Monaſterio exactiones compeſci per Paſchalem ſecundum rogat ſanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis. Et
Ep. 25. ad Joannis Carnutenſis Epiſcopi Officialem ſcribit Petrus Bleſenſis: *Scio quia munerum cupiditas ſubvertit cor tuum, ut fieres Officialis Epiſcopi. Tota Officialis intentio eſt, ut ad opus Epiſcopi ſuæ juriſdictioni commiſſas miſerrimas oves quaſi vice illius tondeat, emungat, excoriet. Iſti ſunt Epiſcoporum ſanguiſugæ, evomentes alienum ſanguinem, quem biberunt.* Graſſantia tunc in iſtis hominibus facinora atque flagitia deſcribit inſigniter & damnat. Quod ipſum fecerunt in Senonenſi Synodo Archiëpiſcopus ibidem Triſtandus de Salazar, & in litteris ad Adrianum ſextum Ponti-
L. 2 c. 1. ficem Germanorum Procerum Conventus Nurenburgenſis. Eſt vitium Hincmaro longè antiquius. Etenim apud Monachum Marculſum extat vetuſta Gallicanæ Eccleſiæ formula, quâ Monaſterii Fundator removet & circumſcribit Pontificum & Eccleſiaſticorum Officialium exactiones, exquiſita & lauta convivia, gratioſa vel inſidioſa munuſcula, caballorum præſtus, paravereda, & quaſvis angarias & functiones. Quin
Lib. 1. imò & Lucium Peluſii Archi-Diaconum, quod *divinum ſacrarium per*
Ep. 29. *avaritiam contaminaret, per nummariam manuum impoſitionem ſibi aggregaret opes*, atque ita columbas in Eccleſia venderet, graviter arguit Iſi-
Ep. 30. dorus Peluſiota. Æquè damnat Euſebium Epiſcopum, quod iſta per-
Ep. 177. mitteret: Eadem notat in Panſophio Archi-Diacono, & Marone Oeconomo. Eodem tempore Provinciæ Præſes Cyrenius vendebat omnia civilia judicia atque officia, & ita vendebantur ſacra & profana: Hinc Rempublicam in ruinam currere laudatus Iſidorus non fuit vanè ominatus.

## CAPUT XV.

*Exponitur varia Epiſcoporum exactio.*

QUod Epiſcopi Clero & populo ſuo collectas & exactiones indicant, eſt Apoſtolica inſtitutio, ut liquet ex variis locis Apoſtolicarum Epiſtolarum. Ita ſeſtertia centum millia nummûm è Cleri & populi ſui collatione collegit, & redimendis è Barbarorum captivitate fidelibus
Ep. 60. Numidiæ fratribus ad ipſorum Epiſcopos miſit S. Cyprianus, addens in ſimiles, quos Deus avertat, caſus ſimilia ſubſidia omnino non defutura. Earundem exactionum meminit in libro de fuga in perſecutione, & in

Digitized by Google

in libro de jejuniis Tertullianus, adjungens eam *Conferendarum ſtipium induſtriam eſſe capturam noſtrorum Epiſcoporum, ut regno ſuo ſecurè frui poſſent ſub obtentu procurandi.* Quod nempe ultra neceſſitatem exigerent, ac inde luxuriarentur. Lapſus ad Montanum Tertullianus loquitur in orthodoxos Epiſcopos, ideoque forſan calumniatur. Nam & S. Athanaſium, quod ſubjectas ſibi Eccleſias exactionibus vexaret, apud Conſtantium Auguſtum acriter & falſo accuſavit factio Euſebiana. Quidquid ſit, abuſus Eccleſias tandem omnino occupavit. Etenim Hiſpaniarum Epiſcopos, quod non ſolum Parochias, ſed ipſarum inſuper Clericos ſervili more premerent, adeoque in Clero ſuo contra Apoſtoli mandatum dominarentur, notat ſecunda Synodus Bracharenſis. Quod per Parochias ſuas non Sacerdotaliter deſævirent, & Exactoris potius quam Epiſcopi nomen mererentur, affirmat tertia Toletana. Quod ipſum repetunt ſeptima, & decima ſexta. Idem vitium, præſertim quod ad conſignandos infantes egreſſi Clerum ad ſumptuoſa ſibi paranda convivia compellerent, damnat in Siculorum Epiſcopis, & certa Concordata inter partes ſtabilit Pelagius ſecundus, quæ rigidè ſervari juſſit etiam proximus ejus ſucceſſor Gregorius magnus. Abuſum in Orientali Eccleſia graſſantem damnavit etiam quartus Canon ſeptimæ Synodi. Et ſeptimus decimus ſecundæ Cabilonenſis: *Inventum eſt, quod in quibuſdam locis Presbyteri duodenos vel quaterdenos denarios Epiſcopis in cenſum annis ſingulis darent, quod penitus abolendum eſſe decernimus.* In Romana ſua Synodo Eugenius ſecundus emiſit hunc Canonem: *Nulli Epiſcoporum liceat à ſubjecto Sacerdote, vel à quolibet Clerico, & piis locis dationes ultra Patrum ſtatuta exigere, aut ſuperpoſita in angariis inferre.* Clericos alendos dicit ab Epiſcopo, non expilandos. Addit immobiles præſertim Parochialium Eccleſiarum res ab ipſis non poſſe invadi. Miſſis à ſe Eccleſiarum Viſitatoribus, ut in iſtas Epiſcoporum exactiones diligenter inquirerent, injungit in tertio ſuo Capitulari pius Imperator Ludovicus. De eodem exceſſu, uti vera Simonia, Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum durè perſtrinxit in quinquaginta quinque Capitum Epiſtola Hincmarus Metropolita Remenſis, & ejus degradati ſucceſſorem Hedenulphum coëgit in litteris Canonicis ad ſolemnem vitii ejerationem. Eodem tempore inter quoſdam Francorum Epiſcopos & Clericos natæ ſunt tantæ de hac re contentiones, ut hi ad Regem Carolum Calvum provocarint, & Rex ediderit famoſa Toloſana Capitula, quæ partes componerent ad tempus, & malo per interim providerent. Similem tunc adverſus Epiſcopos Canonem edidit & tertia Valentina Synodus, aſſerens ex iſtis exactionibus naſci murmurationes peſtiferas, & de Epiſcopis detractiones. Quinta Gregorii ſeptimi Romana Synodus emiſit

Cap. 13. Can. 2. Cap. 20. Cau 4. Can. 5. Cap. 11. Ep. 24. Cap. 26. Cap. 16. Can. 14.

Digitized by Google

ſit hunc Canonem: *Nullus Epiſcopus gravamen, ſeu ſervile ſervitium ex uſu contra Eccleſiaſticam normam Abbatibus ſeu Clericis ſuis imponat.* Lariſſenum in Illyrico Archiëpiſcopum, ſubditis Epiſcopis & Monaſteriis per indebitas exactiones moleſtum atque injurioſum, per Thermopolitanum & Sardicenſem Epiſcopos compeſci juſſit Innocentius tertius. Compeſcuit & Amadeum Archiëpiſcopum Byzuntinenſem, per cujus *juges exactiones adeò Presbyteri & Clerici defatigabantur, ut onere paupertatis depreſſi, tanquam ruſtici, viliter in ignominiam honeſtatis Eccleſiaſticæ incedere compellerentur.* Mauritium item Pictavienſem Epiſcopum, qui in ſuos Clericos exiſtebat auctor novarum quotidie exactionum. Executus eſt Lateranenſem Canonem, quo indebitas exactiones aut tallias Clericis ac Parochialibus Eccleſiis de novo imponi, aut veteres cenſus augeri per Epiſcopos interdixit Alexander tertius.

Lib. 1. Ep. 42. Lib. 2. Ep. 125.

Omnia Epiſcopalis Diœceſis bona olim erant una maſſa, dividenda apud pleroſque in quatuor portiones æquales, quarum quarta una cedebat Epiſcopo, de qua in Canonicis ad Hedenulphum Laudunenſem Epiſcopum litteris rectè Hincmarus Metropolita Remenſis: *Regulam, quæ de quarta parte redituum Eccleſiæ, juxta conſuetudinem aliarum Regionum ita ut eſt ſcripta intelligat Epiſcopus, & non pravè illam interpretans, perinde in his Regionibus quæ ſunt Presbyterorum contra ſacras Regulas diripiat.* Rectè in litteris, apud Gregorium nonum exſtantibus, ad Cæſar-Auguſtanum Epiſcopum ſcribit Innocentius tertius præter decimarum quartam Epiſcopo alia inſuper jura à Parochialibus Eccleſiis deberi. Debetur enim eis Cathedatricum, ſeu Cathedræ honor, de quo ſecunda Synodus Bracharenſis: *Nullus Epiſcoporum, cum per Diœceſes ſuas ambulant, præter honorem Cathedræ ſuæ, id eſt, duos ſolidos, aliquid aliud per Eccleſias tollant.* Addit ab eis tolli non poſſe tertiam, quam Eccleſiæ Parochialis luminaribus aſſignat, partem oblationum. Quod ipſum confirmat ſeptima Synodus Toletana. Verba hæc, *(cum per Diœceſes ſuas ambulant,* nequaquam volunt duos iſtos ſolidos eſſe viſitationis jura: Etenim Cathedræ honorem laudata Toletana Synodus à viſitationis procuratione palam diſtinguit. Dumtaxat volunt iſtos ſolidos in viſitatione conſueviſſe exigi. Solius Hiſpaniæ non fuit iſta lex: Duos enim iſtos ſolidos, uti communem Eccleſiæ Canonem, Pelagius ſecundus in litteris ad Creſconium Siciliæ Rectorem probat, itemque magnus Gregorius in Epiſtola ad ejuſdem Provinciæ Epiſcopos. Etiam Toloſana Caroli Calvi Francorum Regis adverſum nimias Epiſcoporum exactiones Capitula permittunt, ut illi certam frumenti, hordei, & vini menſuram, & ſex denariorum Friskingam accipiant à quavis Parochia, & adjungunt: *Si hæc non accipiunt, accipiant, ſi volunt, pro his omnibus duos ſolidos in denariis,*

Lib. 3. tit. 39. c. 18.

Cap. 2.

Lib. 11. Ep. 22.

Cap. 2

Digitized by Google

*denarius, ſicut in Toletano & Bracarenſi conſeſſu Epiſcopi conſideraſſe dicuntur.* Porrò hæc exactio rectè dicitur Cathedræ honor: Omnium enim Parochialium Eccleſiarum continuam ſine cogitationum feriis ſollicitudinem gerit Epiſcopus, ideoque meretur honorem illum, de quo Apoſtolus: *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni ſunt.*

Honorem hunc Ilerdenſis, quam quidam recentiores Canones imitantur, Synodus vocavit *legem Diœceſanam*, & adjungit: *Ea quæ in jure Monaſterii de facultatibus offeruntur, in nullo Diœceſana lege ab Epiſcopis contingantur.* Can. 3. Quam Monaſteriorum exemptionem firmat etiam ſeptima Synodus Toletana. Monaſtico enim ſtatui Clerus Hiſpaniarum & populus fuit ſemper addictiſſimus. Pergit Synodus Ilerdenſis: *Si ex Laïcis quiſquam factam à ſe Baſilicam conſecrari deſiderat, nequaquam eam ſub Monaſterii ſpecie, ubi congregatio non colligitur, vel regula ab Epiſcopo non conſtituitur, à Diœceſana lege audeat ſegregare.* Non vanum Monaſterii nomen, ſed ſolam rem meritò vult eſſe exemptam. Quod Monachale privilegium in aliis Regionibus non fuiſſe, atque ex variis Epiſcopalium exactionum & vexationum exceſſibus tandem prodiiſſe exemptionis remedium, ſuo loco oſtendetur. Porrò omnes, præter exemptas aut Apoſtolicæ Sedis protectioni immediatè ſuppoſitas, Parochiales Eccleſiæ debent iſtam Cathedatricam præſtationem. Etiam à Patronatis deberi ſcripſit ad Farfenſis Monaſterii Abbatem Innocentius tertius. Lib. 3. tit. 36. cap. 6. Et ad Carnutenſem Epiſcopum Alexander tertius: *Eccleſiis, quas de novo Epiſcopi de manibus Laïcorum eripiunt, præter Cathedraticum, & jura omnia, quæ aliis Eccleſiis imponuntur, exactionem prohibemus imponi.* Tit. 39. cap. 9. Eccleſias olim, ex inchoata per Carolum Martellum violentia, quaſi proprios fundos poſſidebant Laïci milites, & ad ipſas ex iſtis unguibus liberandas dudum Epiſcopi laborarunt. Expilatæ paſſim erant, ideoque non gravari quidem præ cæteris quaſi ob liberationis beneficium Pontifex decrevit, ſed neque voluit eſſe à Cathedratico exemptas. Etiam oratoria & Capellæ tenebantur ad pendendum aliquid, de quo in Canonicis ad Hedenulphum litteris laudatus Hincmarus: *De Capellis antiquitùs ſubjectis Eccleſiis non æqualem, ſicut de principalibus Eccleſiis, collationem exigat Epiſcopus, ſed principalis Eccleſia cum ſibi ſubjectis Capellis debitam & antiquitùs conſuetam collationem conferat.*

Altera Epiſcopo à ſubjectis Eccleſiis debita collatio eſt Synodaticum, ſeu pro celebrandarum Synodorum impenſis aliquod adjumentum. Hinc enim quibuſdam ad S. Dionyſii Monaſterium ſpectantibus Eccleſiis Parochialibus, atque ipſarum Clericis hocce privilegium dedit Landericus Pariſienſis Epiſcopus: *Ut ſint liberi & abſoluti ab omni debito & redditione Synodorum.* Laudatis ad Hedenulphum litteris item indidit

Metropolita Hincmarus: *Epiſcopi quidam Synodos temerè frequentant, ut factione Miniſtrorum ſuorum diverſo modo denarios quaſi pro Eulogiis accipiant.* Et Gothorum Epiſcopis legem hanc ſtatuunt Tholoſana Caroli Cap. 9. Calvi Capitula: *Epiſcopi Synodos à Presbyteris, niſi ſicut docet authoritas Canonum, duas ſcilicet, & per tempora conſtituta, non exigant. Sed & in iiſdem Synodis non per occaſionem, ſed per veritatem Miniſterii ſui, teſte Deo, ad quod conſtituti ſunt, Presbyteros & tractent, & teneant, & abſolvant.* Et ad Britonum Epiſcopos ſcribit Leo quartus: *De Eulogiis ad ſacra Concilia deferendis nihil invenimus à majoribus conſtitutum, ſed ſic ut unicuique Presbytero placuerit. Nam ſi conſtitutum fuerit illo in tempore benedictiones adferri, forſan minus libenter ad Synodos occurrent, & magis venire detrectabunt: Quæ, ut opinor, non ſunt rationabiliter requirendæ, nec ultrò delata reſpuendæ.* Etiam ad alium Epiſcopum aut Capitulum ſpectantes Ep. 85. Eccleſias Diœceſano Epiſcopo debere Synodum, ad Rogerium Lexovienſem Epiſcopum ſcribit ſanctus Fulbertus Epiſcopus Carnutenſis. Et S. Rudolphum, Eugubinum Epiſcopum, quod quotannis Synodum age- Lib. 1. ret, & nullum à Presbyteris ſuis xenium admitteret, dicens, *Abſit ut Syno-* Ep. 19. *dum vendam*, laudat in litteris ad Alexandrum ſecundum Pontificem S. Petrus Damiani. In litteris ad omnes Romanæ Eccleſiæ Cardinales Lib. 2. Epiſcopos notat & quemdam Epiſcopum, *Qui ſic ſubſultabat atque gliſce-* Ep. 2. *bat, dum præfixum Synodalis Concilii tempus inſiſteret, ac ſi trituræ vel vindemialis proventus articulus immineret.* Quas ſordes vult à Cardinalibus ſaltem Epiſcopis eſſe remotiſſimas. Et Gerardum Engoliſmenſem Epiſcopum, Apoſtolicæ Sedis in Aquitania Legatum, quod exactionum cupiditate frequentaret Synodos, arguit Arnulphus Archi-Diaconus Sagienſis. Etiam de Lateranenſi Alexandri tertii Synodo ſcribit Guilielmus Neu- Lib. 3. brigenſis: *Quod convocandi Concilii intentio ſatis ſincera non fuit, Romana* cap. 2. *avaritia artificioſa proviſio patefecit. Multi enim evocati, quibus iter eundi ad Concilium difficilè vel intolerabile videbatur, interventu pecuniæ, impudentius turpiuſq; exactæ quàm præſtitæ, relaxari meruerunt.* Verùm non avaritia, ſed extrema ex longo ſchiſmate atque exilio paupertas optimum Pontificem ad ſimiles exactiones coëgit. Eaſdem exactiones Græcorum Metropolitis ſub quadrupli reſtituendi reatu interdixit ſextus Canon ſeptimi Concilii. Quæ omnia evincunt Synodaticum olim fuiſſe oblationem ſpontaneam, quam tandem Presbyterorum, nihil offerre volentium, tenacitas compulit tranſire in certam taxam atque exactionem.

Tertium Epiſcopalis exactionis titulum edicit Alexandri tertii Synodus Lateranenſis: *Suſtinemus pro multis neceſſitatibus, quæ aliquoties ſuperveniunt, ut ſi manifeſta ac rationabilis cauſa extiterit, cum charitate moderatum* à ſubditis Presbyteris *valeant Epiſcopi auxilium poſtulare.* Eſſe debet

debet gravis neceſſitas. Etenim ſanctum Arctardum Namnetenſem Epiſcopum à barbaris Nortmannis ejectum & ſpoliatum neque transferri, neque ex ſolis populi oblationibus & Presbyterorum collatione vivere, ſed inſuper propriis manibus laborare voluit, & Synodaliter ſanciendum Ep. 45. duxit Hincmarus Metropolita Remenſis. Hinc item addidit Canonicis ad Hedenulphum litteris: *Ne manſionaticos ſuis amicis aut hominibus à Presbyteris parari Epiſcopus faciat. Ne etiam quaſi ad receptionem Regis vel Legationum, aut ad ornatus Eccleſiæ ſuæ faciendos adjutoria quaſi petendo, potius autem exigendo, denarios vel caballos, aut verres ſeu Freskingas, aut ad iter aliquod paraveredos aut alia qualibet accipiat, id eſt, rapiat.* Non ſolùm Domino Regi, ſed & ejus Legatis hoſpitium olim debebant Francorum Epiſcopi: Iſtius oneris adjutorium à Presbyteris poſtulari, longeque magis ipſis Epiſcopis aut eorum amicis exigi equos vectores, hoſpitia, aut Eccleſiæ etiam Cathedralis ornamenta vetat Hincmarus, affirmans id eſſe accipitrum, non Epiſcoporum. Et adjungit: *Si qua fuerint gravamina Presbyteris impoſita, Epiſcopus temperet, quia & in præſenti, & in futura vita ſibi proficiet, ſi eos qui ſibi commiſſi ſunt, ſine gravamine conſervare ſtuduerit.* Sua enim etiam onera habent Parochiales Eccleſiæ & Clerici, & paſſim modicos proventus. Et hinc adverſus Epiſcoporum ſuorum rapacitatem clamantes ad ſe Gothorum Clericos audivit Rex Carolus Calvus, & uſque ad definitivam ab Eccleſiaſtica poteſtate ſententiam fixit illis per interim certa Capitula Toloſana. Et Anteceſſores ſuos, quod quibuſdam Eccleſiis Synodaticum remiſerint in perpetuum, meritò prædicat ſanctus Fulbertus Epiſcopus Carnutenſis. Quod item Fa- Ep. 58. ventinus Epiſcopus omnem ſibi debitam collationem in annuum trium librarum cereum commutarit cuidam Eccleſiæ, teſtatur & probat in litteris ad ſancti Stephani Priorem Innocentius tertius. Et ita jam factum Lib. 3. eſt per omnem ferè Eccleſiam. Quod enim plerique Epiſcopatus ſint tit. 39. opulenti, & Pagenſes Parochiæ decimas paſſim amiſerint, vivantque fe- cap. 21. rè ex ſolis oblationibus, dignum & juſtum eſt ipſas ab omni Epiſcopali exactione eſſe immunes. De debitis viſitanti Epiſcopo procurationibus eſt alibi dicendum.

Reſtat Monachorum Simonia, quam abundè expoſui ad Canones ſeptimæ Synodi. Hic addo cuncta Monachi bona per ipſum profeſſionis titulum devolvi & ſpectare ad Monaſterium, non ex ſolis Juſtiniani Auguſti legibus, ſed & ex antiquiſſimo univerſæ Eccleſiæ more. De quo in regulis brevioribus Magnus Baſilius: *Omnino iis, qui ad Dominum ac-* Cap. 187 *cedunt, neceſſario quæ ad ipſos pertinent, reddere illorum propinqui debent, neque prorſus quidquam ſubtrahere, ne ſacrilegii judicium incurrant.* Et Monacho ante parentum mortem profeſſo, ut poſt eorum exitum diſ-

 ponat

ponat de hæreditate, mandant in regula ſua ſanctus Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, ejuſque Nepos ac Presbyter Tetradius: Quod nempe ſentiant paternæ ac maternæ hæreditatis futurum jus per profeſſionem in Monacho non extingui. Atque ita, præſertim in illis, ubi per Regias amortizationis leges extinguitur, Regionibus poſſe de ipſo ſtipulari, & pro ejus extinctione aliquid exigere Monaſterium, non video cur dubitetur. Quæ omnia ad quadrageſimum Trullanum, ad ſeptimæ Synodi quintum & decimum nonum, & ad Conſtantinopolitanæ in Apoſtolorum Eccleſia Synodi ſextum Canonem largiùs exponit Theodorus Balſamon, rectè tamen addens illos, qui ampli patrimonii ſui intuitu ad Monaſteria recipi ambiunt & qui iſto titulo admittunt, damnandos de Simonia. Excipit & rectè illos, qui jus Fraternitatis, id eſt, qui à ſuæ profeſſionis Monaſterio migrantes, jus alimentationis ab alio emunt Monaſterio: Quod jus iſtud ſit omnino temporale. Quæ omnia non ſolum in Cœnobitis, ſed & in Cellulariis ſeu Anachoretis obtinere idem Scriptor meritò affirmat.

## CAPUT XVI.

### *An dati vel accepti à Simoniacis Ordines ſint validi?*

A Domino noſtro JESU CHRISTO, qui columbarum venditores, ipſorumque cathedras & menſas dejecit ac ejecit è templo, etiam Epiſcoporum noſtrorum, & quorumvis Fidelium Dei dona vendentium aut ementium, Eccleſias & animas, imo Provincias ac regna integra everti aut periclitari, rectè ad varios ſcripſit Gregorius Magnus. Etenim Longobardorum in Italia robur ac tutelam fuiſſe Modicienſem ſancti Joannis Eccleſiam, & ab ipſa Simoniacè ordinata regnum ipſorum fuiſſe everſum teſtatur Eutropius. Eadredum, quod Dunelmenſem Epiſcopatum à Rege emiſſet, fuiſſe à Deo percuſſum atque occiſum ſcribit Simeon Dunelmenſis. A neſcio quo Eccleſiæ Gallicanæ Simoniaco Epiſcopo nunquam nominari potuiſſe Spiritum ſanctum, ſupra nobis dixit ſanctus Petrus Damiani. Ejuſmodi exempla ſunt longè plurima. Simoniam aliqui olim exiſtimarunt adeo deteſtabilem, ut omnem à Simoniaco datum vel acceptum Eccleſiaſticum Ordinem aut quodvis Sacramentum judicarint eſſe irritum ac nullum. Hanc divino Jure cenſuerunt eſſe pœnam Simoniæ. Sanctus Auguſtinus non à ſolo Baptiſmate, ſed etiam à Confirmatione & Ordine imprimi characterem indelebilem, adeoque etiam ab hæreticis data tenere, & exſufflari non poſſe, docet lucidiſſimè in ſcriptis ſuis adversùm Donatiſtas. Etiam à ſancto Ambroſio

Lib. 18. cap 9. & 10.

Lib. 3. cap. 9.

Digitized by Google

ſio laudata Capuana Synodus non ſolum rebaptizationes, ſed & reordinationes damnat, eamque confirmarunt tertia Carthaginenſis, & Trecenſis ſub Joanne octavo. Martianum, Naxitanæ in Illyrico urbis Epiſcopum, qui ab Bonoſo Photiniani erroris Epiſcopo ante damnationem ordinatos reordinare ſuadebatur à Ruſtico Pſeudo-Presbytero, compeſcuit Ep. 20. Innocentius primus. Et ad Joannem Ravennæ Metropolitam, qui in Hiſtrio trium Capitulorum ſchiſmate ordinatos reordinare volebat ex neſcio cujus alterius Epiſcopi exemplo, ſcripſit Gregorius Magnus: *Abſit à veſtra Fraternitate ſic ſapere. Sicut enim baptizatus ſemel non debet iterum baptizari, ita qui conſecratus eſt ſemel, in eodem ordine iterum non debet conſecrari.* Lib. 2. Ep. 32. Et Maximum Salonitanum in Dalmatia Metropolitam, & Simoniaco ingreſſu & alia multa prævaricatione fœdiſſimum, non per reordinationem, ſed per ſolam pœnitentiam reparavit idem Gregorius. Sanctum item Arctardum, Namnetenſem Epiſcopum, qui à Giſlardo intruſo Britonum Epiſcopo ordinatos reordinarat, graviter culpavit Nicolaus Primus. Ep. 56. Apertiſſima ſunt hæc teſtimonia. Ita omnes, ſi ſanctum Cyprianum & ſanctum Firmilianum cum ipſorum ſequacibus excipias, ſenſiſſe olim Eccleſiæ Doctores, poſſit facilè oſtendi. Quia tamen de baptiſmo præſertim Auguſtinus loquitur, quidam mediorum ſæculorum Epiſcopi, imò & Romani Pontifices hic hæſitarunt. Cuncta ab hæreticis, ſchiſmaticis, degradatis aut excommunicatis Miniſtris data, præter Chriſma & Baptiſmum, Sacramenta crediderunt eſſe irrita & exſufflanda. Etenim quod Ceddam Eboracenſem Archiëpiſcopum, à Wine Ventanæ civitatis Epiſcopo Simoniaco conſecratum, reſacrarit Theodorus Cantuarienſis Archiëpiſcopus, ſcribit Radulphus de Diceto. An. 666. Wine Simoniacum, & Ceddam à Theodoro fuiſſe reconſecratum, licèt iſtam cauſam diſertè non exprimat, adfirmat in Anglorum Hiſtoria etiam venerabilis Beda. L.4. c.2. L.3.c.28. Omnes item per intruſum Pontificem Conſtantinum ordinatos Epiſcopos & Clericos fuiſſe à Stephano quarto reordinatos, atque exſufflata omnia, præter Chriſma & Baptiſmum, ab iſtis data Sacramenta, multis refert in hujus vita Anaſtaſius Bibliothecarius. Quod etiam Formoſus Portuenſis Epiſcopus, quia per Joannem octavum degradatus, dum in Pontificem electus fuit, ſeipſum denuo ſacrari juſſerit, aliqui affirmant. Omnes item à Leone octavo, quem laïca Ottonis primi Imperatoris violentia intruſum dicebant aliqui, ordinatos fuiſſe per Joannem duodecimum reordinatos, ſcribit Sigebertus Gemblacenſis. An. 963. Et quidem Leonis hujus cauſa omnino videtur non fuiſſe æqua: Nam ſanctum Leonem, quem nos nonum dicimus, in ſancti Lanfranci vita Milo Criſpinus, & Beccenſis Monaſterii Chronicon conſtanter vocant octavum. De eodem habet liber Pontificalis: *Leo octavus, qui vulgò*



Digitized by Google

*nonus perperam nominatur*. Quidquid ſit, iſtius ordinatos dictus Joannes coëgit ad hanc Profeſſionem: *Pater meus nihil ſibi habuit, nihil mihi dedit*. Stephani quarti in Conſtantini intruſi ordinatos exemplum ſe ſequi fuit proteſtatus. Errorem ſecutus eſt & Stephanus ſeptimus, omnes ab Anteceſſore ſuo jam dicto Formoſo conſecratos denuò conſecrans: Innumeram Epiſcoporum, Presbyterorum, ac Diaconorum multitudinem fuiſſe reordinatam, & omnem ubique Clerum ad idem facinus adjuvandum ac propagandum juramentis adſtrictum, adfirmat Auxilius Presbyter, qui & ipſe ad reordinationem poſtulatus, inſigni volumine oſtendit utriuſque Stephani factum fuiſſe temerarium, avitique dogmatis ac moris prævaricatorium, & illius auctricem Stephani ſeptimi Synodum fuiſſe Lupinam ac latrocinalem. Et ut talem damnavit Ravennæ Synodus, Theodorus ſecundus, ac Joannes nonus, reordinationes non minùs quam rebaptizationes deteſtans ex laudato Canone Africano. Quin & iſtam Synodum elementa damnarunt: Ad illud enim ex vario capite infœlix Decretum terra tremuit, ac Lateranenſem Baſilicam laceravit.

Neque hæreticus, neque ſchiſmaticus fuerat ante Pontificatum Formoſus, ſed per Joannem octavum dumtaxat dejectus ab Epiſcopatu Portuenſi, & accuſatus de perjurio, ideoque à Theodoro & Joanne datam pro ejus Ordinationibus & aliis Sacramentis ſententiam aliqui, Theodori Cantuarienſis judicium ſecuti, noluerunt Simoniacorum aut aliorum hæreticorum Ordinationibus patrocinari. Hujus ſententiæ fuit Leuthericus Metropolita Senonenſis, quem tamen à reordinationis Attentato cohibuit ſanctus Fulbertus Carnutenſis Epiſcopus, à ſancto Petro Damiani exinde laudatus in opuſculo de ſuis Actis apud Eccleſiam Mediolanenſem. Poſt Henrici tertii Imperatoris, graſſantem Simoniam ubique eliminantis, tempora reordinationis error adeò invaluit, ut ad Henricum Ravennæ Archiëpiſcopum ſcribat in ſexto ſuo opuſculo laudatus Petrus Damiani: *De iis, qui gratis ſunt à Simoniacis conſecrati, quanta jam per triennium in tribus Romanis Conciliis fuerit diſceptatio, quamque perplexa atque confuſa dubietas, & in iis partibus quotidie ventiletur, Sanctitatem veſtram latuiſſe non arbitror, præſertim cum creſcente fluctuationis ambiguo, eatenus ſit proceſſum, ut nonnullos conſtet Epiſcopos ab illis ordinatos Clericos denuò conſecraſſe*. Reconſecravit enim etiam ſanctus Pontifex Leo nonus, de quo idem Doctor in opuſculo de ſuis Actis apud Mediolanum: *Id etiam nos non præteriit, quod noſtra memoria nonus Leo Papa pleroſq; Simoniacos, & malè promotos tamquam noviter ordinavit*. Pergit in ſexto Opuſculo: *Cum mihi recurreret in memoriam, quia jam venerabilis Papa in poſtrema Synodo omnes Epiſcopos ex Divina conteſtatione rogaverit, quatenus Dei miſeri-*

Ep. 25.

Digitized by Google

*miſericordiam in commune depoſcerent, ut quid ſuper hoc ſcrupuloſo negotio decernendum eſſet, nutantibus revelaret.*

Ex iſtis tribus Synodis una omnino fuit S. Leonis noni, de qua idem opuſculum: *Cum omnes Simoniacorum ordinationes Synodalis rigoris autho-* Cap. 35. *ritate Leo Papa caſſaſſet, protinus à Romanorum multitudine Sacerdotum magna ſeditionis tumultus exortus eſt, ita ut non ſolum ab ipſis, ſed à pleriſque diceretur Epiſcopis, omnes pœnè Baſilicas Sacerdotalibus officiis diſtitutas, & præcipuè Miſſarum ſolemnia ad ſubverſionem Chriſtianæ religionis, & deſperationem omnium circumquaque fidelium funditus omittenda. Quid plura? Poſt longa ſanè diſceptationum hinc inde volumina tandem ſuggeſtum eſt, reverendæ memoriæ nuper ejuſdem ſedis decreviſſe Clementem ſecundum, ut quicumque à Simoniaco conſecratus eſſet, quem in ipſo ordinationis ſuæ tempore non ignoravit Simoniacum, cui ſe obtulerat promovendum, quadraginta tunc dierum pœnitentiam ageret, & ſic in accepti Ordinis officio miniſtraret. Quam nimirum ſententiam protinus venerabilis Leo ratam percenſuit, & ſub hujuſmodi pœnitentiâ omnes in acceptis officiis deinceps perſeverare mandavit.* Altera Synodus fuit Nicolai ſecundi, de qua idem denuo opuſculum: *Tempore Nicolai venerabilis Papæ rurſum hac quæſtio mota eſt, ac diutius ventilata. Verum poſt plurium certaminum fluctus, poſt nutantium denuo quæſtionum perplexa ac ſinuoſa volumina, ad hunc tandem judicialis ſententiæ limitem res expedita pervenit, ut hactenus à Simoniacis gratuito conſecrati in adeptæ dignitatis honore perſiſterent, necdum vero promoti ab illis ad ordinem provehi de cætero licentiam non haberent.* Quam Synodum laudat etiam ac lucidius exponit in litteris ad cives Florentinos: *Conſtitutum eſt in Roma-* Lib. 8. *no, ſanctæ memoriæ Nicolao præſidente, Concilio, ut quicumque per Simo-* Ep. 11. *niacos Epiſcopos non Simoniacè fuiſſent in cujuſlibet Eccleſiaſtici gradus dignitate promoti, in percepti honoris miniſterio permanerent; ex tunc vero & deinceps quicumque ſe pateretur à Simoniaco provehi, nihil penitùs ex ea deberet promotione lucrari, & ſic miniſtrandi jura deponeret, tamquam ſi hac nullatenus percepiſſet. Hâc itaq; ratione jam non modo Simoniacos reprobamus, ſed & per eos exhibita Sacramenta contemnimus.* In generalium Synodorum tomis exſtat hæc Synodus, aſſeriturque illic Nicolaus Pontifex in hæc verba definiiſſe: *Erga Simoniacos nullam miſericordiam in dignitate ſervanda habendam decernimus, ſed juxta Canonum ſanctiones & Decreta SS. Patrum eos omninò damnamus, & deponendos eſſe Apoſtolica authoritate ſancimus. De iis autem, qui non per pecuniam, ſed gratis ſunt à Simoniacis ordinati, quia quæſtio à longo tempore eſt diutius ventilata, omnem nodum dubietatis abſolvimus, ita ut ſuper hoc Capitulo neminem deinceps ambigere permittamus.* Omnem Eccleſiam vitioſis hiſce ordinationibus ait undequaque eſſe pleniſſimam, ideoque eas in multitudinis gratiam diſpenſatoriè to-

lerat, diſertè vetans miſericordiam unquam aſſumi in regulam. Solis jam factis indulget gratiam, futuras omnes punit regidiſſimè, edicens & de Ordinatis & de Ordinatoribus: *Depoſiti pœnitentiam agant, & privati à propria dignitate perſiſtant, tamquam ſi manus impoſitionem nunquam percepiſſent.* Synodus videtur mutila. Etenim ex Synodalibus ad omnes Eccleſiæ Latinæ Epiſcopos litteris adducit alium Canonem, & Decreto
1. qu. 1. ſuo inſeruit Gratianus: *Statuimus Decretum de Simoniacis tripartita hæreſi,*
cap. 107. *id eſt, de Simoniacis Simoniacè Ordinatoribus vel Ordinatis, & de Simoniacis Simoniacè à non Simoniacis, & de non Simoniacis Simoniacè à Simoniacis. Simoniaci Simoniacè Ordinati vel Ordinatores ſecundùm Eccleſiaſticos Canones à proprio gradu decidant. Simoniaci quoque Simoniacè à non Simoniacis ordinati ſimiliter ab officio malè accepto removeantur. Non Simoniacos autem non Simoniacè à Simoniacis ordinatos miſericorditer per manus impoſitionem pro temporis neceſſitate in officio permittimus permanere.* Quæ triplex diſtinctio notanda eſt & firmiter retinenda. An porrò conſecratoriam & acceptæ ordinationis iterativam, an pœnitentialem manus impoſitionem laudet Nicolaus Pontifex, fateor me ignorare. Quis enim non videat graviſſimis incommodis utramque ſubjacere? A ſancto Petro Damiani laudatum, quod hujuſmodi ordinatos per quadraginta dierum pœnitentiam recepit, Clementis ſecundi Decretum fortiter ſuadet laudari manum pœnitentialem. Nam Decretum hoc Nicolaus, Leonem nonum ſecutus, omnino confirmat. Laudatam Nicolai Synodum de verbo ad verbum repetivit, & in ſua etiam Romana confirmavit Alexander ſecundus. Confirmavit & laudatam ad omnes Epiſcopos Epiſtolam, de qua Gratiani Scholiaſtes Auguſtinus Caravita: *Verba hujus Capituli erga Simoniacos ſunt in Epiſtola Nicolai ſecundi, in qua Concilium à ſe habitum refert, atque ea repetivit Alexander ſecundus in Epiſtola omnibus Catholicis Epiſcopis directa, quæ habetur Romæ manuſcripta in tribus pervetuſtis codicibus.* Quæ duæ Epiſtolæ, ubi publici juris fuerint, poterunt nos plura docere. Hæc interim Alexandri ſecundi Synodus eſt tertia ſuperius laudata per Petrum Damiani. Eandem laudat & ſequitur in litteris ad Rainaldum Comen-
L. 6. Ep. ſem Epiſcopum Gregorius ſeptimus: *Quod Presbyter filius noſter inter-*
38. *rogare curavit, quid de his, qui à Simoniacis neſcienter & ſine pretio ordinati ſunt, Apoſtolicæ Sedis miſericors cenſura decernat, hoc obſervare te volumus, eos qui ante tempus Nicolai Papæ ſine venalitate à Simoniacis ad aliquem gradum promoti ſunt, ſi tamen vita eorum irreprehenſibilis eſſe probatur, per manus impoſitionem confirmatos in ſuis Ordinibus permanere & miniſtrare poſſe.* Etiam ipſe de manus impoſitione loquitur obſcurè, & fateor à me non capi. Quidam omninò volunt fuiſſe reordinationem. Forſan fuerit ſimplex aliqua benedictio, qualem in ſeptimo
Con-

Concilio laudat etiam ſanctus Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus.

Hæc omnia Clementis ſecundi, Leonis noni, Nicolai ſecundi, & Alexandri ſecundi Decreta agunt de ſolis per Simoniacos Epiſcopos non Simoniacè ordinatis Clericis, ideoque ipſos cum ſuis Synodis Pontifices aliqui volunt de Simoniacè acceptorum Ordinum invaliditate non dubitaſſe. At certum eſt dubitaſſe. Etenim ad ſuum, qui neſcio quem pecunia ab alio Epiſcopo ordinatum Presbyterum parabat reordinare, Metropolitam Leuthericum ſcripſit circa hæc tempora S. Fulbertus Carnutenſis Epiſcopus: *Rebaptizationes & reordinationes fieri ſacri Canones vetant.* Et de promoto per pecuniam Diacono ſcribit ad neſcio quem Epiſcopum S. Hildebertus Archiëpiſcopus Turonenſis: *Fratrem illum à Diaconatu ſubmovendum cognovimus, & ſubmovemus. A Sacerdotio quoque Canonica eum ſuſpendit authoritas, quod vel nondum vel malè factus Diaconus evacuavit. Quomodo enim ſtabit ædificium, cui nullum ſuppoſitum eſt fundamentum? Agitur itaq; de veſtro periculo, ſi patiaris præſcriptum fratrem vel in Sacerdotio miniſtrare, quod revera malè accepit, vel in Diaconatu, quem fortaſſe non accepit.* De iſtius Diaconatus valore palam dubitat, & tantus Doctor non audet definire. At vero ſanctus Petrus Damiani in libro Gratiſſimo omninò definivit pro iſtis Simoniacis, cunctoſque aliud cenſentes aut dubitantes Epiſcopos multis conatus eſt ab errore liberare. Quin & Apoſtolicæ Sedis apud Mediolanum Legatus plures Simoniacè ordinatos etiam reparavit per ſolam pœnitentiam: Quam tamen ejus clementiam uti irregularem, & diſciplinæ adverſam culpavit Bertholdus Presbyter Conſtantienſis. Notanda ſunt verba Joannis Monachi, qui in ejus vita poſt expoſitam iſtam Mediolanenſium Clericorum reparationem pergit de Epiſcopis: *Illi autem Epiſcopi, quibus adminiſtrandi licentia redditur, non ex malè mercata veteri ordinatione ad amiſſum reparantur officium, ſed ex illa potiùs beati Apoſtolorum Principis efficaciſſima authoritate, qua in beatum Apollinarem uſus eſt, dicens: Accipe Spiritum ſanctum, ſimulq; Pontificatum.* Hoc eſt, per novam Ordinationem. Sic verba videntur cogere. Cur ſolos Epiſcopos dixerit reordinandos, ignoro. Quidquid ſit, quod S. Leo nonus Hugonem Lingonenſem Epiſcopum in Remenſi degradarit ob Simoniacum ingreſſum, ac poſtea pœnitentem in Romana Synodo non reordinarit, ſed per baculum & annulum dumtaxat reinveſtiverit, teſtatur in ſui Cœnobii Chronico Laurentius Virduni ad ſanctum Vitonem Monachus. Quod eodem modo plures Simoniacè ordinatos Epiſcopos repararint Alexander ſecundus ac Gregorius ſeptimus, oſtendi poſſit multis exemplis. De his enim Cardinalis Benno ſumpſit anſam hujus mendaciſſimæ calumniæ: *Hildebrandus inſtabat*

Ep. 25.

Ep. 14.

Cap. 16.



Digitized by Google

*inſtabat Imperatori, ut ejiceret Epiſcopos Simoniacos Imperator credens quaſi ex zelo legis, quaſi à Throno Dei procederent hæc mandata, ſine mora obediebat: Hildebrandus verò expulſos à Rege Simoniacos relocabat, & quos Regi infeſtos reddiderat, eos ſibi familiari amicitia reconciliabat, & multis, & magnis juramentis ſibi fidos & obnoxios efficiens præ aliis exaltabat.* Hinc interim lucet Romanos tunc Pontifices, alioſque palmares iſtius ſæculi Doctores, in illo, qui datos & acceptos Simoniacè Ordines affirmat irritos, errore non fuiſſe ſine hæſitatione firmos. Quod ejuſmodi ordinatos nunquam reparare, ſed immobiliter inter Laïcos hærere ſanxiſſent, in diſquirendo iſtius Ordinationis valore noluerunt ſe fatigare. Laborarunt de ſolis per Simoniacos non Simoniacè datis Ordinibus, quibus clauſa non erat janua gratiæ & diſpenſationis.

Non ſolùm ipſos, ſed præter Baptiſmum omnia per Simoniacos, etiam non Simoniacè, data Sacramenta eſſe irrita & nulla credidere plures per Germaniam Epiſcopi, de quibus adverſùs ſuum Simoniacè intruſum Epiſcopum Herimannum ſcribit apud Jacobum Gretzerum Ecclesia Bambergenſis: *Pro Hermanni perſona dudum infamiam Simoniacæ hæreſeos ſuſtinuimus ab omni Eccleſia, & omnes ferè Epiſcopi & Archiepiſcopi publicè omnia Chriſti Sacramenta profanari deplorarunt, & Chriſma Corpuſque Domini, quod ipſe confecerit, velut menſtruata immunditias exhorruerunt, gradus etiam Eccleſiaſticos, quos ille inſtituiſſet, deteſtabili illuſione deumbratos adſerebant.* Eos non dumtaxat illegitimè adſerebant datos, ſed & illuſoriè. Et neſcio quis antiquus Gregorii ſeptimi Apologus in ſua ad omnem Eccleſiam Epiſtola hæc habet: *Sciendum, quod Wigbertus arguit Catholicos adſerere illa, quæ fiunt extra Eccleſiam, Sacramenta non eſſe, nec aliud quam damnationem cuiquam conferre, adſtruens tam extra quam intra Catholicam Eccleſiam hæc omnia rata & vera exiſtere, adſumitque in teſtimonium adſertionis ſuæ Auguſtini ſententiam in quodam Tractatu in Evangelium Joannis contra rebaptizatos edito. Quam & nos fideliter amplectentes reſpondemus hoc Auguſtinum de ſolo, unde tunc agebatur, Baptiſmi dixiſſe Sacramento.* Exſtat fragmentum hoc apud Venericum Vercellenſem Epiſcopum in libro de unitate Eccleſiæ. Reordinationis error adeò tunc inoleverat, ut Anti-Papæ Wigberti Henriciana factio de ipſo totam accuſaret Eccleſiam, ipſam ab avito per ſanctum Auguſtinum tradito dogmate apoſtataſſe diceret, ideoque Catholicam Communionem non eſſe ampliùs apud Gregorium ſeptimum, ſed ad ſeſe tranſiiſſe. Et aliud reponere neſciit iſte Apologus, quam quod Auguſtinus non de cunctis Sacramentis, ſed de ſolo Baptiſmo adverſùm Donatiſtas diſputaſſet. Quocirca ex illis, qui Sacramenta iſta, non pro dubiis, ſed pro certò nullis habent, fuit hic Apologus, ideoque dicto Venerico, & omni

Ep. 20.

Fol. 41. 126.

Wig-

Wigbertinæ factioni dedit ampliſſimum campum accuſandæ totius Eccleſiæ. Hæretici enim atque Schiſmatici conſueverunt & gaudent paucorum lapſum derivare in omnes, atque de illo totam Eccleſiam infamare.

Hoc interim in errore pertinaciſſimi fuerunt quidam Florentini Monachi, de quibus ſcribit Petrus Damiani: *Dicunt quia à Simoniacis Sacerdotibus nec Chriſma confici, nec Eccleſia dedicari, nec Clericalia jura conferri, nec Miſſarum ullo unquam tempore potuerunt ſolemnia celebrari. Et tam hac impudenter allegant, ut anno toto compulerint in tribus plebibus ſine conſperſione Chriſmatis catechumenos baptizari.* Acriter exaggerat iſtam temeritatem, & pergit: *Eidem ipſi, qui Baptiſmum ſine Chriſmate fieri docuerunt, adhuc adverſùm eos, qui ante Synodum gratis ſunt à Simoniacis ordinati, ſufflant, eos cum ſuis Ordinatoribus eſſe hæreticos dogmatizant, eorumq; Miſſas & omnia per eos facta myſteria blaſphemant, anathematizant, conſpuunt, abiiciunt, explodunt. Eorumq; benedictionibus terribiliter maledicunt.* Laudat Nicolai ſecundi Synodum, quæ à Simoniacis non Simoniacè huc uſque ordinatos ſanxerat recipiendos per pœnitentiam, & ſolos deinceps ordinatos in Laïca humilitate deſerendos. Perduelles Monachi omnem quovis tempore à Simoniaco datum Ordinem volebant eſſe ſubſtantialiter nullum, & ex ſufflari. Neque hic ſtetit temeritas, pergit enim laudatus Petrus: *Cur de ſola Sacerdotum ſeu Sacramentorum obtrectatione conquerimur, cum ab eis omnia pœnè dilacerari, omnia conſpui, omnia dicantur irriſione publica ſubſannari? non eſt, inquiunt, Papa, non Rex, non Archiëpiſcopus, neque Sacerdos. Unde factum eſt, ſicut dicitur, ut mille circiter homines his nugis & næniis decepti ſine Sacramento Dominici Corporis & Sanguinis ex hoc mundo diſceſſerint. Opinantur enim per hujus temporis Sacerdotes nullam in Sacramentis poſſe fieri veritatem. Sed & quam plures reperiuntur Eccleſiæ, quas non modo ingreſſibus ſuis indignas dicunt, ſed nec ſalutationis quidem obſequio idoneas arbitrantur. Nam & ſalutare deſpiciunt, quas utique dedicatas ab indignis neſcio quibus Epiſcopis ſuſpicantur.* L. 8. Ep. 11.

Donatiſtarum ac Meſſalianorum reſuſcitarunt errorem, poſueruntque fundamenta variæ poſtmodum ſtultitiæ, de qua Matthæus Pariſienſis: *Diebus illis quidam, quaſi honeſtæ vitæ ac ſcientiæ habitum & geſtum prætendens Ordinis Carthuſienſis, captus eſt apud Cantabrigiam, nolens intrare Eccleſiam aliquam.* Palam aſſeruit: Gregorius nonus Pontifex, quem infamabat de Simonia, *non eſt Papa, non eſt Caput Eccleſiæ. Eccleſia profanata eſt, nec debent in ea Divina celebrari, niſi rededicata fuerit, vaſa & veſtimenta ejus reconſecranda ſunt. Diabolus ſolutus eſt, Papa hæreticus. Polluit Eccleſiam, imò mundum Gregorius, qui Papa dicitur.* Et ad eundem A. 1246.



Digitized by Google

annum Conradi Abbatis Uſpergenſis ſupplementum: *His temporibus fuerunt in Swevia Prædicatores, qui in Pontificem Romanum & Cardinales magna dicendi libertate os aperirent*, Frederici ſecundi Imperatoris, quem Innocentius quartus degradarat, *& Conradi filii ejus cauſam juſtificantes, auſi dicere apud Summum Pontificem, Cardinales & Epiſcopos nullam reſidere auctoritatem, quoniam omnes labe Simoniæ maculati eſſent, nec quidquam tenere à Chriſto poteſtatis. Et quod Sacerdotes in mortali conſtituti peccato neque ligarent, neque ſolverent, neque conſecrarent, quod nemo in orbe Chriſtiano interdicere poſſet Divinis Officiis, quodque ſine diſcrimine ea audirentur & celebrarentur impunè. Et in fine ſuæ prædicationis indulgentiam, inquiunt, quam annuntiamus, non à Papa confictam, non à Prælatis compoſitam, ſed ex Deo omnipotente vobis annuntiamus.* Quas inſanias reſumpſit, & in ſolemne dogma vertit Joannes Wicleffus, uti patet ex variis ejus articulis damnatis per Synodum Conſtantienſem.

His, dum ad communes totius ubique Eccleſiæ preces expectabatur divina inſtructio, quæſtionibus pendentibus, ex multorum per Italiam Epiſcoporum rogatu librum Gratiſſimum compoſuit ſanctus Petrus Damiani, variis ſanctorum Patrum & Synodorum auctoritatibus demonſtrans datos à ſchiſmatico aut hæretico, adeoque & Simoniaco Epiſcopo Ordines eſſe omnino ratos & validos, & per Eccleſiam poſſe ex legitimis cauſis admitti ad miniſterii executionem. Eſt res longè certiſſima, attamen tunc cunctis non fuit perſuaſa. Etenim Daimbertum, à Wecilone Moguntinorum Simoniaco & ſchiſmatico Epiſcopo non Simoniacè ordinatum Diaconum, eaque de cauſa à Synodo Quintelburgenſi damnatum, reordinavit ac poſteà in Piſanum etiam Epiſcopum conſecravit Urbanus ſecundus, factum ſuum ſanctorum Damaſi & Innocentii primi Pontificum auctoritate purgans apud graviter offenſos Petrum Piſto-
Ep. 19. rienſem Epiſcopum ac Ruſticum Vallis-Umbroſæ Abbatem, & adjungens: *Quod non reiterationem exiſtimari cenſemus, ſed tantum integram Diaconii dationem, quoniam Wecilo, qui nihil habuit, nihil dare potuit.* Hic eſt ille Daimbertus, qui poſteà fuit Patriarcha Hieroſolymitanus. Hinc etiam ad Lucium S. Juventii Ticinenſis Præpoſitum ſcribit idem Ponti-
Ep. 17. fex: *Ad hoc quod ſubjungitur, utrum ſit utendum Ordinationibus & reliquis Sacramentis à crimino ſis exhibitis, ut ab adulteris, Monialium violatoribus, vel hujuſmodi. Ad hoc, inquam, ita reſpondemus: Si ſchiſmate vel hæreſi ab Eccleſia non ſeparantur, eorumdem Ordinationes & reliqua Sacramenta ſancta & veneranda non negamus.* Inter Baptiſma & reliqua Sacramenta ait eſſe grandem differentiam, iſtudque ſolum extra Eccleſiam valere. Velle videtur hanc fuiſſe ſententiam S. Cornelii Pontificis, Stephani, Innocentii, Siricii, Anaſtaſii, Leonis, Gregorii Magni, nec non

non S. Auguſtini, & adversùs S. Cyprianum omnium ſub cœlo Eccleſiarum. Dico, *Videtur*. Etenim aliud ſuadent hæc verba: *Schiſmaticorum & hæreticorum Sacramenta, quoniam extra Eccleſiam ſunt, juxta SS. Patrum traditiones formam quidem Sacramentorum habent, non autem virtutis effectum habere profitemur, niſi cum ipſi, vel eorum Sacramentis initiati per manus impoſitionem ad Catholicam redierint unitatem.* Nequaquam novæ Ordinationis manus hîc intelligitur, ſed ſolius pœnitentiæ, quæ accepta Sacramenta omninò ſupponit valida & rata. Hoc ipſum evincunt verba, *Formam Sacramentorum habent:* Eſt phraſis Auguſtiniana, ſignificans validum, ſed informe Sacramentum. Quapropter adductæ Epiſtolæ ſenſum fateor à me non capi.

Quidquid ſit, reordinationes in Eccleſia tunc necdum ceſſarunt. Etenim ad Rudolphum Sagienſis Monaſterii Abbatem ſcripſit hocce tempore S. Anſelmus: *De fratre illo, quem dicitis eſſe ordinatum à quodam Epiſcopo, qui à nobis eſt interdictus, hoc reſpondeo, quia ſi ordinatus eſt ab Epiſcopo de Wallia, qui vocatur Erenardus, nec illis Ordinibus, quos ab illo accepit, noſtra conceſſione aliquando utetur, nec ab ullo Epiſcopo reordinari debet.* Licet fortè non Anſelmus, certè Rudolphus lucidè hic probat reordinationem. Et de Clericis per Guibertum Anti-Papam, ac ejus Schiſmaticos aut Simoniacos Epiſcopos conſecratis ſtatuerunt apud Abbatem Uſpergenſem in Synodo Northuſenſi Cardinales Legati Paſchalis ſecundi Pontificis: *His qui à Pſeudo Epiſcopis fuerant conſecrati, per Catholicam manus impoſitionem reconciliatio proximo jejunio danda fore promittitur.* Quod etiam Lucius tertius omnes ab Octaviano Anti-Papa, ejuſque ſucceſſoribus & Pſeudo-Epiſcopis ordinatos recipere ac reordinare promiſerit, atque ita cum Frederico primo Imperatore pacem firmarit, ſcribit in Saxonica Hiſtoria Albertus Crantzius, & adjungit: *Sed cum poſtera die manus illis eſſent imponendæ, immutatum erat conſilium, quod Papa diceret in Concilio Venetiano Decreta non poſſe niſi alio Concilio immutari. Promiſit autem de proximo alium à ſe evocandum cœtum, in quo ſuper his conſtitueretur.* Concilium iſtud Venetum laudat in Chronico Eccleſiaſtico etiam Onufrius Panuinus: *Conventus maximus Venetiis habitus, ubi inter Pontificem Alexandrum tertium & Fredericum primum Imperatorem pax facta.* Caliſtum tertium Anti-Papam, Octaviani ſucceſſorem, omneſque ab illo conſecratos Epiſcopos & Clericos fuiſſe damnatos, & extra omnem reparationis ſpem degradatos, cunctaque ab illis dedicata Altaria fuiſſe deſtructa ſcribit Rogerus Hovedenſis. His omnibus adfuerat & ſubſcripſerat Lucius tertius, ideoque ſine novæ Synodi authoritate cenſebat degradatos iſtos non poſſe à ſe reparari. Cenſebat reparari non poſſe, niſi per novam Ordinationem: Et tandem omninò reordinavit. Teſtatur hoc in

Lib. 3. Ep. 23.

A. 1505.

Lib. 6. c. 47.

An. 177. Fol. 568.

tertio ſui Pœnitentialis libro Robertus de Flammersburcht, Pariſiis ad ſanctum Victorem Clericus regularis: *Lucius Papa, ut dicunt, fecit reordinari ordinatos ab illis, qui ultimam manus impoſitionem acceperant extra Eccleſiam. Et mirum fuit, quod Cardinales conſenſerunt.*

Et hunc reordinandi morem varii tunc etiam Doctores pertinaciſſimè defenderunt. Eos inter fuit Bernardus, Conſtantienſium in Germania Scholarum Rector, qui Gregorii ſeptimi de Conjugatorum & Simoniacorum Clericorum non audiendis officiis nec admittendis miniſteriis Decreta quidem defendit optimè, at graviter modum exceſſit, dum
A. 1091. cuncta, præter Baptiſmum, data per ipſos Sacramenta aſſeruit irrita & exſufflanda. Quare merito illum notavit Bertholdus ejuſdem Eccleſiæ Presbyter. Eundem morem conſtanter defendit ſuprà memoratus Gregorii ſeptimi Apologus, quem fuiſſe neſcio quem Hirgauzienſem Monachum ſcribit in præfatione ad Venerici Vercellenſis Epiſcopi in illum opus Ulricus Huttenus. Et ſanè Hirgauzienſe Monaſterium fuiſſe Gregorio addictiſſimum, lucet ex ejus Abbate Guilielmo, quam laudatus Pontifex eſſe voluit unum ex Decretorum ſuorum executoribus. Quiſquis fuerit, reordinationis adeò tenax fuit iſte Apologus, ut conſtanter aſſeveret ſanctum Auguſtinum de ſolo Baptiſmate diſputaſſe in Donatiſtas, ideoque iſtud ſolùm extra Eccleſiam valere. Guiberti calumnias confir-
Fol. 126. mavit & dictus Venericus: *Clemens Papa arguit eos, qui aliter credunt de Sacramentis Chriſti & Eccleſiæ, aſſerentes ea extra Eccleſiam Sacramenta non eſſe.* Clemens iſte eſt Guibertus, quem ejus factio vocavit Clementem tertium. Rurſus dico non omnes ita ſenſiſſe Catholicos: Hinc enim non ſolummodo dicti Bernardi doctrinam laudatus Bertholdus, ſed etiam Daimberti factam ab Urbano ſecundo reordinationem apertè & liberè culparunt Petrus Piſtorienſis Epiſcopus, & Ruſticus Abbas Vallis-Umbroſæ. A quibuſlibet factas reordinationes damnavit in libro Gratiſſimo & ſanctus Petrus Damiani. Quin tamen calumnia fundamentum habuerit, & multi cum Bernardo docuerint, non poſſumus inficiari. Quin imò quidam volunt varia Gregorii ſeptimi, Urbani ſecundi, Paſchalis ſecundi, Calixti ſecundi, Innocentii ſecundi, & Alexandri tertii, quæ datos extra Eccleſiam à Simoniacis aut ſchiſmaticis Ordines definiunt irritos, Concilia cum ipſo definiviſſe. Romanæ enim dicti Alexandri Synodo tanquam Cardinalis Hoſtienſis adfuit Lucius tertius, quem jam audivimus reordinaſſe. Hoc ab ipſo factum volunt ex auctoritate iſtius Synodi. At certum eſt errare. Aliud eſt quoad ſubſtantiam, aliud quoad ſolam executionem irritus Ordo: Res erat tunc dubia, nec ad definitionem plenè diſpoſita, hinc ambidextro vocabulo uſæ ſunt laudatæ Synodi, & unumquemque permiſerunt in ſuo ſenſu abundare.

Facilè

Digitized by Google

Facilè tamen crediderim Quintelburgenſis, cui Gregorii ſeptimi Legatus Cardinalis Otto præſedit, Synodi fuiſſe aliam mentem: *Wecilonis Moguntini invaſoris, & Sigifridi Auguſtenſis, & Norberti Curienſis, imò ordinationes & conſecrationes excommunicatorum penitus irrita judicata ſunt juxta Decreta Sanctorum Patrum Innocentii, Leonis primi, Pelagii, atque ejus ſucceſſoris Gregorii primi.* Omninò videtur agere de irritatione quoad ſubſtantiam. Etenim iſte Cardinalis Otto eſt Urbanus ſecundus Pontifex,& iſte Wicelo eſt ordinator Daimberti,cujus Diaconatum exſufflavit dictus Urbanus, atque reiteravit.

Eandem quæſtionem de Simoniacis, ac omnibus generatim hæreticis, proponit in quarti libri vigeſima quinta diſtinctione Petrus Lombardus, & præfatur: *Hanc quæſtionem perplexam ac pœnè inſolubilem faciunt Doctorum verba, qui plurimum diſſentire videntur.* Adducit quatuor diverſas ſui temporis ſententias; nihil decidit, & rem magis involvit, à manifeſtis Simoniacis, licèt non Simoniacè, datos Ordines videtur exſufflare. Eundem errorem ſequuntur Petrus Pictavienſis, Præpoſitivus, Hugo à ſancto Victore, & ad primæ cauſæ primam quæſtionem Gratianus. Sancti Auguſtini de non repetendis hæreticorum Sacramentis ſententiam reſtringit ad ſolum Baptiſma. Attamen veritas ſuos etiam ſemper habuit Patronos. Duravit dubium fermè uſque ad tempora ſancti Thomæ Aquinatis, qui omnia hæreticorum, ſchiſmaticorum, excommunicatorum & degradatorum præter pœnitentiam Sacramenta, dummodo in Eccleſiæ forma dentur, docuit & omnibus perſuaſit valida, & nullatenus repetenda, atque ita Eccleſiam à grandi dubitatione liberavit.

Cap. 45. 74. 97.

## CAPUT XVII.

### *Solvuntur aliquot de hac materia quæſtiones.*

PRima quæſtio eſt, an etiam Hincmarus Metropolita Remenſis, & alii tunc Galliarum Epiſcopi, datos à degradato Hincmari Anteceſſore Ebbone Ordines exſufflarint & iterarint? In opere de ſacris Ordinationibus affirmat Joannes Morinus, poſt hæreticos & ſchiſmaticos, imò poſt quoſvis degradatos Epiſcopos vult in Eccleſia ſemper fuiſſe reordinatum, & firmare conatur exemplis omnium ſæculorum. Hincmari ſenſum probat ex Immonis Tornacenſis Epiſcopi verbis ad ſecundam actionem Synodi Sueſſionenſis: *Ab Ebbone, quod idem non habuit, nemo accipere potuit. Damnationem, quam habuit, per pravam manus impoſitionem dedit.* Hinc eſſe dixit Canonicam & Apoſtolicam auctoritatem. Eodem modo loquitur quinta ejuſdem Synodi actio: *Canonica & Apoſtolica auctori-*

*auctoritate inventum & decretum eſt, ut quidquid in Ordinationibus Eccleſiaſticis Ebbo poſt damnationem ſuam egerit, ſecundùm traditionem Apoſtolicæ Sedis, ut in geſtis Pontificum legitur, præter ſacrum Baptiſma, quod in nomine ſanctæ Trinitatis perfectum eſt, irritum & vacuum habeatur.* Quod Hincmarus & omnis iſta Synodus cuncta præter Baptiſmum data extra Eccleſiam Sacramenta, omneſque uti juriſdictionis, ita & Ordinis per degradatum Epiſcopum aut Clericum attentatos actus duxerint exſufflanda, ex ejuſmodi teſtimoniis Morinus affirmat. Firmari videtur ejus aſſertio per factum ſancti Arctardi Namnetenſis Epiſcopi, à quo datos per Giſlardum intruſum Epiſcopum Ordines fuiſſe exſufflatos, ſuprà audivimus ex litteris Nicolai primi Pontificis ad Salomonem Britonum Principem. Arctardus enim fuit Hincmari Collega.

Verùm labitur vir Eruditus. Quod enim tota Sueſſionenſium Synodorum circa Clericos iſtos altercatio nequaquam de ſubſtantiali Ordinum valore, ſed de ſolo per ipſos accepto miniſtrandi jure fuerit, lucidiſſimè patet ex actis Synodalibus, confirmatque in Remenſis Eccleſiæ Hiſtoria Flodoardus. (Lib. 3. cap. 11.) Et hinc degradatos iſtos Clericos reparavit ſine reordinatione Nicolaus Pontifex, nulluſque Galliæ Epiſcopus reclamavit, quinimo ipſi degradatores unum ex iſtis Wulphadum promoverunt in Archiëpiſcopum Bituricenſem. Nec ſine cauſa diſtinguunt inter Baptiſma & Ordinem. Licet enim utrumque ſubſtantialiter teneat, illud tamen ab Eccleſia agnoſcitur, & per penitentiam formari poteſt ac debet, hunc verò ad executionem nulla ex cauſa, niſi per ſingulariſſimam diſpenſationem, admiſit antiquus Eccleſiæ Canon, ideoque irritus dicebatur & nullus. In perpetua Laïcorum humilitate fixi erant taliter ordinati, adeò ut nec Clerici nomen aut veſtem regula illis indulgeret. Quæ omnia in marginalibus ad Synodum octavam Scholiis diſertiſſimè tradit Anaſtaſius Bibliothecarius: Sacratos ab Ebbone, & à dicta Synodo degradatos Clericos dicit per Sedem Apoſtolicam ſine nova Sacratione fuiſſe ex cauſis reſtauratos. Nec obſtat factum ſancti Arctardi: Britones erant barbari, ſemi-Chriſtiani, & ab Eccleſiaſtica Regula in pluribus devii, ideoque datos ab eorum Epiſcopis Ordines ſubſtantiali alicui vitio ſubjacere credidit Arctardus. Quare inter ipſum & Hincmarum nihil fuit hac in re communionis. Et ejus nihilominus factum Nicolaus Pontifex damnavit.

Altera quæſtio eſt, an datos à Photio Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ intruſo Patriarcha Ordines, aut ejus conſecratore Gregorio Syracuſæ Archiëpiſcopo, Romana Eccleſia aut octava Synodus duxerint ſubſtantialiter irritos ac exſufflandos? Etenim laudata Synodus Methodianæ atque Ignatianæ conſecrationis Epiſcopos & Clericos per pœnitentiæ libellum

bellum recepit in gradum, at verò Photianam conſecrationem adeò projecit, ut etiam de Paulo Cæſaræenſium in Cappadocia Archiëpiſcopo ſcribat in marginali Scholio Anaſtaſius Bibliothecarius: *Paulus iſte, Archiëpiſcopus quondam fuit conſecratus à Photio, ſed quia cum cæteris, qui à Photio manus impoſitionem ſuſcepere, ſecundùm ſententiam Papæ Nicolai condemnatus eſt, & quoniam erat utilis, pro conſolatione damnationis ab Ignatio Patriarcha Cartophylax effectus eſt. Scripſerat enim Papa Romanus, ut aliâ illum, excepto Sacerdotio, quantacumque vellet, dignitate ditaret.* Photianas, inquam, ordinationes Nicolaus primus & Adrianus ſecundus fuerunt adeò deteſtati, ut nec in iſto Paulo, ſummo per omnia viro, ipſarum valorem voluerint agnoſcere: Aſſiduè eas dicunt nullas, vanas, vacuas, irritas, Photiumque æquant Maximo Cynico, de quo prima Synodus Conſtantinopolitana: *Maximus neque fuiſſe, aut etiam eſſe putetur Epiſcopus, neque hi, qui ab eo ordinati ſunt, qualemcumque gradum Clericatus obtineant, omnibus ſcilicet, quæ circa eum, vel ab eo geſta ſunt, in irritum revocatis.* Sanè Chriſmatis à Photio aut Photianis datum Sacramentum exſufflavit atque iteravit Romana Eccleſia, ideoque idipſum de Eccleſiaſticis Ordinationibus cenſuiſſe exiſtimat præfatus Joannes Morinus.

Act. 2.

Cap. 4.

At certum eſt errare. Nuſquam de ſubſtantiali Ordinum valore, ſed de ſola executione & miniſtrandi jure cum Photio & Photianis octava Synodus diſputavit. Lucidiſſimè id patet ex actis Synodalibus. Et hinc Joannes octavus, Marinus primus, Adrianus tertius, & Stephanus ſextus, qui Photium & Photianos tandem per pœnitentiæ libellum repararunt ac receperunt in gradum, penitus nullam reordinationis fecerunt mentionem, longè minus reordinarunt. Et de Photio ſcribit in ſancti Ignatii vita Nicetas Paphlago: *In primis Photius hoc agebat, ut Ordinationes Patriarchæ tranſmutaret, atque ab eo damnatos ſedibus reſtitueret. Sed cum id Imperatori non probaretur, videte quid tentarit. Conſecratos à ſancto Ignatio reſacrare conatur. Quod cum æquè parùm ſuccederet, omneſq; indigniſſimè ferrent atque execrarentur, ne ita quidem defecit iniquitas, &c.* Et iterum: *Et tu, Photii, audita magni Baſilii ſententia, nihil reformidabas, cùm de quopiam admirabundus dixit, nullum ex omnibus totius mundi Hæreſiarchis, qui fuerunt quamplures, auſum fuiſſe reſacrare, præter Euſtatium Ancyro-Galatham, cujus nefarium ſcelus Synodus Gangrenſis exponit.* Locum poſteriorem ſcio, non de Epiſcoporum aut Clericorum, ſed de Altarium, quas à Photio factas exſufflavit & Eccleſia, conſecrationibus loqui, uterque tamen affirmat omnem temeritatem iſtam fuiſſe tunc Orientali Eccleſiæ penitus ignotam, & dudum damnatam in Euſtatio Sebaſteno. Neque ex Confirmationis exſufflatione inferri poſſit exſufflatio

Ordinationis: Rationem adduxi in Scholiis octavæ Synodi.

Tertia quæſtio eſt, an ad ſexageſimum octavum, qui Hæreticorum Ordinationes exſufflat, vulgarem Apoſtolorum Canonem rectè ſcribat laudatus Morinus: *Nullum Eccleſiæ Decretum in favorem Hæreticarum Ordinationum hactenus adferri poteſt, quo antiquiſſimus ille Canon hâc in parte corrigatur?* Reſpondeo negativè. Etenim Hæretici olim omninò erant Novatianenſes, quorum tamen Ordinationes non exſufflari, ſed omninò ratas haberi ſancit per octavum ſuum Canonem Sacro-ſancta Synodus Nicœna. Idem per ſpeciale Decretum ſancit de datis in Meletiano Schiſmate Ordinationibus. Et quoad hoc punctum inter Hæreſim & Schiſma nihil eſſe diſcriminis affirmat frequenter etiam S. Cyprianus. Et antiquum univerſæ Eccleſiæ, quo ſoli Hæreſiarchæ in Laïcam dumtaxat, lapſi autem cum illis, aut ab illis conſecrati Epiſcopi aut Clerici etiam in ſui gradus communionem recipi permittuntur, Canonem laudat S. Athanaſius in litteris ad Epiſcopum Ruffinianum. Alium item, quo
Ep. 162. conſecratos à Majorino Donatiſtarum Principe Epiſcopos in ſuum honorem reparari indulſit Melchiades Pontifex, laudat in litteris ad quoſdam ejuſdem factionis Epiſcopos, & à Carthaginenſi collatione confirmari & innovari fecit S. Auguſtinus. Plurimos ex omni fermè Hæreſi & Schiſmate Epiſcopos & Clericos in ſuis gradibus recepit olim omnis ſub cœlo Eccleſia, & nec unus oſtendi poſſit fuiſſe reſacratus. Adductus verò Apoſtolorum vulgaris Canon eſt nullius ponderis: Putatur eſſe ſancti Firmiliani, errantis cum S. Cypriano.

Quarta quæſtio eſt, an & activa & paſſiva Maximi Cynici Ordinatio à ſuperius adducto Conſtantinopolitano Canone judicata ſit irrita, atque exſufflanda? Affirmat laudatus Morinus, dicens eum eſſe Theodori Balſamonis, Joannis Zonaræ, & omnium antiquorum Patrum ſenſum unanimem, atque adjungens: *Nec aliter intelligi poſſunt, ſi verbis vim ſuam ſtatam eſſe velimus, nec eam pro libitu & commodo noſtro interpretari.* Urget hæc Canonis verba: *In irritum revocatis.* Reſpondeo falli. Etenim Maximum & ejus Ordinatos tractavit Conſtantinopolitana, quomodo Georgium Alexandriæ intruſum ac ipſius Ordinatos jam pridem tractarat ex vetuſto Canone Synodus Sardicenſis, de qua in litteris ad Solitarios S. Athanaſius: *Stephanum* Antiochenum, *Menophantum* Epheſium, *Acacium* Cæſaræenſem, & *Georgium* qui Laodiceæ pro Epiſcopo fuit, *Urſatium* Singidunenſem, & *Valentem* Murcienſem, & *Theodorum* Heracleenſem, & *Narciſſum* Neroniadis Epiſcopum *depoſuerunt*; *Georgii autem nomen Alexandriam miſſi ita in damnando recitarunt, ut nec unquam eum Epiſcopum, nec dignum, qui Chriſtianus appellaretur, cenſerent. Reſciderunt enim omnes illius in dandis Ordinibus conſtitutiones, interdicentes ne quiſquam*

*quam ab eo Ordinatus in Eccleſia vel nomen ſui Ordinis obtineret.* Synodale, quod etiam Baſilium Ancyranæ, & Quintianum Gazenſi Cathedræ ab Arianis intruſos tractavit eodem modo, Decretum latet aut periit, ejus tamen compendium ſupereſt in Synodalibus litteris ad omnes ſub cœlo orthodoxos Epiſcopos. Inſigniter illud in octava Synodo expoſuit Metrophanes Metropolita Smyrnenſis: *Aliter Eccleſiaſticæ Leges Epiſcopos ab Hæreſi reductos judicant, & aliter eos qui à mœchis & ſacrilegis contra leges ſunt initiati.* Etenim in Hæreſi aut Schiſmate promotis Epiſcopis & Clericis, licet ſemper degradarit, aut potius uti in ipſa conſecratione degradatos habuerit Eccleſia, unà tamen ſemper aliquam, ſi non regularem, certè diſpenſatoriam reparationis ſpem reliquit; at verò per Schiſma aut Hæreſim intruſis Epiſcopis, & datis propria ipſorum manu Ordinibus nihil iſtius ſpei dedit antiqua diſciplina, ideoque ſancit irritos & nullos, id eſt, nulla unquam gratia ad miniſterii executionem admittendos. Dico, *Propria ipſorum manu datis Ordinibus:* Quod eorum mediatas conſecrationes receperit etiam antiqua Eccleſia, lucet ex octavo Canone Nicœno, recipiente propaginem intruſi Novatiani. Quod etiam Petri Mogi, Timothei Æluri, Petri Fullonis, ac Severi Antiocheni, facinoroſiſſimè per Hæreticos intruſorum, propaginem receperit, oſtendi in Scholiis Synodi octavæ. Quinimò Anatolium, per Eutychianiſtas in Epheſino latrocinio Epiſcopos Sedi Conſtantinopolitanæ intruſum, ac vivo adhuc S. Flaviano ſuper ordinatum, reparavit S. Pontifex Leo magnus, & nullo modo reordinavit. Et quidem Maximus Cynicus, non ab Hæreticis aut Schiſmaticis, ſed ab orthodoxis Ægypti Epiſcopis fuit intruſus, adeoque nulla eſt ratio, ob quam de ejus Ordinatione dubitetur.

Quinta quæſtio eſt, an Innocentius primus Pontifex docuerit datos ab Hæreticis Ordines eſſe repetendos? Affirmat Joannes Morinus, probatque ex variis ejus Epiſtolis. Primò, ex Epiſtola ad Alexandrum Antiochiæ Patriarcham, ubi Arianorum Epiſcopos & Clericos *cum Sacerdotii & Miniſterii cujuſpiam dignitate* ſuſcipi in Eccleſiam non poſſe edicit, additque cauſam: *Quoniam quibus ſolum Baptiſma ratum eſſe permittimus,* Ep. 18. c. 13. *quod utique in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti perficitur, nec Spiritum ſanctum eos habere ex illo Baptiſmate, illiſq; Myſteriis arbitramur, quoniam cum à Catholica Fide deſciſcerent eorum Authores, perfectionem Spiritus, quam acceperant, amiſerunt. Nec dare ejus plenitudinem poſſunt, quæ maximè in Ordinationibus operatur, quam per impietatis ſuæ perfidiam perdiderunt.* Ad quæ verba laudatus Morinus: *Qua ratione intelligi poteſt hoc effatum, Solùm Hæreticorum Baptiſma ratum eſt, ſolùm Hæreticorum Baptiſma non repetitur, ſi Hæreticorum quoque Ordinatio rata eſt, & non iteranda?* Reſpondeo hæc duo, *Solùm Hæreticorum Baptiſma ratum eſt,* & *Solùm Hæreti-*



Digitized by Google

*Hæreticorum Baptiſma non repetitur*, differre plurimum, & ſolùm primum à doctiſſimo Pontifice aſſeverari. Etenim ſuſceptum informiter in hæreſi Sacramentum eſſe ratum nullo modo eſt idem, quod eſſe validum, ſed eſt per legitimam Divinorum aut Eccleſiaſticorum Canonum viam eſſe in ſuos internos & externos effectus reparabile: At verò acceptum in Hæreſi Baptiſma ſemper per pœnitentiam, datos autem ibidem Ordines nullâ unquam Canonum viâ reparavit antiqua Eccleſia, ideoque illud ſolum ratum, hos autem irritos habuit & ſanxit. Et ſanè non de reordinandis, ſed de recipiendis in ſuum gradum & honorem Arianis Epiſcopis & Clericis conſuluerat Alexander Patriarcha, & Innocentius Pontifex reſpondit: Reordinationis facinus neutri venit vel in cogitatum. Et hic eſt laudati Pontificis locus, quem Synodi Sueſſionenſis quinta actio produxit adverſum Remenſes ab Ebbone degradato Ordinatos Clericos, quos ſuis ſine reordinatione honoribus reddidit Nicolaus primus.

Alter ab Erudito Morino adductus Innocentii locus eſt in Epiſtola ad
Ep. 21. Martianum Epiſcopum Naxitanum. Bonoſus Naxitanus Epiſcopus, Photinianæ blaſphemiæ peſſimus tradux, omnem infecerat Diœceſim Illyricianam. Hinc ad Rufum Theſſalonicenſem Epiſcopum, ſuum in eadem Diœceſi Vicarium, & ſubjectos illi Epiſcopos, Bonoſi præſertim orthodoxum ſucceſſorem Martianum, ſcripſerat laudatus Pontifex, ut omnes à dicto Bonoſo ante damnationem & Hæreſim Ordinati Preſbyteri ac Diaconi, licet cum ipſo poſtmodum lapſi, ſi relicto atque damnato ejus errore vellent Eccleſiæ copulari, libenter reciperentur. Et ita Germinius Presbyter ac Lupentinus Diaconus fuerunt omnino recepti. Verùm dictus Martianus exceſſit limites. Etenim etiam Ruſtitium, à jam damnato Bonoſo Ordinatum Presbyterum, ſuſcepit, & quidem *iterata Ordinatione*. Eccleſiæ benignitas reverſos Hæreticorum Clericos raro corrigit, ſed paſſim inflat. Adeò ſanè inflatus fuit ille Ruſtitius, ut etiam Germinium & Lupentinum, omneſque à Bonoſo antè damnationem conſecratos poſtulaverit ad reordinationem. Hinc Schiſma. Etenim Ruſtitio Germinius & Lupentinus communicare noluerunt, illi autem favit Martianus Epiſcopus: Germinium & Lupentinum Pagenſibus ſuis Eccleſiis non extruſit, quouſque tamen Ruſtitio communicarent, à ſua communione ſuſpendit. Quare Ravennam, ubi tunc ob captam à Barbaris Romam exulabat Pontifex, illi acceſſerunt, poſtulantes juſtitiam. Hæc eſt vera facti ſpecies. Quare errorem varium continent hæc Joannis Morini verba: *Germinius & Lupentinus, à Bonoſo ante damnationem Ordinati apud Innocentium conqueruntur ſe ideo Epiſcopo ſuo gratioſos non eſſe, quod vellet illos iterum Ordinari, ut Ruſtitius quidam, qui iterata Ordinatione Presbyteratum ab eo ſuſceperat. Quod vero Pontifex nec probat,*

Digitized by Google

*probat, nec factum durè improbat, ſed præcedens Decretum ſuum confirmat.* Utique ſuprà adductum de Ordinatis à necdum damnato Bonoſo Clericis Decretum: *Eos recipiendos eſſe cenſemus.* Pergit Morinus: *Subaudiendum, Cum Ordinibus ſuis, ſine nova ordinatione. Undè neceſſario conſequitur eos, quos Bonoſus Hereſiarcha poſt damnationem ordinaverat, fuiſſe iterum Ordinatos, cùm Pontificis Decretum eos ſolos excipiat, qui ante damnationem fuerant Ordinati.*

Hic, inquam, eſt varius lapſus. Falſum eſt, quod Martianus Germinium ac Lupentinum, alioſque à Bonoſo ante damnationem ſacratos voluerit reſacrare. Norat enim inter hos & Ruſtitium eſſe grande diſcrimen. Photinus Syrmienſis Epiſcopus, ejuſque reſuſcitator Bonoſus cum Sabellio ſenſerunt & Paulo Samoſatenſi, glorioſæ Trinitatis & benedictæ Incarnationis evacuarunt Myſteria, ideoque iſtud ipſum, quod de Paulianiſtarum Baptiſmo Synodus Nicœna & Conſtantinopolitana, de Photinianorum Baptiſmate ſtatuerunt Patres laudati à ſecunda Synodo Arelatenſi: *Photinianos, ſive Paulianiſtas ſecundùm Patrum ſtatuta Baptizari oportet.* Addit de Bonoſiacis: *Bonoſiacos ex eodem errore venientes, quos ſicut Arianos Baptizari in Trinitate manifeſtum eſt, ſi interrogati Fidem noſtram ex toto corde profeſſi fuerint, cum Chriſmate & manus impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit.* Notanda ſunt verba, *Ex eodem errore venientes*: Evincunt, quidquid Joannes Morinus dicat, Bonoſum omninò fuiſſe Photinianum. Quod ipſum aſſerit huic Synodo coævus Gennadius Maſſilienſis, in virorum illuſtrium Catalogo laudans Audentium Hiſpaniæ Epiſcopum, qui ſcripſit adverſum varios Hæreticos, præſertim Photinianos, & adjungens: *Qui nunc Bonoſiaci vocantur.* Et Innocentii primi Pontificis de expellendis Photinianis ad Laurentium Segnienſem Epiſcopum Epiſtola habet hanc Epigraphen: *De Bonoſiacis, quod ſint Judæis comparandi.* Et hinc Bonoſiacos omninò rebaptizandos ſcribit ad Iberiæ Epiſcopos S. Gregorius Magnus. Confirmat tertia Synodus Aurelianenſis, aſſerens Bonoſiacos rebaptizaſſe. Quod enim à nobis viderent ſe rebaptizari, ad talionem etiam rebaptizarunt. Neque obeſt adductus Canon Arelatenſis: Dumtaxat ait Bonoſiacos, ſolemni Hæreticorum more, fuiſſe Cadmæos fratres, & ipſorum quoſdam Baptizaſſe, quoſdam non Baptizaſſe in Sacro-ſancto Trinitatis nomine, ideoque hos ſolos fuiſſe & eſſe rebaptizandos. Quod ipſum in librorum contra Arianos fragmentis teſtatur S. Alcimus Avitus, Archiepiſcopus Viennenſis: *Unus Dominus eſt, non dividimus; una Fides, non ſcindimus; unum Baptiſma, non iteramus. Cui honorem ſuum etiam in Bonoſiacorum, aliorumq; receptione ſervantes, ſi ſe in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizatos eſſe reſpondeant, quod benè confeſſi ſunt, ſervando recipimus.* Lucidè affirmat

Can. 16. Can. 17. Ep. 20. Lib. 8. Ep. 61. Can. 31. Frag. 2.



Digitized by Google

mat alios fuiſſe, alios non fuiſſe in Sacro-ſancto trium perſonarum nomine baptizatos. Porro ipſorum Illyriciana factio Magiſtri Photini ſcabiem tenebat ad litteram, erat plenè Sabelliana, in Sacro-ſanctam Trinitatem non baptizabat, ideoque erat omnino rebaptizanda. Hinc & reordinanda, atque ita Ruſtitium Marcianus reordinavit. Nec ſine fundamento. Etenim Bonoſiacos & Photinianos omnes, veram Pauli Samoſatenſis progeniem, exiſtimavit gaudere hac decimi noni Canonis Nicœni gratia: *Si qui ex his præterito tempore fuerunt in Clero, ſi quidem immaculati & irreprehenſibiles apparuerint, Baptizati Ordinentur ab Epiſcopo Eccleſiæ Catholicæ.* Et hinc talem reordinationem graviter non culpavit Innocentius. Graviter culpavit *hujuſmodi hominem in Eccleſia retineri.* Hominem maculoſum, reprehenſibilem, turbulentum, laudati Canonis gratia patenter indignum. Culpata tamen fuit & ipſa reordinatio. Hinc enim pergit Innocentius: *Aut Ruſtitius ſic peccari debere in alio arbitratur, quemadmodum in ſe agnoſcit eſſe peccatum.* Neque enim omnibus in futurum Paulianiſtis fixit regulam, ſed ſolis tunc viventibus diſpenſatoriam ex cauſis gratiam fecit Nicœnus Canon, proindeque ipſam ad Ruſtitium extendere nequiit Marcianus. Laudata inſuper Pontificis verba lucidè affirmant non ab hoc Epiſcopo, ſed à ſolo Pſeudo-Presbytero iſto Germinium ac Lupentinum fuiſſe ad reordinationem poſtulatos. Et antè & poſt damnationem dudum æquè erraſſe Bonoſum ille forſitan aſſeruit, ideoque ipſorum Ordinationes non eſſe ſuâ firmiores. Et etiam hoc meritò, graviterque culpavit Pontifex. Culpavit & Marcianum, quod iſtos legitimè reparatos Clericos, ob meritò declinatum Pſeudo-Presbyteri errare pergentis contagium, rejiceret à ſua communione. Et hinc lucet iſtam facti ſpeciem Joanni Morino penitus obviare. Neque enim à quibuſvis Hæreticis, ſed à ſolis Paulianiſtis, Photinianis, ac Bonoſiacis jam damnatis Ordinatos cenſuit Papa Innocentius reordinandos, addens id fieri non poſſe authoritate ſimplicis Epiſcopi, utpotè qui ſolvere aut moderari non queat generalem Eccleſiæ diſciplinam, quam nullo modo ſuſtulerat, ſed diſpenſatoriè dumtaxat mitigarat Synodus Nicœna.

Tertius ab erudito Joanne Morino adductus Innocentii Pontificis locus eſt in Epiſtola ad Rufum Theſſalonicenſem, ac alios Illyricianæ Diœceſis Epiſcopos, percunctatos: An conſecrati ab Hæreticis Epiſcopis Clerici eſſent reſacrandi, atque ita reponendi in gradus ſui honorem ac miniſterium? Præmittit Pontifex cunctis apud Hæreticos Ordinatis eſſe læſum ac maculatum iſta ſcabioſa manu caput, opus eſſe medicina pœnitentiæ, ideoque nullam ſpem retinendi aut recipiendi honoris. Hinc adfirmat eſſe avitam atque immobilem Eccleſiæ diſciplinam, adeoque propoſitæ quæſtioni non eſſe locum. Repoſuit verò Rufus,

*cum*,

Digitized by Google

*eum qui honorem amiſit, honorem dare non poſſe, nec illum aliquid accepiſſe, quia nihil in dante erat, quod ille poſſet accipere.* Damnatos ac proſcriptos ab Eccleſia Hæreticos Epiſcopos ait omni Epiſcopali poteſtate exutos, datos ab ipſis Ordines eſſe irritos & nullos, nec reparandos, ſed iterandos, neque id adverſari Eccleſiaſticæ, quæ primum duntaxat, non ſecundum vetat, diſciplinæ. Paulianiſtas enim, ideoque & alios quoſvis invalidè Ordinatos Hæreticorum Clericos reordinari diſertè permiſit Synodus Nicœna. Quin & eandem Regulam valere juſſit in Diaconiſſis. Ad quæ Innocentius: *Acquieſcimus, & verum eſt. Certè qui non habuit, dare non potuit. Damnationem utique, quam habuit, per pravam manus impoſitionem dedit. Et qui particeps effectus eſt damnato, quomodo debeat honorem accipere, invenire non poſſum.* Fatetur Ordinationes iſtas eſſe ſubſtantialiter nullas, addit tamen iterari non poſſe, quod earum ſuſceptio fuerit crimen & contagium, damnata dantis vitia traducens in accipientem, ipſum faciens maculoſum, adeoque & perpetuò irregularem. Nicœnum Canonem, qui ſive de Novatianenſibus, ſive de Paulianiſtis ſtatuit, ait fuiſſe ſingularem gratiam, non generalem regulam, ideoque extra iſtos limites non poſſe extendi. Erat reſponſio peremptoria, attamen Rufus non acquievit, replicans: *Vera ac juſta legitimi Sacerdotis benedictio aufert omne vitium, quod à vitioſo fuerat injectum.* Loqui videtur de invalidè etiam apud Hæreticos baptizatis, ideoque in Eccleſia Catholica non tantùm reordinandis, ſed & rebaptizandis. Eorum delicta omnia adfirmat eſſe in veterem hominem, non facere irregularem, juncto utroque iſto Sacramento remitti, ac plenè purgari. Etenim de quibuſvis ante Baptiſma commiſſis criminibus ad Nectarium Conſtantinopolitanum novellum Epiſcopum dixit apud Hermiam Zozomenum etiam Martyrius medicus Tharſenſis: *Tu, ô beate, recens Baptizatus ac purificatus, & mox inſuper Sacerdotio auctus es, utraque autem hæc peccatorum expiatoria eſſe Deus conſtituit.* Ex eodem principio Paulianiſtas Clericos rebaptizari ac reordinari permiſit Synodus Nicœna. Nihilominus denuò reſpondit Innocentius, non per Ordinationem, ſed per ſolam Pœnitentiam auferri crimina ac vitia, ideoque eſſe avitam Romanæ Eccleſiæ legem, *Ut ab Hæreſi venientibus, qui tamen illic Baptizati ſunt, per* Pœnitentialis *manus impoſitionem Laïca tantum tribuatur communio, & ex his nullus in Clericatus honorem vel exiguum ſubrogetur.* Verbis, *Qui tamen illic Baptizati ſunt*, ſubintelligendæ ſunt voces, *Validè*, &, *Tantùm*, hoc ſenſu: *Qui tamen illic validè Baptizati tantùm fuerint, & non Ordinati.* Hæreticorum enim Epiſcopis, Presbyteris, atque Diaconis, Eccleſiam accedentibus, Pœnitentialem manum imponi ob ſuſcepti, licèt perperam, Sacramenti reverentiam antiqua vetuit diſciplina, inva- L.7.c.10

Digitized by Google

invalidè autem iſtic Baptizatus Laïcus, non per Sacramentalem Pœnitentiæ manum juvari potuit, ſed novo Baptiſmate habuit opus. Ait Pontifex ſuſceptum etiam validè in Hæreſi Baptiſmum eſſe ſummum, quod ad Pœnitentialis Subſtrationis humilitatem cogat, atque irreparabiliter irregularem faciat, crimen, proindeque invalidum Baptiſma, & præſertim ſacrum Ordinem eſſe crimen longè majus. Quis enim neſciat ſubſtantiale vitium eſſe ſummam Sacramentorum injuriam?

Ex his Joannes Morinus exiſtimat quorumvis Hæreticorum Ordinationes apud Patres noſtros fuiſſe ſubſtantialiter irritas, atque ita ſenſiſſe non ſolùm cum ſuæ Diœceſeos Epiſcopis Rufum Theſſalonicenſem, ſed & Pontificem Innocentium ac Eccleſiam Romanam. At certum eſt labi. Etenim non de quibuſcumque Hæreticis, ſed de ſolo Bonoſo ac Bonoſiacis Apoſtolicam Sedem conſuluerat Rufus, quorum in Illyrico Baptiſmum, ideoque & Ordines fuiſſe irritos, ſuprà oſtendi. Porrò de quovis in Baptiſmatis ſuſceptione commiſſo vitio ſcribit in libris de Baptiſmo ſanctus
L.7.c.52 Auguſtinus: *Excommunicando punitur illa ſimulatio, aut pœnitendo ſanatur.* Ait illam non in veterem, ſed omninò in novum hominem committi, ideoque facere irreparabiliter irregularem. Quod verum eſſe etiam de ſimulatione Baptiſmum irritante, non eſt dubitandum. Quis enim neſciat Marcionitas, Gnoſticos omnes, Montaniſtas, Sabellianos, Eunomianos, Photinianos, varias Galatiæ monſtroſas peſtes, quas omnes palam rebaptizavit Eccleſia, ſemper fuiſſe habitas pleniſſimè irregulares? Quæ irregularitas per invalidè ſuſceptos in illis Schiſmatibus etiam Eccleſiaſticos Ordines diminuta non fuit, ſed aucta. Fateor cuncta iſta facinora fuiſſe revera in veterem hominem, aſt omne in Sacro-ſanctam aquam Attentatum ſemper uti novi hominis injuriam judicavit Eccleſia, quod nempe tunc ille, licet non eſſet, tamen novus eſſe debuiſſet. Non ſolus, qui hominem natum perimit, ſed & qui ipſum, ne naſcatur, per ſterilitatis pocula impedit, apud ſæculi leges eſt plenus homicida: Ita & illum, qui novi hominis natales ſacrilegè irritat, ejus jam nati fœdatoribus avita Patrum diſciplina meritò æquavit. Hanc regulam etiam in Bonoſiacorum Ordinationes ſervandam optimè cenſuit Innocentius Pontifex, rectèque addidit factam Paulianiſtis à Nicœna Synodo gratiam fuiſſe diſpenſatorium & ſingulare beneficium, non Canonem generalem.

At ecce hinc aliud dubium prodiit, an Bonoſiacorum Ordines ob ſolum validi Baptiſmi defectum, an verò etiam ob proprium vitium eſſent ſubſtantialiter nulli? An non ſolius Baptiſmi, ſed & ſacræ Ordinationis eſſentialem ritum Bonoſus immutaſſet? Nec fuit inanis quæſtio. Etenim Bonoſus multos è noſtris invitos ac repugnantes violenter ordinarat;

multi

multi item, qui in Catholica noverant ſe propter vitia non poſſe Ordinari, ad illum ſponte perrexerant, credentes ſe ita in ipſa etiam Catholica invenire locum, quem anteà deſperaverant. Reſpondit verò laudatus Innocentius: *Qui à Catholica ad Hæreſim tranſierunt, quos non aliter oportet, quam per pœnitentiam ſuſcipi, apud vos non ſolùm pœnitentiam non agunt, verum etiam honore cumulantur. Sed Anyſii quondam fratris noſtri, aliorumq; Conſacerdotum ſumma deliberatio hæc fuit, ut quos Bonoſius ordinaverat, ne cum eodem remanerent, ac fieret non mediocre ſcandalum, Ordinati reciperentur. Vicimus, ut opinor, ambigua. Ergo quod neceſſitas pro remedio invenit, ceſſante neceſſitate debet utique ceſſare quod urgebat.* Cap. 5. Sanctus Anyſius Theſſalonicenſis Epiſcopus, ac Siricii Pontificis per Illyricum Vicarius, turbatam à Bonoſo & ejus temerariis Ordinationibus Eccleſiam pacificaturus, omnes ritè in Eccleſia baptizatos, ac per Bonoſum perperam ordinatos recepit in ſuis gradibus, atque ita reduxit plurimos, & mali Authorem coëgit ſolum, aut certè cum pauciſſimis inſanire. Diſpenſatoriam gratiam ſucceſſor Rufus vertit in regulam, atque ita criminoſis & illegitimè Ordinatis Clericis Diœceſim implevit. Graviter id damnat & circumſcribit Pontifex, ajens ſancti Anyſii in Bonoſiacos gratiam fuiſſe Nicenæ in Novatianenſes & Pauliniſtas Clericos & Epiſcopos gratiæ ſimilem, fuiſſe ſingulare & temporale in certas dumtaxat perſonas beneficium, nullo modo univerſalem Canonem. Rufi factum aſſerit adverſari Canonibus Apoſtolicis, mandatque deinceps ceſſare. Hinc interim vides noſtris baptizatis collatos à Bonoſo etiam poſt damnationem Ordines fuiſſe ab Anyſio & Rufo Archiëpiſcopis, ipſorum Synodis, Innocentio Pontifice, ac Romana Eccleſia judicatos validos, adeoque illos, quos inproprios baptizatos attentavit Bonoſus, non ex proprio ullo vitio, ſed ob ſolum caſſi baptiſmi defectum ſubſtantialiter non valuiſſe. Omnem hujus rei ſeriem Joannis Morini cogitationibus liquet non favere.

De Ceciliano Carthaginenſi Archiëpiſcopo, adversùs Secundum Tigiſitanum Epiſcopum, Numidiæ Primatem, & factioſos ejus collegas, iſtius conſecratorem Felicem Aptungitanum Epiſcopum fuiſſe traditorem, ideoque datam ab illo conſecrationem eſſe irritam calumniantes; de Ceciliano, inquam, adverſum hoſce turbulentos Donatiſtici Schiſmatis Authores diſputante, ſcribit ſanctus Optatus Epiſcopus Milevitanus: *Iterum à Ceciliano mandatum eſt, ut ſi Felix in ſe, ſicut illi arbitrabantur, nihil contuliſſet, ipſi tamquam adhuc Diaconum ordinarent.* Lib. 1. Obtulit ſe reordinandum. Quam oblationem, tamquam ſuo de rebaptizationibus ac reordinationibus errori inſigniter faventem, acriter in Carthaginenſi collatione urſerunt Donatiſtæ. Et hinc naſcitur ſexta quæſtio, an Cecilianus



Digitized by Google

lianus datos ab Hæreticis, Schiſmaticis, aut Traditoribus Ordines exiſtimaverit ſubſtantialiter nullos? Reſpondeo Negativè. Ejus enim verba in Carthaginenſis, cujus hæc pars aut latet aut periit magno Eccleſiaſticæ eruditionis damno, collationis breviculo exponit ſanctus Auguſtinus:
Lib. 3. c. 16. *Donatiſtæ dixerunt etiam ſcripſiſſe Optatum, quod Cecilianus dixerit, Si Traditores ſunt, qui me ordinaverunt, ipſi veniant, & ordinent me. Quod quidem ſi dictum eſt, dici potuit ad illos irridendos, quibus hoc mandaſſe perhibetur, quoniam certus erat Ordinatores ſuos non eſſe Traditores.* Et hinc iſtud Ceciliani dictum Joannes Morinus pro ſuis cogitationibus meritò non adduxit.

Septima quæſtio eſt, An à Meletio, Schiſmatico Lycopoleos Metropolita, Ordinatos Epiſcopos & Clericos Nicœna Synodus juſſerit reordinari? Lucidè enim id adfirmat in Eccleſiaſtica Hiſtoria Anaſtaſius, Romanæ Eccleſiæ ad ſanctum Marcellum Cardinalis Presbyter, & Canonum peritiſſimus Bibliothecarius: *Nicœna Synodus ſignificavit & de Meletio, quo ſeorſum in civitate propria tacitus reſideret. Eos verò, qui ab ipſo manus impoſitionem acceperant, magis myſtica ſacratione firmandos.* Ip-
Ep. 72. ſe Meletius in Catholica Eccleſia fuerat Ordinatus, ideoque non cogendus ad reordinationem. Nicœnarum conſtitutionum peritiſſimus etiam magnus Baſilius in litteris ad Evaſenos, & in litteris ad neſcio quem Pa-
Ep. 82. trophilum ſcribit omnes ab Arianis Ordinatos non eſſe Epiſcopos, ſed omninò Laïcos, ac pergit in litteris ad Nicopolitanæ in Armenia Eccleſiæ Presbyteros: *Non agnoſco Epiſcopum, nec Chriſti Sacerdotibus*
Ep. 192. *eum adnumerarim, qui à profanis manibus eſt ad fidei deſtructionem Præſul electus. Hæc mea eſt de illo ſententia. Vos, ſi quam nobiſcum partem habetis, eadem etiam nobiſcum ſentietis. Si verò veſtro ipſorum conſilio utimini, ſua quiſque ſententia poteſtatem habet, nos inſontes erimus ab hoc ſanguine. Hæc non ideò ſcripſi, quod vobis diffidam, ſed ut quorumdam hæſitationem declaratione mea ſententia confirmem, ne quis ad illorum communionem præripiatur; néve ſi manus illorum impoſitionem quiſquam acceperit, poſt reddita pace, Sacerdotali Ordini ſe accenſere contendat.* Lucidè agit de ſubſtantiali Ordinationis valore. Quod enim per Hæreticum data ſit quoad executionem irrita, nemo unquam hæſitavit, adeoque memorata hic quorumdam hæſitatio fuit de ipſa ſubſtantia, & ipſos in hujus negativam partem conatus fuit Baſilius deducere & firmare. Hinc addidit ejuſmodi Ordinatos etiam poſt redditam pacem ſeu ab hæreſi abſolutionem non poſſe cenſeri inter Clericos: Quod nempe vanam dumtaxat conſecrationis imaginem & umbram accepiſſent.

Reſpondeo ſanctum Baſilium in ſui Anteceſſoris Firmiliani, qui datum etiam per Hæreticos Baptiſma pertinaciſſimè cum ſancto Cypriano credidit

credidit ſubſtantialiter irritum, errore fuiſſe firmum & durum, nec credidiſſe ipſum à Nicœno Concilio damnatum. Lucet ex Canonicis ejus ad ſanctum Amphilochium litteris, hiſce præſertim ipſarum verbis: *Nos una ratione* omnes Hæreticos *rebaptizamus, ſi autem prohibita eſt apud vos hæc rebaptizatio, ſicut & à Romanis, alicujus œconomiæ gratia, noſtra tamen oratio vires obtineat.* Et infrà: *Quamobrem ſi hoc placuerit, oportet plures convenire Epiſcopos, ut & is qui fecit ſit extra periculum, & is qui reſpondet in reſponſione de his Fide dignus habeatur.* Datum poſt Hæreticos rebaptiſmum putat eſſe arbitrii & œconomiæ, atque ita quamque Eccleſiam poſſe circa illum in ſuo ſenſu abundare. Eodem modo in adductis ad Nicopolios Clerum litteris lucidè cenſet de datis per Hæreticos Ordinibus: Suam ſententiam conatur imprimere hæſitantibus, unumquemque tamen permittens ſuo arbitrio. Romanam enim, quæ ob hunc errorem excommunicarat Firmilianum, metuebat Eccleſiam, ideoque Amphilochio ſcripſit cautè tractandam hanc quæſtionem, ut rebaptiſmi dator & Doctor ſint extra periculum, utique indignationis Romanæ. Eam defuncto Baſilio maturè ac plenè diſcuſſit Conſtantinopolitana Synodus, & adverſus illum poſuit in Symbolo: *Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Quocirca hoc in puncto magnus Baſilius eſt circumſcriptæ authoritatis. Latiùs hæc oſtendi in ſcholiis ad Symbolum Conſtantinopolitanum. Cap. 47.

Cardinalis Anaſtaſius adducta ſua verba deſumpſit ex Synodalibus, quas nobis in Eccleſiaſtica Hiſtoria ſervavit Theodoretus, ad Ægyptiacæ Diœceſis Epiſcopos litteris: *Illi autem, qui à Meletio Presbyteri deſignati ſunt, ſimul atque ſanctiori Ordinatione confirmati fuerint, in Eccleſiæ communionem admittantur.* Sic habet vulgata verſio, quam ſequitur etiam Joannes Chriſtophorſonus. Jacobus Sirmondus vertit aliter: *Eos autem, qui à Meletio conſtituti ſunt, ſanctiore Ordinatione confirmatos, ad communionem admittit.* Græcus textus de verbo ad verbum ſic habet: *Preſbyteros à Meletio conſtitutos, magis myſtica manus impoſitione confirmatos, admitti ad communionem.* Reſpondeo Meletii Ordinatos nunquam fuiſſe reordinatos, nec ad reordinationem poſtulatos. Lucet ex ſecunda ſancti Athanaſii Apologia: *Presbyter*, qui dejecto Altari & fracto Calici *fingitur adfuiſſe, eſt ille toties rumoribus jactatus Iſchyras, qui neque ab Eccleſia electus Presbyter, neque cum à Meletio conſtitutos Presbyteros Alexander in Eccleſiam recipiebat, in eorum numero unquam habitus fuit, aut ab eo creatus. Quo igitur pacto Presbyter Iſchiras? Aut quo tandem Authore conſtitutus? Nunquid ſcilicet à Colluthо? Id enim reſtat. Atqui Colluthum in gradu Presbyterii mortuum, omnemque ejus manuum impoſitionem reſciſſam, & omnes ab eo conſtitutos eſſe in Laïcorum Ordinem redactos, & ſub Laïcorum nomine* Lib. 8. c. 9.



Digitized by Google

*ad ſynaxim admiſſos, adeò apud omnes conſtat, ut nemo de ea re dubitandum putet.* Lucidè affirmat, non Meletii, ſed ſolas Colluthi Ordinationes fuiſſe ſubſtantialiter irritas, & uti tales à Synodo abjectas. Quod nempe Colluthus non fuiſſet Epiſcopus, ſed ſimplex Presbyter ſe pro Epiſcopo oſtentaſſet, atque ita validos non potuiſſet imprimere Ordines. Et certè Meletius non extra, ſed omnino intra Catholicam Eccleſiam fuerat conſecratus Epiſcopus, & nullam Hæreſim, ſed dumtaxat Schiſma ſeu Para-ſynagogam conflarat, ideoque nullus erat vel fucus, ex quo dati per ipſum Ordines eſſent ſubſtantialiter nulli. Et dum ſuos Epiſcopos & Clericos Alexandro Patriarchæ tradidit, nec apex aut Jota factum eſt de reordinatione, recepti ſunt per ſolam Catholicam profeſſionem. Quomodo receptus poſteà fuit & famoſus ille Hiſtrio Arſenius, Epiſcopus Hypſelitarum. Porrò Nicœnæ Synodi tempore quidam à Meletio erant in Epiſcopos aut Clericos dumtaxat electi ac deſignati, quidam inſuper myſtica manuum impoſitione ſacrati & confirmati: Et hoſce ſolos cum ſuo gradu in Eccleſiam admitti permiſit Synodus, aliis ſolam Catholicam communionem, nequaquam electionis effectum indulſit. Eadem ſub diſtinctione tractavit Diaconiſſas & Clericos Paulianiſtarum. Quocirca vulgatam Latinam tranſlationem Jacobus Sirmondus non ſine fundamento correxit. Gratiam iſtam Meletianis impetravit laudatus Alexander, ac de ipſa ſcribit in præfata Apologia ſanctus Athanaſius: *Utinam nunquam factum fuiſſet.*

# CAPUT XVIII.

## *Exponuntur antiquæ Simoniacorum Pœnæ.*

AVitam Simoniacæ Ordinationis pœnam edicit trigeſimus Canon inter vulgares Apoſtolicos: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur & ipſe, & Ordinator ejus, & à communione modis omnibus abſtineatur, ſicut Simon Magus à Petro.* De graviſſimis Clericorum criminibus ſtatuunt hi ipſi Canones: *Deponatur, non tamen communione privetur. Dicit enim ſcriptura: Non vindicabit Dominus bis in idipſum.* Hoc eſt, unicum Epiſcopi aut Clerici lapſum duplici degradationis ſimul & excommunicationis ſupplicio Eccleſia non punit. Eaque fuit conſtans Patrum olim diſciplina. Quare adductus, qui Sacri Ordinis Simoniam duplici iſta pœna ferit, Canon oſtendit ipſam quovis graviſſimo crimine ſemper fuiſſe graviorem. Et laudati Canonis, licet non verba, tamen ſententia, eſt omninò Apoſtolica. Etenim Apoſtolorum, qualia Petri in Simonem, geſta eſſe Apoſtolicos

Cano-

Digitized by Google

Canones, aut certè Apoſtolica edendorum ab Eccleſia Canonum fundamenta, teſtatur ſanctus Joannes Chryſoſtomus in libris de compunctione cordis. Et hinc idem Chryſoſtomus omnes ab Antonino Epheſiorum Archiëpiſcopo Simoniacè Ordinatos Epiſcopos degradavit, perpetuumque abjecit ad Laïcos, uti ſcribunt in Photii Bibliotheca Georgius Patriarcha Alexandrinus, & in Dialogo cum Theodoro Romanæ Eccleſiæ Diacono Palladius Epiſcopus Helenopolitanus.

Dixi, *Apoſtolica edendorum Canonum fundamenta.* Certum enim eſt adductum Canonem non eſſe Apoſtolicum, ſed Chalcedonenſi Synodo poſteriorem. Etenim adverſus Martinianum, ab Euſebio Peluſii Epiſcopo Simoniacè promotum, varieque criminoſum Presbyterum, ac inſuper Epiſcopatum emere machinantem ex furtiva Eccleſiæ pecunia, ſcribit ad ſanctum Cyrillum Alexandriæ Patriarcham Iſidorus Peluſiota: *Martinianus nuper aurum Alexandriam præmiſit, Epiſcopatum aucupans. Quod cum Sanctitas tua comperiſſet, pro eo atque eum ab Eccleſia proſcribere debebat, per litteras comminata eſt, atque affirmavit, ſe eum, ſi rurſus idem aggrederetur, ut ingens diviniſſimæ religioni dedecus inurentem, in tota Ægyptiaca Regione proſcripturum & abdicaturum. Atque nunc idem, litteris tuis & minis contemptis, Alexandriam perrexit, ſibi quidem Epiſcopatum captans, tuæ autem famæ atque exiſtimationi, ut qui ſacras Ordinationes pecunia addicas, labem inferens. Quæ cum ita ſint, tuæ Magnanimitatis atque Præſtantiæ eſt plenam quidem & exactam ſcelerum ipſius pœnam ad incorruptum illud tribunal reſervare, nec enim hic fieri poteſt, ut quas meritus eſt pœnas pendat, commoveri autem ac incitari, & primùm Eccleſiam iniquè læſam ac vexatam ulciſci, deindè exiſtimationi tuæ conſulere, minas nimirum in opus perducendo, eumque ab Eccleſiæ gremio abdicando.* Eum non ob Simoniacè obtentum Presbyteratum declarare irregularem ac degradatum, imò nec ob miſſas Alexandriam ad emendum Epiſcopatum furtivas pecunias, ſed dumtaxat ſi iſtud facinus denuò aggrederetur, degradare comminatus fuerat Cyrillus, & poſt iteratum facinus minas in executionem mitti flagitavit Iſidorus. Quod nempe adversùm Simoniacos nullus adhuc pœnalis Canon emanaſſet. Alioquin ad ipſum omninò provocaſſet Iſidorus, & Martinianum clamaſſet, non degradandum, ſed jam degradatum. Hinc etiam ab Epheſio Antonino Ordinatos Epiſcopos, non ex aliquo Canone, ſed ex Patriarchali authoritate dejecit ſanctus Joannes Chryſoſtomus. Notoriorum Simoniacorum miniſteria erant etiam tunc admodum ſcandaloſa, ideoque ab iſtis dumtaxat *Presbyteri ſpeciem geri* clamavit neſcio quis Presbyter Athanaſius. De Simoniacæ Ordinationis valore videtur dubitaſſe. Etiam Hermogenes Comes eos, qui à Zozymo, per dictum Euſebium Peluſii Epiſcopum Simo-

Lib. 2. Ep. 127.

Lib. 2. Ep. 162.

Ep. 97. niacè promoto Presbytero, *baptizabantur, exiſtimabat mulctari graviſſimis detrimentis.* Adverſus eundem Zozymum clamabat omnis populus :
Ep 65. *Quonam pacto aliis ſanctitatem impertit, profanus ipſe ac nefarius? Quonam pacto alios purgat, qui impurus eſt? Quonam pacto Filios Dei efficit, qui ſervili*
Ep. 38. *eſt animo?* Hinc ad ipſum ſcripſit laudatus Iſidorus: *Sacerdotio contumelia notam inuris. Adeò ut plurimi homines, imò omnes, à te offenſi, in ſalutis Symbolis detrimentum acceperint.* Ab ipſo baptizati metuebant ſe aut invalidè, aut certè informiter baptizatos. Et in alia ad ipſum Epiſto-
Lib. 5. la: *Omnium factus eſt fabula, riſus, & ſcandalum. Cognito enim, te exe-*
Ep. 569. *crandis manibus tractare ſacra Miſſæ myſteria, recedunt homines, malunt*q*ue non mitari, quam ut ab impuris & ſceleratis manibus pura & immaculata ſuſcipiant munera. Et tametſi multi ſæpè ex me audierint nihil horum obeſſe, quidam tamen aſſenſi non ſunt, quidam verò ne auribus quidem æquis acci-*
Lib. 3. *piunt, nugari me exiſtimantes.* Et rurſum: *Multos offendis, & ab Altaris*
Ep. 134. *acceſſu rmoves, ut qui tantam labem ac maculam illibato Altari aſſidentem*
Ep. 340. *intueri minimè ſuſtineant.* Et in alia Epiſtola: *Vir quidam moribus integer, & vita ſplendidus, & luculenta dignitate ornatus, me convenit, & narravit, ſe ad venerandum quidem Altare acceſſiſſe, ut divina Myſteria perciperet, at ubi te, hominem ætate quidem ſenem, dignitate Presbyterum, libidine autem vigentem, atque omnes, quorum ſpurcitia hominum ſermone celebratur, ſuperantem, illic adſtare conſpexit, pedem retuliſſe, quod ſcilicet indignam rem eſſe duxiſſet, ſacro ſancta Myſteria per impuram & ſceleſtam manum ſuſcipere.* Nempe non ſolum Simoniacus, ſed & concubinarius erat Zozymus, ideoque non ſolum ejus Sacrificia audire, & Euchariſtiam percipere horrebat fidelis populus, ſed & dubitabat de ejus Baptiſmo. De datorum per Simoniacos Sacramentorum validitate, aut ſaltem fructu dubitare eſt adeò antiquum. Item Gregorii ſeptimi Pontificis, qui Simoniacorum & concubinariorum Clericorum divina Officia audiri ac percipi interdixit, Decreta adeò antiquis nituntur fundamentis. Nihilominus de magno iſto Viro pergit Iſidorus: *Ego his auditis, quantum animo vulnus acceperim, dicere prætermittam; quibus autem verbis eum graviſſimè reprehenderim, exponam. Nullo, inquam, detrimento, vir ſapientiſſime, is qui ſuſcipit, afficitur, etiamſi is, qui tribuit, indignus videatur. Neque incontaminata myſteria conſpurcantur, etiamſi Sacerdos omnes mortales improbitate ſuperet.* Et ad ipſum Zozymum: *Quemadmodum illi ſuccenſui, ſic etiam te moneo, ut aut reſipiſcas, aut à venerando Altari abſcedas, ne alioquin eos, qui ad ipſum accedere inſtituunt, per tuas actiones*
Lib. 5. *ſubmoveas.* Et in alia Epiſtola: *Vel talia committere deſine, vel à ſacra*
Ep. 569. *menſa diſcede, ut tutò Eccleſiæ alumni ad ſacra accedant Myſteria, ſine quibus ſalutem conſequi nequeunt.* Non illum ad Laïcos rejicit uti degradatum

aut

aut irregularem, ſed dumtaxat monet, ut ſcandali vitandi cauſa ceſſet vel à criminibus, vel à ſacro Miniſterio: Quod nempe nullus eo uſque pœnalis Canon in Simoniacos prodiiſſet. Eadem de cauſa Edeſſeni Clerici clamarunt Epiſcopum ſuum Ibam, non degradatum, ſed dumtaxat degradandum.

Primus itaque in iſtud crimen pœnalis Canon eſt hic Chalcedonenſis: *Si quis Epiſcopus per pecunias fecerit Ordinationem, & ſub pretio redegerit gratiam quæ non poteſt vendi, ordinaveritq́; per pecunias Epiſcopum, aut Chor-Epiſcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, aut quemlibet ex his qui connumerantur in Clero, is qui hoc attentaſſe probatus fuerit, proprii gradus periculo ſubjacebit, & qui ordinatus eſt, nihil ex hac Ordinatione proficiat, ſed ſit alienus à dignitate, quam pecuniis acquiſivit. Si quis Mediator in tam turpibus & nefandis datis vel acceptis exſtiterit, & ipſe, ſi quidem Clericus fuerit, proprio gradu decidat, ſi verò Laïcus vel Monachus, anathematizetur.* Quoties adverſus Simoniacos inſurgit Gregorius Magnus, hunc ſolum adducit Canonem, nullius meminit Apoſtolici. Et laudatus Palladius, ut ſancti Joannis Chryſoſtomi, quem dente maligno adverſarii rodebant, in Ordinatos ab Antonino Epiſcopos Acta firmet, ſolam laudat avitam conſuetudinem, qua ſemper vetuerit Eccleſia ſuum Sacerdotium Judaïco aut Ægyptio more vendi vel emi: Quod nempe iſtam conſuetudinem nullus uſque tunc Canon ſtabiliiſſet. Et Chalcedonenſis Canon ſolo gradu, gradu autem & communione privat vulgaris Apoſtolicus, atque ita lucet hunc illo eſſe poſteriorem. Apoſtolicum enim Canonem quomodo non laudaſſet Synodus Chalcedonenſis? Quomodo ejus rigorem mitigaſſet? Solum item Chalcedonenſem laudant Patres alii, cum magno Gregorio frequenter dicentes eorum, qui in Eccleſia columbas vendunt, cadere aut cecidiſſe Cathedras: Quod nempe per Simoniacas promotiones incurrant degradationis pœnam, aut reatum. Can. 2.

Et hunc Canonem, Anatolii Conſtantinopolitani Epiſcopi deſidia lapſum, rigidiſſimè in ſua Synodo innovavit, ac Leonis Auguſti ſevera, quæ commiſſam in Epiſcopatu Simoniam ſanxit eſſe crimen læſæ Majeſtatis, lege confirmari impetravit ſucceſſor ſanctus Gennadius. Lex in Codice Juſtinianæo, Synodale Decretum exſtat apud Theodorum Balſamonem. Porrò Aſiaticos ab Antonino Simoniacè Ordinatos Epiſcopos deprecantes, *Saltem aurum quod dedimus recipiamus, nam uxorum noſtrarum quædam dedimus vaſa*, exaudivit quidem, & aurum per Antonini hæredes reſtitui juſſit ſanctus Joannes Chryſoſtomus, ſed regulam non fixit, pleneque item de eadem reſtitutione tacuit Synodus Chalcedonenſis. Providit laudatus Imperator Leo. Pretium omne reddi L. 1. tit. 3. c. 31.

juſſit

juſſit Eccleſiæ, utique in ſolatium & reparationem injuriæ per tantum
L. 6. c. 1. immundiſſimi invaſoris crimen acceptæ. Sanxit de ſolo Epiſcopo. Verùm
L. 123. c. 2. ad omnem Clericum Juſtinianus Auguſtus extendit per leges novellas ad
L. 9. Ep. 15. Epiphanium Patriarcham Conſtantinopolitanum, & ad Petrum Magiſtrum officiorum. In ſuo ad Joannem tertium Pontificem Edicto extendit etiam Athalaricus Gothorum Rex, addens iſtam reſtituendi obli-
Cap. 4. gationem devolui ad Simoniaci Ordinatoris hæredes. Et haſce leges haud dubiè reſpexit ſexta Synodus Toletana, quoſvis Simoniacos Ordinatos & Ordinatores non ſolum gradu & communione exuens, ſed & omnibus temporalibus bonis, tamquam reos læſæ Majeſtatis. Et ad Archiepiſcopum Toletanum ſcribit apud Gregorium nonum Alexander
L. 5. tit. 3. c. 11. tertius: *Regem & Principes debes inducere, ut ſi qua receperint ab Oxomenſi Epiſcopo, ut ejus electioni præſtarent aſſenſum, Eccleſiæ Oxomenſi ſine diminutione reſtituant, cum ea ſine gravi ſuæ ſalutis periculo retinere non poſſint.* Ubi rectè Gloſſa: *Reſtitui debet Eccleſia, cui facta fuit injuria.* Simoniaci enim Epiſcopi aut Clerici intruſio eſt longè fœdiſſima Eccleſiæ injuria, macula & ruga. Et hoc jure etiamnum hodiè vivimus. Cuivis tamen piæ cauſæ reſtitutionem fieri conſuetudo permittit.

Laudatum Chalcedonenſem Canonem innovavit etiam ſecunda Sy-
Can. 4. nodus Aurelianenſis: *Si quis Sacerdotium per pecuniæ nundinas execrabili ambitione quæſierit, abjiciatur ut reprobus.* Quod ipſum faciunt quinta ejuſdem urbis, ſecunda Turonenſis, Cabilonenſis, ſecunda Remenſis Synodus, & in Capitulis Aquiſgranenſibus Carolus Magnus. Et Rogantibus Britonum Epiſcopis, *Utrum Simoniacè Ordinati poſſint in Ordine pœnitentiam agere, aut tantummodo extra Ordinem & Sacerdotalem fieri gradum,* ſeu irreparabiliter deponi, reſpondit Papa Leo quartus: *Convictis, qui tam deteſtabile nefas, quod jam multis damnatum eſt Conciliis, peregiſſe noſcuntur, nulla pœnitentia poſſumus ſubvenire, & tot ſpiritualibus Patribus obviare, ſed in illorum ſententiam me convenire certum eſt.* Haſce enim Ordinationes adeò deteſtata eſt, adeoque nulla unquam pœnitentia ad miniſterii executionem admittere voluit olim Eccleſia, ut etiam irritas diceret, & haberet quaſi ſubſtantialiter nullas. Uti congruentiſſima, ita & antiquiſſima eſt iſta locutio. Etenim de Georgio in Alexandrinam, Baſilio in Ancyranam, ac Quintiano in Gazenſem Cathedram per Aria-
Epiſt. 3. nos intruſis edixit Sardicenſis Synodus: *Eos nemo appellet Epiſcopos.* Eadem phraſi utuntur ſanctus Athanaſius, aliique antiqui Patres & Canones. Ipſam ad Simoniacas Ordinationes extendit laudatus ſuprà Canon Chalcedonenſis: *Nihil ex hac Ordinatione proficiat.* Et in litteris ad Victo-
Lib. 10. Ep. 32. rem Panormitanum Epiſcopum magnus Gregorius: *Ordinanti avaritia ſua convertatur ad pœnam, & illicita Ordinatio effectu carens, ambitionis*

*ſuæ*

Digitized by Google

*ſua deſiderio non fruatur.* Voces, *Effectu careat,* lucidè edicunt Ordinationes iſtas quoad executionem dumtaxat, non quoad ſubſtantiam eſſe irritas, ſeu in perpetua atque indiſpenſabili ſuſpenſione ac irregularitate firmatas. Et hinc Presbyterum Simoniacè Ordinatum in Epiſcopum, non uti Epiſcopum, ſed dumtaxat uti Presbyterum eſſe in judicio titulandum atque tractandum, ſcripſit in litteris ad Eudonem Normandiæ Ep. 17. Dapiferum, & facto docuit in litteris ad Sanctionem Simoniacum Aureliæ Epiſcopum ſanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis. Ep. 21.

Et hæc pœna Ordinatis inflicta fuit ipſo facto, & citra Judicis ſententiam obſtrinxit ad acceptum Ordinem aut dignitatem deponendam. Ita Reginaldus Leodienſium per Simoniam Epiſcopus Romam acceſſit pœnitens, & Joanni decimo nono Pontifici baculum reſignavit & annulum. Rem deſcribit ejuſdem Eccleſiæ Canonicus Anſelmus. Et Hubertum Loſinga, Norvicenſem in Anglia Epiſcopum, quod Urbano ſecundo idem fecerit, laudat Guilielmus Malmesberienſis. Etiam ſanctum Dominicum Loricatum, quod per parentum Simoniam initiatus à Sacri Ordinis Miniſterio ſpontaneus per omnem vitam ceſſarit, prædicat in litteris ad Alexandrum ſecundum Pontificem ſanctus Petrus Damiani. Scribit item in vita ſancti Romualdi: *Romualdus ſæculares Clericos, qui per pecuniam Ordinati fuerant, duriſſima ſeveritate corripiebat, & eos, niſi Ordinem ſponte deſererent, omninò damnabiles & Hæreticos aſſerebat.* Addit de Simoniacis Epiſcopis: *Nonnulli quoque Epiſcopi, qui per Simoniacam Hæreſim ſacras Sedes invaſerant, ad Romualdum pœnitentiæ cauſa concurrebant. Qui etiam venerabili viro ſe committentes, & Epiſcopatum ſtatuto tempore deſerere, & ad ſanctæ converſationis,* ſeu Monaſticæ profeſſionis *Ordinem promittebant feſtinare.* Simoniacè enim promotos Epiſcopos & Clericos ad perpetuam in Monaſterio & Monaſtico habitu pœnitentiam cogere eſt antiquiſſima, quæ plurimis exemplis oſtendi poſſit, Patrum diſciplina. Et hoc jure etiam nos hodiè vivimus, uti oſtendi poſſit per varias Romanorum Pontificum Conſtitutiones, præſertim Pauli ſecundi, & Pii quinti.

Cap. 76. Fol. 129. Cap 55.

Notanda tamen ſunt Pauli verba: *Declaramus quod omnes illi, qui Simoniacè Ordinati fuerint, à ſuorum Ordinum ſint executione ſuſpenſi.* Non dicit depoſitos, ſed dumtaxat ſuſpenſos: Quod nempe depoſitionem conſuetudo potius quam Canon paulatim mitigarit in pœnalem ſuſpenſionem. Eodem modò Martinus quintus in Synodo Conſtantienſi, & in Seſſ. 43. ſuis Decretalibus Gregorius nonus ſunt locuti, atque ita conſtat iſtam l. 5. tit. 3. mitigationem non eſſe novellam. Cæpiſſe exiſtimo, dum Simoniaca cap. 45. Ordinatio per Epiſcopos diſpenſari cæpit, & ad executionem habilitari. Depoſitio enim ex natura ſua eſt perpetua ac irreparabilis, apud antiquos



Digitized by Google

pauciſſima reperies reparationis exempla. Et quidem per Simoniacam Ordinationem contracta depoſitio fuit olim adeò firma, ut ipſam vix ullus reparaſſe legatur, niſi ob graviſſimas cauſas in Clericis Mediolanenſibus ſanctus Petrus Damiani, nimiæ exindè facilitatis notatus à Bertholdo Presbytero Conſtantienſi. Eandem clementiam poſtea exercuit etiam Urbanus ſecundus, memorato Huberto Norvicenſi, & aliis pluribus Simoniacè promotis Epiſcopis reddens, quem ad manus ejus poſuerant, Epiſcopatum. Et clementia non fuit infructuoſa: Quod enim dictus Hubertus per ipſam profecerit in duriſſimum Simoniæ flagellum, teſtatur laudatus Monachus Malmesberienſis. Et hinc dictus rigor pedetentim moderationem accepit. Etenim Simoniacè Ordinatos Clericos, licèt per ſolùm Romanum Pontificem, poſſe tamen quaſi Ordinaria gratia reparari, varii apud Gregorium nonum edicunt Canones. Quinimò occultam ſacri Ordinis Simoniam poſſe etiam per Epiſcopum & ſe-
Cap. 20. cretam pœnitentiam ſanari reſcripſit ibidem Alexander tertius. Quod ipſum de commiſſa per ſimplicitatem & juris ignorantiam lepra affirmat in
Ep. 51. litteris ad Toletanum Archiépiſcopum Stephanus Tornacenſis Epiſco-
Cap. 37. pus, & apud laudatum Gregorium Innocentius tertius confirmat. Quæ Epiſcoporum poteſtas per nimiam facilitatem progreſſa eſt paulatim ad
Conſtit. omnem Simoniam Ordinis: Quare nuper Sixtus quintus omnem peni-
91. tus hujuſmodi Simoniam rigidiſſimè reſervavit Sedi Apoſtolicæ, confirmavitque Clemens octavus. Ex quo igitur hæc lepra paſſim cæpit accipere gratiam, etiam inflicta illi per Patres depoſitio decrevit in pœnalem ſolummodo ſuſpenſionem.

Notanda item ſunt hæc Pauli ſecundi verba: *Simoniacè Ordinati.* Oſtendunt tertiam, quâ quis non Simoniacè Ordinatur à Simoniaco, Simoniæ ſpeciem jam pridem exoleviſſe. Eam adeò rigidè perſecuti ſunt Leo nonus Pontifex & ejus Succeſſores, ut ſolos jam Ordinatos gratiosè ad Miniſterium admiſerint, deinceps Ordinandos rejecerint ab omni ſpe, tractarintque tamquam nihil per vanam manus impoſitionem conſecutos. Moderari non nihil cæpit in Placentina Synodo Urbanus ſecun-
Cap 3. dus: *Si qui à Simoniacis non Simoniacè Ordinati ſunt, ſi quidem probare potuerint ſe, cum Ordinarentur, eos neſciſſe Simoniacos, & tum pro Catholicis habebantur Epiſcopis in Eccleſia, talium Ordinationes miſericorditer ſuſtinemus, ſi tamen laudabilis eos vita commendat.* Licèt non quoſvis à quibuſcumque, ſed ſolos ab occultis Simoniacis non Simoniacè conſecratos miſericorditer habilitet, attamen non factis dumtaxat, ſed & futuris Ordinationibus figit regulam. Et ex hac de quodam Carthuſienſi Monacho, per neſcio quem occulta tunc, ſed poſteà detecta Simonia Leprolum Epiſcopum conſecrato in Subdiaconum, ideòque in ſuſcepto gradu

Digitized by Google

gradu miniſtrare, & ad altiora per eundem Epiſcopum promoveri formidante, ad Cathedralem Cantuarienſium Monachorum Priorem reſcripſit apud Gregorium nonum Innocentius tertius: *Reſpondemus ut in Ordine ſic ſuſcepto miniſtret, ſed contra conſcientiam ad ſuperiores Ordines non aſcendat, ne fortè ædificet ad gehennam. Licet ex eo, quod conſcientiam habuerit nimis ſcrupuloſam, in difficultatem hujuſmodi ſit collapſus, quam utique non evadet, niſi deponat errorem.* Cap. 35. Reſpondet & ſucceptum Ordinem eſſe legitimum, & alios inſuper ab eodem Epiſcopo, poſt depoſitam tamen ſcrupuloſè errantem conſcientiam, poſſe ſuſcipi: Quoniam ex laudato Urbani Edicto ſuſcipi poſſunt à quovis Epiſcopo, qui in Eccleſia ſedeat uti Catholicus, & quem tu Simoniacum ignores. Notoria aut plenè probata debeat eſſe ejus lepra, ob ſolam malam famam nequeas Epiſcopo tuo ſubtrahere honorem iſtius communionis. Etenim dum Simoniacorum Sacramenta percipi vetuit etiam Gregorius ſeptimus, intellexit de ſolis convictis aut manifeſtis. Quæ regula obtinere quam maximè cæpit poſt Synodum Baſileenſem, quæ nullum, excepto Clerici notorio percuſſore, excommunicatum vitari voluit niſi poſt declaratoriam Judicis ſententiam: Exindè à notoriè etiam Simoniaco Epiſcopo potuimus ſine contagii periculo ad quoſvis Ordines conſecrari. Et hinc de tertia Simoniacæ Ordinationis ſpecie nullam meritò mentionem fecit Paulus ſecundus. Nullam item faciunt Canon Chalcedonenſis, ſanctus Patriarcha Gennadius, Gregorius Magnus, aut alii antiqui Simoniæ Inſectatores. Non enim eſt vera Simonia, ſed dumtaxat ex ipſa contractum vitium, quod Clemens ſecundus, Leo nonus, & ipſorum Succeſſores cunctis Simoniæ pœnis ob ſuorum temporum rationes puniverunt.

Et hiſce principiis innititur etiam laudatum Edictum Nicolai ſecundi & Gregorii ſeptimi, quo non ſolorum publicè conjugatorum, ſed & ejuſmodi Simoniacorum Epiſcoporum & Clericorum interdixerunt audiri Miſſas aut alia divina Officia, & quævis ab illis percipi Sacramenta. Quam hoſtiliter Sigebertus Gemblacenſis, & alii Henrici quarti Imperatoris fautores ſint perſecuti ſanctiſſimum Decretum, eſt ſuprà expoſitum. Ipſum in litteris ad Lucium ſancti Juventii Papienſis Præpoſitum inſigniter defendit Succeſſor Urbanus ſecundus: *Deceſſores noſtri Nicolaus & Gregorius à Miſſis Sacerdotum, quos Simoniacos revera eſſe conſtiterat, Fideles abſtinere decreverunt, ut & peccandi licentiam cæteris auferrent, & hujuſmodi ad digna pœnitentiæ lamenta revocarent.* Ep. 17. Eccleſiam & plebem ſuam per crimina ſcandalizanti Epiſcopo aut Clerico omnem penitus communionem & obedientiam à ſubditis ſubtrahi juſſit antiqua Patrum diſciplina; non niſi ad Synodi aut alterius Superioris ſententiam judicialem

fieri moderata eſt ex cauſis Synodus octava. Quocirca dum ſolam in divinis Communionem ſubtrahi conjugatis & Simoniacis Sacerdotibus ac Clericis mandarunt Nicolaus ſecundus & Gregorius ſeptimus, nullam novitatem induxerunt in Eccleſiam, quinimo antiquum, qui etiam in civilibus communionem vetabat, rigorem temperarunt. Et multos Fideles olim ſua ſponte noluiſſe adeſſe ejuſmodi Sacerdotum Miſſis aut Sacramentis, ſuprà audivimus ab Iſidoro Peluſiota. Quod ipſum in prima ſua Pictavienſi Synodo ſtatuerunt Joannes & Benedictus, Paſchalis ſecundi per Galliam Cardinales Legati: *Quicumque Sacerdotis per pecuniam Ordinati Miſſam ſcientes audierint excommunicationi ſubjacere debeant.* Quæ ſaluberrima diſciplina videtur modo abiiſſe in diſſuetudinem, reducta ad ſuprà memoratos terminos Decreti Baſileenſis.

Dixi Simoniacè Ordinatum olim fuiſſe ipſo facto degradatum, & citra omnem Judicis ſententiam obligatum ad deponendum Ordinem. Quâ pœnâ putant quidam adſtrictum fuiſſe ipſum etiam Ordinantem. Ego hic hæreo. Etenim Canon Chalcedonenſis, de Ordinato dicens, *Nihil ex hac Ordinatione proficiat, ſed ſit alienus a dignitate, quam pecuniis acquiſivit*, dicit de Ordinante: *Proprii gradus periculo ſubjacebit.* Quæ verba videntur degradationem non infligere, ſed dumtaxat jubere infligendam. Et ita loquuntur plures antiqui Canones. Sunt tamen & alii, qui eodem tenore de Ordinantibus loquuntur & Ordinatis. Et Novella Juſtiniani Auguſti ad Epiphanium Patriarcham Conſtantinopolitanum
Leg. 6. cap. 1. lex ait de promoto per Simoniam Epiſcopo: *Sciat ſe & ab Epiſcopatu caſurum, & hoc munus retributurum Ordinanti, ut & ille Epiſcopatum amittat, & à Clero cadat, & utrique cauſa talem præſtet retributionem, ut hic quidem non adipiſcatur quæ ſperabat, ille autem etiam quæ habebat amittat.* Eodem de ambobus modo ſtatuit etiam ſuprà adductus Canon Apoſtolorum. Et Joannem undecimum Pontificem, quod *Epiſcoporum Ordi-*
L. 6. c 7. *nationes pretio feciſſet*, à Romana Synodo fuiſſe ejectum ſcribit Luitprandus Diaconus Ticinenſis. Pontificem nequaquam degradaſſe videtur Synodus, ſed à Canone degradatum, qui ſponte cedere debuerat, dumtaxat ejecit. Res dubia eſt, & ego Simoniacis nolim patrocinari. Interim hæc etiam pœna hodiè decrevit, mutata in ſuſpenſionem.

Et hæc omnia locum ſemper habuerunt etiam in beneficiorum ſeu officiorum Eccleſiaſticorum emptoribus ac venditoribus, nec non & mediatoribus damnatæ hujus mercaturæ. De hiſce enim omnibus diſertè & pariformiter loquuntur Canon Chalcedonenſis, adducta Juſtiniani lex, Canones plurimi, editi præſertim à Leone nono & ejus Succeſſoribus. Et hinc de Henrico Albanenſi Epiſcopo, Alexandri tertii apud nos Cardinali Legato, ſcribit magnum Belgii Chronicon: *Henricus*

*Leodinus*

Digitized by Google

*Leodium venit prædicans contra Simoniam. Canonici conterriti ſua beneficia reſignaverunt.* Quæ pœna hodiè etiamnum omninò viget. Plurimum laudanda eſt Romana Eccleſia, quæ Simoniacum, licèt occultiſſimum, in beneficia ingreſſum nunquam purgat aut ſtabilit, ne quidem pro foro conſcientiæ. Attamen ad ſolam realem ultro citroque completam Simoniam contractus eſt hic rigor. Etenim conventionalem, quam antiqua diſciplina omninò plenè puniebat, & Pius etiam quintus Pontifex rurſum punire conatus eſt, Simoniam Eccleſia jam pridem non puniit, ſed Dei Judicio dereliquit. Videndæ ſunt laudati Pii, & aliorum recentiorum Pontificum Conſtitutiones.

---

# DISSERTATIO III.

## De Regia Antiſtitum nominatione.

## CAPUT PRIMUM.

### *Exponitur Regiæ nominationis antiquitas.*

VERISSIMA eſt antiqua Paroëmia, de qua ad Sororem ſuam Marcellinam ſanctus Ambroſius: *Vulgò dicitur, quod* Ep. 14. *Imperatores Sacerdotium magis optent, quam imperium Sacerdotes.* Dum enim iſtud illi ſibi arrogare non potuerunt, tentarunt ſaltem aliis donare. Antiquiſſima eſt præſumptio iſta. Etenim Salomon Pontificem Abiathar movit gradu, & Sadoc in ejus locum promovit. Quod an à Deo motus fecerit, quæſtio adhuc pendet. Quinimò Aſiæ Rex Antiochus non ſolum Jeſum, Oniæ Pontificis defuncti fratrem, ſed & Alcimum, hominem à Sacerdotali genere extraneum, nominavit Pontificem atque intruſit. Etiam Julius Cæſar nominavit ac intruſit Hircanum, quâ violentiâ & Rex Herodes fuit uſus. Etiam Rex Agrippa, ſub quo Jonathas Simonis frater inſignè dedit humilitatis exemplum: De delato enim Pontificatu, & Regio de ſe judicio egit gratias, admittere tamen noluit, tantæ dignitati affirmans ſe imparem ac inidoneum. Agrippæ frater Herodes conſtituendi Pontificis facultatem impetravit à Claudio Auguſto. Ea conſtitutio adeò erat in Romanorum poteſtate, ut Pontificale Ephod Syriæ Præſes cuſtodiret in arce Antoniana, & Pontifici ad ſacra ſuo tempore peragenda quaſi precario mutuaret. Porrò Chriſtianam & Apoſtolicam eligendorum Epiſ-



Digitized by Google

Epiſcoporum formam eleganter ex ſancti Cypriani ad Antonianum Epiſcopum litteris deſcribit in ſuo de electionibus libello Magiſter Florus
Cap. 3. Lugdunenſis Eccleſiæ Diaconus, & adjungit: *Juxta hæc verba beati Cypriani Ordinatos conſtat fuiſſe, & legitimè præfuiſſe univerſo populo deinceps omnes Eccleſiarum Antiſtites, abſque ullo conſultu mundanæ Poteſtatis, à temporibus Apoſtolorum, & poſtea per annos ferè quadringentos. Ex quo autem Chriſtiani Principes eſſe cœperunt, eandem Epiſcoporum Ordinationibus Eccleſiaſticam libertatem ex parte maxima permanſiſſe, manifeſta ratio declarat. Neque enim fieri potuit, cum unus Imperator orbis terræ Monarchiam obtineret, ut ex omnibus latiſſimis mundi partibus, Aſiæ videlicet, Europæ & Africæ, omnes qui Ordinandi erant Epiſcopi, ad ejus cognitionem reducerentur. Sed fuit ſemper rata & integra Ordinatio, quam ſancta Eccleſia juxta traditionem Apoſtolicam, & religioſæ obſervationis formam celebravit.*

Nominare Eccleſiæ Epiſcopos nullus unquam è Gentilibus Romani Imperii Auguſtis attentavit. Ne quidem ad ſedandas contentioſæ electionis quæſtiones. Etenim quomodo ejuſmodi inter Antiochenam Synodum & Paulum Samoſatenſem, ejuſdem civitatis Patriarcham, delatas ſibi quæſtiones Aurelianus Imperator miſerit ad Dionyſium Pontificem, refert in Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebius Cæſareenſis. Etiam natas inter Cecilianum & Majorinum de Chartaginenſis Eccleſiæ Præſulatu lites derimere nequaquam præſumpſit, licèt jam Eccleſiæ Catechumenus, Conſtantinus: Prius per Melchiadem Papam, ac tum per Synodum Arelatenſem voluit judicari. Solus poſt ſancti Fabiani Pontificis mortem Imperator Decius, Eccleſiæ negotio ſe miſcens, ad novam electionem procedi interdixit. Aſt interdictum conſtanter adeò ſprevit Romanus Clerus ac fidelis Populus, ut de dicto Principe ad præfatum Antonianum ſcribat laudatus Cyprianus: *Cornelius ſedit intrepidus Romæ in Sacerdotali Cathedra eo tempore, cùm Tyrannus infeſtus Sacerdotibus Dei fanda atque nefanda comminaretur, cùm multo patientius & tolerabilius audiret levari adverſus ſe æmulum Principem, quam conſtitui Romæ æmulum Sacerdotem.* Gentiles Romanorum Auguſti non ſolùm Imperatoris, ſed & Summi Pontificis gerebant titulum, & hunc illo majorem ducebant, aut certè æqualem. Poſteriorem gerebat & Romanus Chriſtianorum E-
Cap. 1. piſcopus, uti palam lucet ex Tertulliani libro de Pudicitia. Probroſam Imperii injuriam & læſæ Majeſtatis crimen eſſe id cenſuit Decius, ideoque & Fabianum trucidavit, illi Succeſſorem creari vetuit atrociſſimè, & Imperii dignitatem ac rem à ſibi rebellibus Gallo & Voluſiano invadi tulit patientiùs, quam à ſancto Cornelio in Fabiani locum ſuffecto ſolum titulum Pontificatus. Cornelii, electionem iſtam admittere auſi, conſtantiam meritò extollit Cyprianus.

Ex

Digitized by Google

Ex Chriſtianis Romanorum Imperatoribus nominare Epiſcopos primus cœpit ab Euſebiana Arianorum factione circumſcriptus Conſtantius. Ejus Pater Conſtantinus Epiſcoporum electionibus quandoque ſe miſcuit. Etenim Metrophani Conſtantinopolitano, quod ætate eſſet decrepitus, Succeſſorem ſibi nominare præcepit, & de nominato per ipſum Alexandro ſcribit in Bibliotheca Photius; *Populus uno ore cum ipſo Imperatore exclamavit, Dignus eſt.* Dejecto per Antiochenam Euſebianorum Synodum ſancto Euſtatio Antiochiæ Patriarcha, quod in Sedem iſtam Euſebius Metropolita Cæſareenſis nollet intrudi, Conſtantinus commendavit Euphronium ac Georgium, mandans ex ipſis eligi unum, eſtque electus Georgius. Attamen nullum unquam Epiſcopum legitur nominaſſe. Primus id tentavit Conſtantius, contra quem in litteris ad Solitarios ſcribit ſanctus Athanaſius: *Conſtantius ut gigas contra Altiſſimum arrogantia ſe efferre auſus eſt, & rationes mutandæ legis excogitavit, diſſolvens Chriſti & Apoſtolorum inſtituta, moreſq; Eccleſiæ invertens, & ex locis peregrinis cum militari ſatellitio Epiſcopos ad populos invitos ſubmittit, qui pro mutua invicem cum populo notitia minas ſecum deferunt, & diplomata ad Judices.* Arguit Conſtantium, quod Orthodoxos & legitimè promotos Epiſcopos potenter ejiceret, & authoritate Regia, ac militari violentia intruderet homines Arianos. Ita Georgium Cappadocem in Alexandrinam, Germinium Cyzicenum in Syrmienſem, Cecropium Laodicenum in Nicomedienſem, Auxentium Cappadocem, linguæ Latinæ imperitum, intruſum dicit in Eccleſiam Mediolanenſem. Addit quarundam Civitatum non Fideles tantùm, ſed & Gentiles incolas fuiſſe ad Sacramenta compulſos, *quibus pollicerentur ſe pro Epiſcopo accepturos, quem Imperator mitteret.* Etiam illos, *quos aſſeclæ militum nominarant in Epiſcopos*, queritur fuiſſe intruſos in Eccleſias, homines Meletianos, Neophytos, necdum Baptizatos aut Catechizatos, Simoniacos, à quibus nihil virtutis exigatur, ſed tantùm pertinax conjuratio in factionem Arianam. Et exclamat: *Ubi ille Canon, ut ex palatio mittatur is, qui Epiſcopus futurus eſt? Aut quod genus Canonis, quo licitum eſt militibus Eccleſias invadere*, & Epiſcopos inthronizare? Quæ omnia pari zelo exaggerat in litteris ad omnes ſub cœlo Orthodoxos. Et hinc lucet trigeſimum primum vulgarem Apoſtolicum Canonem: *Si quis Epiſcopus ſæcularibus Poteſtatibus uſus, Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur, & ſegregentur omnes qui illi communicant.* Lucet, inquam, hunc Canonem, licèt non quoad verba, tamen quoad ſenſum eſſe germaniſſimam Apoſtolicam traditionem. Quam audaciam in Conſtantio Auguſto notant & damnant etiam Lucifer Calaritanus Epiſcopus, Hermias Zozomenus, Socrates, Theodoretus, ac præſertim ſanctus Hilarius Epiſcopus Pictavienſis. Vita jam defunctum Conſtantium oſtendit

L. 256.

poſſe

Digitized by Google

poſſe ſine petulantia vocari Antichriſtum ex cauſis variis, quarum una ſit: *Epiſcopatus tuis donas.* Et huc omninò reſpicit antiquus adversùm Græcorum Schiſma tractatus, repertus Conſtantinopoli in Conventu Prædicatorum: *Patriarchæ Græcorum, & Archiepiſcopi, & Archimandritæ, ſecundùm quod aliquando fuit in primitiva Eccleſia Hæreticorum, ad obtinendas honoris celſitudines à Laïcis promoventur.*

Et hinc à Medionalenſis Provinciæ Synodo rogatus, ut in Auxentii defuncti Metropolitæ locum *ipſemet ſapientiâ & pietate inſignis Epiſcopum deligeret*, rectè apud Eccleſiaſticam Theodoreti Hiſtoriam reſpondit
L. 4. c. 6. Valentinianus primus Imperator: *Majus eſt viribus meis hoc negotium. Vos qui divinâ gratiâ ornati eſtis, ab illo ſplendore illuminati melius diſcernetis.* Eandem tamen ſibi à Conſtantinopolitana Synodo oblatam poteſtatem
L. 7. c. 8. non rejecit magnus Theodoſius: Quod è multis ſibi per Epiſcopos ad Regiæ urbis Præſulatum præſentatis & commendatis ipſe nominarit atque elegerit Nectarium, teſtatur Hermias Zozomenus. Quin & hujuſmodi Regias uſurpationes antiqua Eccleſia quandoque diſſimulavit. Etenim quod Theodoſii filius & ſucceſſor Arcadius ſancto Joanni Chryſoſto-
Lib. 5. 27. mo Conſtantinopolitanum Epiſcopatum Regia authoritate dederit, affirmat laudatus Theodoretus. Quod id à populo, per Cleri Conſtantinopolitani in duras contentiones progreſſi ambitum offenſo, rogatus fecerit, in Dialogo cum Theodoro Romanæ Eccleſiæ Diacono teſtatur Palladius Epiſcopus Helenopolitanus. Et hinc Theophilus Alexandriæ Patriarcha anſam aſſumpſit Joannis Epiſcopatum calumniandi. Etiam de Theodoſio Arcadii filio & ſucceſſore ſcribit Socrates: *Poſt mortem Siſinnii*, Epiſcopi Conſtantinopolitani, *viſum eſt Imperatori propter homines*, ejuſdem Eccleſiæ Clericos, *inanium rerum*, utique ſplendoris Epiſ-
Lib. 7. c. 29. copalis, *appetentes, neminem ex illa Eccleſia ad Epiſcopatum illum eligere, ſed advenam Antiochia accerſere conſtituit.* Patrem ſuum, qui eadem de cauſa Joannem Chryſoſtomum Antiochia fœliciſſimè evocarat, imitandum duxit, infœliciſſimeque evocavit Neſtorium. Quod etiam Zeno & Anaſtaſius Imperatores nominarint & intruſerint Epiſcopos, oſtendi poſſit vario exemplo. Et ad Hormiſdam Pontificem ſcribunt ejus per
Rel. 2. poſt Ep. 65. Orientem Legati de Juſtino primo Imperatore: *Poſt multas afflictiones & pœnè in tres menſes à partibus tracta certamina, piiſſimus Imperator auctoritate ſua Paulum nomine Presbyterum de Eccleſia Conſtantinopolitana elegit Epiſcopum fieri in Eccleſia Antiochena.* Ad ſedandas electionis turbas id fecit Princeps piiſſimus ſub relatione facienda ad Romanam Eccleſiam quæ diſpenſatorium ejus zelum omninò probavit. Imperator Juſtinianus, licèt variâ violentiâ vexaverit Eccleſias, vix tamen nominaſſe legitur, niſi ſemel ob Schiſma Eccleſiæ Alexandrinæ. Hanc impius Severus Antiochiæ

Digitized by Google

tiochiæ Patriarchatu, & Julianus Halicarnaſſi Epiſcopatu ejectus, per ſuas de corruptibili ac incorruptibili JESU CHRISTI Corpore diſputationes turbarant, atque ita in factiones lacerati Cleri & populi una Gainam, altera pars elegerat & conſecraverat Theodoſium. Hinc de Juſtiniano ſcribit Martyr Theophanes: *Theodoſium & Gainam litteris accitos* Fol.188. *Conſtantinopolim advenire, & ab invicem ſeparatos vivere mandavit Juſtinianus, & Paulum quendam renuntiavit Alexandriæ Antiſtitem.* Rei ſeriem latè deſcribit in Breviario Liberatus Carthaginenſis Eccleſię Diaconus. Conſuetudo, qua diſcordes Eccleſiarum aut Monaſteriorum electiones ad ſe devolvere, & utrâque caſſatâ nominare ſoliti ſunt olim Francorum Reges, adeò antiqua habet fundamenta.

Modum excedere, & Conſtantii Auguſti temeritates æmulari cæpit Juſtinus ſecundus, de quo in Eccleſiaſtica Hiſtoria ſcribit Evagrius Epiphanienſis: *Juſtinus in obſcænis voluptatibus volutatus, alienæ pecuniæ* Lib.5.c. *adeò ardenter fuit appetens, ut omnia iniqui quæſtus gratia divenderet, imò* 1. *verò ipſa etiam Sacerdotia, divinum numen minimè reverens, plebeis hominibus venalia palam exponeret.* Avunculi ſui & Anteceſſoris, qui Canonicas electiones rigidiſſimè confirmarat, Juſtiniani Novellas leges eſt peſſimè prævaricatus. Et hanc temeritatem nullus dudum Succeſſor reſumpſit, nequidem quoad Conſtantinopolitanam Eccleſiam, de qua tamen poſt Cyriaci Patriarchæ electionem ſcripſit ad Mauritium Auguſtum Magnus Gregorius: *Non parvæ potuit eſſe mercedis, quod ad ordinandum* Lib. 4. *Sacerdotem Pietas veſtra diu heſitavit, tempus paulò longius diſtulit, cum* Ep.6. *metu omnipotentis Domini conſilium quæſivit, ut videlicet cauſa Dei cum magno debuiſſet timore diſponi. Undè & aptum valdè exiſtere in Paſtorali regimine fratrem atque Conſacerdotem meum Cyriacum exiſtimo, quem ad eundem Ordinem Pietatis veſtræ longa conſilia genuerunt.* Palam aſſerit Canonicam electionem, licèt Principis conſilio directam, Conſtantinopoli omninò viguiſſe.

An Tyrannus Focas nominaverit, ignoro. Magno Pontifici Gregorio ac ejus Succeſſoribus placere eſt ille conatus, ideoque videtur non nominaſſe. Proximus Succeſſor Heraclius omninò nominavit. Lucet ex hiſtorico ſancti Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani Breviario: *Sergius Conſtantinopolitanus Patriarcha moritur. Et quia Pyrrhum Heraclius* Fol.18. *amabat, adeò ut fratrem appellaret, quod Imperatoris Sororem è ſacro fonte ſuſceperat, ſimul quod ejuſdem Sergii familiarem fuiſſe, cum eoq; vixiſſe cognorat, in illius locum ſubſtituit.* De eodem Principe, ac de Athanaſio Jacobitarum Patriarcha ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius: *Athanaſio re-* Fol.101. *promiſit Heraclius, ſi Chalcedonenſem Synodum ſuſcepiſſet, Patriarcham illum Antiochiæ ſe fore facturum.* Verùm violentia non tranſivit in morem.



Digitized by Google

Etenim Heraclii Succeſſor & Nepos Conſtans ipſam non legitur attentaſſe. Quod hujus filius & Succeſſor Conſtantinus Pogonatus liberam Antiocheni Patriarchæ electionem permiſerit ſexto Concilio, lucet ex actis Synodalibus. Romanam Eccleſiam ille etiam dilexit, ideoque & Canones fuerit veneratus. Verùm de ejus Succeſſore & filio Justi-
Fol. 121. niano ſecundo pergit laudatus Anaſtaſius. *Juſtinianus* in Imperium reſtitutus *Callinicum Patriarcham ablatis oculis apud Romam exilio relegavit, & pro eo Cyrum, qui in Inſula fuerat incluſus Amaſtridis, qui prænuntiaverat ſibi prioris reſtitutionem Imperii, ſurrogatum provexit.* Etiam de hujus
Fol. 124. poſt Leontium & Abſimarum Succeſſore Philippico ſcribit: *Philippicus Cyro Patriarcha pulſo Joannem communicatorem ſuum atque Hæreticum in Patriarcham promovit.*

Canonica electio ita titubavit uſque ad Leonem Iſaurum ac ejus filium Conſtantinum Caballinum, qui ad Iconoclaſticam ſuam Hæreſim ſtabiliendam exceſſerunt omnes limites, omnem Canonem contempſerunt. Eorum violentias expoſui in Scholiis ſeptimæ Synodi. Conſtantini filius & Succeſſor Leo quartus Orthodoxam fidem ſimulavit in exordio, nominandi tamen violentiam non depoſuit, ſcribitque de ipſo laudatus A-
Fol. 155. naſtaſius: *Leo Metropolitanos ex Monachis in primis Sedibus collocavit.* Addit quod hujus vidua Irene ac filius Conſtantinus, licèt ad Orthodoxam fidem plenè rediiſſent, tamen nominaverint ſanctum Patriarcham Tharaſium. Et ſub hujus Patriarchatu, & iſtorum Imperio celebrata eſt ſeptima Synodus, quæ Regiæ nominationis violentiam regidiſſimè percuſſit & damnavit. Riſu dignus eſt hic Theodori Balſamonis in tertium illius Canonem Commentarius: *Canon non decernit de electionibus, quæ fiunt à Magiſtratibus ſeu Principibus, ſed de electionibus Epiſcoporum, quæ Principum ſeu Magiſtratuum violentiâ procedunt. Dicit ergo, quod etſi opinione & ſpecie ab Antiſtitibus, penes quos eſt eligendi poteſtas, fiant, quoniam tamen potentiâ ac vi procedunt, infirmari debent ac reſolvi.* Quis enim non videat à Canone, qui Antiſtitum electiones quavis Regum violentiâ turbari vetat, longè magis vetari totalem electionis exſtinctionem ac intruſivam nominationem? Et certè non iſto, ſed hoc vitio electiones fœdaverant Leo & Conſtantinus, ideoque & ipſum præſertìm laudata Synodus damnavit. Longè magis ſe ridendum exponit idem Balſamon, ubi ſuas nugas à ſeptimo decimo Chalcedonenſi, & trigeſimo octavo Trullano Canone opinatur adjuvari.

Et quidem laudatus Canon omni fructu non caruit. Etenim de proximo ſancti Tharaſii Succeſſore ſancto Nicephoro pergit Anaſtaſius: *Anno Imperii Nicephori quarto, duodecimo Calendas Martias, Tharaſius ſanctiſſimus Patriarcha Conſtantinopolitanus glorioſè diem clauſit extremum. Et menſe*

Digitized by Google

*menſe Aprili, die Dominico ſancti Paſcha, conſecratus eſt ſanctiſſimus Patriarcha Nicephorus à ſecretis, electione totius populi, & Sacerdotum inſuper, & Imperatorum.* Quod ipſum eiſdem ferè verbis ſcribit Georgius Cedrenus. Nempe Irenes in Imperio Succeſſor Nicephorus, licèt Tyrannus & ſordidus, erat tamen Orthodoxus, ideoque & reparatam à ſeptima Synodo diſciplinam eſt veneratus. Eandem longè majori reverentiâ proſecutus fuit Succeſſor Michaël Rangabes, Pater ſancti Patriarchæ Ignatii. Nam ſub utriuſque Imperio Conſtantinopolitanam Eccleſiam rexit ſanctus Nicephorus. At verò hunc ejecit, & Iconoclaſticam Hæreſim reduxit Imperator Leo Armenius, ſcribitque de ipſo incognitus Auctor: *Leo Theodorum Michaëlis Patritii Meliſſeni, Conſtantini Imperatoris Caballini ob tertiam ejus conjugem Leviri filium elegit. Illum, inquam, Theodorum, opinatis ejus conſentientem, maritali nuptiarum coronâ notatum, tonderi juſſit, & Patriarcham conſecrari.* Exſtat libellus in Byzantina Hiſtoria poſt Annales ſancti Theophanis. Reſuſcitata Iconoclaſtia reſuſcitavit & Regiam Antiſtitum nominationem. Hanc adeo continuarunt Succeſſores, ut Bardæ Cæſaris factio poſtmodum ſumpſerit ex ipſa fundamentum adverſus laudatum Patriarcham Ignatium: Aſſeruit ipſum non Canonicè electum, ſed intruſum Regiâ violentiâ, ideoque & extrudendum. Et hinc violentiam iſtam denuò proſcripſit octava Synodus, & ſeverè damnavit. Fol. 170.

Sub Baſilii Macedonis Imperio facta eſt hæc Synodus, videturque is Canonem obſervaſſe. Verùm ejus Succeſſor & filius Leo ſapiens extruſit & ad carceres damnavit Schiſmaticum Patriarcham Photium, ac Patriarchali Sedi impoſuit ſuum fratrem Stephanum. Et ob graviſſimas rationes Romana Eccleſia diſpenſatoriè probavit. Ita denuò revixit violentia. Et vario pede ambulavit uſque ad Imperium Nicephori Phocæ, de quo Georgius Cedrenus: *Id verò omnium graviſſimum, quod legem tulit, cui & Epiſcopi quidam leves ac adulatores ſubſcripſerunt, ne Imperatoris injuſſu ullus crearetur Epiſcopus.* Quod ipſum ſcribit Michaël Glycas. Fol. 658. Fol. 307. Anteriores Principes ſolos ferè Patriarchas ac majores Metropolitas nominaverant, nullaque lege aut Edicto læſerant Apoſtolicum liberæ electionis Canonem, hic Necephorus invaſit cunctas electiones, & Apoſtolicum Canonem exſtinxit. Edicti radicem aperit Joannes Zonaras: *Orta inter Summum Paſtorem, Patriarcham Polyeuctum, & Primarios Sacerdotes contentione, cum hi decernendi licentiam & approbandi poteſtatem ſibi vindicarent, ille ſuffragia reprehenderet, ut quæ nec ſine affectibus, nec recto judicio ferrentur, operamq; daret, ut ab his judicium facturis & ipſe in conſilium adhiberetur, Imperator ex hoc ſumpta occaſione, & omni auctoritate deſignandi Epiſcopos ſibi vendicata, edixit ne quiſquam injuſſu ſuo in ullam Ec-*



Digitized by Google

*cleſiam mitteretur*. De Provincialium Epiſcoporum eligendorum & confirmandorum jure diſceptabant Patriarcha ac Metropolitæ, & litem Imperator diremit. Omnem hanc poteſtatem abſtulit Epiſcopis, & ſibi adſcripſit. Et hic rurſum explodendus eſt Theodorus Balſamon, ad ſeptimum decimum Carthaginenſem Canonem ſcribens Imperatorem ſacræ Unctionis vigore eſſe ſuprà leges & Canones, poſſe omnia in Eccleſiis, atque ita ab illo non ſolum Provinciales aut Metropolitas Epiſcopos, ſed & ipſos Patriarchas meritò eligi & deſignari. Nempe eſt unus ex illis Epiſcopis, quos Cedrenus rectè appellat leves & adulatores.

Aliud longè ſenſit præfatus Patriarcha Polyeuctus, qui Nicephori Succeſſorem Joannem Tzimiſcam nec ad Imperii Coronam, imò nec ad Eccleſiæ ingreſſum admittere voluit, niſi ſub certis articulis, inter
Fol.664. quos fuit & hic à Cedreno laudatus: *Polyeuctus juſſit conſcindi libellum Edicti, quod ad confundendas res Eccleſiaſticas Nicephorus ediderat.* Addit
Fol.308. Michaël Glycas: *Præter hæc Tzimiſcas etiam libellum illum dilacerat, quem Phocas ad perturbandam Eccleſiam conſcribi curaverat.* Ejuſdem ſententiæ fuerunt apud laudatum Cedrenum illi poſteà Metropolitæ, qui Patriarcham Alexium, tanquam Regiâ violentiâ intruſum, ſunt conati extrudere, & Joannem Michaëlis Paphlagonis Imperatoris fratrem in ejus Thronum per Canonicam electionem exaltare. Verùm Alexius repoſuit:
Fol.740. *Quando, ut vos dicitis, non ſuffragiis Pontificum, ſed juſſu Baſilii Imperatoris hoc ego ſolium contra Canones conſcendi, agedum quos ego conſtitui Metropolitas, jam per undecim annos & anni ſemiſſem gubernans Eccleſiam, deponantur. Anathema quoque denuntietur tribus Imperatoribus, quibus ego Coronas Imperii impoſui. His factis, cedo ſolium ei qui vult ſuccedere.* Hæc interceſſio zelum Metropolitarum penitùs frigefecit. Conſentit in libro de ſacris Ordinationibus Simeon Archiëpiſcopus Theſſalonicenſis, morem quo recens ordinatos Epiſcopos ad ſuæ manus oſculum etiam coëgerunt Græci Imperatores graviſſimè arguens, & adjungens: *Verùm iſta non*
Cap. 8. *tam ab Imperatoribus, quam ab adulatoribus fiunt, qui eos humanis verbis falſa perſuaſione commovent ad majora perpetrandum, ita ut audeant & promovere Epiſcopos, & tranſlationes facere.* Acriter inſectatur violentam iſtam Eccleſiaſticæ dignitatis injuriam, & ejus cauſa aſſeverat Imperium jam eſſe everſum. Putatur enim à quibuſdam Simeon vixiſſe illo tempore, quo Conſtantinopolis fuit in poteſtate Flandrorum.

Notanda ſunt ejus verba: *Tranſlationes facere.* Reſpiciunt & damnant fucum, quo quidam Græci iſtam ſuorum Principum violentiam ſunt conati dealbare. Ipſum lucidè expoſuit Imperator Joannes Cantacuzenus, dum ſub Imperatore Andronico ſecundo Paleologo adhuc magnus Domeſticus Joannem familiarem ſuum Presbyterum evexit ad Patriarchatum.

tum. Eum nominarat dictus Andronicus, verùm quod conjugatus eſſet & conjugio adhuc uteretur, Epiſcopi illum averſabantur, & conſtanter intercedebant. Arte utendum vidit Cantacuzenus. Ipſum Epiſcopali conſecratione dignum judicari, & ad Theſſalonicenſem Eccleſiam conſecrari impetravit ab Epiſcopis, conſecratum curavit mox à Principe transferri Conſtantinopolim, & ad circumſcriptos Antiſtites eſt ſermonem proſecutus: *Si Patriarcha aliquam aliam gratiam, virtutemvè ex Cœleſtium donorum promptuario accipit, quam alius Antiſtibus accipere non licet, valeret aliquid oratio. Si autem ſecus eſt, omneſq́; & majorum & minorum urbium Epiſcopi æqualiter gratiæ participes fiunt, honor autem & ſplendor Sedium penes Imperatorem eſt, licetq́; ipſi parvæ urbis Epiſcopatu dignum judicatum ad majorem provehere, quid neceſſe eſt ſine modo ita putidas ſolutaſq́; faciles reſponſiones congerere, videriq́; temerè Imperatorem offendere, in quibus non ſolùm contradicere, ſed nec paulùm adverſari, verùm quæ ei ut à juſtitia & recta ratione non adeò abhorrentia probantur, decernere oportet.* L.2.c.21. Affirmat Epiſcopis ſolùm de nominatæ perſonæ ad accipiendam conſecrationem capacitate judicium competere, titularis civitatis aſſignationem ſpectare ad ſolum Principem, & iſta in re Epiſcopos non poſſe adverſus hunc intercedere. Per hunc circuitum Joannes evaſit Patriarcha. Et iſtas ſubtilitates meritò damnat Simeon Theſſalonicenſis. Aliud fucandæ violentiæ Commentum adducit Matthæus Blaſtares: *Licèt Canones reſervent Epiſcopis Provinciæ ſuffragia in Epiſcoporum electionibus, prohibeantq́; ne aliquid ejuſmodi cum quovis Principe communicetur, Imperatores tamen ſine Epiſcoporum ſuffragiis & Patriarchas & Epiſcopos eligunt & promovent. Propterea, ut videtur, regnante Michaële Duca Metropolita ille Sidæ Regni negotia adminiſtrabat, & qui tum Neo-Cæſarea, quæ ad urbem ſpectabant in Commentarios referebat. Et noſtra ætate Niphen Cyzici Metropolita & vectigalium deſcriptiones, & cæteras omnes publicas ſervitutes procurabat & exequebatur.* Epiſcopos, ne ipſorum electionem ſine fundamento attentare videretur, in publicos auguſtæ domus & Reipublicæ Miniſtros exaltavit Michaël Parapinacius, per ipſos nominavit Patriarchas & Epiſcopos, atque ita ſibi viſus eſt Laïcam poteſtatem in Eccleſiaſtica ac Divina non extendere. Et certè ob ſimiles cauſas etiam Carolini Francorum Reges in Palatio habuerunt Epiſcopum vel Abbatem Archi-Capellanum.

Porrò Joannes Tzymiſcas Nicephori Phocæ Edictum ex animo nec abjecit nec laceravit. Etenim de ipſo pergit Cedrenus: *Cum Antiochia* Fol.665. *ad Orontem fluvium ſita aliquamdiu Summo Pontifice caruiſſet, ad id munus Imperator provehit Theodorum Monachum, omnibus florentem bonis, qui ei etiam prædixerat Imperio potiturum.* Et de ejus Succeſſore Baſilio: Fol.719. *Paucis antè mortem Baſilii diebus obiit Euſtatius Patriarcha, in cujus locum*

 *Impe-*

*Imperator ſubſtituit Alexium Monachum.* Et de Michaële Paphlagone:
Fol.739. *Imperator Antonium Pachen Eunuchum ſibi genere propinquum, Nicomediæ Epiſcopum fecit, planè nihil habentem Epiſcopatu dignum.* Et infrà: *Im-*
Fol.741. *perator Theophanem Theſſalonicæ Metropolitam Eccleſiæ abactum in quoddam prædium deportat, Epiſcopatum Prometheo committit.* Quomodò Michaëlem Cerularium Patriarchatu dejicere ſtuduerit Imperator Iſaacius Comnenus, refert Joannes Schylitza, & proſequitur: *Sufficitur in ejus locum Patriarcha Conſtantinus Lichudes, qui priùs Metropolitarum, & Cleri totiuſq; populi ſuffragiis delectus fuerat. Et quamvis delectus fuiſſet non ſine contentione, Archiëpiſcopatum & Patriarchatum neque ſine controverſia adeptus eſt. Verùm Imperator ſtudens talia jura ſibi vindicare, hoc ipſi tempus idoneum ratus, Presbyterum ordinatum vetuit ne Archiëpiſcopatus unctionem perfectam acciperet, quoad, inquit, quæ in te jactantur, per Synodum Canonicè examinentur. Conſtantinus autem non ignorans hæc quomodo contra ſe inquirerentur, inopinatum dedecus reputans, quæ quærebantur tradidit Imperatori.*
Fol.809. In eligendo novo Patriarcha Metropolitæ Imperatorem prævenerant. Electionem caſſare hic non præſumpſit, & tamen nominandi violentiam noluit interpolari: Criminaliter Conſtantinum accuſavit, quæſito electionis jure privare conatus eſt, & tunc alium nominare. Pergit Schylitza
Fol.866. de Succeſſore Michaële Parapinacio: *Sepulto Patriarcha Joanne Xiphilino, Imperator alium delegit, Coſmam Monachum, qui à ſancta Civitate venerat.*
Fol 867. Et de proximo Succeſſore Nicephoro Botoniate: *Vita functo Joanne Bulgariæ Archiëpiſcopo, alium in ejuſdem locum Imperator declaravit Joannem eundem nomine. Similiter mortuo Antiochiæ Patriarcha, declaravit Imperator quemdam Nicephorum, Maurum cognomento. Et alii multi Metropolitani, & ſacri Viri, ipſo imperante delecti ſunt, qui omni reprehenſione caruerunt.* Inter ejus Succeſſorem Alexium Comnenum & Boadmondum Antiochiæ Principem ſtipulata pacis pacta refert Anna Comnenâ, & in ipſis eſt hoc Boadmondi juramentum: *Promitto etiam, & jurans teſtor eum,*
Lib. 13. *qui in Antiochia Eccleſia oratur & adoratur Deum, non futurum Antiochiæ Patriarcham è noſtro genere, ſed eum quem Majeſtas veſtra in eam dignitatem promoverit, delectum ex numero alumnorum magnæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ.* Magnam Antiochiam, quæ à vigeſimo ſeptimo Imperatoris Heraclii anno gemuerat ſub Saracenis, Chriſto Domino & Conſtantinopolitano Imperio reddidit Nicephorus Phocas: Magnum revera Principem, quidquid in ipſum ſcribat Luitprandus Cremonenſis Epiſcopus, Græci meritò titulant flagellum Saracenorum. Verùm ſub Alexii Comneni Imperio ipſam denuò invaſit Solimannus Turcorum Princeps, cujus Sultanica erat apud Nicœam Bithyniæ. Eam Chriſto Domino & Romanæ Eccleſiæ tunc iterum reddiderunt noſtri per Urbanum ſecun-

dum

dum Pontificem & Claromontanam Synodum Cruceſignati Flandri & Franci, & in Terræ ſanctæ ſortitione ipſam accepit Boadmondus filius Roberti Guiſcardi, dominantis in Sicilia. Aſt ipſam reclamare non deſiit Imperator Alexius: Et poſt longa bella & contentiones ipſam tandem Boadmondo permiſit ſub variis conditionibus, quarum una erat jam memorata nominatio Patriarchæ. Adeò nominare conſuetus atque cupidus erat Alexius. Reſumptum à Michaële Cerulario Schiſma tunc fovebat Conſtantinopolitana Eccleſia, ideoque Boadmondi juramentum erat iniquum, & iniquitatis vinculum. Erat & vi extortum. Hinc ipſum excuſſit Romana Eccleſia, à ſeptimo Gregorio nuper factam Canonicæ electionis reparationem ſuſtinere iſtic conſtanter perrexit, eligere Patriarcham Latinum, & Schiſmaticum Græcum nec intra muros admittere. Græci interim Imperatores etiam perrexerunt è Conſtantinopolitano magnæ Eccleſiæ Clero nominare. Et ex iſtis nominatis fuit Theodorus Balſamon, dictæ Eccleſiæ ante Cartophylax. Negata reſidentia eſt una ex cauſis, quæ ejus animum adverſus Latinam Chriſtianitatem inſigniter exulcerarunt. Et hæc eſt radix, quæ nobis dedit ſimul duos Patriarchas Antiochenos, Græcum alterum, alterum Latinum.

Quod Alexii Comneni Nepos & Succeſſor Manuel etiam Patriarcham nominarit, teſtatur Nicetas Choniates. Fuit & hic nominandi adeò tenax & cupidus, ut duodecimi ſæculi ſeptuageſimo ſeptimo anno Eccleſiaſticam cum Armeniis pacem initurus, per Legatos ſuos expoſtulaverit hunc articulum: ***Quærimus ut veſtri Patriarchæ promotionem, a Græcorum dumtaxat Imperatore faciendam, ratam habeatis.*** Exſtant acta apud Clementem Galanum. Iſtud ipſum de Manuelis Succeſſore Andronico affirmat in Alexio Manuelis filio idem Choniates. Demonſtrat etiam de Iſaacio Angelo. Et hæc tempora reſpicere videtur repertus Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores tractatus, affirmans Græcorum non tantùm Patriarchas ac Archiëpiſcopos, ſed & Abbates paſſim à Principe nominari. Quidquid ſit, circa hoc tempus Conſtantinopolis fuit capta à noſtris Flandris, ideoque calamitatum pertæſus Joannes Camaterus Patriarchatum depoſuit: Quod ejus in locum Imperator Theodorus Laſcaris ſuffecerit Antonium Auctorianum, teſtatur Georgius Acropolitanus. Latinum urbi Patriarcham Innocentius tertius dedit Thomam Venetum: Et exindè cæpimus habere etiam duos, Latinum & Græcum, Patriarchas Conſtantinopolitanos. Ita diſertè teſtatur Joannes Cantacuzenus. Etiam de Theodori Laſcaris Succeſſore Joanne Duca pergit Georgius Acropolitanus: ***Germanus Patriarcha in Beatorum Sedes avocatur. Poſt eum Monachus Methodius, tres tantum menſes throno potitus, obiit. Et Eccleſia vidua Pontifice ſuo carebat. Cum enim Joannes Imperator in his***
expe-

L. 1. c. 2.

Cap. 9.

L. 2. c. 4.

Lib. 3. cap. 95.

Digitized by Google

*expediendis non eſſet admodum promptus, non ita facilè poterat è re nata dignum tali ſolio, vel potiùs qui illi probaretur, invenire. Principes enim in hæc munera viros qui quod illis placitum eſt faciant, ne ſuis deſideriis adverſentur,*
Cap. 42. *adſciſcunt.* Hic eſt magnus ſcopus Regiæ nominationis. Joannes tandem nominavit Manuelem. Quod huic defuncto Arſenium Monachum nominaverit Succeſſorem Joannis filius ac Succeſſor Theodorus ſecundus
Cap. 53. Laſcaris, teſtatur idem Georgius. Primus è Paleologis Imperator Michaël, ſub quo Flandri noſtri amiſerunt Conſtantinopolim, adverſum ſuis moribus Arſenium ejecit, impoſuit Nicephorum Epheſiorum Me-
Cap. 84. tropolitam, & huic intra annum defuncto Arſenium reduxit Succeſſorem. Quâ violentiâ etiam ejus Succeſſores duos Andronicos, filium & pronepotem, fuiſſe uſos, demonſtrari poſſit vario teſtimonio.

Juniori Andronico ſucceſſit Joannes Cantacuzenus: Per multa adverſus illius viduam Annam civilia bella, imò per rebellionem. Quo hanc firmaret, multis ſe & Proceribus & Epiſcopis fecit obnoxium. Et factus rerum Dominus nullum voluit aut præſumpſit offendere. Exauctorati Patriarchæ Joannis locum varii ambiebant, varii varios commendabant, ideóque ſcribit de ſemetipſo Cantacuzenus: *Quam contentionem parum liberalem animadvertens, ſeditionemq́, indè in Eccleſia ſuborituram proſpiciens Imperator, nihil per ſe facere, ſed Patriarchæ electionem*
L. 4. c. 3. *Epiſcopis liberam permittere ſtatuit.* Et electus fuit Iſidorus. Cui poſt decem annos defuncto idem Imperator Succeſſorem nominavit Calixtum. Ex quibus lucet Saracenorum ac Turcorum Principes iſtis Græcorum Imperatoribus fuiſſe in Eccleſiaſticam libertatem benigniores. Etenim de Lazaro per id tempus Hieroſolymitano Græcorum Patriarcha, ſcribit idem Cantacuzenus: *Hic Patriarcha à Coepiſcopis in ſancta Civitate, ut mos eſt, electus, poſteà Byzantium ab Imperatore confirmandus venit.* Et Sara-
Cap. 14. ceni & Turci Epiſcoporum noſtrorum electionem aliquando quidem ſuſpenderunt, quoties tamen permiſerunt, permiſerunt liberam & Canonicam. Gratam ſibi perſonam eligi poſtularunt quandóque uti beneficium. Joannes Cantacuzenus nominare perrexit uſque ad Calixti Patriarchæ degradationem, & electionem Philothei, de qua ipſe: *Poſt illa Epiſcopis in quæſtione ponentibus, quiſnam ad Eccleſiæ clavum admoveretur, de Epiſcoporum quidem electione, aut Imperator, Primorum Eccleſiæ Magiſtrorum, Chriſti videlicet Diſcipulorum, & qui eorum veſtigiis inceſſerunt, Sanctorum Patrum leges (nempe ut congregati uno in loco Epiſcopi Spiritus ſancti gratiam de Cœlo implorent, multiſq́, precibus Deum ſuppliciter propitient, ut eis deſignet, qui rectè & juſtè, & ex ejus beneplacito maximè Fideles Eccleſiæ moderetur, pro qua ipſe noſtrum ſimilis factus eſt, & humanam imbecillitatem indutus ſanguinem ſuum fudit, atque ita quem ipſe revelaverit legant, tribuſq́,*

*tribuſq; propoſitis qui in primis digni videantur, Imperatori unius electionem concedant, quemque ipſe elegerit, hunc Eccleſiæ Paſtorem creent) nec ipſe* Lib 4. c.
*hactenus neſcivi, & cuiq; veſtrum reor eſſe perſpectiſſimum. Quemadmodum* 37.
*verò in reliquis peccatis amat contingere, ut quamvis nos peccare non neſciamus, tamen vitioſa ducti conſuetudine, aut blandimento voluptatis decepti, ſpontè in mala præcipitemus, & affectionibus illaudatis nos ſubjiciamus; ſic etiam in Epiſcopis eligendis uſu venit. Cum namque ſciamus nefas eſſe nos priùs apud animum decernere, cui velimus Eccleſiæ rationes committere, poſteà nugantes apertè, & Deum irridentes, ſinere vos ſupernam invocare gratiam, & cum nos legere, quem ipſum multò antè non verbis tantum, ſed opere ipſo inſuper legeramus, nihilominus malè & ſtultè audaces ſumus. Quod non ſolum à me factum eſt ſæpius, ſed & à ſuperioribus Romanorum Imperatoribus: Si non omnibus, at certè pluribus. Verùm de illis ob Majoribus debitam reverentiam nihil ſiniſtrum loquar, me autem à me metipſo quaſi omnibus calculis injuriæ & iniquitatis erga Deum convinci ajo. Et quia vitium meum agnovi, meq; ipſe damnavi, ſupereſt hoc unum, opinor, Deum ob commiſſa placare, ac de cætero cavere diligentiſſimè, ne in eadem mala incurram, niſi morbo ægrotare velim inſanabili, & de induſtria in rebus honeſtis, ipſoq; etiam ſole clarioribus cæcutire. Proindè cum nunc de Patriarcha nominando quæratur, veterem vobis libertatem reſtituo. Nec tam vobis, quam Deo, cui magnæ curæ erit, qui benè Eccleſiæ præfuturus ſit, vobis revelare. Poſteà ego quoque unum ex tribus, ut mos eſt, decernam. Hæc in Conventu Imperator dixit, quà nimirum ratione Patriarcha ritu veteri eligendus eſſet. Cum poſtridie denuò coiviſſent, & ſuper negotio conſultarent, iterum miſit Imperator, qui eos pridie dictorum admoneret, hortans uti agerent ſedulo, ſe enim, quomodo apud Deum ſe tueretur, dum electione Patriarchæ ipſis penitùs ceſſiſſet, inveniſſe, & mortalibus univerſis quid ſentiret demonſtraſſe. Illi honorificè actis gratiis pro ejus erga Deum pietate, & erga ipſos reverentia, bonorumq; multorum cumulum comprecati, divina ſancti Spiritus gratia invocata, tres eligunt, Philotheum Heracleæ, Macharium Philadelphiæ Epiſcopos, & privatum adhuc Nicolaum Cabaſilam, electorumq; nomina Imperatori ſcripta mittunt, qui Philotheum maluit. Et is Patriarcha conſecratus Eccleſiam adminiſtravit.* Quod Regia nominatio non à Spiritu ſancto, ſed à privato Principis affectu paſſim dirigatur, Cantacuzenus optimè advertit.

Et hinc lucet Georgii Codini de Eccleſiæ & Aulæ Conſtantinopolitanæ officiis librum eſſe memorato Cantacuzeni Edicto poſteriorem. Lucet ex capite de electione & inauguratione Patriarcharum & Epiſcoporum: *Congregantur qui tunc Conſtantinopoli degunt Epiſcopi, licèt plures fuerint. Sin minus, duodecim præterea ex vicinis etiam Eccleſiis evocati. Si verò neque ex iis qui peregre advenerunt, neque ex finitimis Eccleſiis duodena-*



Digitized by Google

*rius Epiſcoporum numerus confici queat, tunc neceſſariò in loco ſuffragii ferendi ſedent tot, quot reperti fuerint, treſq; in Patriarcham eligunt, quos ſcilicet Deus ipſis inſpiraverit, quorum nomina ſcripto conſignata deferunt ſelecti Ec-*
Cap. 20. *cleſiæ Proceres ad Imperatorem, qui ex illis eligit aliquem, quem Deus in mentem ejus miſerit. Deinde ablegat Imperator Principes, qui ſimul cum Eccleſiaſticis Proceribus perferunt electionem ad Electum. Electum, inquam, & ab Eccleſia & ab Imperatore. Si electus Electioni annuat, bene eſt, ſi abnuat, eunt ad alterum. Si neque iſte conſentiat, ad tertium ſe conferunt. Si & hic recuſet, rurſus de integro, & alio quaſi principio ſumpto ſuffragia ferunt.* Et infrà: *Ad eundem modum ſine ulla variatione peragitur aliorum Patriarcharum proclamatio & deſignatio, nimirum Alexandriæ, Antiochiæ, & Hieroſolymorum. Quin & Archiëpiſcopi primæ Juſtinianæ, Acridis, & totius Bulgariæ.* Hæc omnia lucet eſſe hauſta ex laudato Edicto Imperatoris Cantacuzeni. De aliis Patriarchis additamentum eſt imaginarium. Tunc enim illi gemebant ſub Saracenis aut Turcis: Et quod à ſua Synodo eligerentur, ſtatim audivimus ab ipſo Cantacuzeno. Sperabat hic Eccleſias illas è Barbarica ſervitute quandoque liberandas: Hinc & de ipſis edixit. Edixit de ſolis Patriarchis & Bulgariæ Archiëpiſcopo, ideoque aliorum Epiſcoporum electiones permiſit antiquo Canoni & conſuetudini. Et certè poſt Nicephori Phocæ à Joanne Tzymiſca laceratum Edictum Auguſti Succeſſores iſtorum nominationes non niſi quandoque uſurparunt. Eundem Patriarchæ eligendi modum laudat in libro de ſacris Ordinationibus Simeon Archiëpiſcopus Theſſalonicenſis. Affirmat à vicinorum Epiſcoporum Synodo, ac à civitatis ſæculari & regulari Clero eligendos tres, atque ex ipſis unum deſignari à Principe, & adjungit: *Nugantur quidam rerum novarum inventores, invidiâ impulſi, dum dicunt,* Impera-
Cap. 9. tor Patriarcham creat. *Nullo modo id facit Imperator, ſed Synodus miniſtrante Pio Imperatore, non tantum quia defenſor eſt, & Imperator unctus ab Eccleſia, ſed etiam ut cooperetur, & miniſtret, & diligat, & firma conſervet quæ ad Eccleſiam ſpectant.* Videtur notare Latinos, qui iſtam Imperialem unius ex tribus per Epiſcopos præſentatis eligendi licentiam ſemper improbarunt. Interim Eccleſiaſticæ libertatis eximius Zelator ſemper fuit iſte Simeon, nec dubitem quin eandem licentiam improbaverit. Verùm quod proſcribere non poſſet, conatus eſt purgare. Hæc ejusde Imperatore verba, *Unctus ab Eccleſia*, procedunt ex fabuloſo & adulatorio errore, quo Regiam unctionem quaſi Sacramentum Græci exaltant. Quas nugas & quidam hoc ſæculo Latini dilexerunt. Ex his interim claret ipſum Simeonem non detentæ ſub Latinis Conſtantinopolios tempore, ſed medio inter Joannis Cantacuzeni Imperium & captam à Turcis urbem decurſu vixiſſe & docuiſſe. Quidquid ſit, Joannis Cantacuzeni

tacuzeni Edictum viguit uſque ad captam à Turcis Conſtantinopolim. Quod enim juxta illud & Joſephus Patriarcha, & ejus Succeſſor Metrophanes fuerint electi, teſtatur in Florentini Concilii Hiſtoria Sylveſter Sguropulus. L. 2. c. 4. L. 12. c. 2.

Circa eligendum Regiæ civitatis Epiſcopum aut Patriarcham Conſtantinopolitanis Imperatoribus aliquid juris Romana Eccleſia ſemper indulſit. Diſertè hoc in litteris ad Imperatorem Mauritium ſuprà profeſſus fuit magnus Gregorius. Et in litteris ad Imperatorem Michaëlem tertium ſcripſit Nicolaus primus: *Conſuetudinem veſtram novimus, in Regia urbe minimè apicem Archiëratica poteſtatis aliquem poſſe habere ſine Eccleſiaſtica plebis conſenſu, atque Imperiali ſuffragio.* Antiquiſſima eſt iſta conſuetudo. Quod enim in ſancti Gregorii Nazianzeni Conſtantinopolitanam Cathedram Conſtantinopolitana Synodus varios elegerit, magnoque Principi Theodoſio, qui Nectarium deſignavit, præſentarit, ſcribunt Socrates, Theodoretus, ac Hermias Zozomenus. Principis, ne ingratum quotidiè ante oculos pati cogeretur Epiſcopum, honori id Patres detulerunt. Quin & idem detulerunt in omnium Patriarcharum electionibus. Quod & Alexandrini & Antiocheni electioni ſe miſcuerint optimi Imperatores Martianus & Leo, lucet ex Epiſtolis magni Papæ Leonis, ex Liberati Carthaginenſis Diaconi Breviario, & aliis vetuſtis Scriptoribus. Et quidem laudatos Principes, ut dictis electionibus dirigendis invigilarent, laudatus Leo monuit & rogavit. Et Antiochenæ Diœceſios Epiſcopis & Clericis, novam Patriarchæ pro degradato Machario electionem poſtulantibus, reſpondit ſexta Synodus: *Suggeſſimus à Deo inſtructis auribus fortiſſimi & à Deo coronati noſtri Imperatoris. Et juſſit ejus Serenitas Decretum ſecundum conſequentiam*, ſeu antiquam conſuetudinem, *fieri à reverendiſſimis Epiſcopis & Clericis ſupraſcripta Sedis, & hoc offerri ejus manſuetiſſima fortitudini.* Utique confirmandum. Quod etiam primæ Juſtinianæ Epiſcopus, ad Juſtiniani Auguſti preces per Vigilium Pontificem exaltatus in aliquot Provinciarum Primatem, à Principe confirmationem & accipiendæ conſecrationis facultatem accipere debuerit, demonſtrant litteræ magni Gregorii ad Joannem iſtic Epiſcopum & ſubjectos ipſi Collegas. Romana interim Eccleſia fuit ab hac ſervitute ſemper immunis uſque ad Herulos & Gothos: Et illam ab horum expulſore Juſtiniano Auguſto malè continuatam Conſtantinus quartus tandem dimiſit.

Epiſt. 51. Act. 13. Lib. 4. Ep. 78.

Attamen non niſi unicum Epiſcopum aut Patriarcham à Clero electum Principi offerri & ab ipſo confirmari Canones permittunt. Quod tres eligere, & ipſos Principi offerre ſit Apoſtolicus aut antiquus Canon, plurimum errat Joannes Cantacuzenus. Iſtum morem nullus Canon, nulla

unquam lex probavit aut toleravit. Novellæ Juſtiniani leges quidem mandant tres eligi, verùm unius ex iſtis deſignationem non Principi credunt, ſed Patriarchæ aut Metropolitæ. Exiſtimem quod exindè poſteriores Græcorum Auguſti hocce jus etiam ſibi tranſcripſerint. Et quia humana præſumptio ſemper creſcit, iſtam unius ex tribus deſignandi conſuetudinem tandem tranſmutarunt in plenam nominationem. At Canones ſemper improbarunt. Etenim Latinum Cypriorum Regem, quod Nicoſienſis Eccleſiæ electuro Capitulo duos nominare, & ad alterius electionem compellere vellet, quaſi ex antiqua Græcorum, in quorum ju-
L. 3. Ep. ra ſucceſſerat, conſuetudine, graviter arguit Pontifex Innocentius tertius.
202. Damnat etiam apud Gregorium nonum Cœleſtinus tertius conſuetudinem, quâ per Antiochenum & Hieroſolymitanum Patriarchatum Mo-
L. 1. tit. 6 nachi tres à ſe electos Regi aut Comiti Tripolitano, unum ex ipſis de-
c. 14. ſignaturo præſentabant. Quem morem an illic à Græcis invectum invenerint, an ſecum è Gallia portaverint noſtri Flandri & alii Franci, eſt mihi ignotum. Certè quod iſtic non invenerint, fortiſſimè ſuadet ſuprà laudatum Edictum Joannis Cantacuzeni. Eſt enim illorum in Paleſtinam acceſſu multò poſterius. Quidquid ſit, eandem violentiam viguiſſe apud
L. 1 tit. 6 Hibernos, lucet ex ejuſdem Innocentii apud Gregorium nonum Epiſto-
c. 28. la ad Cardinalem ſuum iſtic Legatum. Iſtum morem apud *Geſta Dei per Francos* inſigniter depingit operi præfixa vita Guilielmi Metropolitæ Tyriorum: *Ea eſt in terra ultra-marina Patriarchæ Hieroſolymitani electionis ratio, quæ & Archiëpiſcoporum, Epiſcoporum, & Abbatum, ut duos legant Canonici, Regiq́ offerant, qui de eis unum capiat, ita ut, ſi manè offerantur, intra veſperarum ſignum, ſi veſperi poſt decantatum officium, die altero unum Rex eligat. Hanc rationem ſecuti ſunt Apoſtoli, mortuo Juda ut duos legerint, Joſephum Juſtum & Matthiam. Hanc & in Terra ſancta adhuc ſervant. Ita Rex elector eſt, & quem vult capit.* Verùm Apoſtoli ſuos duos electos non ad Regem, ſed ad Divinam Majeſtatem retulerunt. Iſta ad Regem relatio per Romanam Eccleſiam nunquam fuit probata.

## CAPUT II.

### *Exponitur Barbarorum Regum in Antiſtitum electiones violentia.*

ROmanum Imperium fuiſſe tutelam Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & hanc ab illius dilaceratoribus barbaris fuiſſe inſigniter etiam laceratam, res ipſa clamat, & in ſuis litteris amarè queritur ſanctus Avitus Archiëpiſcopus Viennenſis. Singulariter paſſæ ſunt Canonicæ Antiſtitum electiones.

Digitized by Google

nes. Summè in hac re Barbarus fuit Hunnericus Wandalorum in Africa Rex, de quo in vita ſancti Fulgentii Ruſpenſis in Byzacena Provincia Epiſcopi Ferrandus Diaconus Carthaginenſis: *Regalis authoritas Epiſcopos Ordinari prohibuerat, nec viduatis plebibus provideri Paſtores licebat.* Duravit Barbaries uſque ad Hildericum Regem, natum ex matre Catholica, de quo idem Ferrandus: *Mors Trazamundi Regis, & mirabilis bonitas Hilderici regnare incipientis, Eccleſia Catholica per Africam conſtituta libertatem reſtituens, Carthaginenſi plebi proprium donavit Antiſtitem Bonifacium, cunctiſq; in locis Ordinationes Pontificum fieri clementiſſima authoritate mandavit.* Nempe peſſimi Ariani fuerant Hilderici Anteceſſores, ideoque Epiſcopis deſtitutam Africanam Eccleſiam, tamquam ovem ſine Paſtore, ſperabant circumſcribere in ſuam perfidiam. Cap. 16. Cap. 28.

Odoacer Herulorum in Italia Rex item Arianus fuit nonnihil humanior. Canonicas Orthodoxorum Epiſcoporum electiones & conſecrationes permiſit avitæ libertati, excepta tamen Romana Eccleſia, cujus Electum à ſe comprobari voluit, & ſine ſuo conſenſu, atque authoritate non conſecrari. Cur hac ſervitute ſolam Romanam vexaverit Eccleſiam, diſcere poſſis ex Synodalibus Felicis tertii Pontificis litteris ad Clerum Provinciæ Bithyniæ & civitatis Conſtantinopolitanæ: *Quoties intra Italiam propter Eccleſiaſticas cauſas colliguntur Domini Sacerdotes, conſuetudo retinetur, ut Succeſſor Sedis Apoſtolicæ ex perſona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum cuncta conſtituat, qui caput eſt omnium.* In Juſtiniani Digeſtis Martianus Juriſconſultus ex Severi Imperatoris Reſcripto omne Romanum Imperium dividit in urbem, Italiam, & Provincias: Quod nempe eo uſque, licèt per Cæſarem Auguſtum in undecim Regiones, ac deindè per Adrianum in quatuor adminiſtrationes diſtributa, quaſi tamen indiviſa eſſet Italia, utpotè priùs per Conſtantinum Auguſtum diviſa in Provincias. Univerſam ipſe Princeps per Vicarios Legatos, carentes mero Imperio, adminiſtrabat. Quam formam in Eccleſiaſtica etiam Hierarchia valere voluit ſanctus Petrus Apoſtolus, omni Italiæ uſque ad Tranſpadanam, cujus caput Mediolanum, & cui ſemper fuerunt jura propria, Regionem noluit eſſe ullum Metropolitam, niſi Epiſcopum Romanum. Et omnes ſubjectos Epiſcopos quoad confirmationem, conſecrationem, Synodum, aliaque omnia ſanxit ab ejus manu dependere. Ex iſto principio etiam Odoacer Rex de ſolius Romani Epiſcopi perſona voluit intra Italiam eſſe ſecurus, ideoque illum ſolum ſine ſuo aſſenſu & juſſione non conſecrari: Quod ejus in poteſtate eſſent omnes Epiſcopi alii, atque ejus arbitrio in omnibus agerentur. Quam violentiam proſecutus eſt etiam Odoacri & Herulorum devictor atque ejector Theodoricus Gothorum in Italia Rex, imò & Gothorum Triumphator Auguſtus Juſti- Conc. 2.

 nianus.

Digitized by Google

nianus. Hic enim, habendæ in Eccleſiam poteſtatis avidiſſimus, dixit nihil à ſe induci novum, ſed in Gothorum jura dumtaxat ſuccedi. Jus à violentia non diſtinxit. Duravit miſeria uſque ad Conſtantinum quartum Imperatorem, de quo in Benedicti ſecundi Pontificis vita Anaſtaſius Bibliothecarius: *Benedictus ſuſcepit divales juſſiones clementiſſimi Conſtantini, magni Principis, ad venerabilem Clerum & populum, atque feliciſſimum exercitum Romanæ civitatis, per quas conceſſit ut perſona, qui electus fuerit ad Sedem Apoſtolicam, e veſtigio abſque tarditate Pontifex ordinetur.* Et hinc intellige eundem Anaſtaſium ſcribentem de Pelagio ſecundo: *Hic ordinatur abſque juſſione Principis, quod Longobardi obſiderent Romanam civitatem.* Quam Principis juſſionem fuiſſe etiam poſtulatam pro Gregorio magno, ipſumque ſine illa conſecrari non potuiſſe, in ejus vita affirmat Joannes Diaconus. Pergit Anaſtaſius de proximo Benedicti ſecundi Succeſſore Joanne quinto: *Hic poſt multorum Pontificum tempora vel annorum, juxta priſcam conſuetudinem à generalitate in Eccleſia Salvatoris electus eſt, atque exindè in Epiſcopum introductus.* Utique ſine juſſione Principis. Verùm Juſtiniani ſecundi inſolentia fretus, & quorundam populorum ambientium inquietudine motus Ravennæ Exarchus, ſervitutes reparare conatus eſt in Papę Cononis electione, duravitque miſeria uſque ad Gregorium ſecundum, qui Leonis Iſauri impietate compulſus, Conſtantinopolitani Imperii jugum plenè excuſſit.

Lib. 1. cap. 40.

A Juſtiniano primo expulſos Gothos ſubſecuti in Italia ſunt Longobardi, de quorum Rege Agilulpho ſcribit ad Mediolanenſis per Conſtantii Epiſcopi mortem vacantis Eccleſiæ Clerum & populum magnus Gregorius: *Illud autem, quod vobis ab Agilulpho judicatis ſcriptum, Dilectionem veſtram non moveat. Nam nos in hominem, qui à non Catholicis, & maximè à Longobardis eligitur, nullâ præbemus ratione conſenſum. Nec ſi alicujus præſumptionis uſurpatione factus fuerit, in locum vel Ordinem Sacerdotis illum ſuſcipimus, quia Vicarius ſancti Ambroſii indignus evidenter oſtenditur, ſi electus à talibus ordinetur. Nec enim eſt quod vos hac ex cauſa deterreat, vel aliquam vobis neceſſitatem incutiat. Quia undè poſſint alimenta ſancto Ambroſio ſervientibus Clericis miniſtrari, nihil in hoſtium locis, ſed in Sicilia & in aliis Reipublicæ partibus, Deo protegente, conſiſtit.* Deuſdedit Diaconum in Conſtantii locum Canonicè elegerat Mediolanenſis Eccleſia, at verò alium nominarat, & conſecratum volebat Agilulphus Longobardorum Rex, minitatus manum Regiam in omnes Eccleſiæ facultates. Verùm minas iſtas, quod plures poſſeſſiones apud Siculos haberet ſancti Ambroſii Eccleſia, uti vanas riſit ſanctus Gregorius, Deuſdedit confirmavit in Epiſcopum, juſſitque conſecrari: Præſertim quod non ſolùm Longobardus & Barbarus, ſed etiam Hæreticus eſſet Agilulphus

L. 8. Ep. 65.

idcoque

ideoque omni gratia & diſpenſatoria diſſimulatione indignus. Quod Agilulphus, ejuſque Foro-Julienſis Dux Giſulphus etiam Aquilæenſis Eccleſiæ electioni ſe immiſcuerint, atque ita iſtius in duos Metropolitas ſecandæ Provinciæ anſam dederint, ſcribunt in magni Gregorii vita Joannes Diaconus,& in ſua ad Eutropium appendice Paulus Aquilegienſis. Regi item Deſiderio, ad Ravennatem Eccleſiam nominanti neſcio quem Michaëlium, inſigni conſtantia obviavit Stephanus tertius Pontifex: Advocato Pippini Francorum Regis brachio extruſit nominatum, juſſitque celebrari Canonicam electionem, uti in litteris ad Carolum Magnum teſtatur Adrianus primus.

Etiam Hiſpaniam intravit hæc iniquitas. Lucet ex Canone tertio Synodi Barcinonenſis, mandante nullum deinceps Laïcum provehi ad Epiſcopatum *per Sacra Regalia*. Id eſt, per ſacras Principis litteras, ſeu per Regiæ nominationis codicillos. Sub Richaredo Rege habita iſta Synodus converſam recenter ab Ario ad Chriſtum gentem Gothorum & Hiſpanicam Eccleſiam reformat, ideoque mandat Laïcos deinceps Regiâ nominatione in Epiſcopos contra Sardicenſem Canonem non exaltari. Supponit ergo abuſum illum anteà viguiſſe. Et quia Sacra Regalia ſolis Laïcis vult deinceps non patrocinari, Presbyterorum ac Diaconorum in Epiſcopos nominandorum conſuetudinem videtur recens Orthodoxo Regi, ne nimis offenderet, non abſtuliſſe. Et hinc ad Braulionem Cæſar-Auguſtæ Epiſcopum ſcribit ſanctus Iſidorus eo tempore Metropolita Hiſpalenſis: *De conſtituendo Epiſcopo Tarraconenſi non eam, quam petiſti, ſenſi ſententiam Regis, ſed tamen & ipſe adhuc ubi certius convertat animum, manet illi incertum.* Lucidè ſupponit Regi fuiſſe morem conſtituendi ſeu nominandi. Loquitur de Rege Seginando. Quamobrem quarta, ſub eodem Rege celebrata, Toletana Synodus generatim ſtatuit: *Ille deinceps Sacerdos non erit, quem nec Clerus nec propria civitatis populus elegit, vel authoritas Metropolitani, vel Comprovincialium Sacerdotum aſſenſus non exquiſivit.* Cap. 19. Statuere ſe profitetur adverſus pernitioſam conſuetudinem, quæ Majorum ſtatuta præteriens, Laïcos, milites, ambitioſos, criminoſos non deſtitit etiam per Simoniam evehere in Cathedras Pontificales. Majorum ſtatuta hîc omninò ſunt laudata Synodus Barchinonenſis.Permiſſam ſibi nominandi conſuetudinem non ceſſarant etiam ad promovendos Laïcos extendere Reges, ideoque Canonicas electiones plenè reſtituit, & Regiam nominationem omninò extinxit laudata Toletana Synodus. Sed neque huic Reges obedierunt. Etenim in illuſtrium virorum Cathalogo ſcribit de Eugenio ſecundo Toletano Archiepiſcopo Succeſſor ejus ſanctus Hildephonſus: *Eugenius principali* Chindaſvinthi Cap. 14. Regis *violentiâ in Pontificatum eſt adſcitus.* Et de ipſo Hildefonſo habet

in

in dicti Cathalogi appendice ſucceſſor ejuſdem Julianus, *Hildefonſus principali* Receſvinthi Regis *violentiâ Toletum ex Agallienſi Monaſterio reducitur, atque ibi Pontifex ſurrogatur.* Uterque Scriptor utitur voce *Principali violentia*: Quod laudato quartæ Toletanæ Synodi Decreto utraque promotio repugnarit. Haud dubiè fuerint & alia ejuſmodi exempla. Etenim ad previæ, ſuo arbitrio dandæ, licentiæ neceſſitatem iſti Reges adſtrinxêre Canonicas electiones, atque ita nominare ſemper poſſe prætendebant, & frequenter poſſint omninò nominaſſe. Et hinc duodecima ſub Flavio Ervigio Rege Toletana Synodus graviter queritur de nimium longis Eccleſiarum vacationibus, atque edicit cauſam: *Dum longè lateq; diffuſo tractu terrarum commeatur, impeditur celeritas nuntiorum, quo non queat Regis auribus decedentis Præſulis tranſitus innoteſci, aut de Succeſſore morientis Epiſcopi libera Principis electio præſtolari.* Per liberam Principis electionem quidam malè intelligunt nominationem: *Intelligitur per Regem data eligendi licentia. Defuncti Epiſcopi mortem vidua Eccleſia ſolebat per Legatos ſignificare Principi, & ſupplicare eligendi licentiam, ſuique Electi confirmationem per eoſdem rurſum Legatos poſtulare: Qui Legatorum per vaſtiſſimam Hiſpaniam ad Toletanam urbem itus & reditus frequenter erat longi temporis, adeoque Eccleſias cogebat dudum vacare. Hinc malum iſtud ſanatura, ac ambitioſæ & violentæ Majeſtati gratificatura Synodus Regi permittit nominationem per omnem Hiſpaniam, ea tamen lege ut omnes nominati probentur & confirmentur à Primate Toletano. Ita non tantum Clerum & populum eligendi, ſed etiam Metropolitas confirmandi jure exuit, in horum tamen ſolatium adjungens, ut quivis novellus Epiſcopus intra tres à ſua conſecratione menſes proprio Metropolitæ ſuam perſonam repræſentaret. Quidquid alii dicant, hic eſt legitimus Canonis ſenſus, atque ita lucet à quarta uſque ad hanc duodecimam Toletanam Synodum Hiſpaniarum Reges non jure, ſed per violentiam nominaſſe. Quod deinceps ſemper nominare perrexerint, docet decimæ ſextæ Synodi Canon duodecimus. Illic Egicanes Rex in Sigeberti Primatis Toletani, ob perduellionem & læſam Majeſtatem degradati, locum laudatur nominaſſe Felicem Archiëpiſcopum Hiſpalenſem, Hiſpalenſi autem Eccleſiæ Fauſtum Bracharenſem, & Bracharenſibus Felicem Pontucalenſem Epiſcopum præfeciſſe. Ex quibus omnibus inſigniter ſplendet Regum noſtrorum Germanè Catholica pietas, qui vix ex jure Regio, ſed ex ſolo ſemper Eccleſiæ indulto ſe nominandis Epiſcopis miſcuerunt. Nullum olim Abbatem leguntur nominaſſe.

Cap. 6.

Omnium violentiſſimi hac in re fuerunt Merovingii Francorum Reges. Clodoveus videtur ſe ſervaſſe innoxium, at verò de ejus filio Theodorico,

dorico, & per ipſum intruſo in Arvernenſem Eccleſiam Apollinari ſcribit in Francorum Hiſtoria ſanctus Gregorius Epiſcopus Turonenſis: *Apollinaris abiens ad Regem, oblatis multis muneribus in Epiſcopatu ſucceſſit* L.3.c.2. *Euphraſio, quo quatuor abutens menſibus migravit à ſaculo.* Et de Gallo per eundem Theodoricum ad Arvernenſem Eccleſiam promoto ſcribit in vitis Patrum: *Tunc germen iſtud iniquum cæpit pullulare, ut Sacerdotium aut venderetur à Regibus, aut compararetur à Clericis.* Ita fuit uſque ad Dagobertum Regem, de quo ſcribit in ſancti Eligii Tornacenſis Epiſcopi vita ſanctus Audoënus Archiëpiſcopus Rotomagenſis: *Crudeliter in diebus illis Simoniaca Hæreſis pullulabat in urbibus, & in cunctis finibus Regni Francorum, maximeq; de temporibus Brunichildæ infœliciſſimæ Reginæ uſque ad tempora Dagoberti Regis. Violabat hoc contagium Catholicam Fidem. ſolicitè tamen pro hoc invigilabant ſancti viri Eligius & Audoënus, & communicum cæteris viris Catholicis habito conſilio, ſuggeſſerunt Principi & ejus optimatibus, ut hoc mortiferum virus cito deleretur de Corpore Chriſti, quod eſt univerſalis Eccleſia. Habuit itaq; effectum pia eorum petitio, & libenter obtinuerunt quod devotè rogaverunt.* L.2.c.1. Laudat ſolam à Rege Dagoberto ceſſam Simoniam, quod tamen etiam ceſſerit nominationem Regiam, lucet ex Chronico Senonenſis Monaſterii ad ſanctum Petrum Vivum: *Temporibus Dagoberti Junioris refulſit ſanctus Ebbo Archiëpiſcopus Senonenſis. Totius populi & Cleri acclamatione & conſenſu Regis, in Pontificali Sede locatus, claruit ſignis & virtutibus.* An plenè ceſſerit, ignoro. Quidquid ſit, quod Theodorici frater Clotarius Rex, quibuſdam Eccleſiis Canonicam electionem quidem permittens, eligendam tamen perſonam deſignaverit, & aliam eligi non fuerit paſſus, oſtendit laudatus Gregorius in exemplo Catonis & Euphronii Electorum ab Eccleſia Turonenſi. Lib 4 c. 11. 15. 16. Quod ſanctum Romanum Rotomagenſem Archiëpiſcopum etiam nominarit, teſtatur hujus vita publicata per Nicolaum Rigaltium. Pergit Gregorius de Rege Guntramno: *Cum juramento Rex pollicitus* L.8.c.22 *fuerat ſe nunquam ex Laïcis Epiſcopum ordinaturum. Sed quid humana pectora non cogit auri ſacra fames?* Lamentatur Regem ſui juramenti fuiſſe prævaricatorem. Epiſcopatus hominibus Palatinis ac aliis Laïcis fuiſſe paſſim à ſuis Regibus venditos Gregorius aſſiduè lamentatur. Et hæc eſt Simoniaca Neophytorum Hæreſis, quam è Galliis eliminaſſe laudatur ſanctus Gregorius magnus. Adverſus eandem ſub Vigilii Pontificatu ſtatuerat quinta Aurelianenſis Synodus: *Nulli Epiſcopatum præmiis aut com-* Cap. 10. *paratione liceat adipiſci, ſed cum voluntate Regis, juxta electionem Cleri & plebis, ſicut in antiquis Canonibus tenetur ſcriptum, à Metropolitano Pontifex conſecretur.* Et tertia Synodus Pariſienſis: *Nullus civibus invitis ordinetur Epiſcopus, niſi quem populi & Clericorum electio pleniſſima quæſierit vo-*

*luntate. Non Principis Imperio, neque per quamlibet conditionem ingeratur.* Hoc modo ingeſtum ſeu intruſum extrudi mandat & degradari. Nempe quod iſtæ Synodi non potuerant, evicit Gregorius, ejuſque Decreta non ſolùm quinta Synodus Pariſienſis, ſed & in hujus confirmatorio Edicto, nominandi violentiam abdicans, recepit Rex Clotarius ſecundus: *Defunctionis noſtra eſt, ut Canonum ſtatuta in omnibus conſerventur, & quod per tempora ex hoc prætermiſſum eſt, vel de hinc perpetualiter obſervetur. Ita ut Epiſcopo decedente in loco ipſius à Clero & populo eligatur, & ſi perſona condigna fuerit, per ordinationem Principis ordinetur. Vel certè ſi de palatio eligitur, per meritum perſonæ & doctrinæ ordinetur.* Reſtituit electiones Canonicas ac ſibi nihil reſervat, quam quod electus Regio aſſenſu comprobari debeat, & citra ipſum non poſſit à Metropolita conſecrari. Ad hæc verba, *Vel ſi de palatio eligitur*, ſcribit in libris de Sacerdotii ac Imperii
L. 8. c. 5. concordia illuſtriſſimus Dominus Petrus de Marca: *Clauſulæ ultimæ ſententia hæc eſt, ab electione Cleri & populi excipi viros eximios, qui in Palatinis obſequiis lateri Principis adhærentes, hanc gratiam promeriti eſſent.* Ego exiſtimo ipſos non ab electione Canonica, ſed à ſola Neophytiſmi, quem penitùs proſcribendum juſſerat magnus Gregorius, irregularitate eximi: Eos vetuſto per avitam conſuetudinem acquiſito jure, dummodò virtutum & doctrinæ meritis pollerent, eſſentque Canonicè electi, Rex noluit privari. Rectè addit laudatus Petrus de Marca: *Quamvis intra hos limites non ſe continuerit Regia Majeſtas.*

Etenim Clotarii Poſteros ad ejeratam violentiam rediiſſe docet, qui medio poſt ſanctum Gregorium ſæculo floruit Monachus Marculphus, inter cujus Regales formulas exſtat etiam Præceptum de Epiſcopatu, ſeu ſolemne inſtrumentum, cujus tenore Francorum Reges tunc ſolebant nominare Epiſcopos, in cujus ſcholio ſcribit Hieronymus Bignonius: *Ex hac formula apparet, non obſervata fuiſſe* tertiæ *Synodi Pariſienſis Decreta, quæ Childeberti Regis tempore, Pontificante Germano, habita eſt,* rigideque vetat Epiſcopos per Regem nominari. Notanda ſunt hæc formulæ verba: *De defuncti Epiſcopi Succeſſore ſolicitudinem congruam una cum Pontificibus vel Proceribus noſtris plenius tractantes, decrevimus illuſtri viro, vel venerabili illi in iſta urbe Pontificalem in Dei nomine committere dignitatem.* Exponit memoratus Bignonius: *Ut magis ritè & ſecundùm Canones electus videretur, non Regis tantùm Imperio eſt conſtitutus.* Non ſolus, ſed cum ſuo Epiſcoporum & Procerum conſilio Rex nominabat. Quod etiam Abbates nominare ſoleret, lucet ex privilegio, quod Corbeienſi Monaſterio dederunt Bentefridus Ambianenſis Epiſcopus & Rex Theodoricus: Pro grandi privilegio dant illi Canonicam, cujus tamen faciendæ facultas, & factæ confirmatio peti debeat, electionem. Quod nempe

antea,

Digitized by Google

anteà, uti ex Regio Præcepto lucet, Rex nominaſſet. Poſteriores Merovingii Reges & Eccleſiam & Rempublicam tractarunt adeò malè, ut non ſolummodò Clerum ac ejus diſciplinam, ſed omnem peſſumdederint Chriſtianitatem, cui reparandæ neceſſarius fuit Romanæ Eccleſiæ Legatus, glorioſus Martyr Bonifacius, non ſine cauſa appellatus Apoſtolus Francorum.

Eadem violentia graſſata fuit etiam apud Anglos. Etenim de Mertiorum Rege, quem inſigniter laudat, Welphero adjungit Gulielmus Monachus Malmesberienſis: *Verùm enim verò hæc & quæcumque ejus bona inficit ac deprimit gravis Simoniæ nota, quod Regum Anglorum primus ſacrum Londoniæ Epiſcopatum cuidam Wynæ ambitioſo venditarit.* Eadem leprâ Regem Hardecnut laboraſſe, ideoque, quod Clerum pro Eccleſiæ dignitate & Canonum obſervantia deprecantem exaudire nollet, divinitus fuiſſe punitum teſtatur in ſuis Annalibus Simeon Monachus Dunelmenſis. Addit ab Oſwyno Rege fuiſſe eadem violentia datas Abbatias. Malum adeò incruduit, ut etiam ſanctus Dunſtanus Cantuarienſium Archiepiſcopus Olwaldo Vigornenſem Epiſcopatum petierit ab Eduardo Rege, ac impetrarit. Quod nempe nulla amplius eſſet illic memoria Canonicæ electionis. Unde & pleniſſimè illic vigebat Regia Antiſtitum inveſtitura. Etiam ſanctum Wilfridum ad Eboracenſem Eccleſiam fuiſſe à Rege nominatum teſtatur prior Richardus. Quam violentiam etiam in Scotia viguiſſe diſces ex vita ſancti Livini. Nata fuit ex duabus præſertim cauſis. Prima fuit Barbarorum ſuſpicioſus timor & mala conſcientia, ex qua fidos ſibi voluerunt Epiſcopos atque Abbates, qui populum Romano Imperio non redderent. Altera fuit avaritia, peſſimaque Simonia. Et hæc apud multos fuit cauſa principalis. Quocirca, Henrico ſecundo Anglorum Regi, avitas Henrici primi, quas inter erat & Regia nominatio, leges ſtabilire paranti, rectè reſpondit ſanctus Thomas Primas Cantuarienſis, ipſas non eſſe Evangelicas aut Chriſtianas, ſed violentias & conſuetudines Barbarorum.

Fol. 27. L. 3. c. 9. L. 1. c. 1. An. 960. L. 1. c. 6. Cap. 9.

## CAPUT III.

### *Exponitur Privilegium, quod ab Apoſtolica Sede habuerunt Pippinus Francorum Rex, ac ejus filius Carolus Magnus.*

Pippinus Francorum primò Dux ac Major domus, quem Romani vocant Magiſtrum Officiorum, deindè per Zachariam Pontificem creatus Rex, cum laudato Bonifacio & civilem & Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituere inſigniter cœpit, & quoad Antiſtitum promotiones

 habuit

Digitized by Google

habuit ſe varium, quandoque nominans, quandoque concedens Canonicam & liberam electionem. Etenim de Wandone Abbate dignitatem deponente ſcribit Chronicon Monaſterii Fontanellenſis: *Tunc una cum conſenſu & generali voluntate fratrum elegit pro ſe venerabilem virum Aſtrulphum. Quo facto petitione miſſa ad Pippinum Principem, obſecrat ut ſuam & fratrum electionem comprobans, ſuâ ex auctoritate idem Aſtrulphus huic cœnobio præficeretur. Quod & factum eſt.* Et infrà: *Aſtrulphus Abbas conſtituitur cum conſenſu ac electione fratrum, annuente ordinationi eorum pio Principe Pippino.* Et magnum Belgii Chronicon: *Hildolphum Pippinus Rex, ſuggeſtione Cleri & plebis Treverica, eidem Metropoli conſtituit Epiſcopum.* Hoc eſt, Canonicæ electioni dedit Regium aſſenſum. Et ad ejus filium Carolum, qui Ravennatis Archiëpiſcopi eligendi licentiam à ſe peti, ſuumque electioni Legatum adeſſe prætendebat ex nupero ſui Patris ſimili facto, ſcribit Pontifex Adrianus primus Ravennatem Eccleſiam à ſola ſemper Apoſtolica Sede poſtulaſſe eligendi licentiam, & Pippini Legatos electioni iſti nunquam adfuiſſe, niſi ſoli nuperrimæ, idque non ad ipſam dirigendam aut comprobandam, ſed dumtaxat ad Michaëlium, quem Deſiderius Longobardorum Rex ſua nominatione intruſerat, extrudendum. Laudat Pippinum à nominationis violentia fuiſſe adeò alienum, ut ad Romanæ Eccleſiæ juſſionem extruſerit & alios nominatos. Et Sueſſionenſis, quam ſub Pippino adhuc Majore domus celebravit Martyr Bonifacius, Synodi primus Canon Nicœnos & alios antiquos Eccleſiæ Canones mandat promulgari & ſervari deinceps per omne Regnum, atque ita reparari Eccleſiaſticam diſciplinam, *Quæ in diebus priorum Regum diſſipata corruit.* Exponit in litteris ad ſanctum Cutbertum Cantuarienſem Archiëpiſcopum laudatus Bonifacius: *Statuimus ut Eccleſiæ jura,* inter quæ omninò eſt Canonica electio, *recuperentur.*

Cap. 12. Cap. 13. Fol. 39. Ep. 105.

Quod tamen & Abbates & Epiſcopos Pippinus quandoque nominarit, non eſt negandum. Etenim de Ragnifrido Rotomagenſi Epiſcopo, à Clericis ſuis apud dictum Regem accuſato, ſcribit præfatum Chronicon Monaſterii Fontanellenſis: *Ragnifrido ejecto, Epiſcopatus Rotomagenſis Eccleſiæ datus eſt Remigio, fratri glorioſi Regis Pippini hoc anno, qui eſt ab Incarnatione Domini noſtri* JESU CHRISTI *ſeptingenteſimo quinquageſimo quinto.* Et de Abbate Widone: *Defuncto Aſtrulpho Patre Monaſterii Fontanellenſis: ſtatim Wido ad Palatium ire deliberavit, plurima donaria auri argentiq; ſecum deferens, quæ Pippino Regi à ſuis ſatellitibus collata, ut optaverat, Abbas conſtituitur, anno ſecundo, poſtquam idem Pippinus Regale adeptus fuerat faſtigium, qui eſt annus Domini ſeptingenteſimus quinquageſimus tertius.* Hæc in litteris ad ſanctum Amulum Archiëpiſcopum Lugdunenſem, in Regiſtro ſancti Lupi Abbatis Ferrarienſis exſtanti.

Lib. 1. c. 11.

ſtantibus, conciliat Wenilo Metropolita Senonenſis: *Prudentia veſtra* Epiſt. 81.
*Dominus noſter Rex*, Carolus Calvus, *juſſit nobis ſuggerere non eſſe novitium aut temerarium quod ex Palatio honorabilioribus maximè Eccleſiis procurat Antiſtites. Nam Pippinus, à quo per maximum Carolum & religioſiſſimum Ludovicum Imperatores duxit Rex noſter originem, expoſita neceſſitate hujus regni Zachariæ Romano Papæ, in Synodo cui Martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit conſenſum, ut acerbitati temporis induſtria ſibi probatiſſimorum decedentibus Epiſcopis mederetur, ne fortè ſimplicitate Pontificum poſſet contingere, quod in Æduorum urbe evenit.* Etenim Modoinus Æduenſis Epiſcopus in nupero adverſus Pippinum Aquitaniæ Regem bello fuerat Regi Carolo infidelis. Et Rempublicam & Eccleſiam Pippinus primus Rex accepit deſolatiſſimam, ideoque omnia reparaturo Zacharias Pontifex diſpenſatoriè conceſſit duas facultates: Epiſcopos quandoque ex notæ & probatæ fidei Palatinis aſſumendi, nec non & eoſdem nominandi. Conceſſit id *acerbitati temporis*: Quouſque illa duraret. Eaque durante, non quoſvis, ſed ſolos ſui Palatii Clericos aut Laïcos, qualis fuit frater ejus Remigius, potuit Pippinus nominare. Palatinos Epiſcopalibus Cathedris violenter intrudere eſt antiquus Regum Barbarorum mos: Eum etiam à Merovingiis Regibus uſitatum impetravit à Zacharia Pippinus ſibi ad tempus indulgeri.

Quæſtio eſt, an ſimilem nominandi facultatem ab Adriano primo Pontifice, vel Leone tertio habuerit etiam Carolus Magnus? In laudatis ad ſanctum Amulum litteris affirmare videtur jam dictus Wenilo. Etenim poſt exaggeratum Pippini Regis indultum proſequitur: *Proindè ſuppetere, ut honorem à Papa Romano Majoribus ejus, & Regibus & Imperatoribus conceſſum, & à Lugdunenſis Eccleſiæ Metropolitanis nunquam hactenus infirmatum, à vobis, nulla veſtra injuria, conſequatur.* Caroli Calvi Majores, Reges & Imperatores, ſunt omninò Carolus Magnus & Ludovicus Pius. Et hinc eundem magnum Carolum, quod Augienſi & S. Galli Monaſteriis fecerit liberę & Canonicę electionis gratiam ac privilegium, laudat in Joanne quintodecimo Epiſcopo Chronicon Eccleſiæ Conſtantienſis. Nempe nominandi jus habebat Carolus, ideoque electionis reſtitutio fuit ejus gratia ac beneficium. Idem cenſent, quotquot nominandi & inveſtiendi jura confundunt: Inveſtituram enim ab Adriano primo fuiſſe Carolo datam conſtanter aſſeverant.

At certum eſt errare. Etenim iſtud, quod nullibi exſtat authenticum, & cujus ſenſum ac compendium ex Sigeberto Gemblaſenſi aut alio id genus Scriptore in ſuas diſtinctiones tranſtulit Gratianus Monachus, Adriani indultum ſic habet: *Adrianus Papa cum univerſa Synodo definiunt* Diſt. 63.
*Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas Provincias à Carolo inveſtituram acci-* c. 22. 23.

*pere, & ut niſi à Rege laudetur & inveſtiatur, Epiſcopus à nemine conſecretur.* Exponit ibidem in Decreto, quo indultum iſtud innovavit, & ad Otthonem primum Imperatorem extendit, Leo octavus: *Quod ſi à Clero & populo quis eligatur Epiſcopus, niſi à Rege laudetur & inveſtiatur, non conſecretur.* Electionem palam diſtinguit ab inveſtitura, & hanc ſolam Principi concedit. Et hinc in litteris ad Ludovicum tertium Francorum Regem ſcribit pro Canonica electione Hincmarus Metropolita Remen-
Ep. 12. c. 3. ſis: *Sic Atavus veſter Carolus, & Abavus Ludovicus Imperatores intellexerunt, & ideò in primo libro Capitularium ſuorum promulgaverunt.* Eorum per quæ omnibus Eccleſiis liberam Epiſcopi electionem ſtabiliunt ſecundùm Canones, Capitularia adducit. Et in litteris ad Manaſſem Remen-
Ep. 102. ſium Metropolitam ſanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis: *Non licèt Regibus electionibus Epiſcoporum ſe immiſcere, vel aliqua eas ratione impedire. Francorum etiam Reges Carolus & Ludovicus Epiſcoporum electiones Eccleſiis conceſſerunt, quod & in ſuis Capitularibus ſcriptum reliquerunt, & in Conciliis Epiſcoporum Provincialibus ſanciri permiſerunt.* Caroli Magni Capitularia apud Anſegiſum Abbatem Lobienſem, Ludovici Pii Capitularia habes apud Jacobum Sirmondum poſt primam Synodum Aquiſgranenſem. Ludovicus Pius etiam cunctis Monaſteriis reddidit electionem Canonicam, & omnes ſuos poſteros ad Capitulo huic non contraveniendum rigidè obligavit. Quæ omnia Capitula nulli privilegio renuntiant, ſed antiquos Eccleſiæ Canones, quod eſt germanum Regis officium, dumtaxat exequuntur, & mandant obſervari. Carolo Magno Adrianus primus Epiſcoporum nominationem adeò non conceſſit, ut ab illo vetuerit etiam eligendi licentiam poſtulari, ejuſque Legatos adeſſe aut miſceri
Ep. 10. electioni Epiſcopi Ravennatis. Et certè nominandi privilegium habens Carolus, qui dictæ electioni miſceri inſtantiſſimè prætendit, cunctis ubique ſuis Eccleſiis liberam electionem nequaquam permiſiſſet. Quod etiam Abbatum electionibus ſe paſſim non miſcuerit, lucet ex Chronico
An. 779. Monaſterii Laurishamenſis: *Gundelando Abbati ſubſtituitur Helmericus fratrum electione, & glorioſi Regis Caroli inſtitutione.* Hoc eſt, dato in electionem Regio conſenſu. Et proximo ante Adriani Pontificis mortem anno celebrata, cui ipſe Carolus aſſedit, Francofordienſis Synodus ſtatuit: *Ut Abbas in congregatione non eligatur, ubi juſſio Regis fuerit, niſi per conſenſum Epiſcopi loci illius.* Antiqua quorundam Regum conſuetudo, & in Eccleſias mitior violentia Canonicam electionem permiſit quidem, verum de prævia ſua licentia. Hanc conſuetudinem laudata Synodus implicitè evacuat, mandans non ſufficere licentiam iſtam, ſed accedere debere & conſenſum Epiſcopi. Adeò remotus fuit Carolus à jure nominandi Abbates. Sacrorum Canonum adeò obſervans paſſim fuit Ludovicus, ut etiam

etiam fratrem ſuum Drogonem, Trudonopolitani Cœnobii Abbatem, non niſi per Canonicam electionem aſcendere voluerit ad Epiſcopatum Metenſem. Ita ſcribit ejus Aſtrologus in ſuis Annalibus. An 823.

Dico, *Paſſim.* Etenim in Beſuenſis Monaſterii Chronico ſcribit de Ludovico Pio Imperatore Joannes Monachus: *Betthone Epiſcopo defuncto Albericum virum dignum Epiſcopatu, Eccleſiæ Lingonenſi conſtituit.* Et magnum Belgii Chronicon: *Sanctus Fredericus adeò laudabiliter vixit, ut abeunte Rixfrido Ludovicus Imperator Eccleſiæ Trajectenſi mandaret, quo dilectus ſibi Fredericus eligeretur in Epiſcopum* Quod eligendæ perſonæ deſignatio ſit vera Regiæ nominationis & Laïcæ intruſionis ſpecies, eleganter oſtendit in litteris ad Ludovicum tertium Francorum Regem Hincmarus Metropolita Remenſis: *Si quando petitam apud vos electionem conceditis, illum debent Epiſcopi & Clerus & plebs eligere, quem vos vultis & quem jubetis, quæ non eſt divinæ legis electio, ſed humanæ poteſtatis extortio. Si ita eſt, ille malignus ſpiritus, qui per ſerpentem primos noſtros parentes in Paradiſo decepit, & indè illos ejecit, per tales adulatores in aures veſtras hæc ſibilat.* Nihil tale in divinis Scripturis, ſacris Eccleſiæ Canonibus aut legitimis Principum conſtitutionibus affirmat reperiri, & adjungit: *Sed talia dicta infernus evomuit.* Prima enim Canonicæ electionis qualitas eſt libertas. Quod Carolus Magnus & Ludovicus Pius etiam citra omnem electionis fucum quandoque dederint Epiſcopatus & Abbatias, lucet ex ſancti Galli Monacho, Chronico Monaſterii Fontanellenſis, aliiſque vetuſtis Francorum Annalibus. Et quidem de Virdunenſi Eccleſia ſcribit in ejus Chronico Hugo Abbas Flaviniacenſis: *Ab ipſis fidei rudimentis uſque ad tempus illud*, utique Caroli Magni, *ſemper in Dei nomine Pontificis valuit electio Cleri & populi. Et ſi in quibuſdam Principes leguntur favorem & conſenſum præſtitiſſe, nuſquam tamen inveniuntur electionem vetuiſſe Pontificis ordinandi, aut factam immutaſſe.* Primum iſtic Regia nominatione intruſum affirmat fuiſſe neſcio quem Petrum gente Italum, qui Carolo Magno Treviſanam civitatem tradiderit: Et hanc Simoniacam violentiam addit fuiſſe extremam Virdunenſium ruinam. Nempe pinguia iſta Sacerdotia ſemper fuerunt Regibus quaſi pomum ſcientiæ boni & mali, à cujus contactu varia cupiditas, præſertim ſacra auri fames, nunquam plenè potuit manus cohibere. Et adverſum tales Ludovici exceſſus omninò agunt ſexta Pariſienſis Synodus, & ſecunda Aquiſgranenſis, ſub hoc titulo, *Hæc ſunt Capitula, quæ à veſtra Pietate adimpleri poſtulamus*, ponentes etiam legitimam promotionem Epiſcoporum, Abbatum atque Abbatiſſarum.

Fol. 55.

Ep. 12. c. 3.

Lib. 1. c. 15. 16.

Fol. 117.

Et adducta in contrarium argumenta prætenſum privilegium nullo pacto evincunt. Etenim Wenilo Senonenſis Epiſcopus palam pro nobis facit,

facit, diſertè profeſſus nulli Regi fuiſſe tale privilegium, niſi ſoli Pippino. Subjuncta & nobis objecta ejus verba ſunt ſtudio ſubobſcura ac involuta: Prætendunt Pippini privilegium fuiſſe perpetuum, atque ita ad Carolum item Magnum & Ludovicum Pium, adeoque & ad Carolum Calvum omninò pertinere ac pertinuiſſe. De Wenilone Epiſcopo ſuo verè in ſui ad ſanctum Petrum Vivum Monaſterii Chronico ſcribit Clarius Monachus Senonenſis: *Wenilo nobilitate præcipuus, & ingenio acutus.* Verùm ejus ſubtilitates adeò non curavit ſanctus Amulus, ut Bernum Caroli Regis nominatum & propinquum plenè excuſſerit, reſtitueritque Canonicam electionem. In Epiſcopum Auguſtodunenſem electus & conſecratus fuit Althæus, promptéque obedivit Rex Carolus, uti lucet ex Regio ejus Præcepto, quod fratres Sammarthani, Galliæ Chriſtianæ Collectores, ſuo Æduenſium Epiſcoporum Catalogo inſeruerunt.

Quo fine, & qua poteſtate Carolus Magnus Augienſi & ſancti Galli Monaſteriis dederit Canonicæ electionis privilegium, laudatum Conſtantienſis Eccleſiæ Chronicon palam exponit: *Joannes Epiſcopus duorum Cœnobiorum*, videlicet Augienſis & ſancti Galli, *regimen ſuſcepit, qui & tres Nepotes ſuos educavit, quibus in tribus illis locis poſt ſuum diſceſſum honorem diſtribuere cogitavit.* Primum Epiſcopatus Conſtantienſis, alterum ſancti Galli, tertium Augienſis Monaſterii diſponebat facere hæredem: *Quo comperto, utriuſque Cœnobii fratres Epiſcopum pariter adierunt, rogantes ut privilegia eis apud Principem, ac poteſtatem eligendi impetraret, ſe verò, ſi hoc fieret, Nepotes ipſius ſibi Abbates electuros polliciti ſunt; quod ille conſentiens ſe facturum promiſit.* Abbatias Epiſcopis, imò & Laïcis in commendam & quaſi in proprietatem dare cæpit Carolus Martellus: Quæ deteſtanda iniquitas non ſolùm diu permanſit apud Francos, ſed & in alia Regna ac Provincias irrepſit. Nec ſoli Reges aut Laïci Principes, ſed & plures Epiſcopi eandem violentiam Monaſteriis intulerunt. Ita ergo & Joannes Epiſcopus duas iſtas Abbatias accepit aut invaſit. Et quia Carolus Magnus iniquitatem iſtam exſtirpare cæperat, dictorum etiam Monaſteriorum fratres illi per Epiſcopum, doloſo promiſſionis fuco circumſcriptum, pro eodem beneficio, non adverſus Regiæ nominationis privilegium, ſed adverſus Commendæ violentiam ſupplicarunt atque impetrarunt. Quod privilegium idem Carolus Lauriſhamenſi, Dagobertus Rex Solemniacenſi, Guilielmus Dux Cluniacenſi, aliiſque Monaſteriis alii Reges ac Principes frequenter donaverunt. Nulli Apoſtolico privilegio, ſed per Carolum Martellum inductæ, & à ſuis Majoribus continuatæ uſurpationi ac violentiæ ceſſerunt, & ſacros Eccleſiæ Canones repoſuerunt in avitam obſervantiam, quod ad Regale ſpectat officium. Et hinc nullo modo eſt privilegium, tunc tamen meritò

fuit

fuit ſic vocatum. Etenim nimium Prælatis ſuis placendi & adulandi ſtudium, quo Græcos laboraſſe notat in ſua ad ſeptimam Synodum præfatione Anaſtaſius Bibliothecarius, etiam Barbaris ſuis Regibus olim impenderunt Latini populi, atque ita Regia ac debita Canonum executio accepit nomen beneficii ac privilegii. Et certè à parentum invaſionibus recedere, & detenta ab ipſis jura Eccleſiis reddere, eſt omninò beneficium.

## CAPUT IV.

### *Quomodò hac in re ſe geſſerint Lotharius, Ludovicus, Carolus Calvus, & alii Francorum Reges?*

LUdovico Pio in Romanum Imperium, Longobardiam, ac Lotharingiæ Regnum ſucceſſit Filius ſenior Lotharius, de quo ſcribit magnum Belgii Chronicon: *Iſtis temporibus viguit Simoniaca hæreſis in tantùm, ut publicè venderentur Epiſcopatus, & is qui plura dabat, Epiſcopatum acciperet.* Fol. 59. Et de Ratberto Corbeienſi Abbate ac ejus Monachis, apud quos Canonica electio huc uſque manſerat illæſa, ſcribit ſub Carolo Calvo habita Pariſienſis Synodus: *Quia noſtris temporibus omnia ferè depravata erant, cernentes Religioſi viri electionis jura multis in locis non ſervari, verentes ſimilia pati, ſacras litteras clementiſſimorum Principum expetierunt, electionem ſibi juxta conſtitutionem Divinæ legis confirmantes. Nec eas ſufficere arbitrati, ex nutu nobiliſſimi atque præſtantiſſimi Regis, noſtra quoque auctoritate ſibi eandem poſtularunt confirmari. Quod nos non immeritò conceſſimus.* Lotharius, Ludovicus & Carolus, fratres Francorum Reges, ſtatim à Ludovici Patris morte dixerunt Regnum inæqualiter ab ipſo diviſum, tanquam rabidi canes inſurrexerunt in invicem, devaſtarunt & Rempublicam & Eccleſiam, atque ita etiam Canonicas alterius præſertim Regni electiones invaſerunt. Alienis Eccleſiis & Monaſteriis impoſuerunt ſuæ factionis Antiſtites, per quos & populum ſibi devincirent. De eodem Lothario Auguſto ſcribit in Cameracenſis Eccleſiæ Chronico Baldricus Tornacenſis Epiſcopus: *Poſt Theodorici Epiſcopi exceſſum Eccleſia Cameracenſium per tres circiter annos vacavit, hâc ſcilicet contentione habitâ inter Hincmarum Remenſem Archiëpiſcopum, & Imperatorem Lotharium.* Lib. 1 c. 48.49. Lotharius nominare voluit & ſucceſſivè tres, Guntbertum, Tetboldum, & Hilduinum nominavit, ſperans vel ex ipſis unum placiturum Archiëpiſcopo, qui pro Canonica electione manſit immobilis, tandemque Apoſtilicis Nicolai primi mandatis adjutus evicit. Lotharius enim ſecundus receſſit à Patris contumacia, permiſit electionem Canonicam,

nicam, electuſque fuit ſanctus Joannes. Quomodò idem Imperator Lotharius Colono Reatinæ Eccleſiæ electo Epiſcopatum dare, id eſt, approbare electionem, utique nominare volens, dudum noluerit, tan-

Diſt. 63. cap. 16. 17. 18. demque ad humillimas Leonis quarti Pontificis preces inflexus fuerit, habes in diſtinctionibus Monachi Gratiani.

Etiam Ludovicus Germaniæ Rex omninò nominavit. Etenim dum in ipſum de Lotharii Nepotis defuncti Regno contenderet, & vacanti Eccleſiæ Colonienſi Hilduinum Abbatem intrudere Epiſcopum tentaret Carolus Calvus, Luitpertum Moguntinum Epiſcopum legavit, & Canonicam electionem tanquam ſingulare beneficium Colonienſibus obtulit cum hac appendice: *Si electionem vobis à Rege conceſſam deſpicitis, in arbi-*

An. 869. *trio & poteſtate Regis eſt, quem vult vobis dare Epiſcopum.* Ita in ſuis Annalibus ſcribit Regino Abbas Prumienſis. Et Annales Francorum Fuldenſes:

An. 856. *Rabano Archiepiſcopo Moguntiacenſis Eccleſiæ ſucceſſit Carolus, magis ex voluntate Regis, & Conſiliariorum ejus, quam ex conſenſu & Electione Cleri & populi.* Carolus quippè erat Pippini Aquitaniæ Regis filius, ideoque Ludovici ex fratre Nepos. Temperantior tamen hac in re fuit Ludovicus. Pauca factarum ab ipſo nominationum habemus exempla. Et quod nullam unquam Eccleſiæ dignitatem pecuniâ dederit, affirmat

An. 876. laudatus Regino.

Omnium audaciſſimus hac in re fuit Carolus Calvus. Quod enim Bernum ſuum conſanguineum, & Godeſcalcum Palatinum, à ſancto Amulo Lugdunenſium Metropolita excuſſos ac rejectos, ad Auguſtodunenſem & Cabilonenſem Eccleſias nominarit, lucet ex ſuprà adductis litteris Wenilonis Metropolitæ Senonenſis. Quod hunc ipſum etiam Wenilonem nominarit, ac ejus conſecrationem ægrè impetrarit à Provin-

Act. 2. c. 1. cialibus ejus Epiſcopis, teſtatur ipſe Carolus in libellis accuſatoriis, quos adversùs ipſum obtulit Synodo Tullenſi. Bertulfum ac Hilduinum fuiſſe ab ipſo nominatos ad Treverenſem & Colonienſem Epiſcopatus,

An. 869. habes apud laudatum Reginonem. Æneam Pariſienſem Epiſcopum fuiſ-

Apud S. Lupum Epiſt. 98. 99. Tom. 2. ſe Electum ſcribit quidem ad dictum Wenilonem ſuum Metropolitam Clerus ejuſdem Eccleſiæ, verùm antiqua iſtius Epiſtolæ apud Jacobum Sirmondum Epigraphe adjungit: *Decretum Cleri Pariſienſis de Electione Æneæ Epiſcopi, quem Carolus Rex inſinuaverat.* Id eſt, juſſerat eligendum. Quam violentiam ſolo fuco differre à nominatione, ſuprà audivimus ab Hincmaro Remenſi. Caroli Attentata ejuſmodi poſſint plura adduci.

Eadem violentia uſus fuit Ludovicus ſecundus Imperator, Lotharii filius, & jam dictorum Ludovici & Caroli Nepos. Eique favit Adrianus ſecundus. Defuncti fratris Lotharii Regnum lucidè ſpectabat ad ipſum,

ſum, iſtudque illi adſerere adeò conatus eſt præfatus Pontifex, ut non ſolùm jam dictis ejus Patruis, ſed & Hincmaro Metropolitæ Remenſi fuerit excommunicationem minatus. In Italia enim remotus regnabat Ludovicus, Lotharienſe autem Regnum inter Germaniam mediabat ac Galliam, ideoque tamquam ſuis rebus opportuniſſimum Patrui conabantur invadere, & tandem inter ſe diviſerunt. Germanici Imperii protectrix ſemper fuit Apoſtolica Sedes, ideoque in oppreſſi Ludovici adjutorium Adrianus emiſit Edictum iſtud, cujus ſubſtantiam atque compendium nobis ſervavit Hugo Abbas Flaviniacenſis: *Defuncto beato Papa Nicolao, cum imperante Ludovico ſucceſſiſſet Adrianus, & litteras miſiſſet Galliarum Epiſcopis, ut non alios ordinarent Epiſcopos, niſi quibus præfatus Imperator Epiſcopatum concederet, & Ordinari mandaret, non conſenſerunt venerabiles Epiſcopi, ſed congregati litteris factis communiter ſuggeſſerunt Papæ, ſe Decreta ſanctorum Patrum fideliter obſervare velle, & ſecundùm ſcita Canonum Epiſcopos conſecraturos. Quorum textus in Cathalogo ſacrarum Scripturarum habetur. Scripſit & aliam Epiſtolam Gerardo Duci, & Rofrido Comiti, & omnibus Galliarum Comitibus, ut nullius hominis favore & gratia permitterent alios viros Eccleſiaſtici Ordinis in Epiſcopiis totius Galliæ & Burgundiæ conſecrari Epiſcopos, niſi quos Ludovicus Imperator juberet. Cui ſatis luculenter & honeſtè obviaverunt præfati venerabiles Galliarum Epiſcopi, litteras illas per verba ſingula diſcutientes, & quod ſanctorum Patrum Decretis conſona non eſſent, humiliter ſuggerentes, inq; hujus reſponſionis extremitate Epiſtolam Papæ Nicolai Prædeceſſoris ſui interſerentes, quam ad quemdam Epiſcopum Galliæ miſit.* Fol. 121. Laudant neſcio quam Epiſtolam, qua domeſticos Presbyteros à Laïcis nobilibus eligi, præſentari ad ſacros Ordines, aut hujus vel iſtius Comitis dici vetuit rigidiſſimè Nicolaus primus, quædam ejus fragmenta adducunt, & pergunt: *Quid putamus, ſi beatiſſimus Papa Nicolaus in diebus ſuis audiſſet, & in litteris quaſi ab Apoſtolica Sede confectis, quod Laïci Comites non permitterent in civitatibus Epiſcopos Ordinari niſi quos ſecularis Poteſtas è latere ſuo miſiſſet, quod inde ſcriberet? Quo dolore moveretur. Quoſvè gemitus daret, cum proſpiceret ſacratiſſimum Ordinem tam illicitè tractari, & ad tantum nefas proſilire quemquam auſum, ut de Sede Apoſtolica tam inconvenientia & extra uſum Eccleſiaſticum omninò ſcriberet?* Grandi Chriſtianæ eruditionis damno latent iſtæ Adriani Pontificis & Gallicanorum Epiſcoporum litteræ, de hocce tamen compendio & fragmento debemus gratias laudato Hugoni, qui & rectè addit: *Tales tunc in Gallia erant Epiſcopi.* Non de univerſa, ſed de ſola Burgundica ac Lotharienſi Gallia videtur ſanxiſſe Adrianus: Quo ipſam Ludovico firmaret, ei dedit ipſum iſtud indultum, quod olim Pippino dederat Zacharias. Fidus enim Regi Epiſcopus

Mm 2 poſſit

Digitized by Google

poſſit populum firmiſſimè ad illum ligare. Et quidem Canonicæ electionis zeloſiſſimi Defenſores ſemper fuerunt Gallicani Epiſcopi: Nam & elapſo ſæculo initis inter Leonem decimum Pontificem & Franciſcum primum Regem Concordatis ſeſe oppoſuerunt generoſiſſimè, & ipſa ad primam generalem Synodum appellarunt. Verùm in præſenti caſu videtur aliquid humani colluſiſſe. Carolo Calvo potius quam Ludovico favebant Gallicani Epiſcopi, ideoque ſub Canonum & Eccleſiaſticæ libertatis prætextu indultum iſtud excuſſerunt. Epiſtolæ Scriptor haud dubiè fuerit præfatus Hincmarus, qui in alia ad eundem Pontificem Epiſtola ſcribere non erubuit Regna non excommunicationibus parari, ſed armis.

Regiæ hujus violentiæ fundamentum ſeu occaſio fuit varia. Primam ſuprà audivimus à Synodo Pariſienſi. Prima, inquam, hujus mali occaſio fuit Regum diſcordia, mutuaque Regnorum invaſio, quam ut victor ſibi firmaret, invaſæ civitati ſtatim fidum intrudebat Epiſcopum. Ita à Carolo Calvo Francorum, & Ludovico fratre Germanorum Rege, de defuncti Nepotis Lotharii Regno digladiantibus, Trevirenſi Berthulphum, Colonienſi Eccleſiæ Willibertum fuiſſe impoſitos ſcri-
An. 869. bit Regino Abbas Prumienſis. Carolus ſimplex Francorum Rex Bertharium Catalaunenſis Eccleſiæ Electum, quod ab Odone Hugonis filio, quocum certabat de Regno, confirmatus eſſet, conſecrari vetuit, ejecit, appellantem & accedentem ad Sedem Apoſtolicam captivavit in via, nominavit Mancionem, eumque ſanctus Fulco Remenſium Archiëpiſcopus, à Formoſo Pontifice poſtmodum acriter increpatus, omninò conſe-
L. 4. c. 3. cravit. Ita in Remenſis Eccleſiæ Hiſtoria ſcribit Flodoardus. Similem ejuſdem Caroli ob rejectum Hilduinum Tungrenſis Eccleſiæ electum, & nominatum atque intruſum Richarium, cum Hermanno Colonienſi
An. 922. Archiëpiſcopo & Romana Eccleſia litem habes in Chronico laudati Flodoardi, in vita Joannis decimi Pontificis, variiſque ejus litteris exſtantibus apud Jacobum Sirmondum. Habes & aliam inter Rudolphum Francorum & Henricum Germaniæ Regem ob Virdunenſem Epiſcopatum, quem alter Hugoni dederat, alter Bernuino. Quod antiqui Gothi è captis Francorum civitatibus Francum Epiſcopum ſtatim ejecerint, & Gothum impoſuerint, ſcribit ſanctus Gregorius Turonenſis. Et de Gulielmo primo Angliæ Rege, & per Alexandri ſecundi Pontificis Legatos celebrata tunc Vintonienſi Synodo ſcribit Rogerus Hovedenſis: *Stigandus Doroberniæ Archiëpiſcopus degradatur. Frater quoque ejus Agelmarus Weſtanglorum Epiſcopus. Abbates etiam nonnulli ibi degradati ſunt, operam dante Rege ut ex Anglis quam plures honoribus privarentur, in quorum loco ſuæ gentis perſonas ſubrogaret, ob confirmationem ſcilicet ſui, quod noviter*

*noviter acquiſierat, Regni.* Eſſe criminalem violentiam ipſe Carolus Calvus in Tullenſi Synodo eſt palam confeſſus, de ejuſmodi pravis conſiliis graviſſimè accuſans Wenilonem Archiëpiſcopum Senonenſem. Et hinc poſt extinctam & compoſitam trium fratrum Regum diſcordiam ſtatuit Synodus Theonis-villana: *Ferventiſſimè monemus, ut Sedes, quæ veſtra diſcordia ulterius nec nominanda ſine ſacro Epiſcopali Miniſterio & ſine Epiſcopis viduatæ manent, ſubmota funditus peſte Simoniacæ Hæreſios ſine dilatione, juxta authoritatem Canonicam aut Epiſcopos à Deo datos, & à vobis regulariter deſignatos, & gratia ſancti Spiritûs conſecratos accipiant, aut quæ ſuis Epiſcopis quacumque occaſione privatæ ſunt, Canonicè eos ſine aliqua excuſatione aut tarditate recipiant.* Ejectos ab illis Epiſcopos vult reſtitui, & viduatis Eccleſiis novos per Canonicam electionem dari.

Alteram iſtius violentiæ occaſionem rurſum edicit laudata Synodus Pariſienſis: *Quod ſi aliquando contigerit, ut Rector*, ſeu Abbas *aliquis in eodem loco*, Monaſterio Corbeienſi, *non dignè Deo vivat, aut fortè minus officioſus circa Principem ſit, hoc ſtatuimus, ut ſi ille propter ſuam negligentiam depoſitus fuerit, Electio illis*, dicti Monaſterii Fratribus, *intemerata permaneat, videlicet ut eligant alterum, quem ad illud Officium ſecundùm Monaſticam diſciplinam aptum invenerint. Non enim juſtum eſt, ut unius culpa ſuper omnes redundet, neque ullo pacto rectum eſſe poteſt, ut uno peccante ſuper omnes vindicta conſurgat, aut cauſa unius Eccleſia Chriſti ſua privilegia perdat.* Dum quiſpiam Epiſcopus aut Abbas in Deum, Eccleſiaſticas Regulas, aut in Dominum præſertim Regem delinqueret, atque adeò degradaretur, ejus Cœnobium aut Eccleſiam, utpotè quæ in homine indigno exaltando adverſus ſuam Majeſtatem cooperata fuiſſent, ſolebat Rex eligendi jure exuere, ac ipſis Antiſtitem nominare. Et peſſimum abuſum damnavit quidem laudata Synodus, ſed non extinxit. Poſterior quippè ætas videre perrexit plura ejuſmodi exempla. Eſt violentia in mundum intruſa per Imperatorem Leonem Iſaurum, à quo ſanctum Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum, uti læſæ Majeſtatis reum, fuiſſe ejectum, & Regia tunc nominatione intruſum Anaſtaſium tradunt Scriptores Græci, damnavitque Pontifex Gregorius ſecundus. Etiam ſanctum Rigobertum Archiëpiſcopum Remenſem, ut ſibi infidum ejecit Carolus Martellus, ac ejus in locum intruſit primæ Tonſuræ Clericum Milonem. Et de Henrico quarto Imperatore ſcribit in opere de bello Saxonico Bruno Merſeburgenſis: *Epiſcopis, quos in ſuas partes trahere non poterat, hujuſmodi dona mittebat Henricus, quibus illis Epiſcopatum pariter & vitam adimeret, quatenùs his perſonis daret Epiſcopatum, qui ſuæ voluntati darent ad omnia conſenſum.* Pro magno quaſi dono mittebat eis potentiſſima venena, uti canis ſui experimento &

morte probavit Wernerus Archiëpiſcopus Magdeburgenſis.

Tertiam Regiæ nominationis anſam exponit Apoſtolica apud Juſtinum Imperatorem Legatio in litteris ad Hormiſdam Pontificem, agens de Eccleſiæ Antiochenæ longis & duris in eligendo Epiſcopo contentionibus: *Poſt multas afflictiones, & pœnè in tres menſes à partibus protracta certamina, piiſſimus Imperator ſua authoritate Paulum Presbyterum elegit Epiſcopum fieri in Eccleſia Antiochena.* Quod factum non ſola iſta Legatio, ſed ipſe etiam Hormiſda Pontifex videntur omninò probaſſe. Paulum in Regia civitate conſecrari dumtaxat noluerunt, Regiam nominationem habuerunt omninò ratam. Nempe Orientalis Eccleſiæ extrema, quam ab Eutychiana Hæreſi & Acaciano Schiſmate tunc temporis patiebatur, neceſſitas ita ſuadebat, imò & compellebat. Et hinc poſteriores Barbarorum Reges invaſere judicium electionum contentioſarum, authoritatemque aut alterius aut utriuſque electi caſſandi, & ex arbitrio nominandi quem vellent. Etenim in vita ſancti Leodegarii Auguſtodunenſis Epiſcopi ſcribit Author antiquus: *Incubuit cauſa neceſſitatis, ut in Auguſtodunenſi urbe Leodegarium deberent ordinare Epiſcopum. Siquidem nuper inter duos contentio de eodem Epiſcopatu exorta fuerat, & uſque ad ſanguinis effuſionem certatum. Cumq; unus ibidem occubuiſſet in morte, & alter pro perpetrato ſcelere datus fuiſſet in exilii truſionem, tunc Bathildis Regina, quæ cum Clothario filio Francorum regebat Palatium, divino inſpirata conſilio ad memoratam urbem direxit hunc Virum, ut ibidem eſſet Epiſcopus.* Ita Capuanis Epiſcopum nominavit Dux Gualferius, eumque à violenta & armata nominati intruſione compeſcuit Joannes octavus Pontifex, & adjunxit: *Pro veſtro, cum venerimus, amore ipſum, quem vultis, Capuanæ plebi ordinabimus Antiſtitem, ut veſter principalis honor indiminutus permaneat.* Nempe nominationi recalcitrabant Capuani, iſtamque ſuæ Ducalis dignitatis injuriam Gualferius parabat armis vindicare. Et de Arnulpho Auguſto ſcribit Chronicon Monaſterii Laurishamenſis: *Defuncto Gerardo Abbate, Fratribus ejuſdem Monaſterii de quibuſdam inſolentiis apud Arnulphum Imperatorem accuſatis, & ob hoc ab electione interim ſuſpenſis, Adelbero Auguſtenſis Epiſcopus diſpenſatoriè per Imperatorem ibidem inſtituitur.* Ea occaſione Arnulphus non ſolummodò nominavit, ſed & Abbatiam dedit in commendam. Juſtus ac Deum timens fuit Adelbero: Hinc poſt quinque annos correctis & pacificatis fratribus reddidit Abbatiam ac liberam electionem. Et de Henrico primo Leodienſium Epiſcopo ſcribit magnum Belgi Chronicon: *Orta contentione in electione, ab Imperatore Henrico quarto conſtitutus, ab Annone Colonienſi Archiëpiſcopo eſt in Epiſcopum conſecratus.* Et de Frederico ſecundo Colonienſi Archiëpiſcopo, electo contentioſè adverſus Gerardum Præpoſitum

Poſt Ep. 65 relat. 1. & 2.

Ep. 214.

An. 890.

Fol. 125.

tum Bonnenſem: *Caſſata priore Canonica electione favore Principum Fredericus ab Imperatore Frederico primo Archiëpiſcopatum ſuſcepit, moxq; cum ſuis fautoribus Romam veniens ab Adriano Papa quarto conſecratur.* Et de Folmaro Archidiacono & Rodulpho Præpoſito, contentioſè electis ad Archiëpiſcopatum Trevirenſem: *A Frederico Imperatore partibus Confluentiam vocatis, per Barones fuit definitum, partibus ſic diſſentientibus, poſſe Imperatorem perſonam idoneam ſubrogare.* Plurima habemus ſimilia exempla, quorum timor Clericos & Monachos frequenter compulit ad pacificè eligendum. Fol. 187.

Quartam ejuſdem violentiæ anſam habemus apud Jacobum Sirmondum in formula, qua ad novi Epiſcopi electionem dirigendam miſſus à Ludovico Pio Imperatore Viſitator Epiſcopus electores alloquitur in Form. 6. hunc modum: *Abſit ut inter vos talis eligatur, qui poſteà de pravis actibus incriminari aut condemnari poſſit. Si forte aliquis per veſtrum præmium, aut per aliquam malitioſam artem ſubripere hanc Sedem conatus fuerit, & hoc vobis malum conſentientibus ut in illum electio veniat, hoc nequaquam conſentiemus vobis, ſed Domino Imperatori annuntiabimus, & ille ſine ullo periculo, & cum licentia Canonum, undecumque & cuicumque Clerico voluerit, dare poterit, & tunc meritò à vobis auferetur poteſtas eligendi, quia Deum offendiſtis, & vos metipſos abominationem exhibuiſtis.* Factas de indigno electiones caſſabat Princeps, & jure tunc ad ſe devoluto nominabat. Ita Giſlemarum Remenſem electum fuiſſe ob nimiam imperitiam à Ludovico Pio rejectum, atque ita nominatum Ebbonem, ſcribit ad Nicolaum primum Pontificem Rex Carolus Calvus. Exſtant litteræ apud Jacobum Sirmondum poſt Synodum Tricaſſinam. Et hinc Hilduino, ejuſdem Ludovici Archi-Capellano, & Judith Imperatrici, quod poſt caſſatam de indigno primam impetraſſent licentiam electionis ſecundæ, uti de ſingulari beneficio gratias ſolemnes egit Eccleſia Senonenſis. Exſtant litterę in antiquis Epiſcopalium promotionum formulis apud prędictum Sirmondum. In litteris apud Franciſcum du Cheſne exſtantibus Frotarius Ep. 15. Burdigalenſis Archiëpiſcopus refert alia iſtiuſmodi exempla. Hæc memorati Viſitatoris verba, *Cum licentia Canonum*, continent adulationem 16. Regiam & errorem. Quis enim Canon tale jus devoluit ad Reges? Longè aliter in litteris ad vacantem Belluacenſium Eccleſiam ſcripſit Hincmarus Metropolita Remenſis: *Prænoſcere vos volo, quia ſi perſonam à* Cap. 4. *ſacris Canonibus deviam ſcienter nobis adduxeritis, non ſolum ex ea Pontificem non habebitis, verum etiam pro illicita electione, ut contemptores Canonum, judicium incurretis, ſed & noſtro & Coëpiſcoporum noſtrorum judicio refutata rationabiliter electione veſtra incongrua, talem ſecundùm Laodicenſes Canones ſtudebimus eligere, qui veſtris vitioſis voluntatibus non valeat conſentire.*

Digitized by Google

*ſentire.* Similes ad eandem Erluini Epiſcopi morte vacantem Eccleſiam ſcripſit Metropolita Heriveus.

Quintam violentiæ cauſam habes in Chronico Monaſterii Gemblacenſis: *Gemblacenſes orbati Patre*, Erluino primo ſuo Abbate, *ad Curiam Regis*, Ottonis tertii Imperatoris, *pro ſubrogando ſibi Paſtore deliberant ire, nec tamen hoc ſine conſilio Epiſcopi Diœceſis putant eſſe faciendum. Notgerus tunc temporis Tungrenſibus antiſtabat, qui non negans conſilium quærentibus, inſinuare incepit quam potuit eloquentius, quam inutile ſit pauperes Regibus ſubjacere, quam arduum & difficile humilibus Chriſti ſolium Regis attingere: Videri ſibi multum eſſe utile, ſi juri Leodienſis Epiſcopi patiantur ſubjacere, unde prompta adſit defenſio.* Ipſi quandoque Monachi renuntiabant Canonicæ electioni, Regiam nominationem præferebant, & Prælatum ſibi poſtulabant à Principe. Quod Notgerus Gemblacenſibus meritò diſſuaſit. Canonica namque electio non eſt hujus aut illius Monaſterii, ſed totius Monachalis & Clericalis Ordinis privilegium, imò lex & præceptum, ideoque nullus Conventus poſſit illi renuntiare. Et hinc Gemblacenſes omninò obedierunt.

Sextam Regiæ nominationis anſam edicit in litteris ad Ludovicum
Epiſt. 12. tertium Francorum Regem Hincmarus Metropolita Remenſis: *Sunt*
cap. 4. *qui dicunt, ut audivi, quia res Eccleſiaſtica Epiſcoporum in veſtra ſint poteſtate, ut cuicumque volueritis eas donetis.* Et ex hoc principio Henricus quartus Imperator, & Philippus primus Francorum Rex Epiſcopatus atque Abbatias non ſolum donare, ſed & vendere præſumpſerunt. Quem errorem à Godefridi Lotharingiæ Ducis Capellanis defenſum refutavit inſigniter ſanctus Petrus Damiani. Ipſum ex inferno prodiiſſe affirmat Hincmarus, & non ſolis divinis litteris aut ſacris Eccleſiæ Canonibus, ſed etiam Caroli Magni & Ludovici Pii Capitularibus patenter adverſari. Et hi quidem ſunt ſpeciales iſtius violentiæ fontes: Generalis paſſim fons fuit avaritia Regum aut Regiorum Miniſtrorum. Et hinc Ludovico tertio ſe laudatus Hincmarus potentiſſimè objecit. Æquè potenter ſe objecit Lothario Auguſto, tres ejus ad Eccleſiam Cameracenſem nominatos conſecrare recuſans conſtantiſſimè, atque ita illic reparans Canonicam Electionem. Quomodò Caroli Calvi nominationes & Nominatos excuſſerit ſanctus Amulus Archiëpiſcopus Lugdunenſis, eſt ſuprà oſtenſum. Ejus Succeſſor ſanctus Remigius in tertia Valentina Synodo ſtatuit liberam electionem deinceps à Principe poſtulandam per vacantes Eccleſias, nullumque niſi Canonicè Electum eſſe conſecrandum, & ad-
Cap. 7. jungit: *Sed etſi à ſervitio pii Principis noſtri aliquis Clericorum venerit, ut alicui Civitati præponatur Epiſcopus, &c.* Palatinos Clericos, ſub variis tamen conditionibus, permittit à Principe nominari. Notanda ſunt verba,

*Princi-*

Digitized by Google

*Principis noſtri:* Quod alieno Regi Carolo Calvo denegarat Amulus, Principi proprio Lothario Auguſto ipſe concedit, atque ita citra iſtius injuriam huic ſatisfecit. Etiam ipſe ex Palatino Clerico fuerat nominatus: Propriam promotionem noluit damnare. Haud dubiè ſe fundarit in privilegio, quod Pippino Regi à Zacharia Pontifice fuiſſe datum urſit Wenilo Archiëpiſcopus Senonenſis: Remigius exiſtimavit poſſe à ſe ratificari. Etiam dictus Wenilo, Regiam nominationem metuens, Eccleſiæ Aurelianenſis electum Agium conſecravit ſine venia Caroli Regis, quem iratum compoſuit Synodus Vernenſis. Et ad Lotharium Auguſtum, ejuſque fratres Ludovicum Germaniæ, & Carolum Calvum Galliæ Regem ſcribit in Corbeienſis Monaſterii privilegio Pontifex Benedictus tertius: *Qui Regia Dominationis poteſtate ſuffultus, & non per electionis gratiam ſuper Dominicum Gregem arripit Primatum, hic non Paſtor, id eſt, Vicarius Chriſti, ſed fur & latro eſſe cognoſcitur; nec ut Dominicum Gregem cuſtodiat, ſed ut perdat & diſſipet, intrare deprehenditur. Undè quiſquis ei poteſtatis hujus tribuit Dominationem, de morte tantarum animarum in die Judicii reus judicabitur, quantis hic per exempla pravitatis fuit cauſa perditionis. Qua de re, glorioſi Principes, Monaſterio huic electionis prærogativam concedite, neque aliquam perſonam, aut Laïcam aut Canonicam, quod contra omnem Eccleſiaſticum Ordinem eſt, aut etiam Monachum ex alio Monaſterio, vel non ſecundùm Regulam electum, ſuper illud Regali potentia conſtituatis, ne domus Dei, quæ domus orationis eſſe debet, per vos fiat ſpelunca latronum. Neque enim ignoratis hujuſmodi Prælatos, & hujuſmodi Prælationis Authores à domo æternitatis divina cenſura exturbandos, & ad ſupplicia ultionis perpetuæ deportandos.* Eleganter proſequitur iſtud argumentum. Cap. 10.

Nec ſoli iſtorum temporum inſigniores ac ſanctiores Epiſcopi, ſed & ipſe populus Regiis nominationibus, tanquam manifeſtis in ſua etiam jura violentiis, ſe intrepidus objecit. Etenim Richardum, Lingonenſi Eccleſiæ à Roberto Francorum Rege datum Epiſcopum, fuiſſe à populo ejectum & veneno occiſum ſcribit vetus Chronicon ſancti Benigni Divionenſis. Ejus æquè intruſum Hugonem addit fuiſſe degradatum à ſancti Leonis noni Pontificis Synodo Remenſi. Idem paſſus fuit Odalricus, per Henricum tertium Imperatorem impoſitus Eccleſiæ Lugdunenſi. Et de Gelduino Senonenſi Archiëpiſcopo ſcribit Clarius Monachus in Chronico ſancti Petri vivi: *Gelduinus in ſede ſublimatur non electione Cleri vel populi, ſed muneribus. Dominum verò Mainardum omnis populus in Epiſcopum quærebat, ſed vicit potentia Roberti Regis.* Addit non ſoli Gelduino, ſed & ipſi Regi portas fuiſſe clauſas à Senonenſibus, bellumque duraſſe uſque ad degradatum Gelduinum à laudata Synodo Remenſi. Etiam A.1031. A.1031.

Conrardum Colonienſis Eccleſiæ Præpoſitum, cui Epiſcopatum Trevirenſem dederat Henricus quartus Imperator, fuiſſe à populo occiſum
A.1065. teſtantur Hermannus Contractus & Bertholdus Conſtantienſis. Regia nominatio anſam dedit etiam Martyrio ſancti Alberti Epiſcopi Leodienſis. Eadem quippè violentia apud Germanos Auguſtos, ad quos à Caroli Magni ſtirpe per Leonem octavum Pontificem fuit tranſlatum Occidentis Imperium, eſt inſigniter graſſata. Quod Ottho primus, ſecundus item & tertius, ac etiam Henricus ſanctus Canonicam electionem quandoque dumtaxat permiſerint, frequentiſſimè Epiſcopos atque Abbates nominarint, & quibuſdam Eccleſiis ac Monaſteriis perpetuam liberæ electionis facultatem pro grandi privilegio dederint, abundè videre poſſis apud Witichindum novæ in Saxonia Corbeiæ Monachum, & apud Ditmarum Epiſcopum Merſeburgenſem. Quidam ipſos ex dato per dictum Leonem Pontificem privilegio purgant: Verùm enim verò illud ſolam Electos Canonicè Antiſtites inveſtiendi dabat facultatem. Prætereà Henricus Auceps, primi Otthonis Pater, dudum ante iſtud qualecumque privilegium ſcribitur nominaſſe. Deo non placuiſſe violentiam obſervat, de Otthone primo Geronem Colonienſis Eccleſiæ electum repudiante, & alium nominare parante ſcribens, laudatus Ditmarus: *Imperatori in ſancta Dominica reſurrectionis die Angelus evaginato apparuit gladio, cum jam preparatus excepta Corona ad Eccleſiam pergere voluiſſet, niſi, inquiens, in Gerone hodiè compleveris electionem, ſecurus non evades hanc cædem. Expaveſcens ob hoc Cæſar, Dominum, inſit, vocate*
Lib. 2. *Geronem, eiq; protinùs venienti curam baculo Paſtoralem commiſit, & Indulgentiam humiliter efflagitavit.* Etiam Gunterum, Oſnabrugenſi Eccleſiæ ab Otthone tertio intruſum, ſcribit à ſanctis Criſpino & Criſpiniano fuiſſe percuſſum in ſomnio, & exindè uſque ad mortem per quatuor an-
Lib. 4. nos rectè nunquam valuiſſe. Quomodo Henrico ſancto ob ſpretam Adelberonis electionem, ac nominatum & obtruſum Menigardum rebellarit, ac duriſſimum bellum ſuſtinuerit Trevirenſis Eccleſia, habes in ſexto libro ejuſdem Ditmari. Ejuſmodi plura ab Henrico ſancto Patrata refert exempla. Ab hoc in Conrardum Salicum, ejuſque filium Henricum tertium ſcabies tranſivit. Etiam Italiæ & aliarum gentium Reges frequenter nominarunt, & de ſua violentia cum Eccleſiis & populis litigarunt uſque ad tempora Clementis ſecundi & ipſius Succeſſorum, præſertim Calixti ſecundi.

C A-

Digitized by Google

# CAPUT V.

## *Exponuntur Decreta Leonis IX. & ipſius Succeſſorum adverſus hanc violentiam.*

OMnes à Regibus nominatos Epiſcopos aut Abbates nolim de plena intruſione, aut divina offenſa damnare. Etenim de ſancto Gothardo Althanenſis in Bavaria Monaſterii Abbate, & ſancto Imperatore Henrico ſcribit in hujus vita Monachus Nonnoſius: *Henricus Hildeſheimenſibus ſanctum Gothardum divina edoctus revelatione Epiſcopum præfecit.* Etiam ſanctus Ottho Bambergenſis Epiſcopus Cathedram aſcendit per nominationem Henrici quarti. Et ſanctum Fredericum Trajectenſem Epiſcopum fuiſſe nominatum à Ludovico Pio, eſt ſuprà oſtenſum. Ignorantia, bona fides, ac Romanæ Eccleſiæ conniventia poſſint & nominantes & nominatos excuſaſſe. Erat interim peſſimus abuſus, ideoque per ſanctum Leonem nonum Pontificem, reformandæ Eccleſiæ divinitus datum, meritò extinctus. Quoſdam ejuſmodi Epiſcopos fuiſſe ab ejus Remenſi Synodo degradatos jam audivimus, quæ & edidit hunc Canonem: *Ne quis ſine electione Cleri & populi ad regimen Eccleſiaſticum provehatur.* Proximus Succeſſor Victor ſecundus ſtatui juſſit à Tholoſana Synodo: *Nullus Comes aut alia Poteſtas Epiſcopatum vendere vel Abbatiam præſumat, aut pretium pro eis accipere audeat.* Henricum primum Galliæ Regem, quod Romanæ Eccleſiæ Schiſmate in audaciam abuſus Matiſconenſi Cathedræ nominaſſet atque intruſiſſet hominem indignum, graviter increpavit Nicolaus ſecundus, & per Guilielmum Remenſem Epiſt. 1. Metropolitam juſſit caſtigari. Eandem ob cauſam, adjunctamque Simoniam ſuſpendi per Gervaſium Guilielmi Succeſſorem juſſit, & Romam evocavit Epiſcopum Beluacenſem. Eduardo Anglorum Regi, ac ejus in perpetuum Succeſſoribus dedit omnium per iſtud Regnum Eccleſiarum ac Monaſteriorum Advocaturam atque tuitionem, at ſalva Canonica electione. A Guilielmo tamen Conquæſtore, qui poſt expulſum Haroldum ſucceſſit Eduardo, nominari Epiſcopos & Abbates permiſerunt ejus Legati in Vintonienſi Synodo, quam habes apud Roge- A. 1070. rum Hovedenſem.

Eundem abuſum conſtantiſſimè impugnavit Gregorius ſeptimus. Quidquid enim in Romanis ſuis Synodis adverſus Laïcam Antiſtitum inveſtituram ſtatuit, omninò ſtatuit pro Canonica electione. Et in ſeptima ſua, per Bertholdum Conſtantienſem laudata, Synodo edidit & A. 1080. hunc Canonem: *Quoties defuncto Paſtore alicujus Eccleſiæ, alius eſt ei*



Digitized by Google

*Canonicè ſubrogandus, Clerus & populus, remota omni ſeculari ambitione, timore atque gratia, Paſtorem ſibi ſecundùm Deum eligant.* Et Hugoni Dienſi Epiſcopo, ſuo per Galliam Vicario, mandavit ut totius iſtius
Lib. 4. gentis celebraret Synodum, atque ſtatueret: *Nulla Poteſtas, aut aliqua*
Ep. 22. *perſona de Epiſcopalis honoris donatione vel acceptione ulteriùs ſe intromittere debeat.* Et hoc ſub pœnis inflictis per Synodum octavam. Plures ejus in hanc violentiam Canones ſuo loco adducam. Quæ omnia fuiſſe confirmata per Claromontanam Urbani ſecundi Synodum docet antiquus ſancto Dionyſiani Monaſterii Codex productus & laudatus per Franciſcum Bello-foreſtinum: *Primò ſtatutum eſt, ut nullus Epiſcopus vel Abbas, vel alius è Clero quivis dignitatem ullam Eccleſiaſticam à Principibus Laïcis acciperet.* Hoc ipſum in Romana ejuſdem Pontificis Synodo fuiſſe ſancitum adfirmat in litteris ad Paſchalem ſecundum ſanctus Anſelmus:
Lib. 3. *Audivi in Romano Concilio à venerabilis memoriæ Papa Urbano excommuni-*
Ep. 73. *cari Reges & omnes Laïcos inveſtituras & res Eccleſiarum dantes & accipientes.* Ubi ſub inveſtituris intelligi etiam nominationes, oſtendit Paſchalis ad Anſelmum reſponſio: *Alienum eſt ab Eccleſia, & ſacris Canonibus inhibitum, ne Principes & ſeculares viri inveſtituras non ſolùm dare, ſed ne electioni Epiſcoporum ſe audeant violenter inſerere.* Probat ex ſeptima Synodo, repetitque in alia ad eundem Anſelmum Epiſtola.

Et quod hæc Decreta utcumque obtinuerint in Gallicana Eccleſia, lucet ex variis Epiſtolis ſancti Ivonis Carnutenſis, Stephani Tornacenſis Epiſcopi, & Goffredi Abbatis Vindocinenſis, ipſa uti viva laudantibus. Ea vivere fecit præſertim Synodus Claromontana. Obtinuerunt etiam in Germanica Eccleſia. Etenim Imperator Henricus quintus à Paſchali ſecundo, dum ipſum captivum adduxit in civitatem Caſtellanam, ſolas Antiſtitum inveſtituras, nequaquam nominationes petiit ac extorſit. Lucet ex Paſchalis diplomate, quod nobis ſervavit Guilielmus Malmesberienſis: *Concedimus ut Regni tui Epiſcopis atque Abbatibus, liberè præter violentiam ac Simoniam electis, inveſtituram virgæ & annuli conferas.* Eadem eſt ratio Anglicanæ Eccleſiæ. Etenim tota Henrici primi Regis cum Pontificibus Urbano & Paſchali ſecundo, & cum Primate ſancto Anſelmo lis fuit de Antiſtitum inveſtituris atque hominiis, nulla de electionibus. Sanctum Anſelmum fuiſſe à Clero & populo electum ſcri-
Lib. 3. bit ad Beccenſes Monachos Gundulphus Roffenſis Epiſcopus, quod de
Ep. 3. Thoma etiam ſecundo Eboracenſium Metropolita adfirmat in litteris
Ep. 152. ad laudatum Paſchalem ipſe Anſelmus. Regem ſuum ait prætendiſſe iſtud ipſum, quod in Germania uſurpabat Henricus quintus Imperator: Sola hominia ac inveſtituras. Omnes Eccleſiæ libertates ab illo redditas affirmat Radulphus de Diceto, addens tamen ſancti Edmundi Abbatiam

Digitized by Google

tiam fuiſſe ab eodem ſine Conventus electione donatam. Et in famoſa adverſus ſanctum Thomam Archiëpiſcopum lite Henricus ſecundus nequaquam nominare, ſed eligi dumtaxat voluit de ſua prævia licentia, ac in Regia Capella.

Verùm iſta, licèt violenter extorta, Paſchalis cum Henrico pacta graviſſimè ſcandalizarunt Eccleſiam, adeò ut Pontifex, tanquam Canonum & Eccleſiaſticæ libertatis prævaricator, fuerit à multis poſtulatus ad degradationem. Romana in Synodo recantavit ſolemniſſimè & damnavit pacta iſta, ſuæque infirmitatis lapſui petiit indulgentiam ac impetravit. Etiam violentiæ Authorem Henricum damnavit. Hic interim Antiſtites inveſtire perrexit, quin & nominare rurſum cœpit, Romamque armatus rediit, ſuas in Pontificem violentias reſumpturus. Et quia Paſchalem reperit defunctum, Succeſſorem Gelaſium ſecundum ejecit ut malè promotum, fugavit in Gallias, Burdinum Bracharenſem Epiſcopum intruſit Apoſtolicæ Sedi, & novo Schiſmate Chriſtianitatem laceravit. Hinc Gelaſii ad modicum tempus Pontificis Succeſſor Calliſtus ſecundus in Synodo Remenſi Canonicas electiones reſtituit, damnavit inveſtituras, & Henrico, niſi pareret, minatus eſt excommunicationem. Et quidem Canonicas electiones admiſit ille, verùm Antiſtites de Eccleſiæ præſertim poſſeſſionibus non poſſe à ſe inveſtiri, & ſe excommunicatione pulſari tulit adeò impotenter, ut Ludovico Groſſo Francorum Regi, Synodi & Pontificis fautori, bellum indixerit, venerit obſeſſurus civitatem Remenſem, atque ita Synodum turbarit. Quæ omnia latè videre poſſis apud Sugerium Abbatem ſancti Dionyſii, Rogerum Hovedenſem, & Simeonem Dunelmenſem. Michaël Rouſſel in Pontificiæ juriſdictionis Hiſtoria, aſſerens hæc geſta poſt Henrici cum Calixto Concordatum, patenter eſt lapſus. L.2.c.5.

Calixtus Pontifex erat vir nobiliſſimus, non ſolum Francorum Regibus, ſed & ipſi Henrico Imperatori cognatus, ideoque illi tandem ſe inclinavit Henricus, Burdinum deſeruit, Antiſtitum inveſtituras reddidit, admiſit electiones Canonicas, inivitque cum Pontifice & omni Eccleſia hoc Concordatum: *Dimitto omnem inveſtituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Eccleſiis, quæ in Regno aut Imperio meo ſunt, fieri electionem, & liberam conſecrationem.* Repoſuit Calixtus: *Ego Calixtus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Henrico, Romanorum Imperatori Auguſto, concedo electiones Epiſcoporum & Abbatum Theutonici Regni, quæ ad Regnum pertinent, in præſentia tua fieri abſque Simonia & aliqua violentia, ut ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & Provincialium conſilio vel judicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem Regalia per Sceptrum à te recipiat, exceptis omnibus quæ ad Romanam Eccle-*

*ſiam ſpectare noſcuntur, & quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis verò partibus Imperii conſecratus infrà ſex menſes Regalia per Sceptrum à te recipiat.* Acta hæc ſunt in Synodo Lateranenſi ad annum vigeſimum ſecundum duodecimi ſæculi. Laïcum Principem adeſſe Antiſtitum electionibus eſt omninò contra Canones. Etenim Caroli magni Legatos à Ravennatis Archiëpiſcopi electione excluſit Adrianus primus. Et inter Henricianas, quibus eliminandis glorioſum ſanguinem fudit Thomas Cantuariæ Epiſcopus, conſuetudines una fuit hæc: *Cum vacaverit Epiſcopatus vel Abbatia in Dominio Regis, in Capella ipſius Regis debet fieri electio.* Et quod octava Synodus Epiſcoporum electionibus vetet adeſſe Reges, disertè
Ep. 60. ad Hugonem Lugdunenſis Eccleſiæ Primatem ſcribit ſanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis. Nihilominus pacis gratia cenſuit Calixtus à rigore illo diſpenſatoriè recedendum. In ſuo cum eodem Principe contractu Paſchalis ſecundus expreſſit cauſam: *Populares diſſenſiones, quæ in electionibus omnibus ſæpè contingunt, Regali oportet Majeſtate compeſci.* Ita ad Clerum & populum Faventinum, in eligendo Epiſcopo diſcordem,
L. 5. Ep. 10. ſcribit ſanctus Petrus Damiani: *Non eligatis Epiſcopum uſque ad Regis adventum, qui & errorem tollat, & vos & Eccleſiam veſtram, ſedatis undique jurgiis, in pacis & quietis tranquillitate componat.*

Concordatum iſtud viguit quidem per id temporis, Henrici tamen Succeſſores non deſierunt de ipſo conqueri, & ad nominationes uti ad ſcientiæ boni & mali pomum ſemper avidi aſpirarunt. Etenim Calixto ſecundo poſt Honorium ſecundum ſucceſſit ſecundus Innocentius, & Henrico quinto ſucceſſit Lotharius ſecundus, de quo auxilia ſpondente adverſus Anti-Papam Petrum Leonis ſcribit magnum Belgii
Fol. 158. Chronicon: *Papa Innocentius profectus apud Leodium Belgicæ urbem, Synodum Epiſcoporum convocans, Regem Lotharium ad defenſionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ invitavit, qui nihil cunctatus, expoſito tamen priùs modeſtè quantopere Regnum amore Eccleſiarum ſit attenuatum, & quanto damno earum inveſtituram remiſerit, auxilium Romanæ Eccleſiæ promittit.* Eadem
Lib. 7. c. 18. ſcribit Ottho Epiſcopus Friſingenſis. Almannus ex Claravallenſi Monacho Epiſcopus Antiſiodorenſis in vita ſancti Bernardi addit Pontificem expaviſſe ad iſtud verbum, & durius fuiſſe afflictum, quam ab
L. 2. c. 1. omni perſecutione Petri Leonis. Ex quo lucet Petrum Diaconum, iſtius Anti-papæ ſequacem, dum Lothario inveſtituras fuiſſe ab Innocentio redditas ſcribit in Chronico Monaſterii Caſſinenſis, palam falli, aut fortè mentiri. Et quod non ad ſolas inveſtituras, ſed etiam ad nominationes adhinniverit Lotharius, liquet ex Arnoldo Abbate Lubecenſi in Chronico Sclavorum, ubi ejus poſt Conrardum tertium Succeſſor Fredericus primus acquieſcere ſe quidem dicit inductis, ſeu potius reſtitutis



Digitized by Google

nuper Canonicis electionibus, addit tamen eſſe Eccleſiis noxias, quod nempe humanis paſſim regantur affectibus, atque ita minus capaces & dignos Epiſcopos imponant: A nominantibus Auguſtis gloriatur ſola perſonarum merita conſueſſe attendi, atque ita digniores Epiſcopos ab ipſis proceſſiſſe. Quo fundamento apud Leonem decimum Pontificem uſus etiam fuit, ſuumque impetravit nominandi indultum Franciſcus primus Rex Francorum. Porrò Auguſtus Lotharius, per inveſtituræ & nominationis ceſſionem querens attenuatum eſſe Imperium, ſordidum animum prodidit, faſſus eas ambiri amore lucri, veræ Simoniæ. Idem faſſus eſt Fredericus Auguſtus: Ejus enim adverſus Urbanum tertium Pontificem, Epiſcoporum ſpolia efeſtucantem, præcipua fuit querimonia, quod poſt ereptas inveſtituras ac nominationes nullum præter ſpolia reſtaret Imperio ex Epiſcopis emolumentum. Quinimò quod durante Octaviani Anti-Papæ adverſus Alexandrum tertium Schiſmate varios, qui poſtmodum reconciliati in gradu permanſerunt, Epiſcopos Fredericus nominarit atque intruſerit, teſtatur Albertus Stadenſis. Ita Eccleſiæ Moguntinæ fuiſſe ab illo intruſum Conrardum, ac deindè Chriſtianum, ſcribunt Godefridus ſancti Pantaleonis Monachus, & in ſupplemento Mariani Scoti Abbas Dodechinus. Etiam Hermannum intruſit in Epiſcopatum Monaſterienſem. Quod etiam poſt extinctum Schiſma quandoque fecerit iſtud ipſum, affirmat Radevicus Presbyter Friſingenſis. Etenim Otthonem Epiſcopum ſuum laudat, quod in lecto mortis ab illo, utpotè amico & cognato ſuo, tanquam poſtremum in hac vita beneficium poſtularit viduatæ ſuę Eccleſię contra iſtam ſubindè fieri conſuetam violentiam concedi Canonicam electionem. Etiam Conrardum tertium & præſertim Henricum ſextum fuiſſe uſos eadem violentia, poſſit facilè demonſtrari. Et hinc filius hujus & Succeſſor Fredericus ſecundus apud Innocentium tertium Pontificem eſt per Bullam auream profeſſus in hunc modum: *Abuſum illum, quem quidam Prædeceſſorum noſtrorum exercuiſſe dignoſcuntur, abolere volentes, concedimus & ſancimus, ut electiones Prælatorum liberè & Canonicè fiant, quatenus ille præficiatur Eccleſiæ viduatæ, quem totum Capitulum vel major & ſanior pars duxerit eligendum.* Exſtat hæc profeſſio apud Melchiorem Goldaſtum. Eandem fecerat & ejus proximus Anteceſſor Ottho quartus. Et hoc jure etiamnum hodiè vivit Germanica Eccleſia, præſertim poſt Frederici tertii cum Nicolao quinto Pontifice Concordata, ſuo loco exponenda.

L.4.c.17

A.1170.

A.1163.
A.1160.
A.1173.

L.2.c.11.

Ab Henrici quinti Succeſſoribus mota eſt circa Concordatum & alia quæſtio: An diſcordis electionis deciſio ad Metropolitam & Provinciales Epiſcopos ſpectaret, an verò ad Imperatorem? Concordati enim poſteriora verba habent aliquid ambiguitatis. Quæſtionem primus movit

Con-

Conrardus tertius, Ultrajectinæ Eccleſiæ diſcordem de Hermanno & Frederico electionem decidens, & Cleri ad Metropolitam & Provinciales Epiſcopos reclamationem contemnens, cujus judicium firmavit, & recalcitrantes graviter puniit Succeſſor Fredericus. Poteſtati tamen ſuæ diffiſus Conrardus acta ſua per Eugenium tertium Pontificem cura-
Fol 174. vit ratificari. Ita habes in magno Belgii Chronico, & apud Otthonem
Lib. 1. c. Friſingenſem in opere de geſtis Frederici. Et hujus prætenſi juris idem
62. 63. Fredericus fuit tenaciſſimus, urgens Concordati verba: *Electus Regalia per te recipiat*. Electum ſine ſua de Regalibus inveſtitura, adeoque ſine ſuo conſenſu dixit non poſſe conſecrari. Hinc quod diſcordantes Magdeburgenſis Eccleſiæ partes conciliare non poſſet, caſſavit electionem utramque, & Epiſcopatum dedit Wickmanno. Eugenius tertius potenter interceſſit, proteſtatus talem poteſtatem laico Principi interdici per Canones, Epiſcopos Frederici fautores acerrimè increpans, indicens novam electionem, ac legans duos Cardinales qui Wickmannum exturbarent. Cauſam hanc aſſeveravit nunquam à ſe deſerendam. Frederici tamen violentia prævaluit, Legatos ſuſpendit ab Apoſtolici mandati executione, atque ita in res Eccleſiaſticas evaſit longè inſolen-
Lib. 2. c. tior. Quæ omnia largius deſcribit laudatus Epiſcopus Ottho, adjun-
9. & 10. gens etiam Colonienſis Eccleſiæ diſcordem electionem fuiſſe ab illo deci-
Cap. 31. ſam, & quidem adeò potenter, ut ejus ſuſceptum Fredericum Adria-
32. nus quartus Romę conſecrarit. Quod ipſum ſcribit magnum Belgii Chronicon, adjungens de diſcordi electione, qua Treverenſis Eccleſia clе-
Fol. 201. gerat Rudolphum & Folmarum: *Per Barones fuit definitum, partibus ſic diſſentientibus Imperatorem poſſe perſonam idoneam ſurrogare*. Et de diſcordi Augienſis Monaſterii electione agens Chronicon Eccleſiæ Con-
Ep. 44. ſtantienſis: *Albertus & Hermannus Electi coram Frederico hujus nominis primo Romanorum Cæſare, tunc temporis Imperialem Congregationem Spiræ celebrante, comparuerunt, ſed cum auditis hinc inde partibus Cæſar eaſdem concordare nequiret, Principes decreverunt Cæſarem pro libitu ſuo poſſe dare*
A. 1129. *& eligere Abbatem quem vellet*. Quam poteſtatem illi apud Franciſcum
A. 1122. du Cheſne adſcribit etiam Chronicon Hildesheimenſe. Item in ſuis Annalibus Simeon Dunelmenſis. Et quidem iſta Treverenſium lis fuit duriſſima, agitata à Frederico adverſum tres ſucceſſivè Pontifices, Lucium tertium, Urbanum tertium, & tertium Clementem. Fredericum, quod ejus familiam in Medionalenſis civitatis excidio fuiſſet durè perſecutus, averſabatur Urbanus, atque ita ab illo rejectum Folmarum ſuſcepit, & in Epiſcopum conſecravit. Videbatur quæſtio ſic eſſe finita: Aſt Urbani judicium caſſavit Clemens, & Folmarum & Rudolphum exturbans, imponenſque Joannem. Rei ſeriem vide apud dictum Belgii Chro-

Chronicon, Monachum Godefridum, Arnoldum Abbatem Lubecenſem, Radulphum de Diceto, & Chronicon Epiſcoporum Eccleſiæ Metenſis. Ita quidem inter Sacerdotium & Imperium pax rediit, ſed diſcordiæ radix non fuit evulſa.

Etenim quæſtionem reſumpſit Frederici filius & Succeſſor Henricus ſextus, de quo magnum Belgii Chronicon: *Apud Leodium electus eſt in Epiſcopum Albertus Archidiaconus, Frater Henrici Ducis Lovanienſis, contra quem Comes Balduinus cum ſuis nominavit Albertum Præpoſitum, conſobrinum ſuum, fratrem Comitis Manaſſeri Reiteſtenſis. Sed Albertus Præpoſitus, cum eſſet illitteratus, ceſſit Alberto Lovanienſi, & venerunt ambo ad Henricum Imperatorem. Imperator verò noluit Lovanienſi dare Regalia, dicens electionem veniſſe ad ſuam manum, quia habuiſſent in electione diſcordiam. Et cum eſſet ibi Comes Theodoricus de Horſtal coram Imperatore, rogavit pro Præpoſito Bonnenſi Lothario fratre ſuo, cui ſtatim Imperator annuit, & donum conceſſit, mediante pecunia trium millium Marcharum.* Fol. 105. Verùm Albertus Lovanienſis appellavit Romam & in mendica peregrini veſte acceſſit ad Cœleſtinum tertium Pontificem, obtinuit cauſam, & in reditu, quod Coloniam & Metropolitanum ſuum ob ſtructas ab Henrico Auguſto inſidias adire non poſſet, eſt Remis à Guilielmo Archiëpiſcopo conſecratus. Quo audito Henricus adeò excanduit, ut per emiſſos latrones Albertum trucidarit. Sepultus hic eſt ibidem, cum hoc Epitaphio: *Legia me legit, electum Roma probavit, Remis ſacravit, ſacratum Martyrizavit.* De eodem habet Romanum Martyrologium: *Remis ſancti Alberti Leodienſis Epiſcopi & Martyris, qui pro tuenda Eccleſiaſtica libertate necatus eſt.* Rei ſeriem pluribus exponunt Godefridus Monachus & Annales Eccleſiæ Leodienſis. Prætenſi iſtius juris adeò zeloſus ſemper fuit ſextus Henricus, ut Epiſcopum quemdam, quod rogatus à quo haberet Epiſcopatum, ſemper reſponderet à Papa, juſſerit militum ſuorum pedibus conculcari. Undè ſimiles in Epiſcopos & omnem Clerum violentias admirari non oportet in ejus filio Frederico ſecundo: Fuit malum hæreditarium. Idem jus ſibi arrogavit proximus Henrici Succeſſor Otto quartus. Etenim Eccleſiæ Moguntinæ diſcordem de Lupoldo & Siffrido electionem decidit, ejuſque judicium Innocentius tertius confirmavit. A. 1200. Etiam noſtris temporibus ſimilem Argentinenſis Eccleſiæ diſcordiam ab Imperatore deciſam refert in ſuis Annalibus Auguſtus Thuanus. Verùm inter Catholicum & Lutheranum erat iſta diſcordia.

# CAPUT VI.

## *Exponitur legitimus Regum in Canonicas electiones conſenſus.*

AN etiam poſt Gregorii ſeptimi Decreta Reges habeant jus conſentiendi in factas Antiſtitum electiones, ipſarumque Electos comprobandi, olim agitata fuit quæſtio inter Hugonem Primatem Lugdunenſem, Apoſtolicæ Sedis in Gallia Legatum, & S. Ivonem Epiſcopum Carnutenſem. Eccleſiam ab iſtis Laïcorum ſervitutibus plenè liberam volens Hugo, partem negativam tutatus eſt, Ivo autem reſpondit: *Poſt Canonicam electionem Reges Apoſtolica authoritate à conceſſione Epiſcopatuum*
Ep. 50. *prohibitos minimè videmus. Legimus enim ſanctæ Recordationis Summos Pontifices aliquando apud Reges pro Electis Eccleſiarum, ut eis ab ipſis Regibus concederentur Epiſcopatus, ad quos electi erant, interceſſiſſe; aliquorum, quia conceſſiones Regum necdum conſecuti fuerant, conſecrationes diſtuliſſe. Quorum exempla ſuppoſuiſſemus, niſi prolixitatem Epiſtolæ vitaſſemus. Dominus quoque Papa Urbanus ſecundus*, Gregorii ſeptimi tunc ſedens Succeſſor, & ejus Decretorum Confirmator, *Reges tantum à Corporali inveſtitura excludit, quantum intelleximus, non ab electione, in quantum ſunt caput populi, vel conceſſione. Quamvis octava Synodus ſolum prohibeat eos intereſſe electioni, non conceſſioni.*

Rectè dicit hunc Regium conſenſum eſſe antiquum, & à Romana etiam Eccleſia probatum, aut certè toleratum. Eſt omninò antiquiſſimus. Etenim Euſebianæ factionis Antiochena Synodus, dum ejuſdem civitatis Patriarcham S. Euſtatium dejecit, electum à ſe Euſebium Cæſaræenſem Conſtantino Auguſto obtulit, & petiit confirmari, factamque de illo electionem, quod Apoſtolicus Canon & Nicœna Synodus vetarent tranſlationes, Princeps caſſavit. Ita in hujus vita ſcribit ipſe Euſebius, & Hermias Zozomenus. Pauli & Macedonii ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam electiones probare ſuo Regio conſenſu noluit Imperator Conſtantius, ajens Paulum indignum, Macedonio autem indignatus quod ſine ſuo aſſenſu ſe conſecrari permiſiſſet. Et ſancto Ambroſio, in ipſis ſui Epiſcopatus exordiis quædam Imperii acta reprehendenti, in Eccleſiaſtica Theodoreti Hiſtoria reſpondit Auguſtus Valentinianus: *Tuam liber-*
L. 4. c. 6. *tatem jam pridem noveram, & mihi perſpecta cum eſſet, non modo non reclamavi, ſed ſuffragatus ſum ordinationi tuæ.* Ait ſibi fuiſſe authoritatem reclamandi. Et de Epiſcoporum Hieroſolymitanorum ſucceſſione ſcri-
L. 4. c. 36 bit Evagrius Epiphanienſis: *Petrum Macarius ſecutus eſt, Juſtiniano Imperatore necdum ei ſuffragante, qui poſteà ſede ſua pulſus eſt.* Quod etiam

Ma-

Digitized by Google

Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtites ſine ſuo aſſenſu conſecrari non permi-
ſerit Juſtinianus, habes in litteris Pelagii primi Pontificis ad Comitem Epiſt. 3
Narſetem. Eidem legi ſubjacuiſſe primæ Juſtinianæ Epiſcopum, docent
litteræ ſancti Gregorii Magni. Et ſextam generalem Synodum poſt
degradatum Antiochiæ Patriarcham Macarium procedere ad novam Lib. 4.
electionem, & ipſam ſibi confirmandam præſentari juſſit Conſtantinus Epiſt. 7.
IV. Imperator, Synoduſque promptiſſimè obedivit. Quâ Poteſtate uſi
ſunt etiam Gothorum in Italia Reges. Hinc enim apud Caſſiodorum in Act. 13.
litteris ad Romanæ urbis Senatum Rex Athalaricus probatum ſuo con-
ſenſu Pontificem vocat *virum Regali examinatione laudatum.* Examinis Lib. 8.
& conſenſus ſeriem ac formam exponit in litteris ad Papam tertium Ep. 15.
Joannem. Et quidem hi Reges erant Ariani. Quod Hieroſolymitana Lib. 9.
Eccleſia etiam à Saracenorum Principe coacta fuerit electioni ſuæ confir- Ep. 15.
mationem poſtulare, videre licèt apud Nicephorum Calixtum. Quâ Lib. 14.
violentiâ etiam in aliis Provinciis uſos fuiſſe eoſdem Barbaros, lucet ex cap. 39.
variis teſtimoniis & exemplis. Utitur item hodiè Turcorum Tyrannus:
Exiſtimat ſe in omnia Chriſtiani Imperii jura ſucceſſiſſe.

Eadem poteſtate per Occidentale Imperium uſus fuit & Carolus Ma-
gnus, ac ejus tam Franci quam Germani Succeſſores. Etenim de An-
gelberto Abbate ſuo ſcribit in ſui Monaſterii Chronico Hariulfus Mo-
nachus Centulenſis: *Tam fratrum precatu, quam Regis Caroli juſſu, An-
gilbertus ad Abbatis Officium provehitur.* Et ſexta Pariſienſis ac ſecunda
Aquiſgranenſis Synodus ſupplicant Ludovico pio Imperatori, ut Ec- L. 2. c. 6.
cleſiis det bonos & aptos Rectores: Epiſcopos, Abbates, & Abbatiſ-
ſas. Id eſt, ut ſolas talium electiones ſuo aſſenſu confirmet. Et hinc Ab- Lib 3. c.
bates ab Epiſcopo ſine Principis aſſenſu etiam deponi non permittit lau- 22.
data Pariſienſis Synodus: Quod nempe per iſtum aſſenſum eſſent pro- L. 1. c. 3.
moti. Et apud Gratianum Leo IV. Pontifex pro Colono Reatinæ Ec- 9. & 10:
cleſię Electo ſcribit ad Lotharium Auguſtum, ac ejus filium Ludovicum
Cæſarem: *Veſtram Manſuetudinem deprecamur, quatenùs Colono humili
Diacono Reatinam Eccleſiam ad regendum concedere dignemini, ut veſtra* Diſt. 63.
*licentia accepta ibidem eum, Deo adjuvante, conſecrare valeamus Epiſco-* c. 16. &
*pum. Sin autem in prædicta Eccleſia nolueritis ut præficiatur Epiſcopus, Tuſ-* 18.
*culanam Eccleſiam, quæ viduata exiſtit, illi veſtra Serenitas dignetur con-
cedere, ut à noſtro Præſulatu conſecratus, Deo omnipotenti, veſtroq; Impe-
rio grates peragere valeat.* Nempe Colonus ab utraque Eccleſia fuerat ele-
ctus. Similis ibidem eſt Epiſtola Stephani quarti ad Comitem Guido-
nem. Et hæ omninò ſunt Epiſtolæ, quas in litteris ad Hugonem Lug-
dunenſium Primatem ſuprà laudavit S. Ivo Epiſcopus Carnutenſis. E-
tiam Bernarium Gratianopolitanę Eccleſiæ Electum ſuo aſſenſu firmavit

Ludovicus ſecundus, ejuſque conſecrandi licentiam dedit Adoni Archiëpiſcopo Viennenſi. Exſtat Epiſtola apud Jacobum Sirmondum inter litteras & acta Adriani ſecundi. Aribertum Ebredunenſem Archiëpiſcopum, quod Vincienſis Eccleſiæ Electo datam à Carolo Calvo Imperatore confirmationem exuflaret ob ſubſecutam Principis mortem, & alium ordinaſſet Epiſcopum, graviter arguit, & Romam ad judi-
Ep. 24. cium evocavit Joannes VIII. Eandem poteſtatem agnovit etiam in Rege
Ep. 200. Carolomanno. Et de Arnulfo Auguſto ſcribit Regino Abbas Prumienſis:
c. 23. *Luitpertus Moguntinæ urbis Præſul è rebus humanis ſublatus eſt, in cujus locum ſubrogatus eſt Zunzo, Arnulfo Rege annuente.* Otthonem ſecun-
A. 889. dum, quod Lobienſem Abbatiam à Laïcæ commendæ miſeria liberaverit, reſtituerit Canonicam electionem, & ſolius Regalis conceſſionis
Fol. 589. jus ſibi retinuerit, laudat Folcuini Abbatis continuator in Chronico ejuſdem Monaſterii. Laudat & Henricum quartum, qui jus iſtud tranſtulit in Leodienſem Epiſcopum, atque ita Abbatiam ab omni Laïca ſer-
Fol. 606. vitute emancipavit. Et de Hilduino Leodienſis Eccleſiæ contra Rica-
& 613. rium contentioſè Electo ſcribit laudatus Abbas Folcuinus: *Hilduinus Epiſcopus ab Hermanno Agrippinæ ſedis Archipræſule conſecratus novo & inuſitato genere, abſque Regis & Procerum Regni ſanctione.* Longè plurima
Cap. 19. ſunt iſtiuſmodi exempla. Et hinc poteſtatem iſtam Henrico quinto Imperatori quoad Germaniæ Epiſcopos omninò confirmavit Calixtus ſecundus: Eos enim non niſi poſt receptum ab ipſo de Regalibus inveſtituram voluit conſecrari. Dico, *Quo ad Germaniæ Epiſcopos:* Aliarum enim ad Imperium ſpectantium Provinciarum Epiſcopos inveſtiri voluit dumtaxat poſt conſecrationem, atque ita eorum electionem Henricus non potuit evacuare. Et hinc de ejus primo Succeſſore Lothario ſecundo, & ſancto Norberto Magdeburgenſis Eccleſiæ Electo ſcribit in Sigeberti Gemblaſenſis ſupplemento Robertus Abbas Montenſis: *Parthenopolitanæ civitatis Clerici & cives Norbertum, Præmonſtratæ Eccleſiæ Patrem, in Paſtorem eligunt, & Regali proſequente convenientia ad Sacer-*
A. 1127. *dotium provehunt.* Factum id fuit in præſentia Cardinalis Gerardi, qui tunc Legatus, poſteà fuit Lucius Papa ſecundus. Etiam quoſvis alios Germanorum Auguſtos liberè fuiſſe uſos iſta poteſtate, poſſit lucidè demonſtrari.

Eam Francorum item Regibus Eccleſia ſemper indulſit. Etenim habita ſub Merovingiis Regibus quinta Aurelianenſis Synodus Epiſcopos quidem à Clero & populo mandat eligi juxta antiquos Canones, permittit tamen non conſecrari niſi *cum voluntate Regis.* Quod ipſum in E-
Cap. 10. dicto quintæ Pariſienſis Synodi confirmatorio mandavit Rex Clotarius ſecundus, & adjunxit: *Si Electi perſona condigna fuerit, per ordinationem*

*Prin-*

Digitized by Google

*Principis ordinetur.* Et hinc Catonem Arvernenſis Eccleſiæ Electum, quod ſine Regis, licèt adhuc pueri, conſenſu inordinatè ordinari noluerit, laudat ſanctus Gregorius Turonenſis Epiſcopus in opere de geſtis Francorum, referens varia iſtiuſmodi exempla. Refert degradatos Epiſcopos, quod ſine tali conſenſu eſſent ordinati, aut ordinaſſent. Et de Carolinæ ſtirpis Principe Pippino Rege ſcribit Chronicon Monaſterii Fontanellenſis: *Auſtrulfus Abbas conſtituitur una cum conſenſu ac electione fratrum, annuente ordinationi eorum pio Principe Pippino.* Et apud Flodoardum ſcribit Hincmarus Metropolita Remenſis: *De ordinando Epiſcopo non Regis vel Palatinorum debet eſſe commendatio, ſed Cleri & plebis electio, & Metropolitani in electione dijudicatio, deindè terreni Principis conſenſio, & ſic fieri Epiſcoporum manus impoſitio.* Hinc Agium Eccleſiæ Aurelianenſis electum, quod à Welinone Senonum Metropolita ſine ſua licentia conſecratus eſſet, ejecit Rex Carolus Calvus, & ægrè tandem redire permiſit ad preces ſecundæ Synodi Vernenſis. Eundem Welinonem quod Tertoldum Diaconum ſine ſua licentia ad Epiſcopatum Bajocenſem promoviſſet, idem Rex accuſavit graviſſimè, & ad degradationem poſtulavit in ſecunda Synodo Tullenſi. Et privilegio, quod ſancti Carilefi Monachis dedit, Nicolaus primus Pontifex inſeruit hanc clauſulam: *Quemcumque dignum vita, moribus atque doctrina proſpexerint Paſtorali officio, ipſum eligant, Regiſq; in notitiam deferant, ut ejus & conceſſione & conſenſu poteſtatem Regiminis accipiat.* Et per antiquas, apud Jacobum Sirmondum extantes, Epiſcopalium promotionum formulas Electum ſuum Clerus & populus præſentabat Regi, & ſibi in Epiſcopum concedi ſupplicabat. Cujus juris adeò tenax fuit etiam Carolus ſimplex, ut Bertarium Catalaunenſis Eccleſiæ Electum, non à ſe, ſed ab Odone Regni invaſore confirmatum, conſecrari noluerit, & provocantem ad Sedem Apoſtolicam capi in Romano itinere atque carcerari curarit fidus dicti Regis Miniſter, ſanctus Fulco Archiepiſcopus Remenſis. Æquè tenax fuit progenies Capetina. Etenim Radulphum, Remenſis Eccleſiæ electum, ſine ſua venia conſecratum ejecit Rex Ludovicus Groſſus, & intruſit Gervaſium. Ita in dicti Regis vita ſcribit Sugerius Abbas ſancti Dionyſii. Et Robertus Abbas Montenſis: *In Remenſi Metropoli poſt Manaſſen, exturbato Gervaſio, Radulphus ſucceſſit.* Nempe ad omnium Epiſcoporum preces Radulpho gratiam ſuam & Epiſcopatum Rex tandem reddidit, uti ad Paſchalem ſecundum Pontificem ſcribit ſanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis. Enarrat & ejuſdem Regis iram ex eadem cauſa adverſus Gualonem electum Beluacenſem: Juravat Rex Gualonem ſe vivo nunquam fore Belluaci Epiſcopum, atque ita hic, ne ejus periret electio, transferri debuit ad Eccleſiam Pariſienſem.

L.4. c.6. & 7.

Cap. 13.

Lib. 3. c. 24.

Cap. 10.

Cap. 13.

An. 1104.

Ep. 190.



Digitized by Google

Quæſtio eſt, an etiam in Longobardico Regno Carolus Magnus ac ejus Succeſſores ſint uſi iſta conſuetudine? De Carolo quidam negant. Etenim Longobardos in Thuſcia ac Italia Epiſcopos conſueſſe ad ſolum Cleri & populi decretum conſecrari à Romano Pontifice, ſeptima Adriani primi ad Carolum Epiſtola diſertè affirmat. Hinc ut ipſos Simoniacè electos non confirmet aut conſecret, illum hic rogat: Nequaquam, Regii conſenſus conſuetudine fruens, rogaturus. Eundem morem in Ravennatæ Eccleſia ſemper viguiſſe oſtendit decima apud Jacobum Sirmondum Epiſtola. A Pippino non ita pridem Rege, ex quo exemplo Regium aſſenſum inter Romani Patriciatus jura eſſe prætendebat Carolus, ad laudatæ Metropolis electionem dirigendam miſſos Legatos ait fuiſſe rem ſingularem, à Romano tunc Pontifice poſtulatam ad expellendum Michaëlium, Deſiderii Regis violento adjutorio intruſum.

Reſpondeo Longobardorum in Italia Eccleſias fuiſſe duplices. Quædam ad Romani Epiſcopi Metropoliticam, olim longè vaſtiſſimam, quædam ad Patriarchalem dumtaxat ejus poteſtatem ſpectabant. Hujuſmodi erant Mediolanenſis Provincia, & Aquileienſis. Harum confirmandis, aut etiam dirigendis electionibus ſe miſcuerunt Longobardorum aut etiam Gothorum Reges, iſtarum confirmationem ſibi ſoli juxta Canones Romana Eccleſia ſemper ſervavit. Ravennas Eccleſia, quod ad Valentiniani tertii Auguſti preces per ſanctum Leonem Magnum Pontificem ex Romanæ Suffraganea profecerit in Metropolim, eadem libertate gaudere perrexit. Ipſamque Adrianus primus noluit à Carolo Magno demutari in Regiam ſervitutem. Et in erudito, qui ſub Caroli filio ac nepotibus floruit, de Epiſcoporum electionibus opuſculo ſcribit Florus Lugdunenſis Eccleſiæ Diaconus: *In Romana Eccleſia uſque in præſentem diem cernimus abſque interrogatione Principis, ſolo diſpoſitionis divinæ Judicio, & Fidelium ſuffragio, legitimè Pontifices conſecrari, qui etiam omnium Regionum & civitatum quæ illi ſubjectæ ſunt, juxta antiquum morem* Cap. 6. *eadem libertate ordinant atque conſtituunt Sacerdotes. Nec adeò quiſquam abſurdus eſt, ut putet minorem illic ſanctificationis divinæ eſſe gratiam, eo quod nulla mundanæ Poteſtatis comitetur authoritas.*

Dominus Petrus de Marca Archiëpiſcopus Pariſienſis, ejuſque diſcipulus ac Interpres Stephanus Baluzius affirmant fragmentum hoc fuiſſe ſcriptum anno vigeſimo ſæculi noni. Porrò ad annum vigeſimum octavum de Gregorio quarto in Pontificem electo ſcribunt Annales Francorum Bertiniani: *Non priùs ordinatus eſt, quam Legatus Imperatoris Romam venit, & electionem populi, qualis eſſet, examinavit.* Factum id fuit ſub Ludovico Pio. Quod item pro Regio in Reatini Epiſcopi electionem aſſenſu Leo quartus, ac Stephanus quartus Lothario Auguſto, ejus

filio Ludovico, & Comiti Guidoni ſupplicare dudum atque inſtanter
fuerint compulſi, eſt ſuprà oſtenſum. Quocircà Romanam cum ſuis
Suffraganeis Eccleſiam ab avita Canonum libertate in Regii placiti ſer-
vitutem transfixit, hac in re parum pius, Ludovicus. Ex quo lucet Mar-
ſilium Patavinum ac Pandulfum de Columna, dum Regii in Ro-
mani Pontificis ac omnium Epiſcoporum promotionem conſenſus da-
tum Carolo Magno ab Adriano primo privilegium fuiſſe à Ludovico
Pio dimiſſum ac Eccleſiis redditum aſſerunt in libro de tranſlatione Im-
perii, inſigniter hallucinari.

Idem mos adeò viguit in Hiſpania, ut Petrus Aragoniæ Rex, dum
poſtulandam eligendi facultatem remiſit ſuis Eccleſiis, addiderit hanc
clauſulam: *Hoc ſolùm nobis & Succeſſoribus noſtris reſervamus, ut liberè
& Canonicè Electus, in ſignum Regiæ fidelitatis, nobis & noſtris Succeſſoribus
debeat præſentari.* Eandem conſuetudinem fuiſſe Angliæ, Hungariæ, &
omnium Chriſtianarum gentium Regibus, eſt cunctis Regalium jurium
peritis manifeſtum. Undè & illud ſuæ Canonum collectioni inſeruit
Gregorius nonus. Etenim ſub titulo de Electione extat Decretum, quo
Canonicam electionem vigere in omnibus Terræ ſanctæ Conventuali-
bus Eccleſiis mandat Cœleſtinus tertius, & adjungit: *Quo facto, non* Cap. 14.
*prohibemus, quin Regis requiratur aſſenſus, ſed propter hoc ipſam electionem
nolumus infirmari.* Mandat ibidem Innocentius tertius, ut Eccleſia Ca-
puana poſt factam Canonicam electionem mittat Romam Legatos, qui
Electum vice Regia poſtulent à Pontifice confirmari. Addit, *Vice Regia:*
Quod nempe ſine Regis aſſenſu non poſſet gratia iſta poſtulari. Anglici
Regis aſſenſum admittit per litteras ad Archiëpiſcopum Cantuarienſem Cap. 20.
idem Pontifex in cauſa Electi Vigornenſis. Etiam de Regno Hibernię Cap. 28.
ſcribit ad ſuum illic Legatum: *Electio debet Principi præſentari.* Spectare
id dicit ad Regiam dignitatem.

Hujus indulti cauſam in laudatis ad Hugonem Lugdunenſis Eccleſiæ
Primatem litteris edicit S. Ivo Epiſcopus Carnutenſis: *Reges ſunt caput* Ep. 60.
*populi.* Epiſcopum à Clero & populo eligi mandant Apoſtolici Canones,
ideoque Primarium illic eſt ſuffragium Regis. Quandoque fuit & pri-
mum. Verùm quod ſibi contradici vix patiatur Regia Majeſtas, ſole-
bat vim inferre ſuffragiis ſequentibus, ac eſſe eligendæ perſonæ violen-
ta deſignatio, ideoque Reges ab electionis faciendæ commercio exclu-
ſit Eccleſia, permittens tamen jam factæ comprobationem. Sine Sacer-
dotii & Imperii amica concordia nequit genus humanum eſſe pacatum,
ideoque invito Rege non conſecrandos Epiſcopos judicavit Eccleſia: Ne-
quidem Epiſcopos titulares. Etenim à Malgero Rothomaſenſi Archië-
piſcopo, dum Radulphum Fontanellenſis Monaſterii Abbatem vellet
ſibi

Digitized by Google

ſibi ſubſtituere Vicarium in Pontificalibus, fuiſſe rogatum Principem
Cap. 9. affirmat dicti Monaſterii Chronicon. Quocircà Henricus quintus Imperator, Calixto ſecundo concedens Italiæ ac aliorum extra Germaniam Imperialium gentium Epiſcopos conſecrari ſine ſua licentia, Imperii jura ſeu conſuetudines omninò decurtavit. Et hinc Italiæ Epiſcopi Germanis Imperatoribus facti ſunt minus obſequentes. Lucet ex illo Epiſcopo, qui Epiſcopatum ſuum Henrico ſexto noluit ferre ac fateri acceptum, ſed militum pedibus maluit conculcari.

Regius quippè in factam electionem ac electi perſonam aſſenſus ad honorandam Regiam Majeſtatem olim titulatus fuit conceſſio vel donatio Epiſcopatus. Ita ſuprà in laudatis ad Lotharium Auguſtum litteris vocavit Leo quartus, & in ſancti Carileſi privilegio Nicolaus primus. Et apud Berardum Piſcarienſis Monaſterii Abbatem extat electionis Decretum, quo Monachi Dominicum electum ſuum Henrico tertio Auguſto præſentant: *Ut illum Imperiali dono confirmet.* Et de ſancto Anſelmo Cantuarienſi electo ſcribit ad Beccenſes Monachos Gondulphus Roffenſis E-
Epiſt. 3. piſcopus: *Dominus noſter Rex Anſelmo dedit Eccleſiæ Gubernationem.* Quod item Fredericus primus Imperator Epiſcopatus per Cleri & populi ele-
Lib. 2. c. 20. ctionem dederit, leges in ejus actis apud Otthonem Epiſcopum Friſingenſem. Antiquos Regnorum legenti Annales iſtud ipſum tibi aſſiduè occurret. Magnifici hujus tituli infirmitatem exponit inſigniter in laudato de electionibus fragmento Florus Diaconus: *Quod in quibuſdam Regnis conſuetudo obtinuit, ut conſultu Principis ordinatio fieret Epiſcopalis, valet utique ad cumulum fraternitatis, propter pacem & concordiam mundanæ Poteſtatis, non tamen ad complendam veritatem vel authoritatem ſacræ Ordinationis, quæ nequaquam Regio Potentatu, ſed ſolo Dei nutu, & Eccleſiæ Fidei conſenſu, cuiq; conferri poteſt. Quoniam Epiſcopatus non eſt munus humanum, ſed Spiritus ſancti donum. Unde graviter quilibet Princeps delinquit, ſi hoc ſuo beneficio largiri poſſe exiſtimat, quod ſola divina gratia diſpenſat.* Et ſubjungit: *Quæ omnia non ideò dicimus, quaſi poteſtatem Principum in aliquo minuendam putemus, vel contra Religioſum morem Regni aliquid ſentiendum perſuadeamus, ſed ut clariſſimè demonſtretur in hujuſmodi re divinam gratiam ſufficere, humanam verò potentiam, niſi illi con-*
Cap. 7. *ſonet, nihil valere. Quapropter in ſacris Patrum Canonibus, ubi plurima cauſa commemorantur, ſine quibus Epiſcopalis ordinatio irrita habenda eſt, de hac re nihil invenitur inſertum.* Affirmat eſſe modicæ & novæ, non tamen penitùs nullius rei titulum. Ejus medullam aperit in laudatis ad Hugonem Lugdunenſem litteris laudatus Ivo: *Reges per Epiſcopatus conceſſionem nihil ſpirituale ſe donare intendunt, ſed tantum votis petentium,* utique Cleri & populi, *annuere, aut villas Eccleſiaſticas, & alia exteriora bona,*

Digitized by Google

*bona, quæ de Regum munificentia obtinent Eccleſiæ, ipſis Electis concedere.* Rex ergo & electionem, Electique perſonam comprobabat, & hanc inſuper de Eccleſiæ poſſeſſionibus inveſtiebat, ideoque non penitùs ſine cauſa dicebatur illi impertiri Epiſcopatum. Quæ omnia locum habent etiam in Abbatibus, & Abbatiſſis.

Notanda ſunt ſancti Ivonis verba: *Votis petentium annuere.* Præſentatam enim ſibi electionem, Electique perſonam Rex ex cauſis omninò poterat refutare. Hinc ſexta Pariſienſis, & ſecunda Aquiſgranenſis Synodus Ludovico Pio Imperatori ſuggerunt & ſupplicant, ut in bonis Eccleſiarum Rectoribus conſtituendis adhibeat ſedulum ſtudium & ſolertiſſimam diligentiam, conſiderans Eccleſiæ dignitatem, Chriſtianæ fidei fœlicem ſtatum, & animæ ſuæ ſalutem inde pendere. Et apud Jacobum Sirmondum extat antiqua formula, quâ Viſitator olim Epiſcopus vacantis Eccleſiæ Clerum & populum ad digni Epiſcopi electionem adhortans addebat & hanc clauſulam: *Si fortè aliquis per veſtrum præmium, aut per aliquam artem malitioſam, hanc Sedem ſubripere conatus fuerit, & hoc vobis conſentientibus, ut in illum electio veniat, hoc nequaquam conſentiemus vobis, ſed Domno Imperatori annuntiabimus, & ille ſine ullo periculo, & cum licentia Canonum, undecumque & cuicumque Clerico voluerit, dare poterit. Tuncq; meritò à vobis auferetur poteſtas eligendi, quia Deum offendiſtis, & voſmet abominationem exhibuiſtis.* Canonem, qui iſto in caſu eligendi ſeu nominandi jus ad Regem devolvat, uſque huc ignoro. Eſſe non Canonem, ſed Francorum Regum conſuetudinem rectius ſcripſit Joannes Papa octavus. Indigni interim electionem Ep. 322. Rex ſemper potuit, imò & debuit exſufflare. Hinc enim Philippum Francorum Regem, qui fœdiſſimum Juvenem Joannem Aurelianenſis Eccleſia electum non excuſſerat, graviſſimè arguit, & ipſum excuti per Hugonem Lugdunenſem Primatem expoſtulavit ſanctus Ivo Ep. 66. Epiſcopus Carnutenſis. Et Gualonem Belluacenſis Eccleſiæ electum, dum æmuli excutere tentant, de ſervili genere accuſarunt apud eundem Regem, purgavit autem in litteris ad Manaſſem Remenſium Metropolitam idem Ivo: Quod nempe Rex ex cauſis excutere electos ac refutare Ep. 102. omninò poſſet.

Dico, *Ex cauſis.* Rectè enim ad Manaſſem pergit Ivo: *Habeat Deus in Eccleſia ſua principaliter quod ſuum eſt, habeat Rex poſteriori ordine poſt Deum quod ſibi à Deo conceſſum eſt.* Et iterum: *Non licèt Regibus Epiſcoporum electiones aliqua ratione impedire.* Utique citra legitimam cauſam. Agit adverſus dictum Regem Philippum, laudati Gualonis electionem ex frivola calumnia caſſare conatum, adverſus quem etiam in litteris ad Rodericum Cabilonenſem Epiſcopum, & in litteris ad Humbertum

Lugdunenſium Metropolitam ſcribit Papa Gregorius ſeptimus: *Rex obiata nobis ſuæ promiſſionis memor, electionem Matiſconenſem non ſolùm*
L. 1. Ep. 35. 36. *non impediat, ſed eum, quem debet, aſſenſum præbeat.* Et rurſum: *Quod ſi facere noluerit, indubitanter noverit nos hanc Eccleſiæ ruinam nequaquam diutius toleraturos, ſed ex authoritate Beat. Apoſtol. Petri & Pauli duram inobedientiæ contumaciam Canonica authoritate coërcituros.* Regi minatur duram excommunicationem, potenter aſſeverans Canonicas electiones à Regibus ob turpe præſertim Simoniæ lucrum non poſſe caſſari. Et de Henrico quarto Auguſto, & Eccleſia Trevirenſi varios illi ſucceſſivè electos præſentante, ſcribit magnum Belgii Chronicon: *Rex, quotquot nominaſſent, nullum ſibi placere dixit. Nullus enim eorum benevolentiam ejus*
Fol. 127. *digna taxatione prævenerat.* Et Leonatem, Piſcarienſis Monaſterii electum, quem Rogerius Siciliæ Rex ſine cauſa refutarat, fuiſſe ab Eugenio tertio, Anaſtaſio quarto & Adriano quarto Pontificibus defenſum, confirmatum, & ſedi Abbatiani tandem impoſitum Rege invito, ſcribit in
Fol. 499. Chronico Abbas Berardus. Plura adduci poſſint ejuſmodi exempla.

In extante apud Matthæum Paris Epiſtola ad Joannem Angliæ Regem ſcribit Pontifex Innocentius tertius: *Super electionibus apud Sedem Apoſtolicam approbatis non conſuevit aſſenſus Principum expectari.* Defuncto
A. 1208. Huberto Cantuarienſi Archiëpiſcopo, Cathedrales Monachi ob diſcordem de ſuo Supperiore & Joanne Norvicenſi Epiſcopo electionem litigantes Apoſtolicam Sedem acceſſerant, & caſſata illic utraque electione proceſſerant ibidem ex totius Conventus compromiſſo ad novam, atque de Innocentii tertii conſilio elegerant Stephanum, Doctorem Pariſinum, & Romanæ Eccleſiæ Cardinalem. Regem, Norvicenſi Epiſcopo patrocinatum, nolens offendere Pontifex, ejus conſenſum Stephano petiit, verùm non impetravit. Stephanum, utpotè in Gallia ſtudiis imbutum, dixit ſibi eſſe ſuſpectum, item à minori dumtaxat Monachorum parte, proindeque non Canonicè electum, atque ita ſuum illi aſſenſum conſtanter denegavit. Quæ omnia ſprevit Pontifex ex jam adducta Regula, & Stephanum in Epiſcopum conſecravit. Dura fuit lis. Etenim ob nimias Regis inſolentias omnem Angliam Eccleſiaſtico interdicto Stephanus ſuppoſuit, atque ita Eccleſiaſtica libertas tandem triumphavit. Rem omnem multis exponit præfatus Matthæus, & inſignes Stephani Archiëpiſcopi & Joannis Regis de hac re litteras nuper publicavit Lucas Dacherius. Et laudata Regula non caret
Tom. 3. fundamento. Etenim directam & probatam ab Apoſtolica Sede electionem nullo pacto convenit laïco Regum judicio ſubjacere.

CA-

# CAPUT VII.

## *Exponitur Regia ad eligendum facultas.*

QUod Clerus eligendi Epiſcopi facultatem petat à Principe, eſt antiqua conſuetudo Romani Imperii. Etenim apud Hermiam Zozomenum & Socratem Conſtantius Auguſtus diſcordem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ de Paulo & Macedonio electionem caſſavit. Priorem, quia de indigno; poſteriorem, quia factam ſine ſua licentia. Et vacanti per Auxentii mortem Eccleſiæ Mediolanenſi mandatum eligendi apud Theodoretum dedit Imperator Valentinianus. Et poſt degradatum Neſtorium, ideoque jam vacante Eccleſia Conſtantinopolitana, ad Theodoſium Auguſtum ſcribit plena Synodus Epheſina: *Juſtam hanc gratiam petimus, ſupplicantes Majeſtati veſtræ, ut liceat nobis futuri Epiſcopi ordinationi incumbere.* Extat relatio in actis Synodalibus. Et poſt degradatum Dioſcorum Alexandriæ Patriarcham ſcripſit ad vacantis Eccleſiæ Clerum Synodus Chalcedonenſis: *Secundùm Dei voluntatem, & nutum piſſimorum Imperatorum noſtrorum, Alexandrinæ Eccleſiæ ordinandus eſt Epiſcopus.* Et poſt dejectum in ſexta Synodo Macarium Antiochiæ Patriarcham ejuſdem Diœceſis Epiſcopi & civitatis Clerici rogant glorioſos Judices, ut eis à Principe impetrent novi Epiſcopi eligendi facultatem: *Et non ſit vidua hujuſmodi Sedes.* Etiam Petrum Mogum, Alexandrinæ Eccleſiæ Invaſorem, apud Evagrium Epiphanienſem ejecit Imperator Zeno, quod ſine ſua licentia fuiſſet electus.

L. 3. c. 6. L. 2. c. 10. L. 4 c. 5. Fol. 403. Act. 3. L. 3. c. 4. & 12.

Eandem Conſuetudinem aſſumpſerunt etiam Carolus Magnus, ac ejus in Occidentis Imperio Succeſſores. Etenim quod Eccleſia Senonenſis ab illo eligendi licentiam poſtularit, habes apud Frotarium Archiëpiſcopum Burdigalenſem. Etiam petiiſſe atque impetraſſe Augiæ & ſancti Galli Abbatias teſtatur Chronicon Eccleſiæ Conſtantienſis. Petierunt & perpetuum liberæ electionis privilegium, ſeu privilegium perpetuò ſine prævia Principis licentia eligendi, quod inſigniter in illo, quod Atrebatenſi Eccleſiæ dedit, exponit Philippus Auguſtus Rex Francorum: *Canonici prædictæ Eccleſiæ liberè poterunt eligere non requiſita à nobis vel Succeſſoribus noſtris licentia eligendi, ſed electum ſuum confirmatum nobis præſentabunt, ut nobis fidelitatem faciat, ſicut alii Epiſcopi nobis facere conſueverunt.* Eodem modo exponunt in privilegiis Mindenſi Eccleſiæ datis, extantibus in ejuſdem Eccleſiæ Chronicô, Imperatores Henricus ſanctus, & Henricus tertius. Et ex antiqua, quæ ſub Carolo Magno & ejus filiô Ludovico viguit, Epiſcopalis promotionis formula Viſitator

Ep. 15. & 16. Ep. 15.



Digitized by Google

Epiſcopus electurum vacantis Eccleſiæ Clerum & populum olim allo-
quebatur: *Ideò nos huc miſſi ſumus, ut conceſſam à Chriſtianiſſimo Impe-
ratore poteſtatem inter vos eligendi Sacerdotem annuntiaremus.* De eodem
Ludovico Patre ſuo, & vacante per Ulfarii Epiſcopi mortem Remenſi
Eccleſia ſcribit ad Nicolaum primum Pontificem, in litteris apud Sy-
nodum Tricaſſinam exſtantibus, Rex Carolus Calvus: *Plebi electionem
conceſſit.* Et apud Flodoardum in Remenſis Eccleſiæ Hiſtoria ſcribit ad
Guntarium Colonienſem Archiëpiſcopum Hincmarus Metropolita Re-
menſis, ut apud Lotharium Regem intercedat, & ſatagat *Pro electione
Canonica Cameracenſis Epiſcopi poſt deceſſum Theodorici venerandi Præſulis.*
Lib. 3. c. Fuit is non Lotharius Rex, ſed Lotharius Auguſtus, uti in Camera-
21. cenſis Eccleſiæ Chronico oſtendit Baldricus Epiſcopus Tornacenſis.
Lib. 1. c. Quod item Imperator Carolus Craſſus Eccleſiæ Genevenſi perpetuum
48. & 49 liberæ electionis privilegium dederit, adeoque eligendi licentiam ab
aliis Eccleſiis rogari voluerit, teſtatur in litteris de cauſa Optandi Gene-
Ep. 69. venſis Epiſcopi Papa Joannes octavus. Quo jure etiam Otthones & Im-
& 70. peratores Henricos fuiſſe uſos poſſit lucidè demonſtrari. Et hinc Bruno
Treverenſis Archiëpiſcopus, Henrici quinti Imperatoris pro compo-
nendis inveſtituræ quæſtionibus ad Paſchalem ſecundum Legatus in Gal-
liam, aſſeruit præviam iſtam eligendi licentiam eſſe Imperii jus à tem-
pore ſancti Gregorii Magni, repoſuit autem Pontifex eſſe indignam
Eccleſiæ ſervitutem, voluitque eliminatam. Ita ſcribit Abbas Sugerius
in vita Ludovici Groſſi. Erravit Bruno violentiam iſtam eſſe dumtaxat
à tempore magni Gregorii: Ex dictis lucet eſſe longè vetuſtiorem. Eſſe
indignam Eccleſiæ ſervitutem rectè repoſuit Paſchalis ſecundus. De illa
enim antè Caroli Magni faciem ſtatuit Francofordienſis Synodus: *Ab-
Cap. 17. bas in congregatione non deligatur, ubi juſſio Regis fuerit, niſi per conſenſum E-
piſcopi.* Præviam eligendi licentiam peti nequaquam jubet, ſolummodò
tolerat, mandatque non ſufficere ſine adjuncta licentia Epiſcopi. Iſtam
tamen poteſtatem Henrico quinto permiſit Calixtus ſecundus: Electio-
nes enim fieri permiſit in ejus præſentia, ideoque non ſine ejus prævio
conſenſu.

Et hanc uſurpationem Carolus Magnus nequaquam à ſolis Græco-
rum Auguſtis, ſed etiam à Merovingiis Francorum Regibus didicit &
accepit. Lucet ex adducto Canone Francofordienſi. Iſtius enim Synodi
tempore Carolus necdum erat Auguſtus. Et liberæ electionis privilegio,
quod Corbeienſi Cœnobio dederunt Clotarius Rex Merovingius & Ber-
thefridus Ambianenſis Epiſcopus, adjecta eſt clauſula: *Congregatio ip-
ſius Monaſterii ex ſemetipſis bonum & dignum eliget, data authoritate à
Principe.* Et in præcepto, quo Iſemenberti Abbatis electionem con-
firma-

Digitized by Google

firmavit, Theodoricus Rex dicit de ejuſdem Monaſterii fratribus: *Petierunt ut liceret eis juxta privilegium de ſemetipſis eligere Rectorem.* Et hinc iſtud ſevus ſeu violentiam Carolus Magnus non in ſolos Germanici Imperii, ſed etiam in Gallici Regni Succeſſores propagavit. Etenim inter Epiſcopalium promotionum formulas apud Jacobum Sirmondum extant litteræ, quibus & Hilduino Abbati Ludovici Pii Imperatoris Archi-capellano, & Judithæ Imperatrici de obtenta liberæ electionis licentia gratias agit Eccleſia Senonenſis. Et ſub Carolo Calvo habita tertia Valentina Synodus ſtatuit de Eccleſiis vacantibus: *A glorioſiſſimo Principe ſupplicando poſtuletur, ut Canonicam electionem Clero & populo ipſius civitatis permittere dignetur.* Et ad Ludovicum Balbum Regem ſcripſit de Belluacenſi Eccleſia Hincmarus Metropolita Remenſis: *Sicut ſacræ leges præcipiunt, electionem concedere dignemini.* Cap 7. Ep. 12. cap. 1.

Eadem poteſtate uti perrexerunt etiam Reges Capetini. Etenim Rudolphum Eccleſiæ Remenſis Archiëpiſcopum ejecit Ludovicus Groſſus, impoſuitque Gervaſium ea præſertim de cauſa, quod ſine ſua licentia fuiſſet electus. Ita in dicti Regis vita ſcribit Abbas Sugerius, addens & de ſua citra veniam facta electione eundem Regem adeò excanduiſſe, ut eligentium primores carceribus manciparit. Res tandem fuit compoſita. Et hinc ad ſacrum bellum abiens Ludovicus ſeptimus rerum Eccleſiaſticarum poteſtatem delegavit eidem Abbati, ex qua ipſe dedit poteſtatem eligendi Epiſcopi Carnutenſis. Et quis neſciat hujus Ludovici tragœdias adverſus Petrum Archiëpiſcopum Bituricenſem? Eum, quod ſine ſua licentia electum Innocentius ſecundus Pontifex conſecraſſet, proſcripſit ex Gallia, Regiam manum miſit in omnia Epiſcopatus bona, juravitque Petrum ſe vivo non futurum in Francia Epiſcopum. *Juravit*, inquit ſanctus Bernardus, *illicitè, & perſeveravit injuſtè. Nam probro ducitur apud Francigenas juramentum ſolvere, quamlibet malè publicè juratum ſit.* Et pergit in Epiſtola ad Joſlenum Sueſſionenſem Epiſcopum, & laudatum Abbatem Sugerium: *Quid meruit jam non ſola Bituricenſis Eccleſia, ſed Cathalaunenſis etiam & Remenſis, etiam & Pariſienſis? Quo jure præſumit Rex, ut Eccleſiarum poſſeſſiones & terras devaſtet, ut Chriſti ovibus Paſtores præfici non permittat, ut his electorum promotionem prohibeat, aliis, quod hactenus inauditum, dilationem electionis indicat, donec univerſa conſumpſerit, donec diripuerit pauperum facultates, donec penitùs deſoletur terra!* Cathalaunenſem electum Regio conſenſu confirmare, Remenſi autem & Pariſienſi Eccleſiæ Canonicam electionem permittere nolebat Ludovicus, vacantium ſedium poſſeſſiones detinens in manu ſua, atque ita ſe de injuria vindicans, quam per Petri conſecrationem ajebat Regiæ ſuæ Majeſtati illatam ab Eccleſia Romana. Et hinc Ep. 4 & 10. Ep. 219. Ep. 222.



Digitized by Google

omne Regnum Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſuit Innocentius Pontifex, quod manſit uſque ad Cœleſtinum ſecundum, cui Rex tandem obedivit, uti multis ſcribunt Robertus Montenſis, Matthæus Paris, Radulphus de Diceto, ac præſertim Chronicon Monaſterii Maurigniacenſis. Radulphus de Diceto fallitur Petrum fuiſſe conſecratum ab Eugenio tertio. Etiam apud Rigordum ſancti Dionyſii Abbatia à Philippo Auguſto petit eligendi licentiam: Et ad ſacrum bellum proficiſcens idem Rex omnibus Cathedralibus Eccleſiis ac Regalibus Abbatiis mandat, ut ſua in abſentia licentiam eligendi poſtulent à Regina. Et ſine licentia eligendi facultatem, uti ſummum privilegium, dedit Eccleſiæ Atrebatenſi. Eadem à ſervitute liberam fuiſſe ex avita conſuetudine etiam Anicienſem Eccleſiam, fatetur in adducto per Dominum Petrum de Marca Diplomate Rex ſanctus Ludovicus.

Lib. 8. c. 24. Eadem conſuetudo peſſimè viguit in Anglia apud Reges Nortmannos, qui in Gallia educati Gallicanos abuſus in Angliam detulerunt. Quis enim neſciat vacantium Eccleſiarum proventus ſpectaſſe illic ad jura Regia, ideoque ipſarum electiones ſine Regis venia non potuiſſe fieri, & ad multos quandoque annos fuiſſe ſuſpenſas? Miſerabilem iſtam, quam & aliarum gentium Reges poſtmodum uſurparunt, ſervitutem invexit ſecundus è Nortmannis Rex Guilielmus Rufus. Quod defuncto Abbate Scotlando, ſancti Auguſtini Cantuarienſis Monaſterium ab illo licentiam petierit eligendi, & non acceperit, ſcribunt Guilielmus Thorne & Gervaſius Cantuarienſis. Etiam Cantuarienſi Eccleſiæ liberam,
A. 1087. qua ſanctus Anſelmus fuit promotus, electionem concedere noluit, niſi
& 1091. tandem graviſſimè infirmus ex metu mortis. Ejus Pater Guilielmus Regni Conquæſtor nominarat Epiſcopos, cui per Romanam Eccleſiam nuper damnatæ violentiæ hanc ipſe aliam ſuperduxit. Ejus frater & proximus Succeſſor Henricus primus ſuis, quas poſtmodum ab Henrico ſecundo reſuſcitatas ſuo ſanguine eleminavit glorioſus Martyr & Archiëpiſcopus Thomas, conſuetudinibus inſeruit hunc articulum: *Cum vacaverit Archiëpiſcopatus, vel Epiſcopatus, vel Abbatia, vel Prioratus in dominio Regis, debet Dominus Rex mandare potiores Eccleſiæ perſonas, & in Capella ipſius debet fieri electio, aſſenſu ipſius Regis, & conſilio perſonarum Regni, quas ad hoc faciendum advocaverit.* Electiones non ſolùm de ſuo prævio conſenſu, ſed etiam in Regia Capella fieri, & Procerum ſuorum aſſiſtentia voluit dirigi. Quod hac via in Cantuarienſem Eccleſiam, quæ Monachalis ſemper habuerat Monachum Epiſcopum, Clericum tandem intruſerit teſtatur & queritur Simeon Dunelmenſis. Poſtmo-
A 1023. dum tamen poſt longas cum ſancto Anſelmo Archiëpiſcopo & Paſchali ſecundo Pontifice lites, & Antiſtitum inveſtituris, & omni in ipſorum electio-

electionem poteſtati ceſſiſſe, ſolumque Regium à ſacris Canonibus permiſſum aſſenſum retinuiſſe, laudatur Henricus à Radulpho de Diceto. Quidquid ſit, conſuetudinem priorem reſumpſerunt ejus Succeſſores Stephanus, ac præſertim Henricus ſecundus. Nec ſcio ipſam ab hoc in initis cum ſancto Thoma, aut poſt ejus cædem cum Romana Eccleſia concordatis fuiſſe ejeratam. Liberas quidem electiones Eccleſiis reddidit, eo tamen ſalvo, quod & factas firmaret, & faciendis aut per ſe, aut per ſuum Juſtitiarium intereſſet, adeoque & faciendarum præberet facultatem. Proximum ſancti Thomæ Martyris Succeſſorem Richardum fuiſſe ita electum teſtatur diſertè in litteris ad Alexandrum tertium Pontificem, exſtantibus apud Lucam Dacherium, Arnulphus Epiſcopus Lexovienſis. Et Eccleſiæ Lemovicenſi, quod ſine ſua licentia elegiſſet, movit coram laudato Alexandro idem Henricus Rex litem longam & duram, cujus ſucceſſum vide apud Radulphum de Diceto. A.1180.

Eadem poteſtate uſus eſt etiam Henrici Succeſſor & filius Richardus. Etenim Dunelmenſis Eccleſiæ Cathedrales Monachos, quod clandeſtinè ſine ejus licentia elegiſſent, vocatos fuiſſe in reatum læſæ Majeſtatis, ſcribit laudatus Radulphus. Et hinc ipſius ad ſacrum bellum profecti A.1194. Vicarius Guilielmus Elyenſis Epiſcopus noluit ſine ſua venia fieri electionem Archiepiſcopi Cantuarienſis. Et eum hac in cauſa alii Epiſcopi potenter adjuverunt. De eodem Rege ſcribit Matthæus Paris: *Circa* A.1190. *dies iſtos Eccleſia Dei in Normandia de longo ſervitutis jugo liberata eſt, glorioſo Rege Richardo adjuvante, & omnia diſponente. A Rege conceſſum eſt, ut in Eccleſiis Conventualibus Abbates, vel Priores, aut Abbatiſſæ cum conſenſu ſui Epiſcopi eligantur.* Eligendi licentiam non à ſe deinceps, ſed ab A.1190. Epiſcopis juxta Canones peti Rex indulſit. Verùm quoad ſolas Conventuales Eccleſias, & quoad ſolam Normandiam. Ea de re Archiëpiſcopus Rotomagenſis & Normandiæ Seneſcalus dudum contenderant. Rei ſeriem vide apud Radulphum de Diceto. Apud eundem Matthæum laudati Regis Richardi frater & Succeſſor Joannes, de ſuis cum Innocentio tertio concordatis agens, ſcribit ad Epiſcopos Anglicanæ Eccleſiæ: *De cætero in univerſis & ſingulis Eccleſiis & Monaſteriis, Cathedralibus & Conventualibus totius Regni Angliæ, liberæ ſint in perpetuum electiones quorumque Prælatorum, majorum & minorum. Promittimus etiam, quod nec impediemus, nec impediri permittemus per noſtros, nec procurabimus, quin in univerſis & ſingulis Monaſteriis & Eccleſiis, poſtquam vacaverint Prælaturæ, quemcumque voluerint, liberè ſibi præficiant: Petita tamen à nobis priùs & hæredibus noſtris licentia eligendi, quam non denegabimus, nec differemus. Et ſi fortè accidat quod denegaremus vel differremus, nihilominus procedant electores ad electionem Canonicam faciendam.* Etiam A.1215.

retinet

Digitized by Google

retinet ſibi jus factæ electionis comprobandæ, verùm cum hac clauſula: *Aſſenſum noſtrum non denegabimus, niſi adverſus electionem rationale propoſuerimus, & legitimè probaverimus, propter quod non debemus conſentire.* Propter Stephani Cantuarienſis Archiëpiſcopi electionem & conſecrationem nata inter Regem hunc & præfatum Pontificem diſcordia horrendè turbavit Anglicanam Eccleſiam. Etenim Canonicas electiones invaſit, Eccleſiarum bona dirripuit, Romanas appellationes ac evocationes interdixit Rex, omneſque reduxit Henricianas conſuetudines, quas ſanctus Thomas ſuo ſanguine circumduxerat. Supremam ac divinam Romanæ Eccleſiæ poteſtatem calumnioſis & blaſphemis Alexandri Cæmentarii prædicationibus permiſit palam lacerari, quin & fidem Chriſtianam volens proſcriptam, Legatos miſit in Africam, qui illic à Saracenorum Principe diſcerent, & in Angliam portarent ſuperſtitionem Mahometanam. Hinc illum anathemate damnavit, in illum publicavit Crucem, & Ludovico Francorum Regi donavit Pontifex Angliam, atque ita ſtultum Regem duris flagellis reduxit ad mentem. Angliam ſemper vectigalem, ſancto Petro etiam feudalem effecit Rex pœnitens, abjuravit omnes ſuas inſanias, Canonicas electiones reſtituit Eccleſiis ac Monaſteriis, ei autem Pontifex indulſit dandam faciendarum electionum licentiam. Latiùs hæc vide apud dictum Matthæum, Guilielmum Thorne, & Innocentii tertii vitam, publicatam per Franciſcum Boſquettum.

Notanda ſunt hæc Regis verba: *Eligendi licentiam nec denegabimus, nec differemus.* Abjurant abuſum & violentiam quam in Guilielmo Rufo & Henrico ſecundo Angliæ Regibus, Henrico quarto Imperatore, aliiſque Principibus frequenter legimus damnari. Etenim ſacri Canones, qui electionibus præfigunt tempus, ipſumque excedi vel prorogari vetant à Metropolitis aut Patriarchis, etiam Reges omninò adſtringunt. Et adverſus ſimiles Ludovici ſeptimi Francorum Regis violentias ſuprà audivimus declamantem ſanctum Bernardum. Et inter crimina, ob quæ Fredericum ſecundum degradavit Lugdunenſe Concilium, fuit quarundam Eccleſiarum longa per ejus iniquitatem vacatio, utique per denegatam eligendi licentiam. Porrò ſanctus Bernardus in

Ep. 282. dicto ſuo Rege culpat & alium exceſſum: *Quis cogitare poſſet repetendum alterum aſſenſum, nec ſufficere unum, præſertim ubi nulla ex tunc intervenit altera electio? Nunquid quoties diſſenſerunt Clerici, toties requirendus favor Regis? Nec ratio, nec conſuetudo hoc habet. Denique nuper, ſi recordamini, in Sueſſionenſi Eccleſia quoties ad eligendum Clerici convenerunt, toties diſſenſerunt: Nec tamen exiſtimo toties repetiſſe aſſenſum veſtrum, quem ſemel promeruerant. Ita eſt, Domine mi Rex, non eſt quod debeatis reprobare factas electio-*

*electionis, quibus ut fierent ſemel vos adſenſiſſe conſtiteris.* In eligendo Epiſcopo diſcors Antiſiodorenſis Eccleſia fecerat varios conventus ſeu ſeſſiones, tandemque ſancti Bernardi ſuaſu elegit Hugonem tertium, Pontiniacenſis Monaſterii Abbatem: Primum Epiſcopum ex Ordine Ciſtertienſi. Verùm Ludovicus Rex illum, tanquam ſine ſua licentia electum, confirmare noluit, ajens toties à ſe petendam licentiam, quoties ad eligendum ſederetur. Hunc Regis errorem & præſumptionem ſanctus Bernardus impugnat, affirmans & rationi & conſuetudini repugnare. Notanda tamen ſunt hæc ejus verba: *Præſertim ubi nulla ex tunc intervenit nova electio.* Inſinuant concluſa & publicata electione una non poſſe procedi ad aliam, niſi de nova licentia Regis. Et certè apud Jacobum Sirmondum inter Epiſcopalium promotionum formulas extant litteræ, quibus Hilduino Ludovici Pii Imperatoris Archicapellano Senonenſis Eccleſia de indulta ſibi ſecunda electione agit ſolemnes gratias, & jam etiam tertiam ſibi ſupplicat tanquam grande privilegium indulgeri. Nempe tunc primæ electionis facta per Principem caſſatio providendi jus devoluebat ad eundem Principem. Quæ conſuetudo fuiſſe non videtur temporibus ſancti Bernardi.

Omnium peſſimus in danda hac licentia abuſus fuit deſignatio perſonæ. Eſt abuſus antiquiſſimus. Etenim per ſancti Euſtatii Patriarchæ factioſam dejectionem vacante Antiochena Eccleſia Georgium & Eufronium deſignavit, alterum mandans eligi, apud Hermiam Zozomenum Conſtantinus Auguſtus. Catonem Presbyterum ex Clotharii Regis præcepto fuiſſe à Turonenſi Clero & populo electum ſcribit in Francorum Hiſtoria ſanctus Gregorius ejuſdem urbis Epiſcopus. Et de ſancto Frederico ac Ludovico Pio Imperatore ſcribit magnum Belgii Chronicon: *Ludovicus Eccleſiæ Trajectenſi mandat, quo dilectus ſibi Fredericus eligatur in Epiſcopum.* Lucidius loquitur ejuſdem ſancti vita: *Ludovicus per Legatos ſuos mandavit Trajectenſis Eccleſiæ Senioribus, ut Fredericum ſibi deligerent Epiſcopum, & electum cum ſummo honore ad Palatium adducerent, neſciens omnes Trajectenſes id antè decreviſſe, quod ipſe & Primates ejus percuperent.* Nempe Trajectenſes Regiam deſignationem prætimuerant, ideoque & prævenerant electione clandeſtina. Ita tunc non rarò fuit factum. Quod enim Ludovicus tunc paſſim deſignaret eligendi Antiſtitis perſonam, lucet ex Flori Magiſtri, qui ſub ipſo in Lugdunenſi Eccleſia vixit Diaconus, inſigni de electionibus fragmento, ſtatuente de Domino Rege: *Rex Miniſterium ſuæ poteſtatis in electionis negotio peragendo adjungere debet, non præferre.* Utique deſignando eligendam perſonam. Et apud Flodoardum in Remenſis Eccleſiæ Hiſtoria laudatur Archiepiſcopus Hincmarus ſcripſiſſe *Boſoni illuſtri Comiti de agenda electione*

Lib. 2. c. 18.
Lib. 4. c. 11.
Fol. 55.
Cap. 4.
Lib. 3. c. 26.

*ctione Epiſcopi Sylvanectenſis, oſtendens quod non ſit ſui miniſterii quamcumque ſpecialem deſignare perſonam.* Boſo erat Comes Regis Caroli Calvi. Et poſt degradatos Theutgaudum Trevirenſem & Gontharium Colonienſem Epiſcopum, Eccleſiis iſtis per Canonicam electionem provideri juſſit Nicolaus primus Pontifex, excluſo omni favore Pſeudo-Reginæ
Ep. 72. Waldradæ: Hoc eſt, excluſa deſignatione perſonæ. Et ad Ludovicum Balbum Regem ſcripſit laudatus Hincmarus: *Si quando petitam*
Ep. 12. c. 30. *apud vos electionem conceditis, illum debent Epiſcopi, & Clerus & plebs eligere quem vos vultis, & quem jubetis, non eſt divinæ legis electio, ſed humanæ poteſtatis extorſio.* Ejuſmodi deſignationem affirmat Caroli Magni & Ludovici Pii Capitularibus palam adverſari, & proficiſci non poſſe, niſi à pernicioſis Conſiliariis. Eundem abuſum, à Philippo primo Rege commiſſum, in variis Epiſtolis damnat, laudatis Capitularibus adverſari, & ab illo electionem reddi irritam affirmat ſanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis. Guilielmum Rufum Anglorum Regem, qui Monachis ſancti Auguſtini Cantuarienſis, Canonicæ electionis facultatem poſtulantibus, ſub exurendi Monaſterii comminatione mandavit eligi cognatum ſuum Hugonem, meritò damnant Gervaſius Monachus &
A. 1087. 1091. Guilielmus Thorne. Henriciana conſuetudo omnes utriuſque ſexus Antiſtites mandabat eligi in Capella Regia, de prævia Regis licentia, & juxta Regis conſilium, hoc eſt, eligi perſonam à Rege deſignatam. Et de ſua electione ſcribit ad Lucium ſecundum Pontificem Arnulphus Epiſcopus Lexovienſis: *Decem & octo Marcas in initio meæ promotionis aſſumpſi, quia omnia bona Epiſcopalia redimere de manu Comitis Andegavenſis angebar, quæ ipſe mihi per duos annos & tres menſes abſtulerat, quia Canonicè electus ſine ipſius deſignatione fueram conſecratus.* Extat Epiſtola apud
Tom. 2. Lucam Dacherium. Deſignationem iſtam ad Regalia jura ſpectare volebant Reges & Principes, ideoque adverſus Arnulphi conſecrationem ad Innocentium ſecundum appellarat Andegavenſis Comes: Verùm Arnulphi cauſam ſuſcepit ſanctus Bernardus, & ipſum impetravit con-
Tom. 3. ſecrari Romæ. Quas litteras rurſum habes apud eundem Dacherium. Idem Arnulphus ad Alexandrum tertium ſcribit de Eccleſia Cantuarienſi: *Certum eſt ibi noviter quoddam inter cætera contigiſſe miraculum, quod nulla ſpes anteà, nulla fiducia præſumebat, ſcilicet quod ibi perſona ad regimen Eccleſiæ ſine deſignatione Laïcæ poteſtatis electa eſt, cum ibi nullus antea promoveri potuerit, niſi de quo priùs potentia ſæcularis edixit. Siquidem cum opus illud ad veterem abuſum revocari multis fuiſſet actibus attentatum, per merita Thomæ Martyris omnis ſemper machinatio eliſa eſt, quia ea, quam ipſe ſibi proprio redemerat ſanguine libertatem, perſonæ committi non pertulit, cujus non electio libera, & Canonicus probaretur ingreſſus.* Henriciana

riciana conſuetudo Antiſtitum electiones mandabat fieri in Capella Regia, de Regis licentia, ac de ejus conſilio, ſeu juxta factam ab illo perſonæ eligendæ deſignationem: Ita & ipſe ſanctus Thomas fuerat Electus. Eſt articulus, quem in Senonenſi Conſiſtorio damnarat Alexander tertius, & cui poſt ſancti Thomæ mortem Henricus ſecundus Rex in Romanorum Cardinalium manibus ſolemniter renuntiarat. Hinc proximus laudati Martyris Succeſſor Richardus fuit Electus Canonicè & liberè, atque hoc inter varia iſtius miracula Arnulphus affirmat eſſe maximum & primum. Nec ſine fundamento. Etenim pravæ voluntatis correctionem eſſe opus Cœli & terræ creatione majus docent paſſim Eccleſiæ Patres. Quod præſertim verùm eſt in voluntate Regum. Nec ſine cauſa addit Arnulphus miraculum iſtud multis artibus fuiſſe impugnatum. Ipſum enim impedire omnibus nervis conatus eſt Henricus Rex junior, qui & contra Canonicè factam Richardi electionem, imò & contra Patrem ſuum, uti Regiæ dignitatis prævaricatorem, appellavit ad Sedem Apoſtolicam, atque ita Richardus, quod ob Regis appellantis metum Provinciales Epiſcopi illum conſecrare non auderent, coactus fuit Romam proficiſci, atque iſtic conſecrationem poſtulare. Hinc lite adhuc pendente, pergit ad Alexandrum Pontificem Arnulphus: *Perſonam, in qua deſideratæ diu libertatis cæperunt initia conſecrari, benignè ſuſcipite, ipſiq; ad executionem tanti operis de magnificentia virtutis Apoſtolicæ conferte fiduciam, ut veſtræ primitiæ veſtris auſpiciis convaleſcant, & licito conſummentur effectu. Ad vos omnium fidelium oculi, ad vos omnium Eccleſiarum vota ſuſpirant, ut ex hoc qui habent libertatem, retinendi fiduciam, & qui non habent, ſpem concipiant obtinendi.* Alexandrum, ut ſeſe verùm Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum demonſtret in hoc opere, multis obteſtatur, & concludit: *Intelligat ſapientia veſtra non ſolùm Provinciæ & Regni illius, ſed aliorum etiam Regnorum deſideria ſupplicare, ad quæcumque ſancti illius, tam relatione quam præſenti inſpectione, magnalia pervenerunt.* Licèt namque ob rigidiſſima Gregorii ſeptimi & Succeſſorum Decreta Reges omnes Antiſtitum inveſtituris ac nominationibus ceſſiſſent, quidam tamen retinuerant eligendæ perſonæ deſignationem, atque ita iſtius violentiæ ſolùm nomen, non rem abdicarant. Ipſorum Eccleſiæ Richardi cauſam videntes ſibi eſſe communem, utroque oculo in Alexandrum intendebant. Verùm de ſolius Richardi perſona, & electionis forma judicavit Pontifex: Illum conſecravit, & remiſit in Angliam, Regiæ quæſtioni ſe non intromiſit. Quam conniventiam arguunt Radulphus de Diceto & Gervaſius Cantuarienſis.

Et revera exindè etiam Rex Henricus Pater priorem abuſum reſumpſit, itemque ejus filii & Succeſſores Richardus ac præſertim Joannes, A. 1173.



Digitized by Google

de quo Innocentii tertii Pontificis vita: *Licèt beatus Thomas Archiepiſcopus animam ſuam pro Eccleſiaſtica poſuerit libertate, nulla tamen utilitas quo ad hoc in ſanguine ejus erat, quoniam Anglicana Eccleſia per Principum inſolentiam in profundo ſervitutis ancillata jacebat, ita ut Apoſtolicum quoque mandatum in Anglia jam quaſi precarium haberetur, & Electiones Prælatorum nuſquam liberè fierent.* Etiam in aliis Regnis graſſatam fuiſſe eandem iniquitatem, jam audivimus ab Arnulpho Epiſcopo Lexovienſi. Hinc igitur, quod in Richardi Cantuarienſis cauſa facere debuerat Alexander tertius, in ſua Lateranenſi Synodo tandem fecit Innocentius tertius per hunc Canonem: *Quiſquis electioni de ſe factæ per ſecularis poteſtatis abuſum conſentire præſumpſerit contra Canonicam libertatem, & electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, nec abſque diſpenſatione poſſit ad aliquam eligi dignitatem. Qui verò electionem hujuſmodi, quam ipſo jure irritam eſſe cenſemus, præſumpſerint celebrare, ab officiis ac beneficiis penitùs per triennium ſuſpendantur, eligendi tunc poteſtate privati.* Per Laïcæ poteſtatis abuſum facta electio eſt omninò illa, cui Laïcus Princeps eligendam deſignaverit perſonam.

Fol. 139.

Can. 23.

Eam non irritat, ſed irritam declarat Innocentii Synodus. Non eſt electio libera, ſed violenta extorſio, ideoque irrita jure naturæ. Ita in adductis ſuprà teſtimoniis ſupponunt Hincmarus Metropolita Remenſis, & ſanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus. Et hinc ſanctus Hugo Lincolnienſis Eccleſiæ Electus factam ex Henrici ſecundi deſignatione electionem admittere noluit, aſſerens eſſe palliatam intruſionem. Liberè eligi denuò voluit, & fuit Electus. Guilielmum Eboracenſem Archiepiſcopum, ex Stephani Regis deſignatione Electum, degradavit Eugenius tertius in Synodo Remenſi. Eadem via Cantuarienſem Cathedram ingreſſus eſt ſanctus Thomas: Hinc poſt apertos mentis oculos deflevit ſe intruſum, Epiſcopatum ad manus Alexandri tertii depoſuit in Turonenſi Synodo, eundem reſumpſit ab eodem, ac iſti ſuo delicto acceptas ſemper retulit omnes ſuas perſecutiones. Quæ omnia latè refert Radulphus de Diceto. Pariſienſis Eccleſiæ Cantorem, à Tornacenſi Clero & populo electum Epiſcopum, mirè laudat in litteris ad Henricum Remenſem Metropolitam Stephanus Pariſiis adhuc Abbas ad ſanctam Genovefam, *& gratiosè diſpenſari ſupplicat*, hoc in ejus electione vitium: *Dominus Rex perſonam iſtam nominatim expreſſit, nominatim pro ea rogavit, nominatim Eccleſiæ Tornacenſi præeſſe voluit, & intendit. Si aliter factum fuerit, eſt verendum, & fortè verùm, ne indignationem, & iram, & immiſſiones per Angelos malos concipiat, & adverſum eos, qui promotionem tantæ perſonæ impedierint, Regalem & inutilem iracundiam accendat.* Electus ille electionem iſtam duxit eſſe intruſionem, ideoque ſine Metropolitæ

Ep. 173.

Digitized by Google

litæ diſpenſatione noluit conſecrari. Verùm Henricus Metropolita, licèt memorati Regis Ludovici ſeptimi Germanus frater, non diſpenſavit: Iſtius enim Cantoris in locum Canonicè Electus fuit Everardus, Gualteri Domini Aveſnenſis filius, Eccleſiæ Cameracenſis Archidiaconus, cui proximè ſucceſſit laudatus Abbas ſanctæ Genovefæ. Cypriorum Regem, quod ad Nicoſienſem Eccleſiam duos nominaſſet, ex ipſis alterum jubens eligi, ut Eccleſiaſticæ libertatis invaſorem graviſſimè increpavit Innocentius tertius, addiditque cauſam: *Si carnale conjugium liberas exigit contrahentium voluntates, ridiculoſum eſt & probroſum, ut Eccleſia compellatur alterius contrahere voluntate, ac ſpirituale conjugium de Arbitrio pendeat Laicali.* Ejuſmodi electionem declarat irritam in litteris ad Eccleſiam Nicoſienſem. Eundem abuſum damnat in Comite Tripolitano, qui tres electuris Monachis nominabat. Et latæ in Fredericum ſecundum Imperatorem degradatoriæ ſententiæ Innocentius quartus ac eius Lugdunenſis Synodus, uti grande crimen inſeruerunt, quod ille quarundam Eccleſiarum electiones violentaſſet, utique per deſignationem eligendæ perſonæ. Lib. 3. Ep. 102. Ep. 204. Ep. 217.

Verùm nec laudatus Innocentii tertii Canon potuit Reges ab inquietandis electionibus cohibere. Etenim de Rudolpho primo Imperatore ſcribit ſupplementum Abbatis Vſpergenſis: *Tempore Rudolphi fuiſſe uſum primarum precum, colligitur ex tali forma.* Addit & formam ſeu Epiſtolam, qua Rudolphus Epiſcopis & Abbatibus jubere ſolebat potiùs quam ſupplicare: *Cum ex antiqua & approbata, ac à divis Imperatoribus & Regibus ad nos perducta conſuetudine qualibet Eccleſia, in noſtro Romano Imperio conſtituta, ad quam Eccleſiaſticorum beneficiorum pertinet collatio, ſuper unius beneficii collatione precum noſtrarum Primas teneatur admittere, Devotionem tuam rogamus, quatenùs huic Clerico de Eccleſiaſtico beneficio, quod ad tuam collationem pertinet, ob reverentiam ſacri Romani Imperii ſtudeas liberaliter providere.* Iſtarum precum antiquitatem & approbationem ego certè ignoro. Etenim Ludovicus ſextus Francorum Rex Apoſtolicas, quibus primò vacaturam in quavis Cathedrali Eccleſia Præbendam donare permittebatur, ſibi delatas litteras exuſſiſſe laudatur à Radulpho de Diceto, & Henrico Cnyghtono. Ajebat ipſarum cauſa nolle animam ſuam in inferno exuri. Quod ipſum de Ludovico ſancto teſtantur ex Broymaro ejus Cancellario, laudantque Michaël Rouſſel, & Rebuffus. Et quidem Rudolphus Imperator aut certè ejus poſteri conſuetudinem iſtam auxerunt. Quod enim Alberti Imperatoris precibus Eccleſia Baſileenſis dederit tres Præbendas, ſcribit in ſuis Annalibus Albertus Argentinenſis. Erant preces armatæ, de quibus Pariſienſium Archipræſul Petrus de Marca; *Guilielmus Benedicti, celeberrimus Juris-* A. 1286. A. 1135. Lib. 2. c. 10. L. 2. c. 6. A. 1301.

*conſultus, affirmat preces illas habuiſſe, & habere debuiſſe vim imperii apud*
L.6.c.9. *Canonicos Electores.* Et lucet ex formulari Rudolphi Imperatoris Epiſtola: *Teneatur admittere.* Etenim antiquus eſt verſus: *Eſt orare Ducum ſpecies violenta jubendi.* Quare ejuſmodi preces Canonicarum electionum & collationum libertati repugnare, ac inducere electionem per abuſum Laïcæ,poteſtatis, non eſt dubitandum. Earum tamen conſuetudo crevit pedetentim, & ſerpſit ad Regna omnia: Etiam ad Abbatum & Epiſcoporum electiones. Quin & ipſas probarunt Sanctio pragmatica & Synodus Baſilæenſis. Ita callida iniquitas adverſus quemvis Eccleſiæ Canonem ſemper facit aut reperit rimam irrependi. Et cogitur Eccleſia diſſimulare. Et hæc eſt una ex cauſis, ob quas in ſua cum Franciſco primo Francorum Rege Concordata Leo decimus Pontifex facilior conſenſit.

## CAPUT VIII.

### *Expediuntur variæ Quæſtiones.*

QUæſtio prima eſt, an à Regibus poſtulanda eligendi licentia adverſetur ſacris Canonibus & Eccleſiaſticæ libertati? Reſpondeo adverſari. Etenim Brunoni Trevirenſi Archiëpiſcopo, Henrici quinti Imperatoris pro componendis inveſtituræ litibus ad Paſchalem ſecundum in Gallias Legato, licentiam iſtam eſſe antiquiſſimum Imperii jus peroranti, apud Sugerium Abbatem in vita Ludovici Groſſi Regis Francorum reſpondit laudatus Pontifex *Eccleſiam pretioſo Jeſu Chriſti ſanguine redemptam & liberam conſtitutam, nullo modo iterato ancillari oportere: Si Imperatore inconſulto Prælatum eligere non poſſit, caſſata Chriſti morte, ei ſerviliter ſubjacere.* Et Abbates non ad ſolam Regis, ſed ad Epiſcopi inſuper juſſionem eligi mandavit antè Caroli Magni faciem Synodus Francofordienſis. Et in laudato ſuperius de electionibus fragmento Florus Magiſter ait Regem in electionis negotio Miniſterium
Cap. Can. 17. ſuum dumtaxat debere adjungere, non præferre. Ei nihil, & quidem per indulgentiam & conſuetudinem, aſſeverat competere, niſi ſolùm factæ electionis aſſenſum. Et Eccleſiam Normandicam, dum Abbates ſine prævia ſua licentia eligi permiſit Richardus primus Rex Anglorum, à magna ſervitute fuiſſe liberatam dixit nobis ſuprà ex totius Anglicanæ Eccleſiæ ſenſu Matthæus Pariſienſis. Et ſuprà laudatum Philippi Auguſti ſimile privilegium maximis ſuis libertatibus ſemper annumeravit Eccleſia Atrebatenſis. Quinimò adverſus Paſchalis ſecundi & Calixti ſecundi, qui Vezeliacenſem Abbatem de prævia Cluniacenſis licentia & conſilio eligi præceperant, Decreta ad Guilielmum laudati Vezeliacenſis

ſis

Digitized by Google

ſis Monaſterii Abbatem, ſcribit in illius Chronico Alexander tertius: *Statuimus ut veſtrum Monaſterium Cluniacenſi Eccleſiæ in nullo penitùs ſubjacere debeat, & electionem ita liberam per omnia habeatis, ut Cluniacenſium* Fol.572. *Abbatum conſilium vel conſenſus nullo modo requiratur.* Quia nempe non ſolius Laïci, ſed omnis extranei conſenſus præviè requirendi debitum eſt jugum duræ ſervitutis. Et hinc meritò, & ſanctiſſimè olim ad Tarraconenſem Archiëpiſcopum, cæteroſque Regni ſui Epiſcopos, Abbates, & aliarum Eccleſiarum Rectores ſcripſit Petrus Rex Aragoniæ: *Regi Regum, per quem Reges regnant, reverentiam debitam exhibentes, & ſponſæ ejus, ſanctæ videlicet Eccleſiæ, integram libertatem conſervare volentes, peſſimam conſuetudinem à nobis hactenus conſervatam, qua electionem Prælatorum ſine noſtro conſilio & aſſenſu procedere non permittebamus, amore Dei & ſanctæ Eccleſiæ, & pro remedio animæ noſtræ, & parentum noſtrorum, relaxamus.* Conſuetudinem iſtam fatetur fuiſſe peſſimam. Et hinc inter omnes, quos Decretalibus ſuis Gregorius nonus inſeruit, Canones nullus hanc conſuetudinem Regibus permittit. Quinimò de Eccleſia Conventuali Patronata ſtatuit illic Clemens tertius: *In Conventuali Eccleſia non electioni Prælati faciendæ, ſed jam factæ honeſtius Patroni poſtulatur aſſenſus.* Soli Patrono, & quidem ægrè indulget iſtam authoritatem. Lib. 3. tit. 38. c. 25.

Altera quæſtio eſt, Qua occaſione vel quo colore Reges iſtam authoritatem invaſerint? Reſpondeo colorem in Vezeliacenſis Monaſterii fundatione aſſignari à Gerardo Comite, mandante ejus Abbatem ſemper eligi, *cum interrogatione & conſilio ſanctorum Virorum.* Ex antiquiſſimo enim more viduata Eccleſia, antequam ad electionem procedat, audire ſolet Metropolitam, vicinos Epiſcopos, Abbates, nec non & alios viros prudentes & ſanctos. Provincialis Metropolitæ, vacans Metropolitana Eccleſia Primati aut Patriarchæ ſolebat ac debebat Epiſcopi ſui mortem mox intimare, poſtulareque eligendi licentiam, nec non & Epiſcopum Viſitatorem, qui electioni director præſideret. Ita lucet ex plurimis magni Gregorii Epiſtolis, ex Adriani primi ad Carolum Magnum Epiſtola de antiqua conſuetudine Ravennatis Eccleſiæ, & ex Gallicanis Epiſcopalium promotionum formulis apud Jacobum Sirmondum. Hinc ergo Reges etiam ſe, quod Epiſcopi & Abbates ſint avitum non ſolius Eccleſiæ, ſed & Reipublicæ membrum, voluerunt in ipſorum electionibus audiri. Et quidem Romanorum Auguſti, quod vaſtiſſima eſſet Imperii moles, quoad ſolam electionem Patriarcharum ac Primatum Epiſcoporum, Barbarorum autem Reges quoad Epiſcopos & Abbates omnes. Et quia etiam nominationis ſibi jus arrogabant, Canonicam electionem cenſuerunt eſſe ſuum ſingulare beneficium, ideoque per ſingulares preces ſingulis vicibus implorandum. Electionem Cano-

Digitized by Google

Canonicam concedendo videbantur ſibi quaſi nominationem, Regiæ dignitatis partem, cedere, ideoque eligendi licentiam voluerunt haberi grande beneficium. Et hinc poſt reſtitutas à Gregorio ſeptimo Canonicas electiones fuerunt iſtius conſuetudinis longè tenaciſſimi: Clandeſtinè ſine venia quandoque eligentes Eccleſias duriſſimè tractarunt. Antiſtitum promotiones noluerunt plenè à ſua poteſtate emancipari.

Tertia quæſtio eſt, quomodo licentiæ hujus petendæ neceſſitatem Eccleſia tandem excuſſerit? Reſpondeo, duobus præſertim modis. Primus fuit ſpontanea Regum gratia. Etenim Eccleſiæ Mindenſi Henricus ſanctus Imperator conceſſit hocce privilegium: *Conceſſimus licentiam eligendi inter ſe Paſtorem dignum & idoneum, ſalvo tamen Regis ſeu Imperatoris conſenſu.* Utique conſenſu in ſolam factam electionem. Quod ipſum privilegium eiſdem verbis dedit eidem Eccleſiæ Henricus tertius. Simile Atrebatenſibus à Philippo Auguſto Francorum Rege datum eſt ſuprà laudatum. Laudavimus & Petrum Aragoniæ Regem, qui Innocentio tertio Pontifici ob accepta Regiæ dignitatis titulum & ornamenta gratificaturus, peſſimam iſtius petendæ licentiæ conſuetudinem omnibus ſui Regni Eccleſiis ac Monaſteriis remiſit. Ejus Epiſtolam Stephanus Baluzius inſeruit ſuis additionibus ad opus Petri de Marca. Et Hugo Pictavinus Vezeliacenſis Monaſterii Chronico inſeruit hocce privilegium
Lib. 8. c. 10. Fol. 568. Guilielmi Comitis Nivernenſis: *Ego Nivernenſis Comes dimitto Deo quandam pravam conſuetudinem, quam in Vezeliacenſi Eccleſia exigebam, ſcilicet ut de electione Abbatis nullus ulterius à me requiratur conſenſus.* Verùm non ſpontanea, ſed compulſa fuit iſta gratia, quod nempe & Romani Pontifices & Francorum Reges ab iſta Nivernenſis Comitis ſervitute laudatum Monaſterium liberaſſent. Et ejuſmodi ſeu Regalia ſeu Papalia privilegia adduci poſſint plurima. Monaſteriorum Fundatores frequenter illud ipſi Fundationi appoſuerunt, & tam à Rege quam à Pontifice curarunt confirmari.

Alter modus proceſſit ex Romanis Epiſcopatuum & Abbatiarum reſervationibus. Fredericus ſecundus Imperator, ubi in Romanam Eccleſiam cæpit palam inſurgere, quoties Eccleſiis dabat eligendi licentiam, paſſim etiam deſignabat eligendam perſonam, neminem ſibi ſuſpectum permittebat fieri Antiſtitem, atque ita per obnoxios ſibi Epiſcopos & Abbates inſigniter arietabat Romanam Eccleſiam. Hinc poſt varia conſilia Gregorius nonus Pontifex Canonicas in Imperio & Siciliæ Regno Electiones cæpit ſuſpendere, ſibi reſervare, vacantibuſque ſedibus Epiſcopos & Abbates Romanæ Eccleſiæ fidos, & Frederici violentiis conſtanter adverſos nominare. Paſſus fuit graviſſimos obices, vicit tamen, ideoque poſt degradatum præſertim à Lugdunenſi Synodo

Fre-

Fredericum alii Pontifices eundem morem ad alia etiam Regna extenderunt. Primum de Regum licentia, poſtmodo etiam ſine ipſa reſervarunt ac nominarunt. Hinc adverſus Martinum quartum, qui ſancti Auguſtini Cantuarienſis Abbatiam ſine ejus licentia dederat, apud Guilielmum Thorne graviſſimè expoſtulat Henricus tertius Rex Anglorum. Apud Albertum Argentinenſem longè vehementius expoſtulat A. 1063. adverſus Clementem ſextum Rex Eduardus primus, aſſeverans omnes Anglicanæ Eccleſiæ Cathedrales ſedes eſſe Regii Patronatus, ſine Regia licentia illic non poſſe eligi ex Innocentii tertii cùm Joanne Rege Concordatis, quæ ſi obſervare nolit Pontifex, reverti omnia in ſtatum priſtinum, Regi redire jus nominandi, aut certè deſignandi eligendam perſonam. Ejuſmodi querelas Regum adducam plures ſuo loco. Romana tamen authoritas prævaluit, atque ita tandem eligendi licentia de A. 1341. Regum manibus fuit excuſſa. Redierunt poſtmodum electiones Canonicæ, verùm prævia eligendi licentia Regibus, ad Apoſtolica nominandi indulta reſpicientibus, non fuit cordi, atque ita permanſit extincta. Regius tamen in factas electiones conſenſus ſemper perſeveravit.

Quarta quæſtio eſt, cur Philippus Auguſtus Francorum Rex, profectus ad bellum Sanctum, ſolas Epiſcopales Eccleſias, & Regales Abbatias adſtrinxerit ad eligendi licentiam poſtulandam à Regina? Reſpondeo rationem dari à Baldrico Tornacenſi Epiſcopo in Chronico Eccleſiæ Cameracenſis, agente de Abbatia ſancti Giſleni: *Quamvis Abbatia pauper ſit & exigua, pendet tamen de manu Regia.* Et de Notgero Lib. 3. Leodienſi Epiſcopo, qui Fratres Gemblacenſes Abbatem ab Ottone tertio Imperatore poſtulare parantes retraxit, ſcribit ejuſdem Monaſterii antiquum Chronicon: *Notgerus, non negans conſilium quærentibus, inſinuare incœpit quàm potuit eloquentius, quam inutile ſit pauperes Regibus ſubjacere, quam arduum & difficile humilibus Chriſti ſolium Regni attingere, videri ſibi multum eſſe utile, ſi Juri Leodienſis Epiſcopi patiantur ſubjacere, unde prompta adſit defenſio.* Et de Piſcarienſi ſancti Clementis Fol. 517. Abbatia ad Beraldum & Rainaldum Comites ſcribit in ejuſdem Monaſterii Chronico Conrardus ſecundus Imperator: *Soli noſtro Dominio reſervatur.* Eſſe ſuam ſpecialem Cameram, ideoque præ omnibus circumjacentibus Abbatiis teneri ad manus Regias, affirmat ibidem Siculorum Rex Guilielmus. Fol. 440. Quod ab Imperatoribus gubernaretur, ideoque Romanæ Eccleſiæ protectionem ignoraret, profitetur Abbas Grimoaldus. Fol. 502. Et Robertus Comes ſcribit ad ejuſdem Monaſterii Capitulum: Fol. 470. *Eccleſia veſtra in Manibus Domini noſtri Regis eſt.* Hinc circa ejus negotia Fol. 530. mandat nihil ſine Regio placito attentari. Quapropter Regalis Abbatia eſt quæ ſpectat ad Regis proprietatem ac Dominium, aut certè advoca-



Digitized by Google

tiam ſeu protectionem. Quod enim Eccleſiæ & Monaſteria olim ad Romanos Pontifices, Epiſcopos alios, Reges & Principes, tanquam ad Dominos & proprietarios ſpectaverint, ſuo loco oſtendemus. Ea ſibi mutuo donabant non ſolum, ſed & permutabant, imò & vendebant. Eodem modo tractabant & jus advocatiæ. Et hinc ejuſmodi ſervitutibus ſubjecta Monaſteria ſine prævio Regis placito nequibant eligere Abbatem. Erat dura ac periculoſa ſervitus: Hinc Fratribus Gemblacenſibus, ut ſola Epiſcopi ſui protectione contenti Regiam non ambirent, perſuaſit Notgerus Epiſcopus Leodienſis. Quocirca Rex Philippus Auguſtus, ſolas Regales Abbatias ad poſtulandam eligendi licentiam adſtringens, pietatem ſuam & juſtitiam inſigniter commendavit. Etenim in libera ab iſto jugo Monaſteria Rex, niſi per violentiam, prætendere non potuit iſtiuſmodi poteſtatem. Jugum iſtud erat hodierni Patronatus non penitus abſimile: Hinc cunctis Laïcis Patronis Clemens tertius iſtam poteſtatem indulſit. Porrò Epiſcopatus omnes Gallicani ſunt feuda Regia, de pleriſque autem iſtic Abbatiis ſcribit in Corbeienſis Monaſterii privilegio Benedictus tertius Pontifex: *Galliarum permaximè Eccleſias fidelium collationibus à Deo conſtat eſſe ditatas.* Hinc igitur inter Epiſcopatus & Abbatias diſtinguens Philippus Auguſtus, omnes illos ſuppoſuit eſſe Regales.

Quæſtio quinta eſt, an prævia eligendi licentia, factæque electionis confirmatio ſpectent privativè ad jura Regalia, ideoque competant ſolis ſupremis Principibus non cognoſcentibus Superiorem? Reſpondeo paſſim ſpectare. Etenim in Cameracenſis Eccleſiæ Chronico ſcribit Baldricus Epiſcopus Tornacenſis: *Nulli Abbatias præter Imperatorem aut Epiſcopum largiri fas eſt, quamvis earum advocatia Laïcis commendentur.*
L. 3. c. 6. A Vaſallis Principibus, licet advocatiæ poteſtatem habeant, ait non poſſe Abbatum electiones confirmari, quod eſt donare Abbatiam. Loquitur adverſus Rainerium Longicollum, Hannoniæ Comitem, præſumentem donare Abbatiam ſancti Giſleni, adverſus quem pro Monaſterii libertate multum certavit Gerardus Cameracenſis Epiſcopus, aſſeverans iſtud jus ad ſolum Imperatorem & Epiſcopum pertinere. Utriuſque enim confirmationem Abbatis electio ſemper requiſivit. Et apud Lucam Dacherium extant litteræ, quibus ſancti Giſleni Electum confirmat Imperator, & Nicolao Cameracenſi Epiſcopo mandat conſecrandum. Eundem Rainerium, quod Lobienſem Abbatiam dediſſet, à Brunone Colonienſi Archiepiſcopo, Ottonis primi Imperatoris Fratre & Vicario, ut læſæ Majeſtatis reum fuiſſe damnatum & proſcriptum,
Fol. 27. affirmat in dicti Monaſterii Chronico Abbas Folcuinus. Nempe Rainerius, uti ſcribit antiquum Gemblacenſis Monaſterii Chronicon, toti Roma-

Digitized by Google

Romano Imperio formidabilis dictam Abbatiam per nominationis violentiam dederat Herluino primo Gemblacenſium Abbati, ideoque merito fuit reus læſæ Majeſtatis. Cui enim Electos confirmare non licet, longè minus poteſt nominare, adeoque nec dare eligendi facultatem. Etiam Atrebatenſis, licet Flandrorum eſſet Metropolis & Principis ſedes, civitatis Clerus & populus eligendi Epiſcopi licentiam ac Electi Confirmationem numquam à ſuo, quouſque ille recognovit Galliæ Coronam, Comite poſtulavit, ſed ſemper à Rege. Nam & à Philippo Auguſto accepit Privilegium ſine prævia licentia eligendi. Horrenda illa inter Balduinum Comitem & ſanctum Fulconem Remenſem Archiëpiſcopum lis eidem principio inhæſit: Vedaſtinii Monaſterii commendam, à Carolo Simplice Francorum Rege datam Fulconi, ſibi non datam invidit Balduinus, per immiſſos latrones trucidavit ſanctum Epiſcopum, atque ita Rege, quem multa rebellio impotentem fecerat, ſpreto & invito Abbatiam invaſit. Porrò commendare Monaſteria, eligendi facultatem dare, & confirmare Electos, ſpectant ad eandem poteſtatem. Et Gemblacenſes Monachi, dum ab aula voluerunt pendere atque Abbatem accipere, non ad Brabantiæ Ducem, ſed ad Romanum Imperatorem parabant accedere. Et Fratribus Afflegemienſibus in erecti Monaſterii diplomate concedit Henricus tertius Brabantiæ Dux, ut ipſi poſſint ſibi Abbatem eligere, poſitumque ſuper altare baculum illi committere, nullo Principe aut Epiſcopo contradicente. Non dicit, *Nobis aut ſucceſſoribus noſtris, ſed nullo Principe contradicente:* Quod nempe talem poteſtatem in ſe necdum agnoſceret, & Germanici Imperii, quod per verba, *Nullo Principe*, omnino intelligit, poteſtatem vellet à Brabantia excluſam. Et in Sclavorum Chronico Hemboldus Presbiter longam Henrici Leonis Saxoniæ Ducis cum Frederico primo Imperatore de inveſtiendis & confirmandis Epiſcopis, ſeu de donandis Epiſcopatibus litem refert, quam poteſtatem Fredericus prætendebat ſpectare privativè ad Auguſtam Majeſtatem. Et hinc Henrico Duci, qui Sclavos Barbaros ſubegerat, pro magno indulſit privilegio, ut omnium illic ſuo gladio ſubactarum Regionum Epiſcopatus donaret. Et uti grande Privilegium Dux lætus accepit. Nam qui donat Epiſcopatus, vocatur Epiſcoporum Dominus: Quem eſſe ſolius ſupremi Principis titulum affirmat ibidem Hartuicus Metropolita Hamburgenſis. Et ad Arnoldum Bavariæ Ducem, in Henrici primi Imperialem electionem conſentire nolentem, apud Luitprandum Ticinenſis Eccleſiæ Diaconum dicunt ejus Proceres: *Æquum, juſtumq; nobis videtur, ut à cæteris non diſſentiens, hunc Regem eligeres, ipſe verò te, ut tam fortunatum ac prædivitem virum hoc pacto bearet, animiq; tui feritatem mulceret, ut quod*

Lib. 1. c. 69. 70. 73.

Lib. 3. cap. 7. *prædeceſſores tui non habuere, tibi concedatur, ſcilicet quatenus totius Boiariæ Pontifices tua ſubjaceant ditioni tuæq; ſit poteſtatis, uno defuncto alterum ſubrogare. Igitur connivens Arnoldus huic optimo ſuorum Conſilio, Henrici Regis miles efficitur, & ab eo conceſſis totius Boiariæ Pontificibus honoratur.*

Attamen de Roberto Hieroſolymitano, Flandrenſium Comite, ad ejus uxorem Clementiam ſcribit ſanctus Anſelmus Archiëpiſcopus Cantuarienſis: *Relatum mihi eſt, quoſdam Abbates in Flandria ſic conſtitutos,* Lib. 3. Ep. 59. *ut Comes vir veſter nullam eis ſuâ manu daret inveſtituram.* Quod Abbatum inveſtituræ ob Romanæ Eccleſiæ decreta ceſſeſſit obediens Robertus, prædicat Anſelmus. Ad verò qui inveſtiebat, etiam eligendi licentiam dare, Electoſque confirmare olim omnino poterat & conſueverat. Quare videtur ſolorum Flandrenſium Epiſcoporum, & quorundam forſan Regalium Abbatum confirmatio ad Regem ſpectaſſe. Quid quid ſit; etiam Britanniæ Ducem, quod Epiſcoporum inveſtituris renuntiaſſet, laudat Gregorius ſeptimus in Epiſtola ad Rudolfum Archiëpiſcopum Lib. 4. Ep. 13. Turonenſem. Quod item Robertus Normandiæ Dux donaret Abbatias, lucet ex variis litteris ſancti Anſelmi ad Baldricum Priorem Beccenſem. Lib. 3. Epiſt. 8. 14. 15. Hinc & Abbatiſſæ ſine ejus licentia non poterant officio renuntiare. Dabat & Epiſcopatus: Quod enim Malgerus Rothomagenſis Archiëpiſcopus nequidem in Pontificalibus Vicarium aſſumere potuerit ſine ejus licentia, ſupra oſtendi ex Chronico Monaſterii Fontanellenſis. Etiam ſancti Albini Andegavenſis Monaſterium ſine prævia Comitis licentia eligere non poterat, uti patet ex Electionis decreto apud Lucam Dache-Tom. 6. rium. Et Arnulphum Lexovienſem Epiſcopum, ſine ſua licentia electum, adeò perſecutus eſt idem Comes, ut Romam fugere ille debuerit, ipſumque conſecrare vix auſus fuerit Innocentius ſecundus. Quod non ſolam eligendi licentiam donare, ſed & eligendam perſonam deſignare Comes ille conſueſſet, ſcripſit idem Arnulphus ad Lucium ſecundum. Etiam in Vezeliacenſis Abbatis electionem idem jus prætendit olim Comes Nivernenſis: Licet Regio & Apoſtolico Privilegio excluſus. Quod item Fredericus Lotharingiæ Dux Abbatias dederit, affirmat Richerius Monachus in Chronico ſui Cœnobii Senonienſis. Nec deſunt alia iſtiuſmodi Ducum & Comitum quaſi Privilegiatorum exempla. Exemplum ſingulare adducit, agens de Bernardi apud Bononi cellam Abbatis electione, ſanctus Fulbertus Epiſcopus Carnutenſis: *Facta eſt electio iſta Conſilio atque authoritate Domini Abbatis Maioris Monaſterii, poſt exceſſum glorioſi Principis Odonis, à quo hujus rei curam ſuſceperat. Qui hoc in Conventu Monachorum ritu celebri peracto, obtulit Fratrem prædictum nobiliſſimæ Comitiſſæ, ſub cujus ditione locus iſte conſiſtit, & Stephano Comiti ejus Filio, à quibus donum Rerum temporalium, ad idem pertinentium Cano-*

*Cœnobium, ſuſcepit.* Eligendi licentia ab Odone Francorum Rege, electionis autem confirmatio & Abbatiæ conceſſio à Stephano Carnutenſium Comite fuit poſtulata. Forſan inter Regem & Comitem erat iſtiuſmodi concordatum. Ep. 107.

Rectè verò Mathildim Abbatiſſam Cadomenſem ſine Roberti Normandiæ Ducis licentia non poſſe cedere ſcripſit ſanctus Anſelmus. Etiam hanc licentiam Reges ſemper exiſtimarunt ad ſuæ Coronæ dignitatem & jura pertinere. Hinc enim ſtatuit, cui adſuit Apoſtolica Legatio, Synodus Francofordienſis: *De Abbatiſſis quæ regulariter non vivunt, Epiſcopi requirant, & Regi annuntient, ut ab honore priventur.* Quinimò res eſt antiquior. Etenim apud ſanctum Gregorium Turonenſem Epiſcopum Haribertus Francorum Rex Sanctonenſis, quæ Emerium ejuſdem civitatis Epiſcopum ſine ſua licentia degradarat, Synodi Legatum Presbyterum ejecit à ſua facie, & plauſtro ſpinis ſuppleto impoſitum juſſit deportari, dicens: *Putaſnè, quod eſt ſuper quiſquam de filiis Clotharii Regis, qui Patris facta cuſtodiat, quod hi Epiſcopum, quem ejus voluntas eligit, abſque noſtro judicio projecerunt?* Quin & Leontium Metropolitam Burdigalenſem, facti Authorem, mille aureis, & omnes Comprovinciales Epiſcopos mulctavit juxta eorum poſſibilitatem. Et de Faraberto ſuo Anteceſſore ſcribit Regino Abbas Prumienſis: *Farabertus curam Paſtoralem ſua ſponte per conceſſum Regis depoſuit.* Can. 47. Lib. 4. cap. 26.

## CAPUT IX.

### *Nominandi Privilegium datum Regibus Francorum.*

PRimum nominandi Privilegium Pippino Francorum Regi à Zacharia Pontifice fuit conceſſum, de quo apud ſanctum Lupum Abbatem Ferrarienſem Wenilo Senonenſis Metropolita & Gerardus Comes ſcribunt ad ſanctum Amulum Archiepiſcopum Lugdunenſem: *Veſtra Prudentiæ Dominus noſter Rex Carolus Calvus nobis juſſit ſuggerere, non eſſe novitium aut temerarium, quod ex Palatio honorabilioribus maximè Eccleſiis procurat Antiſtites. Nam Pippinus, à quo per maximum Carolum & religioſiſſimum Ludovicum Imperatores duxit Rex noſter originem, expoſita neceſſitate hujus Regni Zacharia Romano Papæ, in Synodo, cui Martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit conſenſum, ut acerbitati temporis induſtria ſibi probatiſſimorum decedentibus Epiſcopis mederetur, ne fortè ſimplicitate Pontificum poſſet contingere, quod in hac Eduorum urbe evenit. Proindè ſuppetere, ut honorem à Romano Papa Majoribus ejus, Regibus & Imperatoribus conceſſum, & à Lugdunenſis Eccleſiæ Metropolitanis numquam hactenus* Epiſt. 8.



Digitized by Google

*inſirmatum, à vobis nulla veſtra injuria conſequatur.* Quidam exiſtimant laudari hic Synodum Leptinenſem aut Sueſſionenſem, quibus ſanctus Bonifacius ex Zachariæ Pontificis delegatione præſedit. Verùm Pippinus tunc necdum Rex erat, ſed Regiæ domus dumtaxat Major ſeu Præfectus, & privilegium videtur datum Regi. Videtur & datum Romæ in Synodo, cui ipſe Pontifex præſedit.

Quidquid ſit, non liberam quorumcumque, ſed ſolorum ſuorum Palatinorum ad Epiſcopatus nominandorum facultatem Pippinus accepit. Erat facultas diſpenſatoria duplicis Canonis: Nempe & Apoſtolici, mandantis Epiſcopum eligi à Clero & Populo; & Sardicenſis, laïcos etiam Palatinos vetantis evehi, non ſolum ad Epiſcopatum, ſed etiam ad Presbyteratum aut Diaconatum. Et iſtud ſolum Privilegium Rex Carolus Calvus prætendebat ſibi confirmari. Non enim quoſcumque, ſed ſuum Conſanguineum Bernum, & ſuum Palatinum Godelſadum nominarat ad Epiſcopatus Auguſtodunenſem & Cabilonenſem. Verùm ſanctus Amulus generosè interceſſit pro Canonicis electionibus, Bernum excuſſit ab Eccleſia Auguſtodunenſi, & illi Altheum ordinavit adeò firmè, ut ipſi tanquam legitimo Epiſcopo Pallium poſtea à Leone quarto Pontifice, licet non impetrarit, poſtulaverit tamen Imperator Lotharius. Datum enim Syagrio iſtius Eccleſiæ Epiſcopo Pallii Privilegium à ſancto Gregorio Magno, Leo quartus reſpondit fuiſſe ob datas illi Sedis Apoſtolicæ vices perſonale. Godelſadus tamen Cabilonenſem Eccleſiam obtinuit: Forſan ex aliquo inter Carolum Regem, ſeu veriùs inter Lotharium Auguſtum & ſanctum Amulum concordato. Facta enim hæc ſunt circa noni ſæculi Annum quadrageſimum tertium, quo Lotharius, Ludovicus, & Carolus, Fratres Reges, in Burgundia horrendè pugnarunt, novam Regnorum fecere diviſionem, atque ità pertinens ad Carolum Burgundia eſt in Lotharium tranſlata. Hinc jam dictos Burgundiæ Epiſcopos quidem poſtulavit Carolus, ſed eorum alterum Lotharius obtinuit, & memorato Altheo Pallium flagitavit. Etiam Caroli prætenſionibus perrexit inſiſtere: Hinc enim ſancti Amuli in Lugdunenſem Cathedram primus ſucceſſor ſanctus Remigius, acerrimus vindex Eccleſiaſticæ libertatis, in tertia Valentina Synodo admittit *è ſervitio Principis*, utiquè per nominationem, *venientes Epiſcopos*, & dumtaxat addit, ut nemo indignus conſecrari permittatur.
Cap. 7. Cunctos iſtiuſmodi nominatos ſtatuit à Metropolita & conprovincialibus Epiſcopis rigidè examinandos.

Quæſtio eſt, an laudatum Pippini Privilegium fuerit perpetuum, an dumtaxat perſonale? Quidam volunt fuiſſe perpetuum. Probant ex Ludovici Pii Imperatoris poſt Aquiſgranenſem Synodum edito Capitulari, cujus

Digitized by Google

cujus hoc eſt caput ſecundum: *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine ſancta Eccleſia ſuo liberius potiatur honore, aſſenſum præbuimus Ordini Eccleſiaſtico, ut ſcilicet Epiſcopi per electionem cleri & populi ſecundum Statuta Canonum, de propria Diœceſi, remota perſonarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & ſapientiæ donum eligantur.* Notanda ſunt verba, *Aſſenſum præbuimus Ordini Eccleſiaſtico*: Edicere videntur Ludovicum Avi ſui Pippini Privilegio ad cleri preces gratis renuntiaſſe, adeoque Privilegium fuiſſe perpetuum. Errare igitur videntur qui exiſtimant Canonicas electiones fuiſſe reſtitutas à Carolo Magno. Et hinc ad laudatum Ludovici Capitulare ſcribit Jacobus Sirmondus: *Totum exſtat in libro primo Capitularium, Capite octuageſimo tertio & ſequentibus, id eſt, poſt Caput ultimum Capitularis Aquiſgranenſis Caroli Magni Regis. Immemor enim propoſiti & inſtituti ſui Anſegiſus, qui librum illum ſolius Caroli Eccleſiaſticis legibus deſtinaſſet, has etiam Ludovici filii conſtitutiones injecit, quas quidem hoc anno poſt Synodum Aquiſgranenſem editas fuiſſe confirmant ea, quæ in capite tertio leguntur de Synodo illa, & Regulis Canonicorum & Sanctimonialium in ea conſtitutis.*

Reſpondeo tamen etiam à Carolo Magno abdicatas paſſim fuiſſe nominationes, & Canonicas electiones reſtitutas. Laudatum enim Capitulare eſſe non ſolius Ludovici, ſed etiam ipſius Caroli, diſertè Hincmarus, Francici Juris peritiſſimus & Anſegiſo Abbati ferè ſuppar, affirmat in litteris ad Ludovicum tertium Francorum Regem. Iſtius Juris æque peritus ſanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus affirmat iſtud idem in litteris ad Manaſſem Archiëpiſcopum Remenſem. Carolus Magnus Capitulare ſuum fuerat nominando quandoque prævaricatus, ideoque ipſum à Filio Ludovico innovari ſupplicarunt Epiſcopi atque impetrarunt. Quocirca ſui propoſiti immemor non fuit Anſegiſus, ſed Capitulare ſemel ſub Carolo Rege poſitum cenſuit ſub Ludovico non eſſe repetendum. Porrò Epiſcopi non uti gratiam, ſed uti rem ſibi per ſacros Canones debitam poſtularunt electionum reſtitutionem. Ita evincunt hæc Capitularis verba: *Sacrorum Canonum non ignari.* Verùm Reges, Majeſtatem ſuam altiſonis vocabulis exaltare conſueti, Juſtitiam ſolent quaſi gratiam impertiri. Laudati igitur Epiſcopi omninò cenſuerunt Pippini Privilegium fuiſſe perſonale. Et certè id perſuadent ipſius etiam Wenilonis de illo verba: *Ut acerbitati temporis mederetur.* Notanda ſunt & hæc verba: *Ne fortè ſimplicitate Pontificum poſſet contingere, quod in hac Eduorum Urbe evenit.* Videtur Auguſtodunenſis Eccleſia habuiſſe Schiſma electionis, atque ità Carolus Rex utraque electione caſſata nominaſſe Bernum. Ex quo vides Regias etiam in tali caſu nominationes à melioribus Galliæ Epiſcopis fuiſſe rejectas. Succeſſit Privi-

Ep. 12. cap. 3.
Ep. 102.

Privilegium Ludovico ſecundo Imperatori ab Adriano ſecundo Pontifice conceſſum, quod ſupra relatum atque expoſitum eſt ex Hugone Abbate Flaviniacenſi.

Poſtea apud Francos iſta Privilegia ſiluerunt. Etenim inter cauſas, ob quas Philippum pulchrum Regem excommunicavit Pontifex Bonifacius octavus, fuit attentatum nominationis. Et ad Eduardum tertium Angliæ Regem ſcribit, in litteris apud Thomam Monachum Walſinghamenſem extantibus, de Philippo Valeſio Francorum Rege Pontifex

A. 1336. Benedictus duodecimus: *Intelleximus falſo & fallaciter ſuggeſtum tibi per eos, qui ſalutem & honorem tuum minimè diligunt, quod nos cariſſimo in Chriſto Filio noſtro Philippo Regi Franciæ illuſtri, inſtitutionem perſonarum Eccleſiaſticarum conceſſerimus in omnibus Eccleſiis Regni ſui, quæ omnimoda carere veritate noſcuntur. Talia namque numquam fuerunt poſtulata à nobis, nec ea conceſſiſſemus quomodolibet, cum quantacumq; inſtantia petita fuiſſent.* Ex quo lucet Galliæ Reges uſque ad illa tempora de tali privilegio vix cogitaſſe. Dico, *vix*: Quod enim Clemens ſeptimus Antipapa omnium Antiſtitum nominandorum, & duas in quavis Eccleſia Præbendas donandi poteſtatem fecerit, habes apud Froſſardum. Verùm Baſileenſis Synodus & Sanctio Pragmatica & dictis Regibus & Romanis Pontificibus pepererunt aliàs cogitationes. Antiſtitum nominandorum jus Carolo ſeptimo quidem conſtantiſſimè recuſavit Pius ſecundus, tandem tamen à Leone decimo conſecutus eſt Franciſcus primus. Pragmaticæ ſanctionis odio Pontifex, nominandi cupiditate Rex ad firmanda famoſa Concordata fuerunt tandem permoti. Sanctionem iſtam quavis viâ proſcribi ſatagebat Romana Eccleſia. Ejus proſcriptioni Antiſtitum nominationes invita quidem dedit, in iſtud tamen Canonum vulnus tandem deſcendit, quod Canonicæ electiones in Gallia vigerent quaſi ſolo nomine, utpote quibus Rex paſſim deſignaret eligendam perſonam. Non ſolum Metropolitanas & Cathedrales, ſed & Abbatiales ac Conventuales Eccleſias ſubjecit ſervituti nominationis, excipiens illas dumtaxat quibus eſſet ſpeciale Privilegium Canonicæ electionis. Variæ circa Concordatum hoc atque indultum moveri poſſint quæſtiones: Verùm illæ excedunt propoſiti noſtri limites, viderique de ipſis poſſet Michaël Rouſſel in Hiſtoria Pontificiæ jurisdictionis. Omittere tamen nolim viri Doctiſſimi Genebrardi de hiſce concordatis judicium: *Leo Pontifex Pragmaticam ſanctionem ſuſtulit, concordata cum Rege Franciſco agitans de nominatione Epiſcoporum & Abbatum, ſpecioſo prætextu ut Rex propter electionum abuſus Doctorem quidem vel Licentiatum Theologiæ, juriſve Canonici in celebri Academia, ad Epiſcopatum; Religioſum ejuſdem Ordinis, Doctorem ſimiliter vel certè Baccalaureum earundem facultatum, ad Abbatiam nomi-*

*nominare teneretur; revera autem ageretur myſterium illud iniquitatis, quo perditam Eccleſiam Gallicanam cernimus. Hinc enim ejus pernicies, in ea omnis generis Hæreſium, Simoniarum, fiduciarum ſeminarium; ſcientiæ, virtutis, pietatis exterminatio; Regni peſtis.* Conſonat in opere de Sacerdotii L.6.c.9:
& Imperii concordia Dominus Petrus de Marca: *Rex Franciſcus primus, & Leo decimus inivere Concordata quæ Pragmaticam quidem aboleant, ſed leges tamen ad ſananda hæc mala præſcribunt quæ prorſus ſimiles ſunt iis, quæ in Pragmatica ſanctione continentur, ſi electiones excipias, quæ mutantur in nominationem Regiam quoad beneficia, quibus per electionem provideri ſolebat. At Clerus, qui ſe jure electionis privatum eſſe ægrè ferebat, viriliter interceſſit publicationi hujus Concordati, & ad futurum Concilium Generale provocavit, quod ejus conſilium approbavit Curia Parlamenti, quæ tam ſubitam mutationem, quæ magni momenti erat, concoquere ſtatim non poterat.* Multis examinat Concordati juſtitiam, & tandem concludit pro facto Apoſtolicæ Sedis. Omninò enim varia neceſſitas Leonem Pontificem ad hæc indulta coëgit. Calumnioſæ Marci Anthonii de Dominis in ipſa de- Lib. 3. c.
clamationes non ſunt curandæ. 12. n. 26.

Etiam Gothorum in Hiſpania Regibus fuiſſe à Tarraconenſi & duodecima præſertim Toletana Synodo datum nominandi privilegium, eſt ſuprà oſtenſum. Duravit uſque ad Rodericum fatalem Regem, cui per Saracenos fuit erepta Hiſpania. Et quia Gregorio ſeptimo Pontifice Canonicas reſtituente electiones, ſub iiſdem Saracenis gemebat adhuc, ideoque illius ſaluberrima Decreta recipere non poterat laudatum Regnum, ejus exactis Barbaris reparatores Reges etiam antiquum nominandi morem tentarunt reparare, imò & augere. Etenim Sanctium Portugalliæ Regem, quod omnia Eccleſiaſtica beneficia daret ſuo placito, graviter arguit Innocentius tertius. Reges Caſtellæ fuerunt pientiores: Lib. 2.
Quod enim Canonicas Epiſcoporum electiones permiſerint, lucet ex Ep. 8.
Alexandri tertii litteris, apud Gregorium nonum extantibus, ad Archiëpiſcopum Toletanum. Quod item Jacobus Aragoniæ Rex ſubactis Lib. 5.
Balearibus Inſulis Epiſcopum ſemper nominare prætenderit, & ſolius tit. 3 c.
primi nominationem obtinuerit, habes in antiquis indicibus rerum ge- 11.
ſtarum per Aragoniæ Reges. Nempe Urbanus ſecundus Pontifex, ſub quo Saracenorum jugum excutere cæpit Hiſpania, Gregorii ſeptimi pro Canonicis electionibus Decreta mox ibidem publicavit, eorumque plenam obſervantiam & ipſe & præſertim Innocentii tertii Synodus Lateranenſis tandem impetrarunt. Apoſtolicis poſtmodum reſervationibus acriter reſtiterunt Reges varii, ideoque quod reſervatarum Eccleſiarum Capitula eligere, & Pontificem offendere non auderent, etiam dictis Eccleſiis nominarunt Epiſcopos, ac violenter intruſerunt. *Erat illa tem-* Lib. 24.
*peſtate,* cap. 16.



Digitized by Google

*peſtate*, inquit in Hiſpaniarum Hiſtoria Joannes Mariana, *moribus uſurpatum, ne Epiſcopi Eccleſiis Hiſpaniæ darentur, niſi quos Reges poſtularent, nominarentq;.* Utique per Eccleſiaſticæ libertatis violentam invaſionem, quæ ſemper accuſabitur, & ſemper manebit. Loquitur de temporibus Xixti quarti, qui Henrico Regi dedit, *Ne externi homines amplius in Caſtella Sacerdotia expectarent.* Plures Regum ob nominandi abuſum cum Romanis Pontificibus contentiones congerit Michaël Rouſſel in Hiſtoria Pontificiæ juriſdictionis. Quibus tandem extinguendis nominandi facultatem Carolo quinto Imperatori ac Regi indulſit Adrianus ſextus. Anteà ad Regias preces dabat Papa Epiſcopos: Verùm erant preces armatæ, ſolo nomine à nominatione diverſæ.

. Abbates, Præpoſitos, Priores, & quoſvis ſupremos Monaſteriorum Præfectos, nec non & primas Cathedralium & Collegiatarum in Belgio & Burgundiæ Comitatu Eccleſiarum poſt Pontificalem dignitates nominandi indultum à Leone decimo accepit idem Carolus, tunc adhuc Archidux Auſtriæ. Verùm cum magnis contradictionibus. Quod enim dubium eſſet Pontificis diploma, ſolaſque Apoſtolicas reſervationes in Canonicarum electionum gratiam videretur excludere, Brabantiæ Abbates adverſus Principem conſtanter interceſſerunt. Dura lis tandem per initum cum Philippo ſecundo Rege Concordatum fuit extincta, atque ita memoratas dignitates nominandi jus eidem Regi lucidè tandem impertiit Xixtus quintus. Eſt tamen jus ac indultum dumtaxat temporale ad Regis vitam: Undè quotieſcumque mutamus Principem, opus eſt novo indulto, & mors illius eſt reviviſcentia Canonicæ electionis. Etiam Romanæ confirmationis onus eſt indulto annexum, quæ tamen ab Alberti Archiducis tempore non fuit in uſu. Et iſtud ſuſtinuit uſque huc Romana Eccleſia. Quæ pleraque videre poſſis in Chronico Monaſterii Parcenſis. Porrò omnium, Cameracenſi excepto, in Belgio Epiſcoporum nominandorum jus perpetuum atque hæreditarium laudato Regi Philippo dedit Paulus quartus. Michaël Rouſſel perperam affirmat & Epiſcoporum & Abbatum nominandorum indultum eſſe à Leone decimo.

Rogerio Siciliæ Principi quidam exiſtimant ab Urbano ſecundo conceſſum fuiſſe nominandi indultum. At certum eſt labi. Diplomatis, quod quidem Cardinalis Baronius affirmat fictitium, nullus apex iſtud inſinuat. Et de Regis Guilielmi Mali cum Adriano quarto Pontifice, quem Beneventi detinebat captivum, Concordatis ſcribit ſanctus Antoninus Archiëpiſcopus Florentinorum: *Quatuor capitula Adrianus conceſſit, de Electionibus, Legationibus, Appellationibus, & Conciliis.* Per primum de electionibus capitulum aliqui intelligunt facultatem nominandi.

di. At ipſos labi demonſtrant Regis in dicto Concordato verba: *De electionibus ita fiat. Clerici convenient in perſonam idoneam, & illud inter ſe ſecretum habebunt, donec perſonam illam Excellentiæ noſtræ pronuntient. Et poſtquam perſona Celſitudini noſtræ fuerit deſignata, ſi perſona illa de proditoribus vel inimicis noſtris vel heredum noſtrorum non fuerit, aut Magnificentiæ noſtræ non extiterit odioſa, vel alia in ea cauſa non fuerit, pro qua non debemus aſſentire, aſſenſum præſtabimus.* Nominandi jus ſibi adeò non arrogat, ut nec eligendæ perſonæ deſignationem, imò nec eligendi licentiam prætendat, ſed ſolum electioni ac Electo dandum conſenſum. Et hinc inter crimina, ob quæ Fredericum ſecundum degradavit Lugdunenſis Synodus, nequaquam Antiſtitum nominationes produxit Innocentius quartus, ſed ſolam electionibus illatam violentiam, utique per deſignationem eligendæ perſonæ. Quod enim nominandi violentiam, à Patre ſuo Henrico ſexto quandoque attentatam, Fredericus ſolemniter apud Innocentium tertium Pontificem abjurarit, eſt ſuprà oſtenſum. Verùm poſteriores ejus in Romanam Eccleſiam violentiæ Gregorium nonum Pontificem ad non ſolius Germaniæ, ſed & utriuſque Siciliæ Epiſcopatus reſervandos, & nominandos Epiſcopos compulerunt, atque ita per Succeſſores Pontifices Canonica electio plenè hic fuit tandem extincta. Eamque exſtinctionem Synodus Baſilæenſis, Apoſtolicarum reſervationum improbatrix acerrima, omninò improbavit, *Statuens ac definiens generalem reſervationem omnium Eccleſiarum Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, & Monaſteriorum, ac dignitatum electivarum, per Romanum Pontificem de cætero non fieri, & facta uti non debere, reſervationibus in corpore juris clauſis, & his quas in terris Romana Eccleſia, ratione directi ſeu utilis dominii mediatè vel immediatè ſubjectis fieri contigerit, ſemper exceptis.* At verò utraque Sicilia ad directum Romanæ Eccleſiæ dominium lucidè tunc ſpectabat, ideoque liberè perrexit Pontifex illic Epiſcopos nominare. Et hinc de Innocentio octavo & Alphonſo Siciliæ Rege pacem ſtabilientibus, in iſtius vita ſcribit Onufrius Panuinus: *Pacis conditiones fuerunt, ut Rex Romanæ Sedi annuum vectigal penderet, Pontifex pro Arbitrio omnia Regni Sacerdotia diſtribueret.* Nempe durante bello Rex Papale nominandi *jus inquietarat.* Quod jus firmavit etiam Sacro-ſancta Tridentina Synodus: *Si quis dixerit Epiſcopos qui auctoritate Romani Pontificis aſſumuntur, non eſſe legitimos & veros Epiſcopos, ſed figmentum humanum, anathema ſit.* Pro Italis per Pontificem nominatis Epiſcopis loquitur adverſus Lutheranos & Calviniſtas, garrientes Canonicam Epiſcoporum à Clero & populo electionem eſſe juris divini. Verùm Catholici Hiſpaniarum Reges traducta ad ſe utraque Sicilia Papale jus non nihil contrahi obtinuerunt. In Siciliæ Inſula, quod Romanæ

Seſſ. 32. cap. 8.

manæ Eccleſiæ directum dominium prætendant eſſe extinctum, nominant Epiſcopos omnes; in Regno Neapolitano, quod directum ſancti Petri dominium iſtic agnoſcant, nominant ſolos quoſdam, juxta factam cum Pontifice diſtributionem. Nominare ſolebant ſolos ferè Hiſpanos, uſque ad Philippi ſecundi cum utroque Regno Concordata, quibus ad indigenas etiam certo numero aut ordine nominandos ille ſe adſtrinxit. Eodem fermè jure Rex gaudet in Ducatu Mediolanenſi. Quod olim Mediolani Duces à Pio ſecundo Pontifice, & Ludovicus duodecimus Francorum Rex à Julio ſecundo obtinere non potuit, Hiſpanica pietas tandem impetravit. Quo pleno jure etiam gaudet in cunctis Eccleſiis Indiarum. Chriſtianam enim fidem illic plantavit.

Nominandi jus dudum prætenderunt etiam Reges Anglorum. Etenim à Patre ſuo Joanne abjuratam in Canonicas electiones violentiam reſumpſit & inſigniter auxit Henricus tertius, adverſus quem ſanctus Edmundus Cantuarienſis Archiëpiſcopus, novus Thomas Martyr, à Gregorio nono Pontifice impetravit Reſcriptum, ut omnes Epiſcopatus & Abbatiæ, ultra medium annum vacantes, jure devoluto ad Primatis Cantuarienſis proviſionem pertinerent. Dictum Gregorium, quod à Rege in humani diei metum circumſcriptus Decretum ſuum recantarit, atque ita Canonicas electiones multis expoſuerit calamitatibus, gra-
A.1240. viſſimè reprehendit Matthæus Pariſienſis. Quod item nominandi jus à Benedicto duodecimo Pontifice Eduardus tertius importuniſſimè ambierit, eſt ſuprà oſtenſum. Succeſſit Pſeudo-Clementis ſeptimi ſchiſma adverſus Urbanum ſextum Pontificem, qui adhærentes ſibi Anglorum Reges veritus offendere, lædi graviſſimè & ferè exſtingui permiſit reſervationes Papales, imò & Regias nominationes introduci. Electiones poſt exſtinctum à Conſtantienſi Synodo Schiſma reponi ab Henrico ſexto Rege poſtulavit Martinus quintus, verùm doloſa quorundam, facilius à Rege quam à Cleri electione ſibi ſpondentium Epiſcopatus, ambi-
A.1374. tio fecit illum non exaudiri. Ita Polydorus Virgilius & Nicolaus Harpsfeldius teſtantur. Etiam de Eduardo tertio Rege, adverſum Romanas reſervationes pro Canonicis electionibus in vanum laborante, ſcribit
Fol 188. Thomas Walſinghamenſis: *Hoc adſcribitur aliquibus, qui ſciebant ſe potius per Romanam Curiam, quam per electionem ad dignitates Epiſcopales promoveri.* Proindè nominandi privilegium Anglia nunquam habuit, ſed Regia violentia eſt illic in Eccleſiaſticas electiones graſſata.

Etiam Scotorum Reges ſine privilegio, Romana Eccleſia conniventе, nominaſſe Epiſcopos & Abbates, affirmat Hector Boëtius. Quo-
A.1473. modo item Poloniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Daniæ, ac aliarum gentium Reges aut ſupremi Principes jus nominandi acquiſierint, poſſet facilè

facilè oſtendi. Et de Paulo tertio ad Pontificatum recens evecto ſcribit in Hiſtoria Tridentini Concilii Petrus Suavis: *Cum in more poſitum eſſet, ut novus Pontifex Cardinalium Principes beneficio aliquo, gratiavè arctius ſibi devinciret, Cardinalis Lotharingus & cæteri Galli Regis ſui nomine poſtularunt, ut Duci Lotharingiæ gratiam faceret nominandi Epiſcopos & Cænobiarchas ſuæ ditionis, quod privilegium Reſpublica quoque Veneta intra dominationis ſuæ fines petiſſere putabatur. Sed Pontifex reſpondit in Concilio, quod brevi convocandum eſſet, eam nominandi facultatem Principibus iis, quibus fuerat conceſſa, neceſſariè auferendam, Pontifices ſuperiores ſuggillabat, neque æquum eſſe cumulo errorum aliquid ſuperaddere, aut id in præſentia concedere, quod parvo poſt tempore magno ſuo cum dedecore eſſet revocandum.* Digniſſimum Romano Epiſcopo Reſponſum. Verùm illius executionem à Tridentino Concilio differri rationes perſuaſerunt. Lib. 1. f. 63.

# DISSERTATIO IV.

## De Laïca Antiſtitum inveſtitura.

## CAPUT PRIMUM.

*Exponitur Inveſtituræ exordium ac decurſus.*

LAICAM Antiſtitum Inveſtituram exponit in ſacri Belli Hiſtoria Guilielmus Metropolita Tyriorum: *Inoleverat conſuetudo, præſertim in Imperio, quod defungentibus Eccleſiarum Prælatis, annulus & virga Paſtoralis ad Dominum Imperatorem dirigebantur. Unde poſtmodum unum quemlibet de familiaribus & Capellanis ſuis inveſtiens, ad Eccleſiam vacantem dirigebat, ut ibi Paſtoris fungeretur officio, non expectata Cleri electione.* Conſonat in vita ſancti Othonis Bambergenſis Epiſcopi. Andreas ibidem Abbas ſancti Michaëlis: *Hoc tempore Eccleſia liberam electionem non habebat, ſed cum quilibet Antiſtes viam univerſæ carnis ingreſſus fuiſſet, mox Capitanei civitatis illius annulum & virgam Paſtoralem ad Palatium tranſmittebant, ſicq; Regia authoritas, communicato cum Aulicis conſilio, orbata plebi idoneum conſtituebat Præſulem.* Et in Eccleſiæ Cameracenſis Chronico, de Gerardi Epiſcopi morte tractans, Baldricus Epiſcopus Tornacenſis: *Henricum Regem adeunt Dominus Præpoſitus, & Archidiaconus, aliiq; Archidiaconi cum Caſatis, reportantes baculum Pontificalem, & nuntiantes Epiſcopi ſui depo-* Lib. 1. c. 13. L. 1. c. 6. Lib. 3. cap. 63.

 *ſitionem*

*ſitionem*. Aſſerere videntur nominationem fuiſſe ſemper adjunctam inveſtituræ: Eas tamen frequenter fuiſſe ſeparatas, & à Regibus inveſtientibus permiſſam electionem Canonicam, lucidum eſt & ſuprà abundè oſtenſum. Et apud Guilielmum Monachum Malmesberienſem exſtat authenticum privilegium, quo Edgarus Anglorum Rex Glaſtonienſi Monaſterio in perpetuum concedit liberam Abbatis electionem, ſibi tamen ac ſuis Succeſſoribus reſervans jus inveſtituræ. Quod Galliæ Reges dudum id ipſum actitarint in omnibus ſuis Eccleſiis, lucet ex variis Epiſtolis ſancti Ivonis Epiſcopi Carnutenſis. Et apud Lucam Dacherium exſtat Epiſtola, quâ Urbanus ſecundus Pontifex Clerum & populum Cameracenſem, quod Manaſſem à ſe Canonicè electum vellent ab Henrico quarto Auguſto inveſtiri, graviſſimè arguit, & Eccleſiæ Arebatenſi, Apoſtolicæ Sedis Decreta veneranti, proprium deinceps Epiſcopum donavit. Etenim & ſummus hac in re prævaricator Henricus plenam quandoque Electoribus libertatem dabat, etiam citra deſignationem perſonæ.

Porrò baculus & annulus ſunt propria Antiſtitum ornamenta, ideóque qui illa à legitima poteſtate accipit, meritò dicitur de Epiſcopatu vel Abbatia inveſtiri. Hujuſmodi porrò inveſtitura eſt mos antiquiſſimus. Etenim de ſancto Valentino, nono Tongrenſis Epiſcopo Eccleſiæ, ſcribit magnum Belgii Chronicon: *Iſte vir ſanctus, cum ad extrema vita vergeret, baculum Paſtoralem ſuper Altare beatæ Mariæ Virginis ponens, ſub indiſſolubili anathematis animadverſione vetuit, ne quis ipſum indè temerarius tolleret, donec per Chriſti revelationem communis electio idoneum Epiſcopum inveniret*. Et de ejus Succeſſore ſancto Servatio: *Angelus Domini humilem Servatium de terra erexit, & baculum Paſtoralem de Altari ſumptum porrexit, ſicq; diſparente Angelo fuit conſecratus Epiſcopus*. Et de ſancto Huberto primo Leodienſium Epiſcopo: *Angelus Sergio primo Papa baculum Paſtoralem beati Lamberti attulit, & ei nomen Huberti, & ut hunc Succeſſorem ſubſtitueret, indicavit*. Et de Henrico tertio, ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopo, in Lugdunenſi Synodo per Gregorium decimum degradato: *Epiſcopium per traditionem annuli ſui in manus Papæ reſignavit*. Et de Ebbone Remenſi Metropolita, quoſdam malè inveſtitos & conſecratos Epiſcopos reveſtiente ac reconciliante, ad Nicolaum primum Pontificem ſcripſit è Trecenſi Synodo Francorum Rex Carolus Calvus: *Omnes Suffraganei, qui eo abſente ordinati fuerunt, annulos & baculos, & ſuæ confirmationis ſcripta, more Gallicarum Eccleſiarum, ab eo acceperunt*. Quod ipſum memorat quinta actio ſecundæ Synodi Sueſſionenſis. Ad eundem Regem de ſancto Arctardo Turonenſi Archiëpiſcopo ſcribit
Ep. 29. Pontifex Adrianus ſecundus: *Per ferulam, pitacium, & annulum, nec non & per noſtræ authoritatis liberale Decretum conſtituimus Archiëpiſcopum*.

Pita-

Pitacium erat tranſlationis codicillus, diſtinctus à litteris executorialibus ad Eccleſiam Turonenſem. Et de Stephano nono Pontifice, ſanctum Petrum Damiani ad Hoſtienſem Epiſcopatum promovente, ſcribit in hujus vita Joannes Monachus: *Mox ipſius arripiens dextram, annulo ſimul ditavit & virga, quibus videlicet arrhis Hoſtienſem ei deſponſavit Eccleſiam.* Et de Gormaricenſis, per ſancti Martini Turonenſis Cathedrale capitulum fundati, Monaſterii electo, quem Advocatiæ titulo Andegavenſis Comes prætendebat inveſtire, Abbate ſtatuit in Turonenſi Concilio Urbanus ſecundus: *Perpetuo Decreto ratum eſſe precepimus, ut Gormaricenſis Eccleſiæ Electus de beati Martini ſepulchro baculum ſumat, item defuncto Abbate ſemper ad eundem locum baculus referatur, ut ſuper illa ſanctiſſima Apoſtolici Confeſſoris membra communi Decani & capituli juſſu ſignum illud Paſtoralis regiminis ſemper accipiatur, ſalvo Turonenſis Archiepiſcopi jure, quod in Abbatis ordinatione ſecundùm communem Eccleſiæ conſuetudinem exercendum eſt.* Extat Decretum apud Lucam Dacherium. Et novello Affligemienſi Monaſterio Henricus tertius Brabantiæ Dux conceſſit de ſuo gremio Abbatem eligere, poſitumque ſuper Altare baculum ipſi committere: *Nullo Principe, nullo Epiſcopo contradicente.* Abbatem non ſolùm à Laïca, ſed etiam ab Epiſcopali inveſtitura voluit eſſe exemptum. Erat datæ confirmationis ritus. Uti enim Metropolitas Papa aut Patriarcha per Pallium, ita Epiſcopos, Abbates, ac Abbatiſſas Metropolita, Epiſcopus, ac quandoque Eccleſiaſticus Patronus per annulum aut baculum inveſtiebat & confirmabat. Notanda ſunt Urbani verba de baculo: *Signum illud Paſtoralis regiminis.* Hinc illum Epiſcopis dari ſcribit prima ſub Ludovico Pio habita Synodus Aquiſgranenſis. Addit & de Annulo: *Datur & annulus, propter ſignum Pontificalis honoris, vel ſignaculum ſecretorum. Nam multa ſunt, quæ carnalium & minus intelligentium ſenſibus occultantes Sacerdotes quaſi ſub ſignaculo condunt, ne indignis quibuſque Sacramenta Dei aperiantur.* Aliam rationem in litteris ad Nicolaum ſecundum Pontificem adducit ſanctus Petrus Damiani: *Epiſcopus eſt vir & ſponſus Eccleſiæ ſuæ, quod perhibent & annulus deſponſationis, & virga commiſſionis.* Hinc Abbates & Abbatiſſæ olim per ſolùm baculum, Epiſcopi autem per baculum ſimul & annulum paſſim fuerunt inveſtiti. Quod Roffenſem Epiſcopum de ſpiritualibus per librum, de Regalibus ſeu temporalibus per annulum inveſtiverit Cantuarienſis Archiepiſcopus, affirmat Radulphus de Diceto. Dico, *Paſſim*: Quod enim Henricus tertius Imperator etiam Abbatiſſas inveſtiverit per annulum, habemus in magno Belgii Chronicon. Quod item Archidiaconum ſuum Magalonenſis Epiſcopus per annulum inveſtiverit, teſtatur apud Gregorium nonum Innocentius tertius ad titulum de ſententia & re judicata.

Cap. 84.
Tom. 6.
L. 1. Ep. 6.
A. 1182.
Pol. 107.
Cap. 12.

Eodem

Digitized by Google

Lib. 3. tit. 8. c. 4. Eodem modo etiam Canonicum Cameracenſem inveſtivit Cæleſtinus tertius. Quod nempe non dumtaxat inter Epiſcopum, ſed etiam inter quemvis Clericum & titularem ejus Eccleſiam ſit conjugium ſpirituale. Ex quo autem Epiſcopi & Abbates vix amplius eligi, ſed per Laïcos Principes nominari, adeoque non amplius per Metropolitas, ſed per ſolùm Romanum Pontificem cœperunt confirmari, quaſi ceſſavit omnis jam dictus Eccleſiaſticæ inveſtituræ ritus: Quod nempe paſſim jam per codicillos confirmentur. Et quos in ſuo Conſiſtorio præſentes Papa confirmat, non per annulum aut baculum inveſtit, ſed per mantellum. Romanus Pontifex ſemper fuit per Mantum inveſtitus. Hinc enim de Honorio ſecundo, non ſatis Canonicè electo, ideoque volente celebrari ſecundam electionem, in ſacri Belli Hiſtoria ſcribit Guiliel-
Lib. 13. c. 15. mus Metropolita Tyriorum: *In conſpectu fratrum Muram & Mantum ſponte refutavit atque depoſuit.* Quia nempe per ipſum à ſeniori Cardinale fuerat inveſtitus. De electis Pontificibus frequenter apud antiquos legis: *Immantaverunt eum.* Hinc Cardinali Octaviano, contra Alexandrum tertium Schiſmaticè electo, malè impoſitum Mantum prudentibus viris movit riſum, fecitque præſagium infœlicis eventus.

Laïci Principes ſemper inveſtierunt per baculum aut annulum, diverſo tamen modo. Etenim de Ruzellini Fuldenſis Abbatis electione agens Lambertus Schafnaburgenſis, ait quod Henricus quartus Imperator primum ſuffragium dederit, ſtatim inveſtierit per pedum, atque tunc alii electores ſuo etiam ſuffragio ſint Ruzellinum proſecuti. Eodem
A. 1075. ferè modo in Egelberti Trevirenſis Archiëpiſcopi electione proceſſiſſe
Fol. 127. affirmat Magnum Belgii Chronicon. Et modum merito improbat, aiens eſſe intruſionem: Erat enim violenta eligendæ perſonæ nominatio, adeoque intruſio palliata. Meliores Principes ſemper poſt factam Canonicè electionem dumtaxat inveſtierunt. Rationem dat in Citizenſis
A. 1088. Eccleſiæ Chronico Paulus Langius: *Rex electionem per inveſtituram confirmare noluit.* Inveſtitura, inquam, erat electionis confirmatio, ſeu Regii in factam electionem conſenſus, cæremonia & ritus, ideoque illâ debebat omninò eſſe poſterior. Hinc Principem, qui cunctis electionibus adeſſe non poſſet, ſolebat inveſtiendus accedere, ideoque Othonem ſecundum Imperatorem, qui ſancto Geberardo Conſtantienſis Eccleſiæ Electo baculum & annulum tranſmiſit cum codicillis, uti de ſingulari gratia laudat ejuſdem Eccleſiæ Chronicon. Laudari dignus eſt etiam
Episc. 26 Henricus ſecundus Imperator, qui baculum quandoque Domini Salvatoris ſtatuæ dabat in manus, dicens Electo; *Eum inde accipe, neque ſis*
L. 5. c. 4. *hominis pro illo debitor.* Ita ſcribit Glaber Rudolphus. Et Eduardum tertium Anglorum ante Nortmanos Regem, quod non Regia authoritate,

ſed

Digitized by Google

ſed Apoſtolica Nicolai ſecundi Pontificis vice inveſtire ſe fateretur, rectè in illius vita prædicat Abbas Aldredus. Nempe ritui iſti neſcio quid veneni ineſſe Chriſtiani Principes à Spiritu Sancto docti ſemper adverterunt. Lib. 1. c. 16.

Quæſtio eſt de exordio. Henrici quinti Imperatoris ad Paſchalem ſecundum Pontificem, & componendas has lites in Galliam legatio per Brunonem Trevirenſem Archiëpiſcopum aſſeruit ipſum eſſe antiquiſſimum Imperii morem à temporibus ſancti Gregorii Magni. Ita in vita Ludovici Groſſi Francorum Regis refert Abbas Sugerius. In Henrici quarti Apologetico libro Waltramus Naumburgenſis Epiſcopus vult eſſe longè antiquiorem: *Legitur in libris Regum & Machabæorum, quod à Regibus Gentilibus ac Judæis Sacerdotes inveſtituras accipiunt in Judaïſmo. A Petro autem uſque ad Silveſtrum, qui Conſtantinum baptizavit, Imperatores Romani erant Gentiles, & Chriſtianorum perſecutores, & in fundis ac in rebus pauperes erant Eccleſiæ, & à timoratis Chriſtianis, qui tunc pauci erant Romæ & alibi, conſtituebantur Epiſcopi. Poſtquam autem à Silveſtro per Chriſtianos Reges ac Imperatores dotata, ditata & exaltata ſunt Eccleſiæ in fundis & aliis mobilibus, & Jura Civitatum in Theloniis, Monetis, Villicis, & Scabinis, Comitatibus, Advocatiis, Synodalibus bannis per Reges delegata ſunt Epiſcopis, congruum fuit & conſequens, ut Rex, qui unus eſt in populo & caput populi, inveſtiat ac inthronizet Epiſcopum, & contra irruptionem Hoſtium ſciat, cui Civitatem ſuam credat, cum jus ſuum in domum illorum tranſtulerit.* Cap. 9. Regiis in Eccleſias tranſlatis feudis vult deberi inveſtituram Epiſcopi, ideoque hanc ſtatim à magno Conſtantino cæpiſſe. Eſſe putat morem Judaïcum à Conſtantino introductum in Eccleſias. Hinc adjungit: *Longè etiam ante Decretum Adriani Papæ, ejuſq; Succeſſorum, Reges, qui erant uncti, & Majores domus inveſtituras Epiſcoporum fecerunt, ſcilicet Dagobertus, Sigibertus, Theodoricus, Hildericus, Pippinus filius Beggæ, Major domus, Theobertus. Ab his inthronizati ſunt Remaclus, Amandus, Audomarus, Antpertus, Eligius, Lambertus, aliiq; ſanctiſſimi Præſules. Poſtquam autem Romani deſciverunt à Græcis Imperatoribus, Papa Stephanus ob infeſtationem Longobardorum venit Pariſios, & aſſenſu Romanorum & Francorum in Regem & Imperatorem unxit Pippinum. Ibi de inveſtiendis Epiſcopis per Reges antiquam conſuetudinem confirmavit.* Inveſtituram à Romano Imperio vult demigraſſe ad Merovingios Francorum Reges, ac per Stephanum ſecundum Pontificem fuiſſe in Pippino ac ejus poſteris probatam & confirmatam.

Verùm fabuloſa & palam falſa eſt utraque opinio. Opinio communis affirmat eſſe Adriani primi privilegium, datum Carolo Magno. Scribit

enim Sigebertus Monachus Gemblacenſis: *Carolus Romam rediit, Synodum*
*conſtituit cum Adriano Papa, aliiſq; centum quinquaginta tribus Religioſis Epiſ-*
*copis & Abbatibus, in qua Adrianus Papa cum univerſali Synodo dedit jus eli-*
*gendi Pontificem & ordinandi Apoſtolicam Sedem, dignitatem quoque Patricia-*
*tus. Inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas Provincias ab eo inveſtitu-*
*ram accipere definivit, & ut niſi a Rege laudetur ac inveſtiatur Epiſcopus, à ne-*
*mine conſecretur. Omneſq; huic Decreto rebelles anathematizavit, & niſi reſipi-*
*ſcerent, eorum bona publicari.* Quod ipſum in Sigeberti ſupplemento aſſeve-
rat Robertus Abbas Montenſis, ajens iſtud Adriani privilegium fuiſſe uni-
cum & palmare Henrici quarti Imperatoris adverſus contraria Gregorii
A. 1111. ſeptimi Decreta fundamentum. Apud Mariani Scoti continuatorem Ab-
batem Dodechinum Henricus V. Imperator proteſtatur eſſe antiquiſ-
ſimum, antè annos quadringentos datum Carolo Magno, & per ſexa-
ginta tres Romanos Pontifices continuatum privilegium, ideoque per
A. 1110. Paſchalem ſecundum non poſſe auferri. Matthæus Pariſienſis aliquantu-
lum diſſonat: Illic enim Henricus Auguſtus ait eſſe privilegium trecen-
torum dumtaxat annorum uſurpatum ſub Pontificibus tantum ſexagin-
ta. Eſſe interim ait non gratuitum, ſed oneroſum privilegium, utpotè
A. 1113. quod Carolus quaſi emerit donatione plurimorum Ducatuum, Mar-
chionatuum, Comitatuum, aliorumque Imperialium feudorum, qui-
bus pauperes tunc Eccleſias dotavit atque honoravit. Idem affirmant Ra-
dulphus de Diceto, & alii antiqui plures. Nam & Gratianus adducta
Sigiberti verba, uti legitimam Synodum, Decreto ſuo inſeruit, ſub-
jungens & aliam Leonis octavi Pontificis, iſtud ipſum concedentis O-
thoni primo Imperatori: *Ad exemplum beati Adriani, Apoſtolicæ Sedis*
*Antiſtitis, qui Domino Carolo, victorioſiſſimo Regi Francorum & Longobar-*
*dorum, Patriciatus dignitatem ac ordinationem Apoſtolicæ Sedis, & inveſti-*
*turam Epiſcoporum conceſſit, ego quoque Leo Epiſcopus, ſervus ſervorum*
*Dei, cum toto Clero & Romano populo, conſtituimus & confirmamus, conce-*
*dimus atque largimur Domino Othoni Regi Theutonicorum, ejuſq; Succeſſo-*
*ribus hujus Regni Italiæ in perpetuum, facultatem eligendi Succeſſorem atque*
*Summæ Sedis Apoſtolicæ Pontificem ordinandi, ac per hoc Archiepiſcopos ſeu*
*Epiſcopos, ut ipſi ab eo inveſtituram accipiant, & conſecrationem unde de-*
*bent, exceptis his, quos Imperator Pontificibus & Archiepiſcopis conceſſit.*
*Quod ſi à Clero & populo quis eligatur Epiſcopus, niſi à ſupradicto Rege lau-*
*detur & inveſtiatur, non conſecretur.* Apud Guilielmum Malmesberien-
ſem etiam Gregorius ſextus Pontifex in mortis lecto concionatur ad
Clerum & populum Romanum: *Laudatus eſt olim prædicandæ memoriæ*
*Prædeceſſor noſter Adrianus primus, quod Eccleſiarum inveſtituras Carolo*
*Magno*

Digitized by Google

*Magno conceſſerit, ita ut nullus Electus conſecraretur ab Epiſcopo, niſi priùs à Rege inſigniretur & annulo & baculo. Contra laudatur in noſtri ſeculi Pontificibus, quod has donationes tulerint Principibus. Poterat tunc laudabiliter concedi, quod nunc laudabiliter debet auferri. Cur ita? Quod erat animus Magni* Fol. 84.
*Caroli adverſus avaritiam invictus, qui nihil per avaritiam diſponeret, ſed juxta ſacra Canonum ſcita Religioſas perſonas Eccleſiis introduceret.* Adducit & alias rationes.

In Leonis octavi Decreto notanda ſunt hæc verba: ***Eligatur Epiſcopus.*** Edicunt Epiſcopos, alioſque Antiſtites Canonicè eligendos, ideoque nequaquam nominationem, ſed ſolam legitimè electorum inveſtituram Regibus concedunt. Notanda ſunt & verba: *Exceptis his quos Imperator, &c.* Ejuſmodi fuit Roffenſis in Anglia Epiſcopus, Cantuarienſis Eccleſiæ vacantis Adminiſtrator, & abſentis aut impediti Archiëpiſcopi perpetuus Vicarius, quem ideò à Regia inveſtitura plenè exemptum, & à dicto Archiëpiſcopo ſemper inveſtitum fuiſſe, imò & nominatum, teſtantur Radulphus de Diceto, & Gervaſius Monachus Cantuarienſis. A. 1182.
Ejuſmodi erant omnes nulla Regalia feuda habentes Epiſcopi, quorum unum Italum, quod ſibi à Domino Papa, non à Rege aſſeveraret eſſe Epiſcopatum, ex Henrici ſexti Imperatoris juſſu fuiſſe militum alapis & pedibus protritum teſtatur in Sclavorum Chronico Arnoldus Abbas Lib 4.
Lubecenſis. Afflegemienſium & Gormaricenſium Abbates fuiſſe etiam cap. 16.
ab Epiſcopali inveſtitura exemptos, ideoque pedum de Altari ſumpſiſſe, eſt ſuprà oſtenſum. Regalia enim feuda fuiſſe inveſtituræ fundamentum, Henricus quintus Imperator eſt ſuprà confeſſus. Quod ipſum profitetur memoratus Waltramus Epiſcopus Naumburgenſis. Notanda ſunt item hæc verba: *Ad exemplum beati Adriani, &c.* Oſtendunt Sigebertum Gemblacenſem, tanquam qui in Gregorii ſeptimi Pontificis odium, & Henrici quarti Imperatoris gratiam finxerit atque in Eccleſiam ſparſerit memoratam Adriani Pontificis Synodum, ſine fundamento à quibuſdam reprehendi: Eum quippè Leo octavus dudum anteceſſit. Etiam Gregorius ſextus.

Iſtam tamen Adriani Synodum, magnoque Carolo datum ab ipſa privilegium eſſe fictitia & fabuloſa Dominus Cardinalis Baronius rectiſſimè affirmat. Etenim nec Eginardus, nec ſancti Galli Monachus, nec alius quis Carolinæ vitæ Scriptor, nec ulli Francorum vetuſti Annales iſtius Synodi meminerunt. Et Caroli Magni, Ludovici Pii, Lotharii, eorumque Con-Regum aut Succeſſorum temporibus Epiſcopatus conceſſio non dicebatur inveſtitura. Nec eorum quiſquam legitur ullum Epiſcopum aut Abbatem inveſtiviſſe. Apud ſolum Belgii Chronicon



Digitized by Google

lego de Ludovico Pio, & ſancto Frederico Epiſcopo Ultrajectenſi:
Fol. 55. *Ludovicus Frederico per Paſtoralem baculum ſeu annulum inveſtituram Epiſcopatus dedit.* Recentior eſt iſte Author, utpotè qui ſub Carolo Audace, Belgarum & Burgundionum Principe vixit: Et ex quo fonte hauſerit iſtam ſancti Frederici inveſtituram, ignoro. Quidquid ſit, eſſe ſpurios iſtius Synodi natales evincit dati Carolo Magno Romani Patriciatus mendacium. Etenim Carolum dudum anteà fuiſſe Romanorum Patricium, oſtendunt Pauli primi & Stephani quarti Pontificum Epiſtolæ, habentes hanc Epigraphen: *Dominis excellentiſſimis filiis, Carolo & Carolomanno, Regibus Francorum, & Patriciis Romanorum.* Patriciatum iſtum Pippino hæreditarium dederat Stephanus ſecundus. Lucet ex Epigraphe hujus Epiſtolæ: *Dominis excellentiſſimis filiis, Pippino Regi, ſeu Carolo & Carolomanno item Regibus, & utriſque Patriciis Romanorum.* Et in libro de conſervanda Eccleſiæ unitate rectè ſcribit Venericus Epiſcopus Vercellenſis: *Legitur Stephanum Papam veniſſe ad Regem Pippinum, & poſtulaſſe patrocinium ejus contra Haſtulphum Regem Longobardorum, ac ipſius patrocinii gratia decreviſſe quemlibet deinceps Regem Francorum eſſe Patricium Romanorum.* Titulum hunc eſſe Adriani primi donum errarunt
Cap. 10. & 11. etiam in libro de tranſlatione Imperii Marſilius Patavinus, & Pandulphus de Columna, ac in libro de Romani Imperii juribus Lupoldus Bambergenſis. Ejus tamen virtutem hic rectè exponit: *Per hunc Patri-*
Cap. 13. *ciatum intelligitur dignitas puniendi crimina, & cognoſcendi de cauſis ſæcularibus in urbe, vel intelligitur Advocatia Eccleſia Romanæ.* Præterea in ſuperius laudato de Eccleſiaſticis electionibus fragmento ſcribit, qui ſub Ludovico Pio vixit, Florus Magiſter: *In Romana Eccleſia uſque in præſentem diem cernimus abſque interrogatione Principis, ſolo diſpoſitionis divinæ judicio, & fidelium ſuffragio, legitimè Pontifices conſecrari.* Utique ex antiquæ & barbaræ violentiæ remiſſione, Benedicto ſecundo factæ per Conſtantinum quartum. Romani Pontificis promotio tunc à Regia nominatione erat adeò libera, ut nec Regio conſenſu eſſet illi opus. Hunc uſurpare primus cæpit Ludovicus Pius, de quo Bertiniani Francorum Annales: *Gregorius quartus non priùs ordinatus eſt, quam Legatus Imperatoris Romam venit, & electionem populi, qualis eſſet, examinavit.* Erat omninò nova violentia: Hinc enim & Sergium ſecundum, & Leonem quartum ſine Lotharii Auguſti, cujus minas ſpernebant, conſenſu Romanus Clerus & populus ordinarunt. Quare lucet Carolo Magno nullum nominandi Pontificis, ſeu quovis modo ordinandæ Sedis Apoſtolicæ datum fuiſſe ab Adriano primo privilegium, adeoque à Leone octavo Pontifice & tot Scriptoribus laudatam Synodum eſſe figmentum.

Per-

Digitized by Google

Pergit laudati Flori fragmentum: *Romani Pontifices etiam omnium Regionum & civitatum*, quæ Metropolitico aut Primatiali Apoſtolicæ ſuæ Sedis juri ſubjectæ ſunt, *juxta antiquum morem eadem libertate ordinant atque conſtituunt Sacerdotes. Nec adeò quiſquam abſurdus eſt, ut putet minorem illic ſanctificationis divinæ eſſe gratiam, eo quod nulla mundana Poteſtatis comitetur authoritas.* Hinc Carolo Magno, roganti Italiæ & Tuſciæ Epiſcopos deinceps non promoveri per Simoniam, reſpondit Adrianus primus: *Abſit à nobis, ut ſuper tales viros, veritate comperta, manus conſecrationis imponeremus, ſed nec ad audiendum aures inclinaremus, etiamſi qualibet nobis Poteſtas tales Acanoniſtas viros popoſciſſet conſecrari. Quia nunquam nos in qualibet electione invenimus, nec invenire habemus: Sed neque veſtram Excellentiam optamus talem rem incumbere. Sed qualis à Clero & plebe, cunctoq; populo electus Canonicè fuerit, & nihil ſit quod ſacro obſit Ordini, ſolita traditione illum ordinamus.* Epiſcoporum electiones affirmat illic plenè fieri ſecundùm Canones, nullamque eis miſceri Laïcam poteſtatem, niſi forſan poſcendo, ſeu apud Apoſtolicam Sedem pro factæ electionis confirmatione ſupplicando. Addit etiam ſeſe nullis unquam miſceri electionibus, ſed plenam permitti libertatem, hortaturque ut & Carolus in Francorum Regno agat id ipſum. Quod nempe etiam illic nullum eſſet inveſtiendi privilegium. Scripta eſt enim iſta Epiſtola octavi ſæculi anno octogeſimo quarto, undecim annis poſt memoratam à Sigeberto Synodum. Si Italiæ ac Tuſciæ Epiſcopos inveſtire potuiſſet Carolus, Simoniacorum promotiones impedire, non Adrianus, ſed ipſemet debebat. Eidem Principi, Ravennatis Epiſcopi electioni adeſſe ſuos Legatos prætendenti, laudatus Pontifex denuò reſcripſit: *Nos nullo modo meminimus, neque à Prædeceſſoribus noſtris Summis Pontificibus, neque à præcellentiſſimo genitore veſtro Domino Pippino, neque à veſtra in triumphis Regali victoria Miſſum ad electionem Ravennæ directum eſſe, tam in electione Joannis Archiepiſcopi, quam in electione Gratioſi.* Liberam ſecundùm Canones electionem conſtanter aſſeverat illic ſemper viguiſſe. In nupero Patris ſui Pippini, qui à Deſiderio Longobardorum Rege nominatum ac intruſum Hucbaldum extruſerat, facto ſe fundabat Carolus: Verùm ad Stephani ſecundi Pontificis, Regii brachii auxilium implorantis, preces factum fuiſſe repoſuit Pontifex, ideóque non poſſe trahi in exemplum. Scripta eſt Epiſtola octavi ſæculi anno octogeſimo ſeptimo, & Inveſtituræ privilegium tunc illic Carolus adeò non habuit, ut nec haberet jus Regii conſenſus. Ficta igitur eſt iſta Synodus, ipſámque legitimare gratis tentat in ſuis ad laudatum fragmentum notis Stephanus Baluzius. Quod Reatinum poſteà Epiſcopum



Digitized by Google

ſine ſuo aſſenſu conſecrari non permiſerit Imperator Lotharius, fuit novum genus violentiæ.

Quæſtio eſt, an etiam Leonis octavi Synodus ſit ſuppoſititia ac ficta? Quidam affirmant. At ſine fundamento. Etenim iſtud privilegium, tanquam à Leone datum, diſertè laudant in Edicto, quo Romanæ Eccleſiæ jura ac patrimonia confirmarunt, Otho primus Imperator & Henricus ſanctus, nec non in dicti Leonis adverſus Benedictum quintum Romana Synodo Benedictus Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus. Et de Othonis primi Imperatoris adverſus Joannem duodecimum Pontificem Geſtis agens Luitprandus Diaconus Ticinenſis, ſcribit de Romano L. 6. c. 6. populo: *Cives ſanctum Imperatorem cum ſuis omnibus in urbem ſuſcipiunt, fidelitatemq́ promittunt, hæc addentes & firmiter jurantes nunquam ſe Papam electuros aut ordinaturos præter conſenſum atque electionem Domini Imperatoris Othonis Cæſaris Auguſti, filiiq́ ipſius Regis Othonis.* Exindè Joannem Papam Synodaliter damnari atque ejici curavit Otho, ac in illius locum Leo octavus eſt promotus. Eundem à Joanne per corruptum pecunia populum reſtituto, ejuſque Succeſſore Benedicto quinto ejectum Otho potenter reſtituit, Benedictum deportavit in Germaniam, atque ita Leonem ſibi plurimum obligavit. Et quidem Romanæ Eccleſiæ dumtaxat Protoſcriniarius, id eſt, homo Laïcus, Curialis, Neophytus, rerum Eccleſiaſticarum imperitus erat Leo, ideoque omninò probabile eſt, quod per ejuſmodi Synodale indultum fuerit Othoni gratificatus. Præfatum populi promiſſum videtur omninò adimpleviſſe.

Etiam Gregorii ſexti in mortis lecto extrema oratio eſt ſuſpecta de ſpuria ſuppoſitione. Ex eo quidam probant, quod Gregorius ſeptimus fuerit primus Laïcæ inveſtituræ impugnator atque damnator, adeoque Gregorius ſextus nequeat ſimilia fuiſſe locutus. Sed ſcrupulum iſtum diſſipat Guilielmus Malmesberienſis, ſcribens de Gregorio ſeptimo: *Hic quod alii muſſitaverant, palam extulit, excommunicans Electos qui inveſtituram Eccleſiarum de manu Laïci per annulum & baculum acciperent.* Gregorius ergo ſextus Laïcas inveſtituras, licèt ſub anathemate non damnarit, omninò poteſt improbaſſe. Verùm non Romæ, ſed in Cluniacenſi Monaſterio, illuc ab Henrico tertio Imperatore deportatus ob impoſitum ipſi Simoniacum Papatus ingreſſum, eſt mortuus ac ſepultus, ideoque moribundus nequiit Romæ ad ſuum Clerum fuiſſe talia concionatus. Plura iſte ſermo continet à vero aliena. Quapropter Guilielmus Tyriorum Archiëpiſcopus rectè dixit Laïcas inveſtituras eſſe Regiam conſuetudinem: Conſuetudinem immemorialem, cujus originem diſtinctè

ſtinctè ignoramus. Quod ipſum in litteris ad Germanici Imperii Clerum & populum affirmat Gregorius ſeptimus: *Henricus Rex conſuetudines ſuperbia contra libertatem ſanctæ Eccleſiæ inventas non defendat.* Lib. 4. Ep. 3.

## CAPUT II.

### *Expediuntur variæ Quæſtiones.*

QUæſtio prima eſt, an Laïca Antiſtitum inveſtitura ſit Carolo Magno antiquior? Reſpondeo eſſe. Etenim de ſancto Romano Rothomagenſi Archiëpiſcopo ſcribit in ejus vita Author antiquus: *Rex* Clodoveus ſecundus, Carolo Magno anterior, *Convocatis tam Epiſcopis quam Abbatibus, baculum illi contulit Paſtoralem. Intronizatur ergo Pontificali apice.* Et de ſancto Bonito, qui ſub Sigiberto Francorum Rege rexit Claromontanam Eccleſiam, ad Nicolaum ſecundum, & ad Alexandrum ſecundum Pontifices ſcribit ſanctus Petrus Damiani: *Nec te, fœlix Bonite, prætercam, qui hac dumtaxat occaſione percepta, quoniam de manu Regis, Laïci videlicet hominis, traditionem Eccleſiæ te ſuſcepiſſe contigerat, Cathedram contempſiſti, atque ad remotioris vitæ cuſtodiam te protinus contuliſti.* L. 1. Ep. 9. 10. Ex quo vides Laïcam inveſtituram, non à Gregorio tantum ſeptimo, ſed etiam à melioribus iſtorum temporum Epiſcopis damnatam fuiſſe, & ſui ipſius degradatione punitam. Inſuper vides eſſe vetuſtiſſimam conſuetudinem, forſan una cum nominandi violentia à Barbarorum Regibus aſſumptam. Sanctus tamen Romanus ſcribitur fuiſſe Canonicè electus. Adeò illam ab Adriano primo non accepit Carolus Magnus, ut ipſam, dum à variis Barbarorum abuſibus expurgavit Eccleſiam, videatur ſpontaneus abjeciſſe. Quando & qualiter poſtmodum reſumpta ſit, ignoro.

Et hinc non ſolùm Occidentis Imperium, ſed omnia Barbarorum ibidem Regna invaſit abuſus. Quin & Imperium Orientis. Etenim de Georgio Cyprio Patrarcha Conſtantinopolitano ſcribit Nicephorus Gregoras: *Ab Imperatore*, Andronico Paleologo, *poſt debita ſuffragia & teſtimonia deſignatus eſt, & Paſtorale pedum in Imperatorio ſuggeſtu, veteri more ab Imperatore porrectum, accepit.* Lib. 6. Etiam Metrophanem Patriarcham, & quidem adſtante Romano Legato, fuiſſe ab Imperatore inveſtitum teſtatur in Florentini Concilii Hiſtoria Silveſter Sguropulus. Et de cunctis generatim Abbatibus dicit ibidem idem Imperator: *Satis memini me eorum ſingulis pedum Paſtorale in manum porrexiſſe, undè qui acceperat,* Lib. 12. c. 5.

Digitized by Google

L.9.c.9. *perat, ubique pro Præfecto habebatur.* Et magnus Protoſyncellus: *Id ab antiquo in more poſitum eſt, ut poſt traditum à tua Majeſtate baculum, Patriarcham adeant, & conſecrentur.* Et de Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Patriarcha ſcribit in opere de ſacris Ordinationibus Simeon Archiëpiſcopus Theſſalonicenſis: *Imperator Electo virgam propria manu tradit.* Et iterum:

Cap. 9. *Virgam, ut honorabilius poteſtatis Paſtoralis ſymbolum, Imperator manu tradit propter honorem & ſecuritatem, atque ut demonſtret ſe Paſtorem, quem Deus elegit, charitate complecti.* Eodem modo alios item Patriarchas, ac Bulgariæ Archiëpiſcopum promoveri affirmat antiqna Patriarchæ Conſtantinopolitani eligendi formula, & adjungit de electis Abbatibus: *Ab Imperatoris manu ſceptrum ſeu pedum accipiunt.* Utriuſque inveſtituræ ritum largè deſcribit Georgius Codinus Curopalates. Ejus exordium quidam referunt in Leonem Iſaurum Imperatorem, aut certè in ejus filium Conſtantinum Caballinum, qui Conſtantinum Patriarcham produxit in Ambonem, ipſique illic tradidit inſignia Epiſcopatus. Quod ipſum dictus Leo feciſſe dicitur Patriarchæ Anaſtaſio. Hinc

Epiſt. 2. enim ad illum ſcripſit Gregorius ſecundus Pontifex: *Quemadmodum Pontifex introſpiciendi in Palatium non habet poteſtatem, ac dignitates Regias deferendi; ſic neque Imperator in Eccleſias introſpiciendi, & electiones in Clero peragendi, neque conſecrandi, vel Symbola ſanctorum Sacramentorum adminiſtrandi, ſed neque participandi ſine opera Sacerdotis.* Hinc meritò & Silveſter Sguropulus & Nicephorus Gregoras affirmant eſſe morem antiquum. Erat admodum ſolemnis. Ejus enim in Metrophane Patriarcha videndi cauſa Theophylactus, neſcio cujus propè Conſtantinopolim pagi Presbyter, acceſſit eandem Regiam urbem, & in ipſa Dominicæ

Lib. 12. cap. 5. Aſcenſionis vigilia populum ſuum curioſus dereliquit. Ita ſcribit idem Sguropulus.

Et hinc etiam hodiè barbarus Chriſtianæ Religioni hoſtis Turcorum Imperator Patriarchas omnes, Epiſcopos atque Abbates per baculum inveſtit, exiſtimans ſe in cuncta Chriſtiani Imperatoris jura ſucceſſiſſe. Et quibuſdam videtur id non penitùs admirandum. Etenim quod Hieroſolymitana Eccleſia Patriarchæ ſui electionem etiam à Choſroa Perſarum Rege olim confirmari poſtularit, ſuprà audivimus à Nicephoro Calixto. Aſt exemplum non eſt plenè ad rem. Nec enim conſtat Choſroam fuiſſe Paganum. Longè aliud in ſacri Belli Hiſtoria ſcribit Guiliel-

L.1.c.2. mus Tyriorum Archiëpiſcopus: *Choſroas Perſarum Rex potentiſſimus, Domini Mauritii Auguſti filiam, nomine Mariam, in uxorem duxit, cujus gratia conjugii Lavacrum regenerationis adeptus eſt, fuitq; Romanorum amiciſſimus, quamdiu prædictus vixit Imperator.* Ad hujus cædem vindi-

can-

candam irrupit ille in Imperium, Principis ſui trucidatorem Phocam indignatus à Romanis admiſſum in Imperatorem. Quod an verum ſit, eſt res longæ quæſtionis. Quidquid ſit, inveſtitura non fuit aliud, quam Regius in Antiſtitis electionem conſenſus, ideoque etiam à Pagano Principe poſſit per diſpenſatoriam patientiam tolerari. Nam & apud nos, quod in quinta ſua Romana Synodo queſtus fuit Gregorius ſeptimus, etiam fœminæ inveſtiebant. Quod Mathildis Auguſta, Regina Anglorum, etiam Epiſcopos per pedum inveſtiverit, diſertè ſcribit Simeon Monachus Dunelmenſis. Lib. 4. cap. 14.

Abuſus hic videtur nunquam fuiſſe in Hiſpania. Etenim Gothis in ipſa regnantibus, Conſtantinus Caballinus aut Leo Iſaurus necdum erant, & à Roderico fatali Rege uſque ad Urbani ſecundi tempora ſub Saracenis Tyrannis gemuit iſta Eccleſia, atque ita dum per laudatum Pontificem reviviſcere cæpit in Chriſtianam diſciplinam, & ejus & Gregorii VII. adverſus inveſtituram Decreta omninò recepit. Quod Daimbertum Piſanum Archiëpiſcopum in Hiſpanias ad Alphonſum Regem legarit laudatus Urbanus, in ſacri Belli Hiſtoria ſcribit Albertus Canonicus Aquenſis. Lib. 7. c. 6. & 7. Laudata Decreta eſt ille iſtic haud dubiè executus. Eadem de cauſa Orientalis ſub Latinis Regibus Eccleſia fuit libera ab iſto abuſu. Godefridus enim Lotharingiæ Dux, ac primus Jeroſolymæ Rex, licèt omnia Gregorii ſeptimi in Henricum quartum acta non probarit, & Rudolphum Sueviæ Ducem, à dicto Pontifice pro dicto Henrico degradato ſuffectum Imperatorem, propriis in bello manibus occiderit, nunquam tamen legitur inveſtiviſſe. Sed nec ullus ejus Succeſſor. Regii tamen conſenſus morem illic viguiſſe, palam ſcribit Guilielmus Metropolita Tyriorum. Lib. 1. cap. 13.

Etiam in Italia, præſertim in Provinciis ad Romani Pontificis conſecrationem ſpectantibus, nunquam fuiſſe abuſum hunc audivimus ſuprà à Floro Diacono Lugdunenſi. Et hinc de ſemetipſo Oſtienſi Epiſcopo ſcribit ad Nicolaum ſecundum Pontificem ſanctus Petrus Damiani: *Cedo juri Epiſcopatus, & per hunc annulum, virgam enim tuliſtis, renuntio.* Lib. 10. Ep. 9. Pontifici reddit annulum & virgam, quod per ipſa ab illo, non à Laïco Principe fuiſſet inveſtitus. Et de Henrico ſexto Imperatore ſcribit in Sclavorum Chronico Arnoldus Abbas Lubecenſis: *Henricus in Longobardia poſitus Epiſcopum quemdam ad ſe accerſiri juſſit, cui etiam dixit, Dic Clerice, à quo inveſtituram Pontificalem ſuſcepiſti? Et ille, A Domino Papa. Cumq; tertio eiſdem verbis eum requiſiſſet, dixit Epiſcopus: Domine nihil de Regalibus poſſideo, nec Miniſteriales nec Curtes Regias habeo, idcircò de manibus Domini Papæ Parochiam, cui præſum, teneo. Tunc indignatus Rex* Lib. 3. c. 16.

 *præ-*

Digitized by Google

*præcepit ſervis ſuis, ut pugnis eum cæderent, & in luto platearum conculcarent. Quod factum omnibus diſplicuit.* In Italiæ Epiſcopos ſingularem authoritatem ſemper habuit Romanus Pontifex, adeò ut Papales Epiſcopatuum reſervationes proſcribens Baſileenſis Synodus exceperit Italiam. Quo tempore, & quâ occaſione Papalis illic inveſtitura cæperit, ignoro. Quidquid ſit, etiam poſt ſui ex Henrici quinti manibus efeſtucationem omninò permanſit. Et hoc ſextus Henricus indignabatur, tentabatque in ſe traducere. Ejuſdem ſervitutis adeò expers ſemper fuit Romana Eccleſia, ut de dicti Henrici Patre Frederico primo ſcribat ad Arnulphum Lexovienſem Epiſcopum Alexander tertius Pontifex:
Ep. 20. *Fredericus, ut Eccleſiam Dei ſuæ videretur ſubjugare & ſupponere ditioni, & eam in ſupremam redigere ſervitutem, Apoſtatico Octaviano*, Schiſmaticè in Papam electo, *Pontificalia inſignia reddidit, & eum de Papatu, quod eſt à ſæculis inauditum, inveſtivit.* Et in litteris ad Angliæ Epiſcopos:
Ep. 21. *Octavianus ad Frederici pedes ipſa dicitur Apoſtolatus inſignia reſignaſſe, poſteaq; de manu ipſius inveſtituram accepiſſe per annulum.* Denuò exaggerat uti facinus inauditum. Quod ipſum in litteris ad Romanæ Eccleſiæ Cardinales agit laudatus Arnulphus. Antiſtitum inveſtituras ſibi reparare tentabat Fredericus, ideoque ordiebatur à Romana Eccleſia.

Porrò Rex inveſtiens utebatur certa verborum formula, de qua in
Lib. 1. litteris ad Alexandrum ſecundum Pontificem ſcribit ſanctus Petrus Da-
Ep. 13. miani: *Cum baculum Rex tuis manibus tradidit, dixitnè, Accipe terras atque divitias illius Eccleſiæ, an potius, quod certum eſt, Accipe Eccleſiam?* Exindè adverſum Godefridi Lotharingiæ Ducis Capellanos docet non ſola Eccleſiæ temporalia, ſed & ipſis annexum ſpiritualis Poteſtatis jus tribui per inveſtituram, ideoque ſine manifeſta Simonia illam non poſſe vendi. Etiam Conſtantinus Caballinus Imperator, dum Conſtantinum Sylei Epiſcopum de Patriarchatu Conſtantinopolitano inveſtivit in Eccleſiæ Ambone, magna voce pronuntiavit & dixit: *Conſtantino univerſali Patriarchæ multos annos.* Ita teſtatur Theophanes, & antiquus ac probatiſſimus in ſancti Stephani Auxentiani Monachi & Martyris vita Author, & adjungit: *Conſtantinus Imperator ſacri Ordinis quemdam nactus, cui & nomen cum ipſo idem, & eadem fidei ſententia erat, ei, prô dolor ſceleſtum facinus, Eccleſiæ curam & adminiſtrationem committit, non Patrum electione, non Synodi examinatione, non denique Canonico ſuffragio, atque Decreto, ſed Tyrannica potiùs poteſtate Antiſtitem ipſum conſtituens. Etenim non ſecus, ac ſi in ſcœna apertè luderent, ac non ſeriò agerent, ambo in pulpitum aſcenderunt, ac deindè Imperator manibus impuris ſacram diploi-*

Digitized by Google

*ploidem nefario homini profanè imponit, dignum Epiſcopatu eſſe eum clamans, qui gravi potiùs ignominia & vituperatione dignus erat. O impuram & abſurdam audaciam! O execrandum facinus! Qui enſe accinctus erat, creabat ſacrum Antiſtitem. Qui bellis ac cædibus per omne vitæ tempus operam dederat, ſacri Initiatoris munere fungebatur. Qui cum tribus mulieribus flagitioſiſſimè ſe contaminarat, inter ſceleratos Pontificem conſtituebat, id quod nec apud Gentilium quidem Sacerdotes unquam perpetratum fuiſſe repertum eſt.* Conſtantinus enim tres ſucceſſivè uxores habuerat, quod Græca Eccleſia nunquam permiſit. Græcorum porrò Epiſcopi paſſim non gerunt annulos, ideoque non per annulum, ſed per ſacram diploidem, haud dubiè & per baculum, profanus Conſtantinus inveſtivit. Laudati Scriptoris in ipſum invectiva lucidè clamat Laïcam Antiſtitum inveſtituram ab omnibus tunc in Oriente fidelibus fuiſſe cum execratione damnatam. Et quia tertius ſeptimæ Synodi Canon iſtud præſertim Conſtantini facinus invadit & proſcribit, Gregorius ſeptimus, aliique Romani Pontifices, & authentici Scriptores rectè dixerunt Laïcam inveſtituram à laudata Synodo fuiſſe damnatam. Nec enim nuda verba, ſed Canonis ſenſus & ſcopus debent attendi.

Quæſtio ſecunda eſt, quis fuerit proprius Laïcæ inveſtituræ effectus? Reſpondeo jus adminiſtrandi cunctas temporales Eccleſiæ facultates. Hinc enim de Georgio Cyprio, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ electo, ac per Andronicum Imperatorem inveſtito ſcribit Nicephorus Gregoras: *Proinde negotiis intentus Patriarchica jura, quæ cum Sacerdotio nihil conjunctum habebant, adminiſtrabat.* Qui mos viguit etiam in Latina Eccleſia. Etenim apud ſanctam Macram adunata Synodus olim ad Ludovicum tertium Francorum Regem ſcripſit à ſacris Legibus & Regulis præcipi, ut Canonicè electus Epiſcopus Regi confirmandus adducatur, ei Rex facultates & Res Eccleſiæ commendet, ipſumque ad Metropolitam & Comprovinciales Epiſcopos mittat conſecrandum. Huic Synodo adfuit Hincmarus Remenſis Archiëpiſcopus, laudataſque omninò ſcripſit litteras, quarum fragmentum habes in alia ejus Epiſtola ad eundem Regem. An Ludovicus Electos per baculum & annulum inveſtiverit, ignoro: Data interim per ipſum electionis approbatio, ſeu Epiſcopatus conceſſio omninò conferebat temporalium adminiſtrationem. Et hinc in litteris ad Hugonem Lugdunenſis Eccleſiæ Primatem ſcribit de Regia Epiſcopatus conceſſione ſanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus: *Quæ conceſſio ſive fiat manu, ſive nutu, ſive lingua, ſive virga, quid refert? Reges nihil ſpirituale ſe dare intendunt, ſed tantum aut votis petentium annuere, aut villas Eccleſiaſticas & alia bona exteriora, quæ de munificentia Regum obti-*

Ep. 12. cap. 1.

Ep. 60.



Digitized by Google

*nent Eccleſiæ, ipſis Electis concedere.* Et ad ſanctum Fulbertum Carnutenſem Epiſcopum de Bernardo ſuo electo ſcribit Monaſterium Cellæ Bo-
Ep. 107. noni: *Majoris Monaſterii Abbas, qui electioni ex Odonis Regis mandato præſederat, obtulit prædictum fratrem nobiliſſimæ Comitiſſæ* Carnutenſi, *ſub cujus ditione locus ipſe conſiſtit, & Stephano Comiti ejus filio, à quibus donum rerum temporalium ad idem pertinentium Cœnobium ſuſcepit.* Et hinc Godefridi Lotharingiæ Ducis Capellani crediderunt inveſtituram eſſe donum penitùs temporale, ideoque poſſe vendi. Quod nempe ſolorum temporalium daret adminiſtrationem. Spiritualia olim nullus Antiſtes antè conſecrationem adminiſtrabat. Hinc item Calixtus ſecundus Pontifex, famoſa illa iniens Concordata, Henrico quinto Imperatori quoad Theutonici Regni Epiſcopos & Abbates conceſſit: *Electus Regalia per Sceptrum à te recipiat, ex aliis verò Imperii partibus conſecratus infrà ſex menſes Regalia per Sceptrum à te recipiat.* Undè adhuc dudum poſt Germanorum Antiſtites ſtatim ab accepta Principis inveſtitura, licet necdum conſecrati aut confirmati, temporalia pleno jure adminiſtrarunt.

Moris hujus rationem habes in ſuperius laudata congregatæ apud ſanctam Macram Synodi ad Ludovicum tertium Francorum Regem Epiſtola: *Res & facultates* vacantis *Eccleſiæ ad defendendum & tuendum vobis Dominus commendavit.* Vacantium, inquam, Eccleſiarum bona temporalia, utpotè Regia paſſim feuda ſeu beneficia, olim erant ac etiam nunc ſunt in ſingulari cuſtodia ac protectione Regum. Barbara ac effrœnis multorum, Ducum præſertim & Comitum, rapacitas ita coëgit. Et Eccleſiæ Laudunenſis, dum ejus Epiſcopum Hincmarum ſibi Romæ ſiſti juſſit, bona ſub Caroli Calvi Regis cuſtodia & protectione eſſe voluit Adrianus ſecundus Pontifex, nimiumque protervè per Hincmari Remenſis iratum calamum reſpondit ille ſe eſſe Regem, non Caſtaldum aut Vice-dominum Epiſcoporum. Etenim protectio iſta eſt Regii officii pars adeò antiqua, ut de Euſebii Doryleenſis in Phrygia Epiſcopi, qui à Dioſcori Patriarchæ Alexandrini in Epheſino latrocinio violentiis Romam appellarat & fugerat, Epiſcopali ſubſtantia ſcribat ad Pulcheriam
Ep. 39. Auguſtam etiam ſanctus Leo magnus: *Ejus commendamus Eccleſiam, quam dicitur vaſtare, qui illi injuſtè aſſeritur ſubrogatus.* Et ex hac cuſtodia Guilielmus Rufus, Anglorum Rex, anſam cæpit vacantium Eccleſiarum proventus invadendi, ac inferendi in Regium Ærarium. Quam peſſimam violentiam etiam alii Reges ſunt æmulati. Electum ergo Epiſcopum aut Abbatem Rex inveſtiens aut confirmans Eccleſiæ iſtius bona ponebat extra manus ſuas atque cuſtodiam, tradebat inveſtito,

to, & dabat ipſorum adminiſtrationem. Et hinc etiamnum hodiè Tornacenſis Eccleſiæ, quæ Gallicana conſuetudine regi perſeverat, Electus, antequam temporalia ad manum habeat & gubernet, debet ſupplicare Regi, ut is levet manum ſuam, cuſtodiam ſeu tutelam. Sola Papalis confirmatio illi non dat iſtorum adminiſtrationem. Etiam Græcorum Patriarchas, Epiſcopos atque Abbates fuiſſe mox poſt electionem antè conſecrationem inveſtitos, adducta ſuperius teſtimonia docuerunt.

Antiquus tamen ille mos jam pridem eſt in Gallia mutatus. Olim Electus mox offerebatur Domino Regi ſeu inveſtiendus ſeu confirmandus, & accepto Prælaturæ dono ſtatim adminiſtrabat temporalia. At verò poſtmodum Carnutenſis Eccleſiæ Capitulo, quod Goſlenum Archidiaconum elegerat in Epiſcopum, ideóque ipſi & Regium aſſenſum præberi & Regalia tradi ſupplicabat, apud Franciſcum du Cheſne reſpondit Sugerius ſancti Dionyſii Abbas, & Regni pro Ludovico ſeptimo ad ſacrum bellum profecto Vicarius: *Nos quantum ex parte Domini Regis, cujus vices agimus, facere habemus, huic electioni libenter aſſenſum præbemus; de Regalibus autem, ſicut in Curia Dominorum Regum Francorum mos antiquus fuiſſe dignoſcitur, cum Epiſcopus conſecratus, & in Palatium ex more Canonico fuerit introductus, tunc ei reddentur omnia. Hic enim eſt redditionis ordo & conſuetudo, ut in Palatio ſtatutus Regi & Regno fidelitatem faciat, & ſic demum Regalia recipiat.* Et hinc Lingonenſis Eccleſiæ Electum, qui à conſecratione ſuſpenſus *feſtinarat ad Regem & Regalium inveſtituram obtinuerat*, graviter in litteris ad Innocentium ſecundum Pontificem arguit ſanctus Bernardus. Notanda ſunt verba Abbatis Su- Ep. 164.
gerii, *Mos antiquus fuiſſe dignoſcitur*: Utique à Calixti ſecundi tempore, ejuſque cum Henrico quinto Imperatore Concordatis, ſolos Teutonici Regni Epiſcopos antè, reliquos poſt conſecrationem permittentibus ac mandantibus per Sceptrum de Regalibus inveſtiri. Exindè Regius in electionem & electi perſonam aſſenſus cæpit ab inveſtitura non ſolùm naturâ diſtingui, ſed etiam tempore ſeparari. Anteà hæc illius fuerat cæremonia & veſtis. Et licèt iſta Concordata cum ſolo fuerint Imperio inita, fuerunt tamen ab aliis item Regnis admiſſa, atque ita etiam Galliæ Reges cæperunt non amplius electos, ſed ſolos conſecratos inveſtire.

Verùm hiſce obſtat authoritas Brunonis Trevirenſis Archiëpiſcopi, ab Henrico quinto ad cum Paſchali ſecundo de inveſtitura Concordandum Legati in Galliam, ac in Conventu Catalaunenſi coram ipſo Papa & grandi utriuſque partis Curia perorantis: *Talis eſt Domini*

 *noſtri*

*noſtri Imperatoris, pro qua mittimur, cauſa. Temporibus Anteceſſorum noſtrorum, ſanctorum & Apoſtolicorum virorum, magni Gregorii & aliorum, hoc ad jus Imperii pertinere dignoſcitur, ut in omni electione hic Ordo ſervetur. Antequam electio in palam proferatur, ad aures Domini Imperatoris proferre, & aſſenſum ab eo antè factam electionem aſſumere, deindè in Conventu ſecundùm Canones petitionem populi & electionem Cleri aſſenſu Imperatoris proferre, conſecratum liberè nec Simoniacè ad Dominum Imperatorem pro Regalibus, ut annulo & virga inveſtiatur, redire,*
Cap. 9. *& fidelitatem & hominium facere.* Extant hæc apud Abbatem Sugerium in vita Ludovici Groſſi Francorum Regis. Mendoſa ſunt, videnturque hoc modo reſtituenda. Reſpondeo autem Brunonem iſtum eſſe authoritatis modicæ. Quod enim hanc perorationem, varioſque in malè accepto Epiſcopatu exceſſus recantare in Romana Synodo, & triennio pœnitere juſſus fuerit à laudato Paſchale Papa, teſtatur
Fol. 141. magnum Belgii Chronicon. Et quis unquam audivit à magni Gregorii tempore Laïcam inveſtituram fuiſſe in Eccleſia? Eſt fabula nimis manifeſta. Quod item Henricus quartus, ac ipſe quintus Henricus, & alii paſſim Germanorum Auguſti, non conſecratos, ſed electos Antiſtites ſtatim inveſtiverint, & non niſi poſt inveſtituram conſecrari permiſerint, eſt æquè manifeſtum. Nam & à Leone octavo datum, & Adriano primo affictum privilegia ita lucidè ſonant. Quin & Calixtus ſecundus iſtud ipſum quoad Germaniæ Epiſcopos de Regalibus per Sceptrum inveſtiendos conceſſit. Forſitan ut Epiſcoporum ſaltem poſt conſecrationem inveſtiendorum facultatem à Pontifice impetraret, ab Henrico Auguſto in ſecretis mandatis Bruno habuit, atque ita vera falſis miſcuit, & patenter erravit.

Iſte tamen Galliæ mos obtinuiſſe videtur in ſolis Epiſcopis. Etenim de Odone Electo ſancti Dionyſii Abbate ſcribit apud Lucam Da-
A. 1228. cherium ejuſdem Monaſterii Chronicon: *In feſto ſanctæ Scholaſticæ facta fuit electio, & in ipſa die Odo recepit à Rege Ludovico octavo Regalia, à Domino Romano Cardinali & Apoſtolicæ Sedis Legato confirmatus fuit, & in craſtino ab Epiſcopo Carnutenſi benedictus.* Non ſolùm ante benedictionem, ſed & ante Eccleſiaſtici Superioris confirmationem fuerunt Electo data Regalia. Eodem modo fuiſſe in Bernardi ad Bononi Cellam Abbatis promotione proceſſum, adeoque illum eſſe antiquum Galliæ morem, lucet ex Epiſtola ſancti Fulberti Epiſcopi
Ep. 107. Carnutenſis. Regius enim conſenſus, ipſúmque ornans & comitans ſeu per pedum ſeu per ſceptrum inveſtitura olim ſpectabant ad electionem, erantque ipſius poſtrema pars & complementum, ideoque non

ſolam

ſolam benedictionem aut conſecrationem , ſed & confirmationem præcedebant. Calixti ſecundi & Henrici quinti Concordata eodem tenore videntur loqui de Epiſcopis atque Abbatibus. Ambigua tamen ſunt , & poſteriora inveſtituram permittentia verba reſtringi poſſint ad ſolos Epiſcopos. Hinc illa forſan antiquitatis tenax Gallia ſic intellexit. Porrò Innocentius tertius Pontifex varias variorum Regnorum circa hanc rem conſuetudines redegit in unam regulam, ſtatuens à nullo Electo vel ſola temporalia, ab omni autem Confirmato & temporalia & ſpiritualia plenè adminiſtrari. Hinc Regalium inveſtitura aliam rurſus induit faciem: Et Epiſcopis & Abbatibus fieri ubique cæpit poſt acceptam ab Eccleſiaſtico Prælato confirmationem. Et hoc more hodiè vivit omnis Latina Eccleſia.

Quæſtio tertia eſt, an Laïca Antiſtitum inveſtitura fuerit olim ſolius Auguſtæ vel Regiæ Majeſtatis actus & dignitas, ideoque Ducibus aut Comitibus non permiſſus? Reſpondeo paſſim fuiſſe opus ſolius Majeſtatis. Etenim de Wicelino , citra Henrici Leonis Saxoniæ Ducis inveſtituram in Aldeburgenſem Epiſcopum per Hartwicum Bremenſem Archiëpiſcopum conſecrato , ideoque dura patiente ab irati Ducis violentia , ſcribit in Sclavorum Chronico Presbyter Hemboldus : *Viſum eſt Epiſcopo verbum iſtud*, de accipienda per Ducem inveſtitura , *durum, eo quod eſſet præter conſuetudinem. Epiſcopos enim inveſtire ſolius Imperatoriæ Majeſtatis eſt.* Henricus Dux armis ſuis ſubactam omnem Sclavoniam fecerat Chriſtianam , fundarat atque dotarat Epiſcopales Eccleſias , ideoque inveſtituram tanquam Patronus prætendebat. Nihilominus nullis precibus aut conſiliis amicorum , nulla Ducalis manus violentia induci Wicelinus potuit , eique conſilium roganti reſpondit etiam Hartwicus Metropolita , ac omnis Eccleſia Bremenſis : *Primum in hoc negotio penſari debet qualiter inveſtitura Pontificum Imperatoriæ tantum dignitati ſint permiſſæ, quæ ſola excellens , & poſt Deum in filiis hominum præeminens , hunc honorem non ſine fœnore multipliciter conquiſivit. Neque Imperatores digniſſimi levitate uſi ſunt , ut Epiſcoporum Domini vocarentur , ſed compenſarunt noxam hanc ampliſſimis Regni divitiis , quibus Eccleſia copioſius aucta decentius honeſtata , jam non vile reputet ſe ad modicum ceſſiſſe ſubjectioni , nec erubeſcat uni inclinari , per quem poſſit in multos dominari.* Lib. 1. c. 69.

Accipiendam à Duce inveſtituram , ac præſertim faciendum illi manuale hominium Wicelino acerrimè diſſuadet Hartwicus , ſuadens potius ſuſtinenda perpetuum exilium , extremam pauperiem , & quaſ-

vis

vis calamitates. Dux enim fiſcalem manum miſerat in omnes Alden-
burgenſis Eccleſiæ poſſeſſiones. Et hinc Wicelinus tandem mutavit
Cap. 70. mentem, pergitque Hemboldus: *Venit ad Ducem Dominus noſter E-
*piſcopus Wicelnus, rogans pro Epiſcopatus ſui promotione. Et fecit quod*
*neceſſitas imperabat, & ſuſcepit Epiſcopatum per virgam de manu Ducis.*
Ita Ducem plenè placavit, & Epiſcopalem ſuam dignitatem inſigni-
ter ampliavit. Verùm Hartwicus Metropolita in propoſito ſuo firmus
perſtitit uſque ad inita inter Ducem & Fredericum Imperatorem
Cap. 87. Concordata, de quibus laudatus Hemboldus: *Dux apud Cæſarem ob-*
*tinuit authoritatem Epiſcopatus ſuſcitare, dare, & confirmare in omni ter-*
*ra Sclavorum, quam vel ipſe, vel Progenitores ſui ſubjugaverant in cly-*
*peo ſuo & jure Belli.* Eoque privilegio Dux deinceps fuit uſus. Quo
etiam uſum fuiſſe Britanniæ Comitem, liquet ex litteris Gregorii ſep-
Lib. 4. timi Pontificis ad Rudolphum Archiëpiſcopum Turonenſem. A Rober-
Ep. 13. to item Flandriæ Comite Abbates conſueſſe inveſtiri teſtatur ſanctus An-
ſelmus. Quod item Robertus Normandiæ Comes & Epiſcopos & Ab-
Lib. 3. bates inveſtiverit, teſtatur in variis Epiſtolis ſanctus Ivo Epiſcopus Car-
Ep. 59. nutenſis. Quod ipſum jus fuiſſe Campaniæ, Sabaudiæ, & Andegavorum
Lib. 8. c. Comitibus oſtendit Petrus de Marca. Et hinc Gregorius ſeptimus non
25. ſolùm in Imperatore ac Regibus, ſed etiam in Ducibus, Marchionibus,
& Comitibus inveſtituram damnavit.

## CAPUT III.

### *An Laïca inveſtitura ſit Hæreſis?*

ESſe Hæreſim adeò conſtanter olim docuit Goffredus Abbas Vin-
docinenſis, ut ipſi Paſchali ſecundo Pontifici, qui ut ſemetipſum
& Primarios Romanæ Eccleſiæ Cardinales è captivitate & mortis pe-
riculo redimeret, dictam inveſtituram Henrico quinto coactus indul-
ſerat in civitate Caſtellana, intrepidus ſcripſerit: *Cum Laïcam inve-*
*ſtituram, quæ ſecundùm traditiones ſanctorum Patrum Hæreſis comproba-*
*tur, Eccleſia non contradicit, ſed præcipit, cum corrumpitur ipſa mune-*
*ribus, cum ſæculari poteſtati ſubjicitur, fides, caſtitas, & libertas ei ſi-*
Lib. 1. *mul aufertur. Et quæ vitam non habet, non immeritò mortua creditur.*
Ep 7. *Hujus mortis Authorem vel noviſſimum Eccleſiæ membrum credere, etiam-*
*ſi Paſtor videatur, errare eſt. Huic errori quicumque inhæſerit, merebi-*
*tur ab ipſa vitæ radice præcidi. Super his autem ſiquis aliter ſenſerit, non*
*eſt*

Digitized by Google

*eſt Catholicus. Manifeſtetur, & veritatis argumento probabitur eſſe Hæreticus. Tolerandus quidem eſt Paſtor, ut Canones dicunt, pro reprobis moribus; ſi verò exorbitaverit à fide, jam non eſt Paſtor, ſed Adverſarius, à quolibet peccatore tantum Catholico deteſtandus.* Affirmat Pontificem eſſe lapſum in Hæreſim, Eccleſiæ fidem & cum caſtitate libertatem ab illo everſam, amiſſam Papalem poteſtatem, imò & Chriſtianam communionem, ideoque ipſum ſine pœnitentia & Synodali authoritate non poſſe erigi ac reparari. Et pergit: *Sunt quidam Epiſcopi, quos nec Clerus nec populus elegit, ſed eos tantum Laïca perſona inveſtivit. Hi contra Catholicorum ſtatuta Patrum, & maximè contra veridicam beati Gregorii ſeptimi Papæ vocem, qui pro defenſione hujus fidei mortuus eſt in exilio, inveſtituram palliantes, eam negarent eſſe Hæreſim verbis ad ſeducendum compoſitis, ſi poſſent.* Eorum argumenta affirmat eſſe ſtateras doloſas. Addit Paſchalem Pontificem, qui & ſuam & omnium Cardinalium mortem ſuſtinere debuerat, nullo incuſſi metus aut factæ diſpenſationis fuco purgari: Quod fidei cauſa nec timorem admittat nec diſpenſationem. Senſum ſuum lucidius exponit in litteris ad Rainaldum Epiſcopum Andegavenſem: *Qui cognoſcere voluerit, quid Catholica & Apoſtolica Eccleſia de inveſtitura ſenſerit, quid docuerit, quid judicaverit & conſtituerit, legat in primo Capitulo illius Concilii, quod tempore Gregorii ſeptimi Papæ factum eſt. Et ibi omnes Clericos, qui de manu Laïci inveſtituram ſuſcipiunt, Hæreticos vocatos, & ideò damnatos eſſe & excommunicatos inveniet. Licèt enim alia Hæreſis de inveſtitura dicatur, alia Simoniaca, iſta tamen, quæ de inveſtitura dicitur, contra ſanctam Eccleſiam fortius jaculatur. Ibi enim imprimis omnis Eccleſiaſticus Ordo confunditur, quando hoc, quod à ſuo Conſecratore in Eccleſia cum orationibus dari debet, à ſæculari poteſtate priùs accipitur. Quod ſancti Apoſtoli non ſolùm interdixerunt, verùm etiam omnes illos, qui Eccleſiam per ſæcularem poteſtatem obtinent, à Chriſto ſibi tradita poteſtate damnaverunt. Et meritò Apoſtoli judicio Spiritus ſancti hanc Hæreſim in ipſo Eccleſiæ principio damnare decreverunt, quam longo poſt tempore ex patre diabolo naſcituram eſſe præviderunt. Cum igitur Laïco & inveſtitura, & omnis etiam Eccleſiaſticarum rerum diſponendarum facultas à Spiritu ſancto, qui in Apoſtolis loquebatur, negata ſit penitùs & interdicta, qui inveſtituram à Laïco ſuſcepit, non jam contra Apoſtolos tantùm, imò contra Apoſtolorum Dominum, quod ſanctum eſt canibus exponit. Inveſtitura enim, de qua loquimur, Sacramentum eſt, id eſt, ſacrum ſignum, quo Princeps Eccleſiæ, Epiſcopus ſcilicet, à cæteris hominibus ſecernitur pariter atque dignoſcitur, & quo ſuprà Chriſtianum gregem cura Paſtoralis ei tribuitur. Hanc inveſtituram ab illo ſuſcipere debet,* Lib. 3. Ep. 11.

 *à quo*

*à quo & conſecrationem habet. Illum ſiquidem prius oportet conſecrari, deinde verò tanquam Ducem Eccleſiæ ſacris inſignibus decorari. Siquis cuilibet ſeculari iſta licere putat, errat. Quod ſi defendere nititur, Apoſtolorum doctrinam & ſancti Spiritus ſenſum annullare nititur: Unde Hæreticus eſſe nullatenus dubitatur.* Epiſcopi per virgam & annulum inveſtituram, quod cum certis orationibus ab Epiſcopo Conſecratore fiat inter Miſſarum & Epiſcopalis conſecrationis ſolemnia, dicit eſſe Sacramentum ſeu ritum Sacramentalem, privativè ſpectare ad ſolos Epiſcopos, per vulgares Apoſtolorum Canones interdici Laïcis, grandi ſacrilegio ab ipſis attentari, ideoque omnem qui iſtud à Laïco legitimè fieri aſſerit, palam eſſe Hæreticum Apoſtolici dogmatis prævaricatorem. Ex hoc principio inveſtituram, quam ſuprà in litteris ad Paſchalem Papam quaſi dixerat ex adjuncta dumtaxat Simonia & manuali Laïco hominio eſſe Hæreſim, etiam per ſemetipſam affirmat eſſe ſcabiem & lepram. Et quidem Simonia, Hæreſi omnium peſſima, pejorem. Quæ omnia pluribus confirmat in Opuſculis de Simonia, de Epiſcoporum conſecratione, & de Laïcorum inveſtitura: *Inveſtituram per virgam & annulum accipere niſi à ſuo Conſecratore, manifeſtum eſt eſſe damnoſum. Quia nulli Laïco licet illa Eccleſiæ Sacramenta dare, ſicut ei non licet Epiſcopum conſecrare.* Et infrà: *Alia eſt inveſtitura quæ Epiſcopum perficit, alia quæ Epiſcopum paſcit. Illa ex divino jure habetur, iſta ex jure humano. Subtrahe jus divinum, ſpiritualiter Epiſcopus non creatur; ſubtrahe jus humanum, poſſeſſiones amittit, quibus ipſe corporaliter ſuſtentatur. Non enim poſſeſſiones haberet Eccleſia, niſi ſibi a Regibus donarentur, & ab ipſis, non quidem divinis Sacramentis, ſed poſſeſſionibus terrenis inveſtirentur. Poſſunt itaque Reges ſine offenſione poſt electionem Canonicam & conſecrationem, per inveſtituram Regalium in Eccleſiaſticis poſſeſſionibus conceſſionem, auxilium, & defenſionem Epiſcopo dare. Quod quolibet ſigno factum exſtiterit, Regi vel Pontifici, ſeu Catholicæ fidei non nocebit.* Factam de ipſo Epiſcopatu per annulum & baculum à facta de Epiſcopalibus poſſeſſionibus per quodvis aliud ſymbolum inveſtitura diſtinguit: Primam vult eſſe Sacramentum, ſeu ritum Sacramentalem, adeoque attentari non poſſe à Laïco; poſteriorem fatetur eſſe actum civilem, ideoque ad Reges pertinere. Faciendam vult poſt peractam conſecrationem. Tam in dictis opuſculis, quam in laudatis ad Rainaldum Epiſcopum litteris proſequitur: *Hac præterea Hæreſis de inveſtitura, ſi rectè perſpiciatur, etiam Hæreſis Simoniaca eſſe, viva & vera ratione probatur. Namque ſecularis poteſtas ſibi vindicare non nititur inveſtituram, niſi ut per hoc pecuniam extorqueat, aut quod eſt gravius, ſibi inordinatè ſubjectam efficiat Pontificis per-*

Digitized by Google

*perſonam.* Hinc enim, ut ſuprà ab Hemboldo Presbytero audivimus, Imperator inveſtiens vocari volebat Dominus Epiſcoporum. Fateri id nolentem Epiſcopum Henricus ſextus per ſuos juſſit alapis cædi & pedibus conculcari. Epiſcoporum dignitati, ſacris Canonibus, legique divinæ adverſantur ſimilis dominatus & ſubjectio, ideoque inveſtituram, quæ ab illis ſeparari non poteſt, & pro ipſis datur, Goffredus dixit non poſſe non eſſe Simoniam. Ejuſdem ſententiæ fuit Joannes Lugdunenſis Archiëpiſcopus in litteris, apud ſanctum Ivonem Carnutenſem Epiſcopum exſtantibus, ad Daimbertum Metropolitam Senonenſem: *Licet exteriores inveſtituras per Laïcos factas non ſatis propriè Hæreſis nomine cenſeamus, ſentire tamen ac defendere fieri debere, indubitata Hæreſis eſt.* Ep. 237. Diſtinguit inveſtituram facti manualem & inveſtituram juris, ſeu jus inveſtiendi: Priorem fatetur ſine Hæreſi poſſe attentari à Regibus, verùm illius faciendi jus ipſis adſcribere vult eſſe manifeſtam Hæreſim. Ei conſenſerunt plures per Galliam Epiſcopi: Quotquot ob conceſſas Henrico quinto inveſtituras Paſchalem ſecundum voluerunt uti lapſum in Hæreſim eſſe degradatum, & talem Synodaliter declarandum.

Verùm ab hac opinione & factione alieniſſimus fuit laudatus Ivo, utpotè à Philippo Francorùm Rege per baculum & annulum inveſtitus, ideoque nolens audire Hæreticus. Ad Hugonem Lugdunenſis Eccleſiæ Primatem, qui Daimbertum Senonenſis Eccleſiæ Electum ob acceptam ab eodem Rege inveſtituram confirmare nolebat, & à conſecratione ſuſpenderat, ſcribit: Ep. 8. & 22. *Quod ſcripſiſti prædictum Electum inveſtituram Epiſcopatus de manu Regis accepiſſe, nec relatum eſt nobis aliquando ab aliquo qui viderit, nec cognitum. Quod tamen ſi factum eſſet, cum hoc nullam vim Sacramenti gerat in conſtituendo Epiſcopo, vel admiſſum vel omiſſum quid fidei, quid ſacræ Religioni officiat, ignoramus, cùm poſt Canonicam electionem Reges ipſos Apoſtolica authoritate à conceſſione Epiſcopatus prohibitos minimè videamus.* Ep. 60. Uti Canonicam electionem præcipi, ita Regium, quem Epiſcopatus donationem tunc titulabat Eccleſia, de ipſa conſenſum admitti ait & oſtendit à ſacris Canonibus, & proſequitur: *Quæ conceſſio ſive fiat manu, ſive nutu, ſive lingua, ſive virga, quid refert? Cum Reges nihil ſpirituale ſe dare intendant, ſed tantùm aut votis petentium annuere, aut villas Eccleſiaſticas aut alia bona exteriora, quæ de munificentia Regum obtinent Eccleſiæ, ipſis Electis concedere.* Adverſus Goffredum aſſerit Regiam inveſtituram nullatenus eſſe Sacramentum aut ritum Sacramentalem, ſed dumtaxat Regii in electionem & Electi perſonam conſenſus civilem ritum, quo nihil ſpirituale detur, ſed ſola Eccleſia-


rum

Digitized by Google

rum Regalia de Regiæ manus cuſtodia & tutela emancipentur. Eandem ſententiam tuetur in litteris ad Joannem Hugonis Succeſſorem: Ep. 236. *Quod quidam inveſtituram Hæreſim vocant, cum Hæreſis non ſit niſi error in fide, & fides & error ex corde procedunt, inveſtitura verò illa, de qua tantus eſt motus, in ſolis eſt manibus dantis & accipientis, quæ bona & mala agere poſſunt, credere vel errare in fide non poſſunt. Si quis verò Laïcus ad hanc prorumpit inſaniam, ut in datione & accceptione virgæ putet ſe tribuere poſſe Sacramentum vel rem Eccleſiaſtici Sacramenti, illum prorſus judicamus Hæreticum, non propter manualem inveſtituram, ſed propter præſumptionem diabolicam.* Diſtinguit Laïcam & Eccleſiaſticam inveſtituram: Illam merè manualem, & nullius Sacramenti donativam; hanc verò Sacramentum Eccleſiaſticum ſeu ritum Sacramentalem affirmat, ideoque nec attentari à Regibus, nec ſine Hæreſi poſſe attentari. Quiſquis enim Sacramentales Eccleſiæ ritus aſſeverat legitimè fieri à Laïco, eſt cum Ozia Rege leproſus & manifeſtus Hæreticus. Nequaquam tamen Goffredo Abbati & Joanni Primati, manualem quidem inveſtituram ab Hæreſi excuſantibus, *ſentire autem & defendere fieri debere* aſſeverantibus *eſſe Hæreſim manifeſtam*, ſanctus Ivo conſentit: Inter ſacram intra Miſſarum ſolemnia & inter Regiam in Palatio factam inveſtituram dicit eſſe diſcrimen grande, ideoque hujus jus Regibus omninò poſſe citra Hæreſim adſcribi. Quod ipſum probat & alio argumento: *Ad hæc ſi inveſtitura hæc Hæreſis eſſet, ei renuntians ſine vulnere ad eam redire non poſſet. Videmus autem in partibus Germaniarum & Galliarum multas honeſtas perſonas purgato iſto nævo per quamlibet ſatisfactionem Paſtorales virgas reddidiſſe, & per manum Apoſtolicam refutatas inveſtituras recepiſſe. Quod Summi Pontifices minimè feciſſent, ſi in tali inveſtitura Hæreſim & peccatum in Spiritum ſanctum latere cognoviſſent.* Antiquus Eccleſiæ Canon lapſos in Hæreſim Epiſcopos & Clericos degradabat ſine reparationis ſpe, perpetuoque figebat inter Laïcos; at verò Laïcè inveſtitos Antiſtites, qui pœnitentes acceptum à Rege annulum & baculum reſignabant Pontifici, idem Pontifex paſſim de iiſdem mox reveſtiebat, reddebatque Prælaturam. Plurima ſunt ejuſmodi exempla. Ex ipſis concludit Ivo nullam Hæreſim in Laïca inveſtitura poſſe latere. Ex Daimberti Metropolitæ & totius ſuæ Senonenſis Provinciæ nomine adverſus Joannem Primatem Lugdunenſem & ipſi adhærentes Epiſcopos, Paſchalem ſecundum Pontificem ob redditas Henrico quinto Imperatori inveſtituras, tanquam Chriſtianæ fidei prævaricatorem Hæreticum, & totius Eccleſiæ ſcandalizatorem, volentes degradare, ſcribit multa, Pontificem non ſolùm

lùm

Digitized by Google

lùm ab Hæreſi, ſed & à gravi delicto excuſare conatus argumento vario, & adjungit: *Non videtur nobis utile conſilium ad illa Concilia convenire, in quibus non poſſumus eas perſonas, contra quas agitur, condemnare vel judicare, quia nec noſtro nec ullius hominum probantur ſubjacere judicio. Unde nos conſtat eſſe immunes, ſi eorum facta oris gladio ferire formidamus, cum ipſe mediator obedire eis præcipiat, etiamſi tales ſint, quales erant Phariſæi, ſi ea, quæ ad Cathedram pertinent, recta præcipiant, ea verò minimè faciant.* Ait Pontificis perſonam nulli hominum ſubjacere judicio, & à nullo ob morum prævaricationem poſſe damnari aut judicari, ideoque indictæ ad Paſchalem ſecundum degradandum Synodo noluit intereſſe. Quæ eſt antiqua & perpetua pietas Gallicanæ Eccleſiæ. Paradoxa fuit Goffredi Abbatis ſententia: Affirmat enim omnem Eccleſiam, quæ inveſtituras dudum probavit aut certè toleravit, in Hæreſi ſorduiſſe.

Quæſtio eſt, an inveſtituræ damnatio fuerit legitima & Eccleſiæ conveniens? Hæſitavit hic ſanctus Ivo Carnutenſis, Gregorii ſeptimi ac etiam Urbani ſecundi Decreta curavit adeò parum, ut de ipſis ſcribat ad Hugonem Primatem Lugdunenſem: Ep. 50.
*Quantum intelleximus.* Ea namque nunquam viderat, ideoque ipſorum tenorem diſtinctè ignorabat. Dandum in Canonicas electiones & electos Antiſtites conſenſum dicit Regibus à Romana Eccleſia ſemper fuiſſe permiſſum, & proſequitur: *Sive fiat manu, ſive nutu, ſive lingua, ſive virga; quid refert?* Inveſtituram affirmat eſſe rem indifferentem, ex ejus damnatione plurimos fuiſſe vexatos, ſpoliatas Eccleſias, graviſſima exorta ſcandala, diviſum Regnum & Sacerdotium, ſine quorum concordia res humanæ nec incolumes eſſe poſſint, nec tutæ. Hoſce motus inveſtituræ malo credit eſſe longè pejores, ideoque ipſam fuiſſe potius diſpenſatoriè tolerandam, quam concutienda Regna omnia & Eccleſias totius Occidentis. Addit & aliud ex iſta damnatione malum: *Videmus nullos aut pœnè nullos pro hujuſmodi tranſgreſſione damnatos.* Inveſtitos Antiſtites paſſim non damnabat, ſed vexabat ſolummodò & ad Paſtorale pedum ſibi modico tempore reſignandum cogebat Romana Eccleſia: Hinc tot ab ipſa motus concitatos Ivo dixit eſſe ſine fructu. Et pergit: *Videmus quoque miſeros Epiſcopos & Abbates nec ruinis morum aut murorum reficiendis velle vel poſſe vacare, ſolùm ad hoc intentos, ut poſſint ſibi aliquam linguam magniloquam amicam facere, cujus nundinis ſe poſſint utcumque defenſare.* Proſcriptas à Romana Sede inveſtituras Re-

ges violenter ſuſtinebant, & ad ipſarum non ſolùm ſuſceptionem, ſed etiam defenſionem animabant & cogebant Eccleſiarum Electos: Hinc hi omnem Eccleſiaſticam ſubſtantiam & curam diſſipabant in lites & Advocatos, muros autem & mores negligebant. Proſequitur Ivo: *Multi quoque Electi, qui gratuitam & Canonicam habent electionem, qui hujuſmodi dilationibus vel fatigationibus impediuntur, comparatis ſibi pecuniâ mediatoribus & prolocutoribus, ne turpem patiantur repulſam, in Simoniacam aliquando offendunt conſecrationem.* Electos, ſi inveſtirentur à Regibus, Romanus Pontifex, niſi inveſtirentur, Reges paſſim conſecrari vetabant: Hinc illi quaſi pro redimenda vexa effundebant Eccleſiæ theſauros, atque ita Simoniam, de qua inveſtitura accuſabatur, inveſtituræ damnatio frequenter inducebat. Hinc Ivo concludit: *Cum omnis inſtitutio Eccleſiaſticarum legum ad ſalutem referenda ſit animarum, iſtarum inſtitutionum tranſgreſſiones aut diſtrictius eſſent corrigendæ, ut ſaluti prodeſſent, aut interim ſilentio premendæ, ne ſpiritualia vel temporalia commoda ſuprà dictis modis impedirent. Nec iſta dico tanquam velim adverſus Sedem Apoſtolicam caput erigere, vel ejus ſalutaribus diſpoſitionibus obviare, vel meliorum ſententiis præjudicium facere, ſi vivis nitantur rationibus, & evidentioribus veterum Patrum authoritatibus. Sed hoc vellem cum multis mecum piè ſentientibus, ut Romanæ Eccleſiæ Miniſtri, tanquam probati Medici, morbis ſanandis intenderent, & non ab riſoribus ſuis audirent, Culicem excolantes, & camelum deglutientes, mentam, rutam, ciminum, & anetum decimatis, graviora autem legis præcepta prætermittitis. Cum per totum penè mundum flagitia & facinora videamus publicè perpetrari, nec ea à vobis aliqua juſtitiæ falce reſecari.*

Verùm iſta ſcribendi ac loquendi libertas Romanam Eccleſiam graviter offendit. De omnibus ſuis in ipſam meritis ſanctus Ivo fuit periclitatus. Hinc ſcribit ad Urbanum ſecundum: *Audivi Dulcedinem veſtram in me amaricatam, Serenitatem veſtram adverſus me turbatam. Audivi, & conturbatus eſt venter meus, & oſſa*
Ep. 67. *mea conturbata ſunt.* Longam pro adducta ad Hugonem Primatem Epiſtola texit Apologiam. Et ad Henricum Angeliacenſis Monaſterii Abbatem ſcripſit: *De inveſtituris Eccleſiarum, quas Laïci faciunt, ſententiam præcedentium Patrum, Gregorii ſeptimi & Urbani ſecundi, quantum in me eſt, laudo atque confirmo. Quocumque autem nomine talis pervaſio propriè vocetur, eorum ſententiam, qui inveſtituras Laïcorum defendere volunt, Schiſmaticam judico.*

*dico.* Et ad Joannem Primatem Lugdunenſem: *Si congrua volumus rebus dare nomina, poſſumus dicere, quod manualis illa inveſtitura per Laicos facta, alieni juris eſt pervaſio, & ſacrilega præſumptio, quæ pro libertate Eccleſiæ & honeſtate, ſalvo pacis vinculo, ſi fieri poteſt, funditus abſcindenda eſt. Ubi ergo ſine Schiſmate auferri poteſt, auferatur, ubi ſine Schiſmate auferri non poteſt, cum diſcreta reclamatione differatur.* Apoſtolica increpatio Ivoni dedit intellectum: Exindè enim ſententiam, quæ Laïcas defendebat inveſtituras, licèt non Hæreticam, ſemper tamen aſſeruit adverſam Eccleſiaſticæ libertati, & Schiſmaticam, utpotè quæ graſſantis tunc inter Sacerdotium & Regnum Schiſmatis eſſet origo & fomentum. Ep. 233. Ep. 236.

Inveſtituræ incommoda eleganter in Auguſtanæ Eccleſiæ Chronico exponit Sigiſmundus Monachus: *De facili advertere poteſt quilibet Hiſtoriam peritus, quæ cauſa fuerit, ut adeò ſacra Religio ac diſciplina Clericalis per totam Germaniam offuſcaretur. Nam inveſtitura, quam tenebant pertinaciter Imperatores, venale fecerat Sacerdotium & omnia ſacra. Mox enim ut aliquis Prælatorum deceſſit, annulus & Paſtoralis virga Imperatori deſtinabantur, qui aut munus à manu, aut ab obſequio, aut à falſa adulatione accepit. Tradebantur enim non fugienti Gregorio, aut renitenti Ambroſio, vel Eccleſiam viſitanti Nicolao, ſed ſe Simoniacè ingerenti. Frequentabant ſub ea ſpe Cæſaris Comitatum filii Principum, qui ex armis ad ſacra, ex curia ad Eccleſiam intrudebantur, non regendam, ſed dilacerandam. Non intrantes per oſtium, ſed per poſticum. Nec fiebat examen de litteris, ſed quantum daret de loculis. Ita ſequebatur diſſolutio Cleri, dum fieret ſolutio Principi: Non curabatur charta, dum quærerent ſplendida arma.* Quæ mala in illis præſertim Regionibus, ubi inveſtituræ accedebat Regia nominatio, ſunt graſſata. Hinc non ſolùm legitimè electos, ſed & conſecratos Antiſtites fuiſſe quandoque extruſos à Simoniacis Regibus, intruſoſque ac iſtis ſuperordinatos Simoniacos, teſtatur & queritur apud Dodechinum Abbatem Pontifex Paſchalis ſecundus. Quales querelæ paſſim occurrunt apud mediorum Scriptores ſæculorum. Hinc igitur & Regiam nominationem & inveſtituram potenter proſcripſit Gregorius ſeptimus: Sacerdotii & Regni duram diſcordiam, & gravia indè exorta mala exiſtimavit nominationis ac inveſtituræ malo eſſe longè minora. L. 2. c. 4.

His obſtare videtur per Guidonem Archiepiſcopum, & Paſchalis ſecundi in Gallia legatum celebrata Viennenſis Synodus. A memorato

rato Pontifice redditas Henrico inveſtituras damnat rigidiſſimè, & adjungit cauſam: *Dictante Spiritu Sancto, inveſtituram omnem de manu Laïca Hæreſin eſſe judicamus.* Adunata iſtic fuit omnis Gallicana Eccleſia, judicium ſuum confirmari petit, & pergit ad Paſchalem: *Illud cum debita reverentia veſtræ ſuggerimus Pietati, quod ſi nobiſcum in his ſteteritis, ſi hoc, ſicut rogamus, confirmaveritis, ſi deinceps ab illius crudeliſſimi Tyranni & nuntiorum ejus literis, locutione, muneribus abſtinueritis, unanimiter nos, ſicut decet, habebitis filios & fideles; ſi verò, quod minimè credimus, aliam viam aggredi cæperitis, & noſtræ Fraternitatis adſertiones roborare nolueritis, propitius ſit nobis Deus, quia nos à veſtra ſubjectione & obedientia repelletis.* Quod nempe Laïca inveſtitura ſit Hæreſis, ideoque illius admiſſio Papam Papatu exuat, mandetque ejus communionem ab omnibus deſerendam. Et ex hujus Synodi auctoritate Joannes Launojus in Epiſtola ad Ludovicum Marcſium aſſerit Romanum Pontificem circa dogma non eſſe immobilem. Addit illum Archiepiſcopum Guidonem poſtea fuiſſe Papam Calixtum ſecundum, & iſtam Synodum ab ipſo non fuiſſe caſſatam. Reſpondeo hanc forſan eſſe Synodum, ad quam à Joanne Lugdunenſium Primate fuit invitatus, & accedere noluit ſanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus. Quidquid ſit, hujus illa judicium ſecuta eſt: In Papale caput non miſit degradationis manum, ſed ſuum dumtaxat de inveſtitura ſenſum poſtulavit firmari, & deſeri Imperatorem Hæreticum, minitata illum, ſi huic communicare pergeret, tamquam Hæretico contagio pollutum fore à ſe deſerendum. Facta fuit hæc Synodus iſtius ſæculi anno decimo aut duodecimo, & ad quintum decimum annum ſcribit in ſui Cœnobii Chronico Rudolphus Abbas ſancti Trudonis: *Hoc triſti*, utique de redditis Henrico per Paſchalem inveſtituris, *nuntio & polluta Fama pervolante ad Gallicanam Eccleſiam, ſine omni mora facto Conventu Imperatorem excommunicant, & quod ſub tanto ſacrilegio & violentia factum fuerat damnant. Dominus verò Papa quod in reconciliatione Imperatori promiſerat non violavit, ſed Eccleſiam Gallicanam, omneſque filios Romanæ Eccleſiæ, pro injuria Romano Pontifici facta, clavibus Beati Petri Apoſtoli uti non prohibuit.* Lucidè affirmat Viennenſem Synodum non placuiſſe cæteris Galliarum Epiſcopis, fuiſſe circumductam, & omnes iſtius Eccleſiæ iras & vires in Henricum converſas. An Romanus Epiſcopus ſit in fide immobilis, hinc non poteſt definiri. Paſchalis enim ſecundi lapſus fuit ſancti Petri Apoſtoli in Judaïcam ſimulationem lapſui ſimilis, de quo Tertullianus in libro Præſcriptionum: *Converſationis fuit vitium, non prædicationis.*

SAN-

# SANCTI LEONIS NONI REMENSE CONCILIUM.

## CANON PRIMUS.

NE *quis ſine Electione Cleri & Populi ad Regimen Eccleſiaſticum proveheretur.*

### SCHOLION.

AGit Canon in Regias, tunc paſſim graſſantes, Epiſcoporum & Abbatum nominationes: Canonicas à Clero & Populo faciendas electiones vult plenè reſtitutas. Licèt etiam Presbyteri & Diaconi, quod Hierarchæ ſeu Eccleſiaſtici Præfecti ſint, pari olim forma eligerentur, variis tamen in locis ad ſolius Epiſcopi judicium paulatim tranſivit iſta proviſio, ideoque de ſolis Epiſcopis & Abbatibus, apud quos ſolos jam principaliter eſt Eccleſiaſticum Regimen, Canon eſt intelligendus. Notanda ſunt verba, *Electione Cleri & Populi*: Evertunt Theodori Balſamonis ad tertium Nicœnum, & ad duodecimum Laodicenſem Canonem Scholia, aſſerentia Populum per dictos Canones ab Epiſcoporum electionibus fuiſſe excluſum. Nempe ſuo tempore illum excluſum vidit Balſamon, ideoque morem iſtum antiquiſſimorum Canonum pigmento ſtuduit fucare. Quod enim etiam Græcorum Populus dudum poſt iſtas Synodos eligendis Epiſcopis intervenerit, poſſit lucidè oſtendi. Eum in Gallicana Eccleſia excludere conatus eſt etiam Hincmarus Metropolita Remenſis: Aſt non potuiſſe præſens Canon demonſtrat.



Digitized by Google

## CANON II.

*Ne quis ſacros Ordines, aut Miniſteria Eccleſiaſtica, vel Altaria emeret aut venderet. Et ſi quis Clericorum quidlibet eorum emiſſet, id cum digna ſatisfactione ſuo Epiſcopo redderet.*

### SCHOLION.

Graſſantem tunc in omni Latina Eccleſia Simoniam Canon exſtirpat, loquiturque cum ſecundo Canone Chalcedonenſi, non ſolùm ſacras Epiſcoporum & Clericorum Ordinationes, ſed etiam Eccleſiaſticorum Officialium promotiones vetans pecunia fieri, ſeu emi aut vendi. Per Eccleſiaſtica enim Miniſteria, Eccleſiaſtica Theſaurarii, Oeconomi, ac alia id genus officia, per Altaria autem Canon intelligit Eccleſias Parochiales. Certè apud Gratianum exſtat inſignis ad Lucenſis Eccleſiæ Clerum & Populum Epiſtola, quâ Alexander ſecundus Pontifex ex Chalcedonenſi Canone hæc omnia confirmat. Etiam pœna, quâ ejuſmodi emptor pœnitere, ſacras merces Epiſcopo ſuo reddere, ſeu ab ipſo degradari jubetur, deſumpta eſt ex Canone Chalcedonenſi.

## CANON III.

*Ne quis Laïcorum Eccleſiaſticum Miniſterium vel Altaria teneret, nec Epiſcoporum quis conſentiret.*

### SCHOLION.

Prima Canonis pars renovat ſexageſimum quartum capitulum Herardi Archiepiſcopi Turonenſis: *Laïcis, quamvis Religioſis, de Eccleſiæ negotiis diſponendis nulla tribuatur facultas, quia ad ipſorum damnationem pertineret.* Et capitulum Iſaaci Lingonenſis Epiſcopi: *Laïcis, quamvis Religioſis, nulla tamen de Eccleſiaſticis facultatibus, vel de Deo dicatis hominibus aliquid diſponendi attribuatur facultas.* Eccleſiæ Oeconomum

mum deinceps non Laïcum, ſed Clericum eſſe mandant ex Chalcedonenſi Canone etiam ſecunda Hiſpalenſis Synodus, & quarta Toletana, addunt que cauſam: *Indecorum eſt Laicum eſſe Vicarium Epiſcopi, & ſæculares in Eccleſia judicare.* Et certè vigeſimus ſextus Chalcedonenſis Canon Eccleſiæ Oeconomum mandat è proprio ejus Clero creari, & Theodorus Balſamon dat rationem: *Ut eſt veriſimile, antè præſentem Canonem plures Epiſcopi Laïcos faciebant Oeconomos.* A Canone affirmat corrigi hunc abuſum. Quod ipſum repetit in Scholio ad Canonem undecimum ſecundæ Synodi Nicenæ. Eſt inter vulgares Apoſtolicus Quadrageſimus primus Canon, & antiquum ſtatutum Synodi Antiochenæ. Hinc etiam Xenodochia Epiſcopo plenè ſubeſſe, eorumque Præfectos & Curatores eſſe Clericos, aut certè à publicis judiciis exemptos Religioſos ſanxit Gregorius magnus. Et ſanctum Joannem Chryſoſtomum, quod eis non ſolum Presbyteros præeſſe, ſed etiam ipſorum Parabolanos ſeu ſervitores juſſerit eſſe cælibes, in Dialogo cum Theodoro Romanæ Eccleſiæ Diacono laudat Palladius Epiſcopus Helenopolitanus.

Lib. 11. c. 9. Cap. 9. C.24.25

Vox, *Eccleſiaſticum miniſterium*, eſt æquivoca. Neque enim ſolum Eccleſiaſticæ functionis officium ſignificat, ſed inſuper Eccleſiaſticam ſubſtantiam. Etiam ſacra vaſa, aliaque Eccleſiarum ornamenta dicuntur miniſteria. Porrò invaſam Eccleſiaſticam ſubſtantiam in militum ſtipendia, alioſque profanos uſus tranſcibere eſt antiqua Barbarorum Regum violentia, præſertim Caroli Martelli Francorum Principis, de quo magnum Belgii Chronicon: *Carolus Martellus Dux Lotharingiæ & Brabantiæ victorioſiſſimus, propter aſſiduitatem bellorum decimas Eccleſiarum Laïcis tradidit, atque pro hoc maximè ſolo eſt in æternum damnatus. Nam ſanctus Eucherius, Aurelianenſis Epiſcopus, quem idem Carolus in exilium truſerat, & qui in Monaſterio ſancti Trudonis requieſcit, in oratione poſitus, & ad alterum ſæculum raptus, inter cætera, quæ Domino oſtendente conſpexit, vidit ipſum Carolum in inferno torqueri. Cui cauſam interroganti reſponſum fuit a ductore Angelo, Sanctorum judicio, qui in futuro judicabunt cum Domino, & quorum res abſtulit vel diviſit, ante illud judicium anima & corpore ſempiternis ſuppliciis fuiſſe deputatum, & ſimul cum ſuis peccatis recepiſſe pœnas propter peccata omnium, qui res ſuas amore & honore Dei ad loca Sanctorum in luminaribus divini cultus, & alimoniis pauperum & ſervorum Chriſti, pro animarum ſuarum redemptione tradiderunt. Qui in ſe reverſus ſanctum Bonifacium Moguntiæ Archiepiſcopum, & Fulradum ſancti Dionyſii Abbatem ad ſe vocavit, eiſque talia dicens juſſit, ut ad ſepulchrum Caroli irent, & ſi corpus illius ibidem non invenirent, ea quæ dicebat vera eſſe crederent. Qui pergentes ad locum ubi Caroli corpus humatum*

Fol. 30. 34.

*tum fuerat, ſepulchrumq́; ejus aperientes, viderunt exeuntem inde Draconem, totumq́; interius denigratum invenerunt, ac ſi fuiſſet exuſtum.* In Senonenſis Monaſterii Chronico confirmat Richerius Monachus. Caroli Martelli, quem malè vocat Carolum Calvum, tumulum in ſancto
Lib. 3. c. 17. Dionyſio & ſarcophagum accuratè deſcribit, & pergit: *In hoc Philippum* primum Francorum *Regem cum ſepelire diſponerent, aperto ſubteriori ſepulchro, nihil penitùs præter carbones mortuos, quibus totum plenum erat, invenerunt. Quod videntes qui illud aperuerant, admirati ſunt valdè. Dicebant enim, quod carbones illi inventi, quia idem Rex Eccleſiis decimas abſtulerat, ſignificarent illum in carbonibus inferni fore ſepultum. Quare recludentes ita dimiſerunt, & in alio loco Regem Philippum condignè ſepelierunt.* Quæ omnia in litteris ad Ludovicum Germaniæ Regem, per Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum, virum eruditiſſimum & Apocry-
Cap. 7. phorum ſtrenuum hoſtem ſcriptis, Cariſiaca Synodus confirmat. An tamen plenè vera ſint, graves Scriptores certant, & lis ſub Judice adhuc pendet. Certè aliud ſcribit Monaſterii Fontanellenſis Chronicon: *Carolus correptus febre in Cariſiaca villa in pace obiit, ſepultuſq́; eſt in Baſi-*
L. 7. c. 11. *lica ſancti Dionyſii Martyris.* Et breve Chronicon ſancti Dionyſii: *Tranſlati ſunt Reges in dextro choro, ſcilicet Ludovicus Rex filius Dagoberti, Ca-*
A. 1264. *rolus Martellus Rex, &c.* Si corpus ejus à ſanctorum Eucherii & Bonifacii tempore fuerit in inferno, tertio decimo ſæculo transferri non potuit, nec ipſe in pace eſſe defunctus. Quidquid ſit, ſanctos Epiſcopos afflixit, Eccleſias & Monaſteria Clericis vacuavit & Monachis, ipſorum decimas & alias poſſeſſiones invaſit, tradidit militibus in ſtipendia, atque ita deſolatus eſt ac penè deſtruxit omnem Franciæ Chriſtianitatem. Hinc animæ ſuæ timens filius Carolomannus dimiſit Regnum, ignotus abiit in Italiam, ac primum in ſancti Sylveſtri Monaſterio propè Romam, deindè in Caſſinenſi cænobio induit Monachum, egitque humillimam pœnitentiam. Alter Caroli filius Pippinus ſancti Bonifacii, à quo in Regem unctus, monitis & juſſis obtemperans, Patris facinora correxit pro viribus, ſua Eccleſiis & Monaſteriis utcumque reddidit, cum Clericis & Monachis Epiſcopos, Chriſtianitatemque & Eccleſiaſticam diſciplinam reduxit per varias Synodos ac reparavit. Ejus filius Carolus Magnus, nepos Ludovicus Pius, & reliqua ejus poſteritas imperfectum ipſius opus utcumque compleverunt. Dico, *Utcúmque*: Quod enim etiam Pippinus, Carolus Magnus, Ludovicus Pius, Carolus Calvus, aliique Reges hac in parte exceſſerint, lucidè poſſit oſtendi. Quod Pippinus Lingonenſis Eccleſiæ bona fratri ſuo Remigio, & omnes Beſuenſis Monaſterii poſſeſſiones cuidam ſuo, per divi-

nam vindictam peſſimè poſtmodum extincto, ſcorto dederit, in ejuſdem Monaſterii Chronico affirmat Joannes Monachus. Quod Ludovicus tertius Rex omnia Eccleſiarum bona ad ſe ſpectare, & ſuo nutu etiam in Laïcos diſtribuenda voluerit, queritur & increpat Hincmarus Metropolita Remenſis. Vix eſt Gallicana Synodus, quin ſtatuerit in iſtam ſacrilegam rapinam, quæ poſt extinctum Caroli Magni genus & commiſſa in Formoſum Pontificem ſcandala nimium recruduit, & duras Caroli Martelli manus reduxit etiam in Italiam, ac ipſam Romanam Eccleſiam, de qua Guilielmus Malmesberienſis: *Papa Gregorius ſextus ita Romani Apoſtolatus ſtatum per incuriam Anteceſſorum ſuorum diminutum invenit, ut præter pauca oppida urbi vicina, & oblationes Fidelium, penè nihil haberet, quo ſe ſuſtentaret.* Laïci Principes omnia invaſerant. Addit de ipſis Fidelium oblationibus: *Super ipſa Sanctorum & Apoſtolorum & Martyrum corpora, ſuper ſacra Altaria gladii nudabantur, & oblationes accedentium vixdum appoſita de manibus abripiebantur, abrepta in comeſſationes & ſcortorum abuſiones conſumebantur.* Corrigere cœpit laudatus Gregorius, verum ob Simoniacæ intruſionis ſuſpicionem ab Henrico tertio Imperatore deportatus in Germaniam, non perfecit. Etiam Clementem ſecundum & Damaſum ſecundum brevior in Papatu vita impediit. Hinc in opus iſtud à Deo electus Leo nonus edidit præſentem Canonem, quo nulla Eccleſiarum ſeu officia ſeu bona voluit detineri à Laïcis, nullumque Epiſcopum in talem detentionem conſentire.

An 572. Ep. 12. c. 4. Fol. 83.

Quid in ſecunda Canonis parte intelligatur per Altaria, exponit in Nemauſenſi Synodo Urbanus ſecundus: *Eccleſiæ vel decimæ, quæ vulgari vocabulo Altaria nuncupantur.* Et in litteris ad Ulgerium Andegavenſem Epiſcopum Goffredus Abbas Vindocinenſis: *Eccleſiæ*, utique Parochiales, *vulgari vocabulo Altaria nuncupantur.* Frequentiſſima apud mediorum ſæculorum Canones & Scriptores eſt iſta vocis acceptio. Reperitur & apud antiquos. Nam Carthaginenſem ſancti Cypriani Baſilicam ſanctus Auguſtinus & omnis Africana Eccleſia paſſim vocarunt menſam ſeu Altare ſancti Cypriani. Unicum Altare habebat olim omnis Baſilica, quem morem conſtanter adeò tenent etiamnum hodiè Græci omnes, ut duo Altaria nulli permittant, niſi quæ debeat ſibi & nobis Latinis eſſe communis. Noſtris enim Altaribus ægrè volunt communicare. Altare eſt totius Baſilicæ fundamentum: Significat enim fidem, baſim & radicem totius noſtræ juſtificationis, per quam in viva & vera Dei Templa conſecramur. Hinc uti juſtus ex fide, ita Baſilica vivit ex Altari: Uti excuſſa fides totam nobis juſtitiam, ita Altaris deſtructio

L. 3. Ep. 12.

aut motio deſtruit omnem Baſilicæ ſanctitatem, reparandam nova conſecratione. Sic habet Canon antiquus. Et uti totam Chriſtianam juſtitiam Apoſtolus quandoque vocat fidem, ita totam Baſilicam rectè titulamus Altare. Porrò de Laïcis Eccleſiaſticorum bonorum ſuo tempore raptoribus ſcribit ſanctus Agobardus Archiëpiſcopus Lugdunenſis: *Nunc non ſolum poſſeſſiones Eccleſiaſticæ, ſed ipſæ etiam Eccleſiæ cum poſſeſſionibus venumdantur.* De fundatis ac dotatis Eccleſiis laudat ſuos Maiores, & proſequitur: *Nunc ipſi contra pietatem Maiorum ſi parietes ſibi vindicare potuerint, non tantum ea quæ a conſtructoribus collata ſunt, ſed & multa quæ plerique fidelium pro ſepulturis aut qualibet devotione alia ibidem ſacrarunt, cum ipſis Eccleſiis vendere licitum putant nullo prohibente.* Tanta tunc fuit etiam Eccleſias rapiendi licentia, ut adjungat: *In quibuſdam locis nullus ordo hominum, ſive ſint liberi, ſive ſervi, de habitatione ſua tam infidus eſt ut Sacerdotes, utpote qui nullo modo ſecuri eſſe poſſint, nec ſcire quot diebus Eccleſiam vel habitaculum ſuum eis habere ſit licitum.* Uti non ſolas Epiſcoporum atque Abbatum poſſeſſiones, ſed ipſa inſuper Monaſteria ac Epiſcopalia Palatia, quin & ipſas Cathedrales & Abbatiales Eccleſias invaſit ac militibus ſuis in uſumfructum ſeu commendam, imò & in Alodium ſeu proprietatem dedit Carolus Martellus, ita Parochiales & alias inferiores Eccleſias tractarunt Duces, Comites, Barones, & alii Domicelli. Hinc ſanctum Ottonem Bambergenſem Epiſcopum, quod ſancti Michaëlis Monaſterio, quandam Eccleſiam *hereditario ſibi jure*
L. 1. c. *propriam* donarit, laudat Andreas dicti Cænobii Monachus. Et Paſcha-
23. li ſecundo Pontifici ſanctus Anſelmus Cantuarienſis Archiëpiſcopus propoſuit hanc quæſtionem: *Si de manu Laïci liceat Epiſcopo vel Abbati accipere Eccleſias, quas in ſuo dominio habent, cum eas non perſonæ, ſed Epiſco-*
Lib. 3. *patus vel Abbatiæ donent?* Et nobilem virum Berengarium, quod Divio-
Ep. 55. nenſi ſancti Benigni Monaſterio dimidiam Eccleſiam dederit, laudat apud Lucam Dacherium ejuſdem Cænobii Chronicon. Et apud Simeo-
A. 901. nem Dunelmenſem Waltheoſus Comes cognatum ſuum Gyrvvenſibus Monachis educandum tradit ac erudiendum, & pro ſtipendio donat
A. 1121. quandam Eccleſiam. Innumera ſunt ejuſmodi donationum exempla, ex quibus lucet Cathedrales & Abbatiales in Regum & aliorum ſupremorum Principum, Parochiales autem Eccleſias in quorumvis Domicellorum Alodio ac pleno dominio fuiſſe. Peſſimum abuſum damnat præſens Canon, cuncta Altaria ſeu Parochiales Eccleſias vetans proprietario aut uſufructuario jure detineri à Laïcis, mandanſque Epiſcopis reddi. Vetat Epiſcopos in talem detentionem conſentire. Rationem dat in ſuis ad varias ſancti Anſelmi conſultationes Reſponſis Paſchalis ſecundus: *Divina*

*in*

*in nullius bonis ſunt, & quod Deo ſemel oblatum eſt, in alienos uſus non expedit uſurpari.* Eccleſias omnes eſſe divini juris, ideoque non poſſe eſſe in humano dominio, eſt antiquiſſima lex fidelium Imperatorum, ſpectant ad ſolum Deum, utpote ejus Baſilicæ Domûs. L. 3. Ep. 45.

# CANON IV.

*NE quis in atriis Eccleſiarum præter Epiſcopum & ejus Miniſtrum quaſlibet conſuetudines exigere præſumeret.*

## SCHOLION.

ECcleſiæ atrium quidam cum veſtibulo confundunt, adverſum quos rectè in Scholio ad ſecundum ſancti Dionyſii Patriarchæ Alexandrini Canonem ſcribit Theodorus Balſamon: *Non ſunt veſtibula communia, ut Eccleſiarum atria, ſed ſunt pars ipſarum.* Sunt poſtrema Eccleſiæ pars, *ſanctis omnis generis imaginibus exornata, & ad Dei laudem deputata.* Quid atria ſint, inſigniter in tertia Chalcedonenſis Synodi actione, de Dioſcori Patriarchæ Alexandrini citatione agens, exponit Ætius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Archidiaconus, & Notariorum Primicerius: *Epiphanius & Elpidius Presbyteri, circumeuntes ſanctam hanc Baſilicam, quæſierunt Religioſiſſimum Epiſcopum Alexandriæ Dioſcorum.* Et ipſi laudati Presbyteri: *Peragrantes atria ſancti hujus loci, quæſivimus & non invenimus.* Et de Jeroſolimitana Dominicæ Reſurrectionis Eccleſia ſcribit in Conſtantini Magni vita Euſebius Metropolita Cæſaræenſis: *Conſtantinus ad ampliſſimum templi locum, libero Cœlo patentem, exornandum ſe contulit, cui & ſolum lapide eximio ſtratum, & porticus longis ambulationum ſpatiis ex tribus lateribus circumdati permultum decoris attulerunt.* Et de Patriarchali Antiochenorum Eccleſia: *Conſtantinus univerſum templum longis porticibus extrinſecus adjectis circumdedit.* Et de Conſtantinopolitana ſanctorum Apoſtolorum Baſilica: *Hinc atrium ingens ac ſubdiale circumdatum, in apertum & purum aërem explicabatur. Hujus per quatuor latera porticus erant diſpoſitæ, quæ medium atrium cum templo ipſo complectebantur.* Atria ergo ſunt ſubdicalis Baſilicam circumvingens area, quam Georgius Codinus Curopalates Proaulion, Maximus Cytherenſis Aulam Narthecis, antiqui Latini vocaverunt Paradiſum. Ita ad Vaticanam ſancti Petri Baſi-

L. 3. c. 34.

Cap. 49.

L. 4. c. 59.

Baſilicam fuiſſe inſignem, marmoreo ſtratum lapide, Paradiſum ſcribit
L.4. cap. 35. Monachus Aimoinus. Et Paulus Diaconus: *Domnio Pontifex Romanæ Eccleſiæ locum, qui Paradiſus dicitur, ante Baſilicam Beati Petri candidis lapidibus marmoreis mirificè ſtravit.* Et in ejuſdem Domnionis ſeu Doni
L.5. cap. 31. Pontificis vita liber Pontificalis: *Hic atrium Beati Petri Apoſtoli ſuperius, quod Paradiſus dicitur, eſtque ante Eccleſiam, in quadriporticum magnis marmoribus ſtravit.* Et in Caſſinenſis Monaſterii Chronico Leo Marſicanus: *Otto ſecundus Imperator Romam rediens eodem tempore defunctus eſt, atque in labro porphyretico ſepultus, in atrio Eccleſiæ Beati Petri Apoſtoli, introeuntibus in Eccleſiæ ipſius Paradiſum ad lævam.* Et rurſum: *Deſiderius Abbas fecit atrium ante Eccleſiam Caſſinenſem, quod Romana conſuetudine Pa-*
L.3. cap. 23. *radiſum dicimus.* Etiam de Elgenta Roberti Ducis uxore ſcribit: *In Eccleſiæ Paradiſo ante Baſilicam Petri Apoſtoli tumularioravit.* Et de defuncto Arnulphi Gandenſis ad ſanctum Petrum Abbatis fratre ſcribit in ſui Monaſterii Chronico Rudolphus Abbas ſancti Trudonis: *Jacet ſepul-*
Lib. 11. *tus ante Occidentalem portam Monaſterii, quod circumdat murus undique vaſti & bene compoſiti Paradiſi.* Etiam Romanæ ad ſanctam Mariam Medianam Baſilicæ fuiſſe ſuum, quem Gregorius quartus porticibus & muſivis parietum operibus ornarit, Paradiſum ſcribit in laudati Pontificis vita Anaſtaſius Bibliothecarius. Eccleſia enim ſeu Baſilica, uti ex Canone Apoſtolico in Homiliis ſuper Geneſim advertit ſanctus Joannes Chryſoſtomus, ſignificat cælum, & cæli, in quod nullus pravus intrare poteſt, imago eſt, ideoque & ejus atria ſunt imago Paradiſi. Plantatus enim à Domino terreſtris Paradiſus fuit præambulum, & quaſi atrium aulæ & Regni cœleſtis. Hinc Eccleſiarum atria non ſolis pretioſis porticibus aut parietibus, ſed etiam arboribus, odoratis herbis ornata erant & fontibus, de quibus in Eccleſiaſtica Hiſtoria, novam Tyriorum Eccle-
Lib. 10. cap. 4. ſiam laudans, Euſebius Metropolita Cæſaræenſis: *Conſtantinus ex adverſa fronte latices præparavit copioſo aquarum fluxu, ſacrorum ſeptorum penetralia accedentibus ad luſtrationem præſtitutos.* Illotis manibus Eccleſiam intrare non præſumebat antiqua Chriſtianitas: Imò quidam lavabant & pedes. Hinc in atrio balnea, piſcinæ, & fontes. Et quia illota mens eſt ſordities longè peior, etiam pauperibus mendicis fuiſſe ab Apoſtolico Canone aſſignatum ſuum ante Eccleſiarum fores locum teſtatur frequenter laudatus Chryſoſtomus: Ut ſicut aquæ manus aut pedes, ita eleëmoſyna ablueret intrantium mentes. Hinc & ad Judaïci Templi portas mendici
Epiſt. 33. jacebant. Quem utrumque ritum inſigniter in litteris ad Alethium deſcribit & laudat ſanctus Paulinus Nolenſis Epiſcopus, affirmans ante Vaticanam ſancti Petri Baſilicam indies jacere tanta pauperum agmina, ut

*ut tota & pro jannis atrii, & pro gradibus campi ſpatia coarctentur.* Ubi per campum omninò intelligit Paradiſum. Diſtinguit Paradiſum & atrium. Paradiſus quippè videtur fuiſſe ſola atrii ante Principalem Baſilicæ portam pars, quæ olim Romæ, uti & hodiè, fuit per gradus elevata. Et hinc item hodie magna illa ante Metropolitanam ſanctæ Mariæ Pariſienſis Baſilicam area dicitur Paradiſus. Proinde Eccleſiæ atrium eſt omnis ille Eccleſiam ambiens hortus, quem hodie vocamus & habemus cœmeterium. Illic enim etiam olim defunctos fuiſſe ſepultos, lucet ex adductis teſtimoniis, & alibi latius oſtendetur. Et quidem ad Eccleſiarum fores mendici adhuc manent, ſed fontes ſublati ſunt: Eis apud Latinos ſucceſſit vas aquæ benedictæ.

De iſtis porrò atriis ſtatuit ſub Caroli Magni Imperio ſexta Synodus Arelatenſis: *Ut Placita publica & ſecularia neq; in atriis Baſilicarum, neq; in ipſis Baſilicis fiant, dicente Domino, Domûs mea Domûs orationis vocabitur.* Et Moguntina Synodus: *Præcipimus ut in Eccleſiis, aut in domibus Eccleſiarum vel atriis Placita ſecularia minimè fiant.* Et tertia Turonenſis: *Placita ſecularia in Eccleſiis, vel in atriis Eccleſiarum, à Comitibus & Vicariis uſq; modo multis in locis habita, ne ultra fiant interdicendum eſt cum authoritate Domini, qui expulſis de Templo negotiatoribus aſſeruit debere Domum Dei eſſe domum orationis.* Quæ omnia repetunt ſecunda Synodus Sueſſionenſis, ac in ſuis capitularibus Herardus Turonenſis, & Iſaac Epiſcopus Lingonenſis. Eandem conſuetudinem in Ravennate Synodo abolet Joannes octavus, publicas publicis Placitis deſtinatas domos mandans reparari. Undè lucet ex harum domorum caducitate pravas iſtas conſuetudines cæpiſſe. Et apud Monachum Marculphum exſtant Carolo Magno anteriora Francorum Regum Præcepta, quæ non ſolum in Eccleſiis & ipſarum atriis, ſed etiam in poſſeſſionibus ac fundis vetant fieri Placita ſeu malla, freda exigi, Paratas, aut manſiones. Porrò Placitum ſeu mallum ſunt idem quod publicum judicium, ſeu à Comite, ejus Vicario aut Regio Miſſo indictum ad audiendas cauſas Concilium ſeu conventus. Fredorum meminit, de ſancti Martini Miraculis agens, ſanctus Gregorius Turonenſis Epiſcopus, affirmans eſſe Fiſco debitam pro delicto compoſitionem aut pœnam. Etiam in ſuis capitularibus Carolus Magnus mandat judicibus, ut freda non exigant priuſquam facinus componatur. Aliud erant Freda, aliud Weregeldum: Hoc erat pecunia, quæ pro homicidio aut alio delicto ſolvebatur læſo aut defuncti propinquis; illa verò quidquid ex eadem cauſa Fiſcus capiebat. Fredum excedere non poterat tertiam partem Weregeldi. Derivari videtur à Germanica, pacem ſignificante, voce *Frid*, ideoque non eſſe aliud, quam

Cap. 22.

Cap. 40.

ſiſcalis pœna cuſtodiens publicam pacem. Manſiones & Paratæ erant Hoſpitii jus, victuſque tunc etiam pro famulis & jumentis parandi impenſæ. Hæc omnia, uti peſſimas ſervitutes, in Eccleſiarum atriis ſeu Cœmeteriis fieri aut exigi per Laïcos judices aut Regios Miniſtros vetat Canon: Etiam pro commiſſis in Cœmeterio delictis vetat Freda, mandans poteſtatem hanc ad ſolos privativè Epiſcopos & ipſorum Officiales pertinere. Ita poſtmodum in Londinenſi Synodo, exſtante apud Gervaſium Monachum, Richardus Cantuarienſis Archiëpiſcopus ſub anathemate ſtatuit *Sæculares cauſas*, in quibus de ſanguinis effuſione vel de pœna corporali agitur, *in Eccleſiis vel Cœmiteriis non agitari.* Quem

A. 1175. Canonem poſtea ſuum fecit Lucius tertius Pontifex: Apud Gregorium nonum eſt quintum Capitulum ſub titulo de immunitate Eccleſiarum. Et in Lugdunenſi Synodo ſtatuit Gregorius decimus: *Ceſſent in Eccleſiis, earumque Cœmiteriis negotiationes, ac præcipuè nundinarum ac fori cujuscumq; tumultus. Omnis in eis Sæcularium judiciorum ſtrepitus conquieſcat. Nulla inibi cauſa per Laicos, criminalis maximè, agitetur. Sint loca eadem a Laïcorum cognitionibus aliena.* Exſtat decretum ſub eodem titulo apud Bonifacium octavum. Quod ipſum ſtatuit, ac rigidiſſimè confir-

Cap. 2. mavit Synodus Baſileenſis. Quam pietatem etiam apud Græcos olim viguiſſe Theodorus Balſamon, varios ſui temporis abuſus acriter inſectans, in Notis ad Septuageſimum ſextum Trullanum Canonem inſigniter oſtendit. Nam & cauſa, ex qua ad Eudoxiæ Auguſtæ ſtatuam ludere populum Conſtantinopolitanum vetuit ſanctus Joannes Chryſoſtomus, fuit ſola vicinitas ad Eccleſiam.

## CANON V.

*NE quis pro Sepultura, vel Baptiſmo, ſive pro Euchariſtia, aut infirmorum viſitatione quidquam exigeret.*

## SCHOLION.

PRo Sepultura, Baptiſmo, omnique alio Eccleſiæ Sacramento aut Divino Miniſterio poſſe dumtaxat ſpontè oblatum accipi, & nihil omnino exigi, eſt ſupra abundè oſtenſum. Et hæc quidem eſt media ac poſterior, uti quoad tempus, ita quoad perfectionem, Eccleſiæ diſciplina.

C A-

Digitized by Google

# CANON VI.

*NE quis Clericorum arma Militaria geſtaret, aut Mundanæ militiæ deſerviret.*

## SCHOLION.

INter crimina, ob quæ Græci Schiſmatici Latinam Eccleſiam affirmant eſſe Apoſtaticam & prævaricatricem, antiquus in Conſtantinopolitano Patrum Prædicatorum Conventu repertus tractatus adducit & hoc: *Sacerdotes Principes cum Laïcis ad bella proficiſcuntur armati, & in acie bellant ante alios armati progredientes.* Et in litteris ad Petrum Antiochiæ Patriarcham Michaël Cerularius Patriarcha Conſtantinopolitanus: *Latini Epiſcopi ad bellum etiam euntes, manus ſuas ſanguine coinquinant, & in conſpectu ſuo animas occidunt, quemadmodum etiam à nonnullis, qui hoc affirmant, accepimus.* Accuſatio erat vera, verùm turpe eſt Doctori, dum culpa redarguit ipſum. Reſpondet enim laudati tractatus Auctor incognitus: *Græcorum Sacerdotes in pleriſq; locis viri ſanguinum exiſtunt & inferunt mortem ſacratis manibus, quod propriis oculis Imperatorem ſequendo per Cappadociam, Perſarumq; Regiones, intuitus ſum.* Eſt peſſimus & antiquiſſimus apud ipſos abuſus, noſtrique Principes, qui Epiſcopos & Abbates ad eandem ignominiam cæperunt cogere, videntur violentiam ab ipſis didiciſſe. Etenim ſanctus Syneſius, Ptolomaidis in Ægyptiaca Diœceſi Epiſcopus, ac Pentapolitanæ Provinciæ Metropolitanus, ſcribit ad ſuum Fratrem: *Plurima Auxiditarum Sacerdotibus bona contingant, qui cum milites in montium ſe latebras abdidiſſent, ſuumque ipſi ſanguinem cuſtodire vellent, ruſticam plebem convocantes, ſtatim ab ipſis Sacris rectà ad hoſtes duxerunt, fuſiſq; ad eum precibus trophæum erexerunt in Myrſinitide.* Tanto numero in Provinciam irruperant Barbari, ut Romana militia ſeſe in fugam daret, ideoque Syneſius bellicoſos Sacerdotes laudat, & pergit de Fauſto Diacono: *Hic ille eſt, qui Princeps armatum militem inermis excepit, quem cominus lapide tempori illiſo ferit, non ut eum jaceret, ſed ut quaſi pugnis infeſtis inſiliret.* Eum mirificè extollit. Et de Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo, Bithyniæ Metropolita, ac poſtmodum Archiëpiſcopo Conſtantinopolitano, in litteris apud Theodoreti Eccleſiaſticam Hiſtoriam exſtantibus ſcribit & queritur Conſtantinus Magnus: *Miniſterio propè militari, quo Licinio Tyranno opem ferret, perfunctus eſt.* Etiam

Ep. 122.

Lib. 1. cap. 20.

Etiam ſanctus Cyrillus Alexandriæ Patriarcha armato milite, uti ſcribit Socrates, è ſua Civitate ejecit Judæos. Non Auguſtalis Præfecti milite, ſed ſuo. Ejus ſucceſſor Dioſcorus exercitum habuit adeò copioſum, ut Auguſtarum etiam ſententiarum impediret executionem, Provinciam eſſe magis ſuam quam Imperatorum diceret, & novi Principis, utique Martiani Auguſti, Sacra Laureata expelleret de civitate, & iſtum exercitum ſeu potius latrocinale agmen ducebat Iſidorus Diaconus. Ita in libellis ſancto Leoni Pontifici & Chalcedonenſi Concilio exhibitis teſtatus eſt & ad probandum ſub talione ſe inſcripſit Sophronius civis Alexandrinus. Et de Marcello, Apameenſi Epiſcopo, ſecundæ Syriæ Metropolita, & civitatum & agrorum per ſuam Provinciam fana ac idola deſtructuro, ſcribit Hermias Zozomenus: *Certior factus in Aulone, is eſt tractus Apameorum Provinciæ, templum eſſe ampliſſimum, militibus aliquot aſſumptis ex gladiatoribus, adverſus illud contendebat. Cui cum appropinquaſſet, extra telorum jactum ipſe reſtitit: Erat enim pedibus debilis, & neque pugnare, neque hoſtem vel fugare vel fugere poterat.* Alioquin omninò pugnaſſet. Hic eſt ille Marcellus, de quo Romanum Martyrologium ad quartam decimam diem Auguſti: *Apamea in Syria ſancti Marcelli Epiſcopi & Martyris, qui cum Jovis delubrum diruiſſet, à furentibus gentilibus occiſus eſt.* Jupiter Apameenſis erat longè famoſiſſimus, ideòque Gentiles ejus fanum & idolum everti non ſuſtinuerunt. Marcelli item Succeſſorem, qui Longino Tyranno adhæſit adverſus Anaſtaſium Imperatorem, militaſſe ſcribit ac graviter improbat Nicephorus Calixtus.

Lib. 7. c. 13.

Act. 3.

Lib. 7. c. 15.

Lib. 16.

Theophilus Alexandriæ Patriarcha civitatis & Provinciæ ſuæ temporale dominium cæpit affectare, ejuſque Succeſſores, ſignanter Dioſcorus, omninò invaſerunt. Hinc habuerunt armatum exercitum. Longè aliter Pontifex Romanus. Quod enim Conſtantini donatio non ſit fabula, adeoque ille & Romanæ urbis & multæ in Italia Regionis fuerit Princeps & Dominus, poſſit facilè oſtendi. Multo tamen tempore nec militem habuit, nec gladio eſt uſus. Lucet ex magni Gregorii adverſus Maximum Salonæ in Dalmatia Archiëpiſcopum Apologia. Malchum Dalmatiæ Epiſcopum, Romam à Gregorio evocatum & quadam nocte exſtinctum ſubitò, ab eodem Pontifice excommunicatus Maximus ſparſit in vulgus, & ad Mauritium Auguſtum pervenire fecit, fuiſſe in Papali carcere occiſum. Hinc ad ſuum Diaconum, & in Regia urbe Apocriſarium Sabinianum ſcripſit Gregorius: *De qua re unum eſt quod breviter ſuggeras ſereniſſimis Dominis noſtris, quia ſi ego ſervus eorum in morte Longobardorum me miſcere voluiſſem, Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in ſumma confuſione eſſet diviſa.* Verùm unde

undeGregorio tanta potentia? Quod & urbis & magni circumjacentis Lib. 7.
territorii haberet Principatum. Et qui pro tanta cauſa militem aut gladium Epiſt. 1. aſſumere noluit, à doloſa Epiſcopi cæde affirmat ſe patentèr alienum. Et ad Leonem Iſaurum Imperatorem ſcripſit Gregorius ſecundus: *Perſequeris nos ac tyrannicè vexas militari carnaliq; manu. Nos inermes ac nudi, qui terrenos & carnales exercitus non habemus, invocamus Principem exercitus omnis creaturæ ſedentem in cœlis.* Uti Ravenna Exarchum, ita Romana civitas habebat Ducem ſibi ab Imperatore Præfectum, cui juxta antiquum Imperii morem militia parebat. Et hinc laudatum Pontificem, ab impio Imperatore quæſitum ſeriò ad mortem, à Venetica & Pentapolitana militia fuiſſe defenſum ſcribit in ejus vita Anaſtaſius Bibliothecarius. Etiam adverſum Longobardos, Apoſtolica patrimonia vaſtantes ac invadentes, ſub Caroli Magni & ejus poſterorum Imperio nullum exercitum aut militem habuiſſe legitur Romana Eccleſia. Nempe Conſtantini Magni donatio militiam & gladium Auguſto Principi reſervarat.

Et hinc oritur quæſtio, Quiſnam Romanorum Pontificum primus aſſumpſerit jus gladii, & conſcripſerit exercitum? Leodienſes in famoſa adverſus Paſchalem ſecundum Pontificem pro Henrico Imperatore Epiſtola affirmant fuiſſe Gregorium ſeptimum: *Quis Pontificem Romanum umquam ſuis Decretis auctorizavit, ut debeat gladio ac bello in peccantes uti? Gregorius primus hujus nominis Papa, quid omnes ante ſe Papa ſuper hoc ſenſerint, & quid omnes poſt ſe ſentire debeant, oſtendit ſcribens Sabiniano Diacono.* Laudatam ſancti Gregorii Epiſtolam in eodem nobiſcum ſenſu exponunt, & pergunt: *Hoc exemplo omnes à primo Gregorio contenti, utebantur ſolo gladio ſpirituali uſque ad ultimum Gregorium, id eſt, Hildebrandum, qui primus ſe, & ſuo exemplo alios Pontifices contra Imperatores accinxit gladio belli.* Et infrà: *Hactenus Evangelicis, Apoſtolicis, & Propheticis teſtimoniis innitebamur, & quod minus habebat materia, augebat exemplorum copia. Hic verò quid dicam neſcio. Quo me vertam non video. Si enim utriuſque legis totam Bibliothecam, ſi omnes totius Bibliothecæ veteres expoſitores revolvam, exemplum hujus Apoſtolici præcepti non inveniam. Solus Hildebrandus Papa ultimam manum ſacris Canonibus impoſuit, quem legimus præcepiſſe Mathildi Marchioniſſæ in remiſſionem peccatorum ſuorum, ut debellaret Henricum Imperatorem.* Eccleſiæ hoſtes & proprio & alieno gladio invadere, iſtiſque militibus plenam peccatorum Indulgentiam impartiri nequaquam cœpit in Synodo Claromontana Urbanus ſecundus: Anteà fecit & Gregorius ſeptimus, illiuſque factum in Henrici Imperatoris gratiam damnavit Clerus Leodienſis. Ejuſdem



Digitized by Google

opinionis fuit famoſus Henrici adverſus Gregorium Apologus, in Libro
Fol. 37. de Unitate Eccleſiæ Venericus Epiſcopus Vercellenſis: *Hildebrant Papa in uſum belli conduxit milites Reipublicæ, cum militantes Deo implicare ſe non debeant negotiis ſæcularibus, & propter ſupplementa ſtipendiariorum ſpoliavit Romanam Eccleſiam oblationibus fidelium, quibus hactenus ſolebat ſuſtentare indigentiam pauperum.* Fatetur Gregorium propriis non pugnaſſe manibus, attamen damnat uti primum Papalis militiæ auctorem, qui Eccleſiaſtica pauperum bona cum Carolo Martello in milites diviſerit.

Et quidem Gregorius militiam omninò habuit. Lucet ex ejus adverſus Guibertum Ravennę Archiëpiſcopum, qui Papatum ab Henrico intruſus invaſerat, & dictam Romanæ Eccleſiæ civitatem in rebellione
Lib. 8. detinebat, ad omnes Orthodoxos Epiſcopos litteris: *Cupientes ſanctam*
Epiſt. 7. *Ravennatem Eccleſiam de manibus impiis eripere, & Patri ſuo beato Petro reſtituere, partes illas armata manu petemus, & per ipſius auxilium nos eam liberaturos, haud dubiè credimus.* Quod ipſum ſcribit ad dictæ civitatis Clerum & Populum, ad Regionem Pentapolitanam, ad Marchiam
Ep. 13. Firmanam, & ad Ducatum Spoletinum. Familiarem Romanæ Eccleſiæ
14. militem laudat item in litteris ad Deſiderium Abbatem Caſſinenſem.
Lib. 9. Iſtius tamen militiæ ipſe nequaquam fuit auctor. Etenim de præſentis
Ep 4. Canonis conditore ſancto Leone nono ſcribit Marianus Scotus: *Leo*
A. 1053. *Papa, exercitum ducens per Apuliam contra Nortmannos, infinita utrobique cæde peracta, ſine victoria redit.* Et Sigebertus Gemblacenſis: *Leo Pa-*
A. 1050. *pa, dum Nortmannos a Romanorum terminis deturbare nititur, multam calamitatem incurrit, quia cum multis etiam ipſe capitur. Sed tamen ipſe relaxari noluit, niſi etiam ſuis relaxatis.* Quod ipſum referunt in generali
Lib. 6. c. Hiſtoria Otho Friſingenſis Epiſcopus, & in Chronico Hermannus Con-
33. tractus, ajens bellum iſtud meritò fuiſſe infelix: *Quia tantum Sacerdotem*
A. 1053. *ſpiritualis potius, quam pro caducis rebus carnalis pugna decebat.* Et adverſum illos, qui Epiſcoporum & Abbatum privata in Eccleſiaſticarum rerum raptores bella laudati Leonis exemplo probabant, ad Oldericum Firmanum Epiſcopum ſcribit ſanctus Petrus Damiani: *Dico quod ſentio, quoniam nec Petrus ob hoc Apoſtolicum obtinet Principatum, quia negavit; nec David idcircò Propheta meretur oraculum, quia thorum alieni viri invaſit; cum bona vel mala non pro meritis conſiderentur habentium, ſed ex pro-*
Lib. 4. *priis debeant qualitatibus judicari.* Leonem fatetur fuiſſe virum San-
Epiſt. 9. ctum, addens etiam Sanctis ſua fuiſſe peccata, ideoque laudatum Pontificem per geſta adverſum Nortmannos bella à ſancti Gregorii magni, ſancti Ambroſii, & ſimilium Epiſcoporum moribus & regulis deviaſſe.

Digitized by Google

viaſſe. Leo nonus erat nobilis Francus, Tullenſium anteà in prima Belgica Epiſcopus, ideoque Francorum Epiſcoporum, exercitum in hoſtes ducere, & propriis etiam manibus pugnare conſuetorum, ſolemnem morem factus Papa non ſtatim dereliquit.

Attamen nec ipſe Papalis militiæ fuit inſtitutor. Inſtitutor fuiſſe videtur Gregorius ſextus. Ejus tempore ob invaſas à Laïcis omnes fermè ſancti Petri poſſeſſiones, pauperrima erat Romana Eccleſia, Italia plena latronibus, ipſorum in poteſtate erat cum Fidelium oblationibus Baſilica etiam Lateranenſis, Papalis excommunicatio ſpernebatur, Henricus tertius Imperator Germanicis occupatus bellis negabat auxiliare brachium: Hinc ergo militem conſcripſit Pontifex, Lateranenſem Baſilicam liberavit à latronibus, inſignem Apoſtolici patrimonii portionem de violentis raptorum manibus efeſtucavit, & Italicas ad urbem vias piis peregrinantibus reddidit ſecuras. Ejus rei cauſa à multis, etiam ipſis ſuis Cardinalibus, fuiſſe appellatum ſanguinarium, & multa paſſum, ſcribit Guilielmus Monachus Malmesberienſis. Ea forſan fuit & Fol. 83. una cauſarum, ob quas ipſum ejecit Imperator Henricus, ac deportavit in Germaniam. Ejus inſignem in vitæ extremo ad Dominos Cardinales pro facto ſuo Apologiam adducit laudatus Monachus: Sed quia non Romæ, ſed in exilio defunctus eſt Gregorius, Apologia videtur ſpurios habere natales. Quidquid ſit, non ſolus Leo nonus aut Gregorius ſeptimus, ſed & omnes alii huc uſque Pontifices armatam iſtam militiam in Romana Eccleſia continuarunt. Etenim poſt Gregorii ſeptimi tempora, ipſique motam ab Henrico quarto Imperatore Schiſmaticam & barbaram rebellionem, non in ſolis ſuis patrimoniis raptores Reges aut Principes, ſed & in ipſa Romana urbe populares ſeditiones, ideoque & exilia paſſi frequenter ſunt Pontifices, adeò ut à Gregorio nono & annuum tributum exegerit Romanos Senatus, prætenderitque nec urbem poſſe interdici à Pontifice, nec ullum civem excommunicari. Hinc militiam ſuam auxit laudatus Gregorius, eique præfecit Petrum Vintonienſem Epiſcopum, de quo Matthæus Paris: *Idem Epiſcopus fuerat in obſequio Richardi Regis Anglorum, Bellatoris Magnifici, diebus adoleſcentiæ ſuæ, ubi plus didicit in bello dimicare, & caſtra militum ordinare, quam Evangelii ſemina prædicando ſeminare.* Scio hæc apud Auguſtenſis Eccle- A.1234. ſiæ Chronicon fuiſſe graviter culpata à magno Gregorii æmulo, Frederico ſecundo Imperatore, verùm abſque armata militia ſanctum Pe- A.1227. trum Apoſtolum tunc expuliſſent Laïci Principes, & juxta abominandam Arnoldi Monachi Brixienſis prædicationem Romanus Epiſcopus & Clerus ex ſolis fidelium oblationibus jam dudum debuiſſet victitare.

Quo-

Digitized by Google

Quomodo etiam Innocentius ſecundus in Rogerium utriuſque Siciliæ iniquum detentorem duxerit exercitum, fueritque captus, & compulſus ad duras conditiones, videre poſſis apud Othonem Epiſcopum Friſingenſem. In omni publico per urbem proceſſu ſtipari armata militia cœpit Bonifacius nonus. Ita teſtatur, & cauſas edicit Theodoricus Niem.

Lib. 7. Nullus interim Romanus Epiſcopus umquam duxit armatus exercitum, niſi ſanctus Leo nonus. Excipe Joannem undecimum, cujus juvenis petulentia clypeum & loricam quandoque induit, & ita ſpectandum populis ſe exhibuit, verùm ſine militia, quam Romana tunc Eccleſia adhuc ignorabat. Vide Luitprandum Ticinenſem. In aliis ta-
Lib. 6. c. 8. men Epiſcopis Latinis & Abbatibus eſt antiquus ille abuſus. Quam apud nos, & in omni Gallia ac Germania graſſatus fuerit, docent antiquæ in Eccleſiis & privatis domibus picturæ, exhibentes nobis Epiſcopos Pluviali ac Mitra ornatos, pro Pedo geſtantes gladium, & ſine Dalmatica, Alba, & aliis Sacerdotalibus indumentis plenè cataphractos. Et ſuis Galliæ conciliis vir eruditus Jacobus Sirmondus indidit antiquam notitiam ſeu catalogum. Quæ in Francorum Regno Monaſteria Domino Imperatori debeant militiam & dona, quæ tantum dona, quæ ſolas ora-
Tom. 2. tiones. Eum conditum oſtendit noni ſæculi anno decimo ſeptimo, ſub Imperio Ludovici Pii, à Synodo Aquiſgranenſi. Utique ad perpetuam rei memoriam, ne Princeps quid de ſuis juribus perderet, aut ne quod Monaſterium ultra modum à Rege gravaretur. Et hinc in Monaſterii ſui Senonienſis Chronico ſcribit Richerius Monachus de Monaſterio
Lib. 1. c. 13. Mediano. *Quia Medianum Monaſterium, ſicut & alia circumjacentia, Romano Imperio ſubjacebant, & in expeditione Imperatoris armatorum cuneos de more mittere ſolebant, prœliis crebrius innovantibus Eccleſia miſerabiliter opprimebantur.* Ex bellorum frequentia lamentatur Monaſterium fuiſſe plenè depauperatum, & ad alias deinceps expeditiones incapax redditum, ideoque Duci Lotharingiæ, qui Monachos expulit, & omnia tam principalis Domûs, quam cellarum bona diviſit in milites, à Carolo Magno datum in commendam. Debitam ſibi militiam Monachorum ſuſtentationi prævalere ac eſſe præponendam Carolus judicavit. Et hinc vides iſtud militiæ debitum à Ludovico Pio non fuiſſe introductum. Quod ipſum lucet ex ſelectis ejuſdem Caroli capitulis, ubi omnis Francorum populus flexis genibus ſupplicat, ut Epiſcopi deinceps, ſicut hactenus, non vexentur hoſtibus, ſed belli tempore maneant in ſuis Eccleſiis, pro pu-
L. 2. c. 1. gnante milite oblaturi Sacrificia. Ut nulli comitentur ad campum, niſi duo vel tres, aut certè totidem Presbyteri, qui exercitui addant animos, & divina conficiant Sacramenta. Præteritum morem aiunt fuiſſe abomi-

nabi-

Digitized by Google

nabilem, & ejus cauſa militem frequenter in pugna à Domino deſertum. Et quidem juſtiſſimis precibus Carolus annuit, hac tamen adjecta conditione: *Reliqui, qui ad Eccleſias ſuas remanent, ſuos homines bene armatos nobiſcum, aut cum quibus juſſerimus dirigant, & ipſi pro nobis & cuncto noſtro exercitu Miſſas, Litanias, Oblationes, Eleëmoſynas faciant, orantes Deum Cœli, ut proficiamus in itinere quo pergimus, victoreſq;, Deo adminiculante, exiſtamus. Gentes enim & Reges earum, quæ Sacerdotes ſecum pugnare permiſerunt, nec prævalebant in bello, nec victores exſtiterunt, quia non erat differentia inter Laïcos & Sacerdotes, quibus pugnare non eſt licitum. Hæc verò Galliarum, Hiſpaniarum, Longobardorum, nonnullaſque alias gentes, & Reges earum feciſſe cognovimus, qui propter prædictum nefandiſſimum ſcelus nec victores exſtiterunt, nec patrias retinuerunt.* Nefandiſſimum iſtud ſcelus Galliam adeò tunc occuparat, ut adverſus ſanctiſſimum optimi Principis indultum aliqui murmurarent graviter, tanquam quod *Sacerdotum honorem minoraret*. Poſſe eſſe exercitus Ducem exiſtimabant partem dignitatis Epiſcopalis. Carolus ergo Epiſcopos & eorum Presbyteros à ſola per proprias manus pugna, nequaquam à mittenda ad Regis exercitum propria militia excuſavit.

Quæ porrò fuerit Cathedralium & Abbatialium Eccleſiarum militia, exponit in Centulenſis ad ſanctum Richarium Monaſterii Chronico Monachus Hariulfus: *Illorum nomina recitemus, qui ex ſancto Richario beneficia retentabant, quiq; cum ſibi ſubditis militibus noſtro Abbati & Miniſtris Eccleſiæ nobiliter ſatis ſerviebant terra mariq;, vel ubicumq; eorum comitatu quilibet è ſancti loci fratribus indiguiſſet.* Enumerat centum nobiles & proſequitur: *Hæc ſunt nomina militum, Monaſterio beatiſſimi Richarii famulantium, quos ubique Abbas vel Præpoſiti ſecum ducebant, quique conſuetudinaliter in die Feſto ſancti Richarii, & in Nativitate Domini, vel in Reſurrectione, ſeu in Pentecoſte, ſemper Monaſterio aderant, accuratè prout quiſque poterat ornati. Et ex ſua frequentia regalem penè curiam noſtram Eccleſiam facientes.* Et in Romano ſuo itinerario ad ſuos cives ſcribit Ratherius ex Lobbienſi Monacho Epiſcopus Veronenſis: *De mea paupertatula non ſum vobis adeò inhumanus, ut militari beneficio habeam, & hoc gratis, decem ex vobis ditatos.* Et ſupra in eodem opuſculo: *Milites ut mitterem meos eſt imperatum.* Et Philippo Francorum Regi, ut ad calvum montem cum militum manu occurreret mandanti, reſcripſit ſanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis: *Caſati Eccleſiæ & reliqui milites pene omnes vel abſunt vel excommunicati ſunt, quos ſine ſatisfactione reconciliare non valeo, & excommunicatos in hoſtem mittere non debeo.* Et de Fuldenſis Monaſterii Abbate ſcribit Guilielmus Malmesberienſis: *Ejus loci Abbas ſexaginta bellatorum*

Lib. 3. cap. 3.

Ep. 28.

*millia Imperatori prabet in hoſtem, habetq́ ex antiquo Privilegium, ut in*
Fol. 78. *præcellentibus feſtivitatibus ad ejus dexteram conſideat.* Caſatus quandoque ab unica caſa, quandoque ab integro caſamento, ſeu pago dicitur, eſtque ille qui caſam aut integrum pagum à quopiam tenet in beneficium. Proinde Eccleſiæ Caſati ſunt Domini, Domicelli, Plebæi, Cives, aut Ruſtici, qui ejuſmodi feudale beneficium habebant ab Eccleſia; ideoque ejus Epiſcopo aut Abbati debebant ſervire & militare. Addit ſancti Richarii Chronicon: *Cum ſibi ſubditis militibus. Etiam cum ſuis armigeris, valletis, & garzionibus*, quos Thomas Walſingamenſis rectè à militibus diſtinguit. Et hinc centum cum omni iſta apparitura nobiles, dum in memoratis feſtis comparebant, ſancti Richarii Monaſterium transmutabant quaſi in aulam Regalem. Laurishamenſis Monaſterii Chronicon Eccleſiæ ſuæ milites diſtinguit in Illuſtres, Nobiles, ac Miniſteriales, adjungit Illuſtres fuiſſe duodecim, ipſorum ſolorum inſignia fuiſſe expreſſa in beneficiali ac militari Cœnobii clypeo, Germanicè *Heerenſchilt*, ipſorumquè ſingulos ad præſtandum centum milites fuiſſe adſtrictos. Clypeus iſte erat ſumma Monaſterii dignitas & gloria, ideoque Bennonem Abbatem, qui ſeptem militaria feuda uni primum Palatino Comiti Godefrido, deindè Ulphoni Bavariæ Duci dederat, graviſſimè arguit laudati Chronici Scriptor, additque cauſam: *Exindè ſiquidem militaris clypeatura integritas confuſa, atque in diverſa diſtracta eſt, & Eccleſia ſtatus tam in militari frequentia, quam in re ſtipendiaria, in ſuis opportunitatibus & regalibus expeditionibus, imminutus eſt, multorum ſervitiis in unam perſonam collatis.* Clypeaturæ integritas fuit confuſa, quod antea Abbatis inſignia inter duodecim Principum arma, quaſi ſol inter duodecim ſtellas, rutilarent. Milites etiam cum Monachis & Clericis eligebant Epiſcopum aut Abbatem. Eorum jura & onera ſingulatim exponere non eſt hujus loci.

Quæſtio eſt, feudalem hanc militiam quiſnam in Cathedrales & Abbatiales Eccleſias introduxerit? Reſpondeo introductam à Carolo Magno. Ita in Abbatis Dodechini ad Marianum Scotum ſupplemento affirmat Paſchalis ſecundus Pontifex, declamans ad Epiſcopos & Abbates; *Fratres decimis & oblationibus ſuis contenti ſint, Rex verò prædia & Regalia, quæ à Carolo & Ludovico, Ottone & Henrico Eccleſiis*
A. 1110. *collatæ ſunt, ſibi & ſucceſſoribus ſuis recipiat & retineat.* Ex hiſce Epiſcoporum atque Abbatum Regalibus addit proceſſiſſe *Militiam & caſtra.* Ejus de hac re ad Henricum quintum Imperatorem litteræ idem aſſeverant.
Epiſt. 22. A Gregorio ſeptimo damnatas Antiſtitum Laïcas inveſtituras dimittere pertinaciter nolebat Henricus Imperator, aſſerens nequaquam eſſe gratuitum

tuitum & precarium Romanæ Eccleſiæ indultum, ſed ſtrictum cum Imperio contractum, utpote pro quibus Carolus Magnus, Ludovicus Pius, Otto primus, Henricus Sanctus, aliique id genus optimi Principes donatis Ducatibus, Comitatibus, & variis ad ipſos ſpectantibus poſſeſſionibus ditaſſent Eccleſias atque honoraſſent. Fatetur id Paſchalis Pontifex, ideoque Imperio, dummodo ipſum inveſtituras reddat Eccleſiæ, cuncta iſta feuda promittit reddenda, Antiſtiteſque juxta Apoſtolicum morem ex ſolis oblationibus, decimis, & agellis victitaturos. Revera enim ante Caroli Magni tempora, exceptis Domino Papa & quibuſdam Patriarchis, nemo Epiſcopus aut Abbas legitur habuiſſe militiam, nec item Dux aut Comes fuiſſe, aut ſimili Laïco titulo potitus. Hoſce titulos ad competentem ſibi ſubmittendam militiam Carolus obligarat. Quod ipſe primus Epiſcopos & Abbates ita honorarit, atque ad Reipublicæ & Regni curam evehere cæperit, aut certè opus hoc inſigniter ampliarit, diſertè teſtatur Ludovici Pii Aſtrologus. Addit in Sclavorum Chronico Presbyter Hemboldus: *Ludovicus Pius, paternis per omnia votis concordans, eadem liberalitate, qua Pater ejus, erga cultum Domus Dei & omnem Clerum uſus eſt, ampliſſimas Regni divitias ad decorem & gloriam Eccleſiæ intorquens, in tantum ut Epiſcopos, qui propter animarum regimen ſunt Principes Cæli, ipſe eoſdem nihilominus efficeret Principes Regni.* Exinde ergo & Epiſcopi & Abbates cæperunt, aliorum Principum more, habere feudales ſuarum Eccleſiarum milites, creatos per ſuperfluorum ſibi bonorum ſub-infeudationem, à Cariſiaca Synodo laudatam in litteris ad Ludovicum Germaniæ Regem. Alium creationis modum adducit Conſtantienſis Eccleſiæ Chronicon, laudans ſanctum Geberardum Epiſcopum, qui fundata à ſe Monaſteria non ſolum de feudis & poſſeſſionibus providit, ſed etiam de militibus, *qui equitando deſervirent, ſemperq; parati eſſent, ad equitandum, & commodandum Fratribus ſuos Caballos.* Eandem providentiam quibuſdam ſaltem Eccleſiis & Monaſteriis poſſint etiam alii Epiſcopi aut Principes impendiſſe. Dixi de Carolo Magno: *Aut certè hoc opus inſigniter ampliavit.* Etenim à Bonifacio Francorum Apoſtolo ſub Hilderici, Merovingii adhuc Principis, Regno habita Synodus Sueſſionenſis vetat Abbates pugnare propriis manibus, & adjungit: *Homines tranſmittant.* Homines dicuntur ab Hominio, ſuntque idem quod feudales milites. Quare hæc militia videtur Carolum anteceſſiſſe.

An. 778. Lib. 1. c. 4. Cap. 7. Cap. 3.

Quæri item poſſit, quare Aquenſis ſub Ludovico Pio habita Synodus ſola Monaſteria, & non Epiſcopatus diſtinguat in tres memoratas claſſes? Reſpondeo, quod quædam Monaſteria opulenta, quædam egena & ſuſten-

ſuſtentandis ſuis Monachis vix ſufficientia, quædam eſſent mediocria, ideoque quædam ad ſolas preces, quædam ad ſolas contributiones, quædam etiam ad militiam Principis cenſeret compellenda. At verò pleræque per Franciam Cathedrales Eccleſiæ abundabant Regalibus feudis, ideoque & ad militiam ſufficiebant. Dico, *Pleræque.* De Miſnenſi enim Epiſcopo ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis: *Homo Eccleſiaſticæ paupertatis, & nihil aut parum habens pompæ militaris, vota forſitan contra Rempublicam facere poterat, non arma ferre.* Etiam
A 1075. Tullenſem Eccleſiam fuiſſe pauperculam ſcribit, ideoque Leonem nonum Pontificem, qui genere illuſtris illi præeſſe ſit dignatus Epiſcopus, in Centulenſis Monaſterii Chronico prædicat Mo-
Lib. 4. c. 28. nachus Hariulphus. Et de Henrico ſexto Imperatore ſcribit in Sclavorum Chronico Arnoldus Abbas Lubecenſis: *Henricus in Longobardia poſitus Epiſcopum quemdam ad ſe accerſiri juſſit, cui etiam dixit, Dic Clerice, à quo inveſtituram Pontificalem ſuſcepiſti? Et ille: A Domino Papa. Cui rurſum Rex: Dic à quo inveſtituram Pontificalem ſuſcepiſti? Et ille: A Do-*
Lib 3. c. 16. *mino Papa. Cumq; tertio eiſdem verbis eum requiſiſſet, dixit Epiſcopus: Domine nil de Regalibus poſſideo, nec miniſteriales, nec curtes regias habeo, idcirco de manibus Domini Papæ Parochiam, cui præſum, teneo.* Ejuſmodi Epiſcopi, quales fuiſſe, licet paucos, certum eſt in Francorum Imperio, militare non debebant. Regalia enim feuda ſemper unicum debitæ ab Epiſcopis & Abbatibus militiæ fuerunt fundamentum. Hinc etiam de Guilielmo primo Anglorum Rege ſcribit Matthæus Pariſienſis: *Guilielmus Epiſcopatus & Abbatias omnes, quæ Baronias tenebant, & eatenus ab omni ſervitute ſæculari libertatem habuerant, ſub ſervitute ſtatuit militari, inrotulans ſingulos Epiſcopatus & Abbatias pro voluntate ſuâ, quot milites ſibi & ſucceſſoribus ſuis hoſtilitatis tempore voluit à ſingulis exhiberi. Et rotulas hujus Eccleſiaſticæ ſervitutis ponens in theſauris, multos viros Eccle-*
A. 1070. *ſiaſticos huic peſſimæ conſtitutioni reclamantes, à Regno fugavit.* Non quævis, ſed ſola Baroniis, ſeu Regiis feudis ditata Epiſcopia ac Monaſteria duxit ſub iſtam ſervitutem. Franciæ morem traduxit in Angliam. Ex Ludovici Pii imitatione rotulam iſtam confecit.

At verò Abbatum & Epiſcoporum, cunctorumque ferè Clericorum per proprias manus in bello pugna eſt longè antiquior. Etenim Salonium Metropolitam Ebredunenſem ac ejus fratrem Sagittarium Vapingenſem Epiſcopum, non cruce cœleſti munitos, ſed galea aut lorica ſæculari armatos proceſſiſſe in hoſtem, & propriis manibus multos interfeciſſe, ideoque Synodaliter fuiſſe degradatos, ſcribit in Francorum
Lib. 4. cap. 37. Hiſtoria ſanctus Gregorius Epiſcopus Turonenſis. Et adverſus ſimiles

Epiſ-

Digitized by Google

Epiſcopos & Clericos ſtatuit Synodus Andegavenſis: *Qui tradendis vel capiendis civitatibus fuerint intereſſe detecti, non ſolùm à communione habeantur alieni, ſed nec conviviorum quidem admittantur eſſe participes.* Et prima Matiſconenſis Synodus militare ſagum interdicit Clericis, & adjungit: *Qui poſt hanc definitionem cum armis inventus fuerit, à Seniore coërceatur per triginta dierum carcerem in pane & aqua.* Ex quo lucet peſſimum abuſum ſub Merovingiis Francorum Regibus quidem fuiſſe, ſed acriter & conſtanter ab Epiſcopis caſtigatum. Verùm ubi Carolus Martellus Eccleſiarum & Monaſteriorum bona diviſit inter milites, extrema paupertate compulſi Epiſcopi, Abbates, Clerici, & Monachi deſeruerunt Eccleſias & Clauſtra, alii labore manuum quæſiere victum, alii infirmiores apoſtatarunt, converſi in milites & raptores. Ejuſmodi enim Clerum ſanctus Bonifacius, reformandæ apud nos Chriſtianitati per Apoſtolicam Sedem delegatus Apoſtolus, ſub Pippino & Carolomanno, Caroli Martelli filiis, in Gallia ac Germania invenit, de quibus ad omnem Franciæ Clerum & Populum ſcripſit etiam Pontifex Zacharias: *Habuiſtis, peccatis facientibus, nunc uſque falſos Sacerdotes, unde & cunctæ Paganæ gentes vobis pugnantibus prævalebant, quia non erat differentia inter Laicos & Sacerdotes, quibus pugnare licitum non eſt. Qualis enim victoria dari poteſt, ubi Sacerdotes una hora pertractant Dominica Myſteria, & Chriſtianis corpus Dominicum porrigunt, pro animarum ſuarum redemptione, & poſtea Chriſtianos, quibus hoc miniſtrare debuerunt, aut Paganos, quibus Chriſtum prædicare, propriis ſacrilegiſq; manibus necant?* Eadem repetit in Epiſtola ad Regiæ domus Majorem Pippinum, & in Epiſtola ad Epiſcopos & Proceres Francorum. Milo ſancti Luituini Trevirenſis Archiëpiſcopi filius & Succeſſor, qui Carolum Martellum, primus in armis ſecutus eſt, ideoque Remenſis Epiſcopatûs commenda donatus, apud antiquos Franciæ ſcriptores, turpiſſimè notatur. Primum Antiſiodorenſem Epiſcopum, qui ſub Pippino Landenſi à ſui ſtatus ordine cæpit declinare & propriis pugnare manibus, fuiſſe Savaricum, ideoque divino fulmine percuſſum periiſſe teſtatur per Philippum Labbe vulgatus auctor Anonymus in geſtis Pontificum Antiſiodorenſium. Addit item ejus ſucceſſorem Haynmarum ſub Pippino Caroli Martelli filio adverſum Saracenos, & adverſus Eudonem Aquitaniæ Regem pugnaſſe feliciter, ſed tandem infeliciter periiſſe.

Cap. 4.

Epiſt. 8.

Cap. 36.

Rectè Carolus Magnus eundem abuſum dixit in Hiſpania viguiſſe. Utique ſub Barbaris Gothorum Regibus. Hi enim Barbarorum ſuorum Sacerdotum feros mores traduxerunt in Eccleſiam. Videtur tamen malum eſſe antiquius. Etenim ſub Romano Imperio celebrata Ilerdenſis Synodus



Digitized by Google

nodus graviter punit Clericos, qui in obſidionis neceſſitate poſiti ſumebant arma, mandatque abſtinere à fundendo quovis humano ſanguine, etiam hoſtili. Sub Gothis tamen Regibus malum increvit. Hinc Clericos qui in quavis ſeditione arma huc uſque ſumpſerant, aut deinceps ſum-
Cap. 45. pturi eſſent, degradatos tradi Monaſterio ad perpetuam pænitentiam mandat quarta Synodus Toletana. Item hinc dum Almuzar Saracenorum in Africa Rex invaderet Hiſpanias, de ipſarum Monachis ſcribit Glaber Rudolphus: *Tunc etiam ob exercitus raritatem compulſi ſunt Regionis illius Monachi ſumere arma bellica.* Graſſatum fuiſſe etiam apud Longobardos, multis exemplis poſſit oſtendi. Quin de obſeſſa ab ipſis Roma ſcripſit ad Pippinum Francorum Regem Papa Stephanus ſecundus: *Warharius Abbas, pro amore beati Petri loricam induens, per muros iſtius afflictæ Romanæ Civitatis die noctuq; vigilavit, & pro noſtra omnium Romanorum defenſione atq; liberatione, ut bonus Chriſti athleta, totis viribus decertavit.* Hic eſt ille Pippini Legatus, quem in laudati Stephani vita Anaſtaſius Bibliothecarius appellat Wernerium, affirmans fuiſſe virum Religioſum. Quare militiam iſtam probaſſe tunc videtur Romana Eccleſia. Etiam de Nortmannis in ſancti Herluini, primi Beccenſium Abbatis, vita ſcribit Gilbertus Criſpinus: *Rarus in Normandia tunc recti tramitis index aut pervius erat. Sacerdotes & ſummi Pontifices, liberè conjugati & arma portantes, ut Laïci erant, veterum ritu Danorum univerſi adhuc viventes.* Ait malum hoc cum Barbaris Gentibus in Eccleſiam intraſſe. Hinc tota Europa fuit ubique diffuſum.

Lib. 2. c. 9. Morem peſſimum apud nos Belgas & alios Francos damnare cæpit glorioſus Martyr Bonifacius, ſtatuens in Synodo Liptinenſi: *Servis Dei per omnia armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum & hoſtem pergere, omninò prohibuimus, niſi illis tantum, qui propter Divinum Miniſterium, Miſſarum ſcilicet ſolemnia adimplenda, & Sanctorum patrocinia,* Sanctas utique Reliquias, magnam parentum noſtrorum ſpem, *portanda ad hoc*
Cap. 2. *electi fuerint.* Principi unum cum duobus Presbyteris Epiſcopum, unicuique Præfecto unum permittit Presbyterum, qui eorum confeſſiones audiat, & alia Divina miniſtret. Liptinum porrò erat Palatium Regium, quod Lobienſi Monaſterio fuiſſe vicinum, in ejuſdem Monaſterii Chro-
Lib. 1. c. 3. nico teſtatur Abbas Folcuinus. Proindè Belgas præſertim noſtros ſanctus Bonifacius iſtic reformavit. Dicit, *Prohibuimus*, haud dubiè alludens ad datum à Zacharia Pontifice ſuis conſultationibus reſponſum: *Quis ſapiens eos æſtimet Sacerdotes, qui ab effuſione ſanguinum manus non ſervant innoxias?* Iiſdem manibus Paganos in vitam æternam regenerari, & ipſo-
Lib. 1. c. 3. rum ſanguinem fundi, eſſe dicit abominandum facinus, ideoque degradatione

tione puniendum. Ejus cauſa avitam Francorum fortitudinem addit in nuperis Saracenorum incurſionibus fuiſſe frequenter ſuperatam. Pergit Bonifacius in Synodo Sueſſionenſi: *Abbates legitimi hoſtem non faciant, niſi tantum homines ſuos tranſmittant.* Et in Synodo Vermerienſi: Epiſt. 3.
*Clerici arma non portent.* Verùm adeò inefficacia fuerunt hæc decreta, ut ad Carolum Magnum ſcripſerit ſenex Alcuinus Flaccus tunc Abbas Turonenſis: *Ecce Flaccus effœto corpore, militaris cingulo laboris depoſito, devotè ſoli Deo ſervire toto elegit deſiderio. Quid iterum pugnare cogitur, & ſub faſce armorum deſudare, quæ infirmi corporis denegat fragilitas de terra tantummodo levare?* Excuſari ſupplicat, & ſolis ad ſanctum Martinum precibus Regiam expeditionem adjuvare. Ex quo vides malum nec per ſuperius laudata Zachariæ Pontificis reſcripta, nec per jam adducta Bonifacii Legati decreta fuiſſe eliminatum. Opus fuit authoritate Regia, quam primus corrigendo abuſui impendit in capitulari Aquiſgranenſi Carolus Magnus: *Omnimodis dicendum eſt Presbyteris & Diaconibus, ut arma non portent, ſed magis confidant in defenſione Dei, quam in armis.* Quod capitulum, quia de ſolis Presbyteris ac Diaconis loquitur, quibuſdam viſum eſt Epiſcopis arma permiſiſſe. Et hinc in ſelectis per Jacobum Sirmondum capitulis cunctus Francorum populus flexis genibus & adductis multis rationibus ſupplicat, ut Epiſcopi & Presbyteri, quod ipſorum quidam nupero in prælio vulnerati eſſent & cæſi, deinceps hoſtibus non vexarentur, ſed in ſuis Parochiis reſidentes ſacrificiis & cæteris Sacerdotum functionibus pugnarent. Et hiſce precibus non ſolum plurium Epiſcoporum, ſed & Apoſtolicæ ſedis acceſſit authoritas, atque ita ipſis plenè annuit, quin & ad Clericos omnes & Monachos extendit Carolus Magnus, ea tamen conditione, ut Princeps unum vel duos Epiſcopos, & quiſque Præfectus unum Presbyterum ad Divini Sacramenti & Verbi Miniſterium poſſet in caſtris habere. Quæ omnia factus Imperator confirmavit in Epiſcoporum capitulari: *Nemo ex Sacerdotum numero arma pugnantium unquam portet.* Et in brevi capitulorum, quibus ſuos Epiſcopos & Abbates inſtruxit: *Miramur unde accidiſſet, ut qui ſe confitetur ſæculum reliquiſſe, neque omnino vult conſentire ut ipſe à quolibet ſæcularis vocetur, armatus homo cum ſit, & ad eos, qui nondum in totum ſæculo renunciaverunt, hoc pertineat, ad Eccleſiaſticos verò quomodo juſtè pertineat, penitus ignoramus, niſi illi nobis inſinuaverint, qui hæc quaſi licita uſurpare non dubitant.* Nempe vanos & mundani ſtrepitus ac pompæ diligentes Epiſcopos, Abbates & Clericos plenè compeſcere nullus uſque huc potuerat Synodalis Canon aut Regium Edictum, ideoque Carolus meritò eſt queſtus, & ad ejus preces rurſum ſtatuit Moguntina Synodus:

Cap. 3. Ep. 17. Cap. 16. Cap. 70. Cap. 18.

nodus: *Nos qui reliquimus ſaculum, id modis omnibus obſervare volumus, ut arma ſpiritualia habeamus, ſacularia dimittamus. Laïcis verò qui apud nos ſunt, arma portare non prajudicemus, quia antiquus mos eſt & ad nos uſ-*
Cap. 17. *que pervenit.* Qui cum proximè precedenti Canon palam deſumptus eſt ex laudato Caroli capitulari. Notanda ſunt verba: *Laïcis non prajudicemus.* Quorundam Epiſcoporum & Abbatum, portandorum armorum & ducendi exercitus jus ad ſui ſtatus dignitatem ſpectare opinantium, vanitatem & errorem evertunt, affirmant iſtud jus & ex antiquo Eccleſiæ Canone & ex avito Francorum more eſſe ſolorum Laïcorum, ideoque ipſis ſolis mandant permitti.

Verùm peſſimus abuſus nec ſic potuit aboleri. Etenim à Caroli Filio & ſucceſſore, à quo Aquitaniæ Clerum bellis & pugnis huc uſque aſſuetum fuiſſe inſigniter reformatum laudat Annaliſta Aſtrologus, Ludovico Pio
Ep. 24. ſe in Hiſpaniam ad limitum contra Saracenos cuſtodiam fuiſſe miſſum queritur Frotarius Archiëpiſcopus Burdigalenſis. Addit adverſus Bernardum Italiæ Regem Abbates omnes, vaſſos & populos, quibus militia conveniebat, fuiſſe ab eodem Principe juſſos omni hora eſſe paratos. Quod ſub ejuſdem filio & ſucceſſore Lothario Otgarius Moguntinus Archiëpiſ-
Lib. 3. c. copus duxerit exercitum, teſtatur Nithardus. Et de geſto per Lotharii fra-
4. & 7. trem Ludovicum Germaniæ Regem adverſum Bohemos & Moravos bellò ſcribunt Fuldenſes Francorum Annales: *In hac expeditione Luitbericus Moguntinus Archiëpiſcopus primatum tenuit; Aran vero Epiſcopus, vel Sigehardus Abbas Fuldenſis Monaſterii, quamvis fortiter hoſtem premendo*
An. 872. *pugnaſſent, plurimis tamen ſuorum amiſſis regreſſi ſunt.* Addunt de Sorabis & Suiſlis rebellantibus: *Quorum audaciam Luitbertus Archiëpiſcopus, ultra Salam flumen profectus, prælis & incendiis ſine bello compreſſit, & ſub priſtinum*
An. 874. *ſervitium redegit.* Etiam ſub Carolo Calvo, Francorum in Gallia Rege, tertio Ludovici Pii filio, non fuit melior Cleri ſtatus. Etenim Wenilonem Archiëpiſcopum Senonenſem, quod inchoatam adverſum Paganos Nortmannos expeditionem deſeruiſſet reverſus ad ſuam ſedem; item quod adverſus Ludovici Germaniæ Regis in Gallias irruptionem neque per ſe ipſum neque per Eccleſiaſticam ſuam militiam adfuiſſet, in Tullenſi Synodo dictus Carolus graviter accuſavit. Etiam Nicolao primo Pontifici, Gallicanos Epiſcopos ad ſuam Patriarchalem Synodum evocanti, reſ-
Ep. 53. pondit *majorem Epiſcoporum partem die noctuq; cum aliis Fidelibus contra Piratas maritimos invigilare, ob idq; non poſſe venire.* Et ad Pardulum Laudunenſem Epiſcopum ſcribit ſanctus Lupus Abbas Ferrarienſis: *Ego hoſtem ferire & vitare non didici, nec verò catera pedeſtris ac equeſtris militia*
Ep. 78. *officia, nec Rex noſter ſolis bellatoribus indiget.* Eo titulo rogat per Parduli apud

Digitized by Google

apud Regem preces ab armata militia excuſari. Pergit in litteris ad Marcuvadum Abbatem Prumienſem: *In Aquitanica congreſſione, manifeſta morte liberatus, poſt captivitatis moleſtias, ſolutus utroque periculo, ad Monaſterium redeamus.* Adeò à Rege non fuerat exauditus. Eam fuiſſe gravem Regni conſuetudinem queritur in litteris ad Nicolaum primum Pontificem Hincmarus Archiëpiſcopus Remenſis. Fuit conſuetudo adeò firma, ut directo ad eundem Regem Canone ſtatuerit ſecunda Vernenſis Synodus: *Quoniam quoſdam Epiſcoporum ab expeditionis labore corporis defendit imbecillitas, aliis autem veſtra Indulgentia cunctis optabilem largitur quietem, præcavendum eſt utriſque, ne per eorum abſentiam res militaris diſpendium patiatur.* Mandat abſentibus, ut ſuam militiam cum apto ſui Vicario Duce omnino mittant. Ep. 91. Ep. 26. Cap. 8.

Notanda ſunt verba, *Quietem cunctis optabilem*: Edicunt onus iſtud invitis Epiſcopis fuiſſe à Rege injectum. Utique contra capitularia Caroli Magni. Hinc gravem eſſe conſuetudinem queſtus fuit etiam Hincmarus. Nec defuerunt conſtantes in Gallia Epiſcopi, qui ipſam intrepidè damnarint. Damnavit Synodus Meldenſis: *Quicumque ex clero eſſe videntur, arma militaria non ſumant, nec armati incedant, ſed ſuæ profeſſionis vocabulum Religioſis moribus & habitu præbeant.* Eos omnes mandat degradari, quod Deo ſimul & ſæculo non poſſint militare. Et in ſuo Capitulari Herardus Archiëpiſcopus Turonenſis: *Presbyteri & Diaconi, ſi in bella cum armis proceſſerint, ita deponantur, ut nec Laïcam communionem habeant.* Et rurſus: *Clerici quacumque ſeditione arma detulerint, poſt depoſitionem gravi pœnitentia in carcere retrudantur.* Et Iſaac Lingonenſis Epiſcopus: *Si quis Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus ad bellum proceſſerit, & arma bellica indutus fuerit ad bellandum, ab omni officio deponatur, in tantum ut nec Laïcam communionem habeat.* Et Synodus Pontigonenſis: *Nullus ſacri Ordinis arma militaria pro quacumque ſeditione portare audeat.* Et ſub Stephano quinto habita Synodus Metenſis: *Nemo Clericorum arma portet.* Cap. 37. Cap. 50. Tit. 11. cap. 10. Part. 73. cap. 9.

Sed neque tunc ceſſavit abuſus. Etenim de Nortmannis Civitatem Metenſem obſidere parantibus ſcribit Regino Abbas Prumienſis: *Quod cum reperiſſet ejuſdem Urbis Epiſcopus Walo, adjuncto ſibi Bertulfo Epiſcopo & Andelhardo Comite, ultro illis obviam ad pugnam procedit. Inito certamine Nortmanni victores extiterunt, Walo Epiſcopus cecidit, cæteri fugerunt.* Quod Walonis factum laudant etiam Fuldenſes Francorum Annales, & Sigebertus Gemblacenſis, Et de Ottone ſecundo in Italia adverſum Saracenos pugnante habet Lambertus Schafnaburgenſis: *Otto Imperator valde periculoſum habuit prælium cum Saracenis in Calabria, in quo prælio* Cap. 6. A. 882.

 *occiſus*

*occiſus eſt Henricus Auguſtenſis Eccleſiæ Epiſcopus cum aliis plurimis Epiſcopis.* Occubuiſſe ait & alios fortiſſimos milites, quos inter Warnerius Abbas
A. 982. Fuldenſis. Et de digniſſimo ſuo Epiſcopo Wazone Anſelmus Canonicus Leodienſis: *Si Epiſcopum reſpicio, videor mihi videre ſupparem Gregorio; ſi militaria agentem, non imparem contemplor eſſe Machabæo.* Et ſanctum
Cap. 98. Annonem, Goſlarienſis Eccleſiæ Præpoſitum, quod in commiſſo adverſum rebelles Imperio Hungaros prælio *fortius omnibus dimicaſſet*, Colonienſi Archiëpiſcopatu fuiſſe ab Henrico tertio Imperatore donatum
Fol. 115. affirmat magnum Belgii Chronicon. Innumera ſunt iſtiuſmodi exempla, præſertim poſt tempora Pontificis Formoſi. Abuſum fuiſſe ſuo tempore communiſſimum, omnemque Epiſcopum aut Clericum, qui loricatus præliari nollet, habitum ut ſuo Principi perjurum, affirmat & queritur in libro de contemptu Canonum Ratherius Epiſcopus Veronenſis. Seſe, quod in exercitum nunquam veniret, fuiſſe ab æmulis judicatum Epiſcopatu indignum, aſſerit in libro, cui nomen, *Conjectura qualitatis.* Et hinc apud laudatum Anſelmum Balderico Leodienſi Epiſcopo, peccata ſua confitenti, vir ſanctiſſimus Joannes, neſcio cujus in Italia Sedis Epiſcopus, dixit *grande crimen eſſe, Sacerdotem Chriſti, more terrenæ poteſtatis, exercitum ductare, humano ſanguini intereſſe, tot homines pro unius ſalute capitis perire, adverſus hoſtilem cuneum oratione, non*
Cap. 61. *gladio pugnandum.* Et iſto pro peccato inſignem Baldrico injunxit pœnitentiam. Et de Francone ejuſdem apud Tungros ſedis Epiſcopo, ſtrenuè adverſum Gentiles Nortmannos præliato, in ſui Monaſterii Chronico ſcribit Folcuinus Abbas Lobienſis: *Poſt hæc Franco Epiſcopus, ſciens illicitum eſſe quemquam ſanguineis manibus Sancta tractare, Romam mittit Beri onem Leodienſem Clericum, & Teutricum Lobienſem Monachum, quos ordinari Epiſcopos, qui vicem ſuam ſupplerent, oravit & exoravit. Quibus jam factis Epiſcopis Parochiam ſuam gubernandam commiſit, ipſe de reliquo*
Cap. 17. *in pace & otio conſenuit.* Non obſtante ſui temporis conſuetudine judicavit ſe irregularem, ideoque omne Pontificale miniſterium in duos laudatos Vicarios traduxit, haud dubiè ex judicio Nicolai primi Pontificis, qui Carolo Calvo Francorum Regi, ſcribenti Epiſcopos ſuos ſtare in acie adverſum Nortmannos, repoſuit vocem iſtam eſſe Chriſtiano Rege
Ep. 53. indignam, & adjunxit: *Quod ſi ſæculi milites ſæculari militiæ ſtudent, quid ad Epiſcopos & milites Chriſti, niſi ut vacent orationi?* Et confirmat ex Apoſtolo: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Et hinc regulam, quæ armatam militiam Epiſcopis & Clericis interdicit, vulgaribus
Cap. 83. Apoſtolorum Canonibus antiqui Græcorum Epiſcopi non ſine fundamento inſeruerunt. Quæ omnia à Romanæ Eccleſiæ Clero edoctus Leo nonus

Digitized by Google

nonus Pontifex vetuſtum Francorum & aliarum fidelium gentium morem peſſimum, factumque proprium præſenti Canone damnavit. Quod enim arma portando deliquerit, ideoque opus iſtud hîc meritò correxerit, diſertè profitetur in litteris ad Oldericum Firmanum Epiſcopum ſanctus Petrus Damiani. Lib. 4. Epiſt. 9.

Verùm Medicina fuit inefficax. Etenim non ſolùm in Gallia aut Germania, ſed & in ipſa Italia malum pertinaciſſimè perſeveravit. Lucet ex ſancto Petro Damiani in litteris ad Alexandrum ſecundum Pontificem, ſanctum Bonitum de renunciato Arvernenſis Eccleſiæ Epiſcopatu laudantibus: *Quid iſte faceret, ſi tormenta, quibus noſtri cruciantur Epiſcopi, & ipſe perferret? Si Scutatorum & Lanceatorum turma poſt equitantis terga confluerent? Si eum tanquam Gentilis militiæ Ducem in procinctu poſitum armati undique manipuli conſtiparent? Et quem decuerat reverenter incedere cum choro Pſallentium, audire cogeretur hinc indè perſtrepentium tinnitus armorum? Unde fit, ut modo Pontificem non comitentur, ut dignum eſt, diverſi Clericorum Ordines, ſed Caſtra potius, & armati telis vibrantibus bellatores.* In aliis ad eundem Pontificem litteris lamentatur Epiſcopos, Clericos, & Monachos eſſe forenſibus litigiis ac aliis ſordibus plenos, ſoloque fermè Barbiraſio diſcretos à ſæcularibus, & proſequitur: *Utinam legalis dumtaxat edicti eſſemus lite contenti. Arma potius, arma corripimus, vibrantia telis tela conſerimus, & non verbo, ſed ferro contra noſtri ordinis Regulam dimicamus.* Epiſcopatum ambientes Clericos reperiri paſſim ac ſuis impenſis militare in Caſtris Regiis ſcribit in litteris ad Cardinales Epiſcopos, oſtendens militiam iſtam eſſe munus ab obſequio, ideoque Simoniam. Adeò permanſit abuſus peſſimus, ut neque venerabilis Rudolphus, ex ſanctiſſimo Monacho ſanctior Eugubinæ Cathedræ Epiſcopus, à ſequendo exercitu fuerit immunis. Et hæc fuit præcipua ratio, ex quâ Oſtienſem Epiſcopatum laudatus Petrus depoſuit, rediitque ad cellam. Lib. 1. Ep. 10. Epiſt. 15. Lib. 2. Ep. 1. Lib. 1. Ep. 19.

Iniquitas iſta olim non fuit in Anglia. Etenim de Ean Scotorum Rege in Edilfredum Cantuariorum Regem pugnante, penituſque cæſo & exſtincto, ſcribit Sigebertus Gemblacenſis: *In Monachos quoque Scotorum ira Dei ſæviente, qui cum Rege ſuo ad bellum hoc ex more exeuntes, ut Rege armis pugnante, ipſi orando pro eo pugnarent, perempti ſunt ab Anglis mille ducenti, tantum quinquaginta per fugam elapſis.* Morem, quo ſolis pro Rege ſuo orationibus in campo præſentes pugnabant Scotorum Monachi, fuiſſe ait à Deo punitum per Anglos, adeoque horum Monachos ſupponit etiam ab hoc ad bellum proceſſu fuiſſe mundos. Et de Guilielmo Angliæ Conquæſtore ſcribit Matthæus Pariſienſis: *Rex Wilhelmus,* An.602. 615. A.1070.

*peſſimo uſus conſilio, Epiſcopatus & Abbatias omnes, quæ Baronias tenebant, & eatenus ab omni ſervitute ſæculari libertatem habuerant, ſub ſervitute ſtatuit militari, inrotulans omnes Epiſcopatus & Abbatias pro voluntate ſua, quot milites ſibi & Succeſſoribus ſuis, hoſtilitatis tempore, voluit a ſingulis exhiberi. Et rotulas hujus Eccleſiaſticæ ſervitutis ponens in theſauris, multos viros Eccleſiaſticos, huic conſtitutioni peſſimæ reluctantes, à Regno ſugavit.* Hoſce inter fuerunt Stigandus Archiepiſcopus Cantuarienſis & Alexander Epiſcopus Lincolnienſis. Egelduinus Dunelmenſis Epiſcopus Regem excommunicavit. Eccleſiarum Baronias Regi ad certum militiæ numerum præſtandum obligari, variæque iſtius obligationis catalogos in Regia Archiva referri viderat Guilielmus apud Gallos, aliaſque nationes; præſentem item Leonis Canonem norat paucorum moribus receptum: Hinc acquiſiti Regni Eccleſiis & Abbatiis novum iſtud onus impoſuit. Addidit & aliud à Simeone Dunelmenſi memoratum: *Guilielmus Rex mandavit, ut Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates cum ſuis militibus die Calendarum Auguſtarum ſibi occurrerent Saresberiæ. Quo cum veniſſent, milites illorum ſibi fidelitatem contra omnes homines jurare coëgit.*
A.1086. Eccleſiarum ac Monaſteriorum Baronias dixit eſſe feuda ac beneficia Regia, ideoque ipſorum feudales milites obligari ad ſibi profitendum. Ita Anglos, à quibus timebat ſe excutiendum, variis artibus firmavit ſub jugo. An Abbates & Epiſcopos etiam ad perſonaliter præliandum coëgerit, nolim affirmare. Affirmare videtur Joannes Bromptonus Abbas Jornalenſis, ſcribens de ſancto Wolſtano Vigornenſi Epiſcopo: *Nec*
A.1057. *etiam poſteà, tempore Guilelmi Regis Conquaſtoris, pompam Nortmannorum omittebat, quin ſtipatus militibus incederet, Miſſam quotidie cantans, Pſalterium addebat.* Verùm poteſt quis militiam eques ducere, & propriis tamen manibus non pugnare. Ut ut ſit, artem peſſimam Anglicani, ex Nortmannis ejus peritis paſſim in principio aſſumpti, Epiſcopi inſigniter & brevi addidicerunt. Abbates non lego pugnaſſe.

Quæſtio eſt, an nullo penitùs caſu Epiſcopis & Clericis liceat propriâ manu pugnare? Reſpondet in famoſa adverſus Paſchalem ſecundum Pontificem Epiſtola Clerus Leodienſis: *Contra Barbarorum & inimicorum Dei aſſultus concedunt Canones etiam Clericis arma ferre ad defenſionem urbis & Eccleſiæ. Bella verò indici Eccleſiæ per Canonicam authoritatem, nuſquam ſcripturarum legimus.* Agunt adverſus bellum, quod Apoſtolicæ Sedi rebellibus Cameracenſibus ex Paſchalis mandato intulerat Robertus Flandriæ Comes: Offenſivum in nullo penitùs, defenſivum bellum ajunt Clericis licere in unico dumtaxat caſu, dum nempe Chriſtiana civitas ab infidelibus Barbaris oppugnatur. Sic & Haynmarum Antiſiodo-

ren-

renſem Epiſcopum, quod adverſus Eudonem Aquitaniæ Regem pugnarit, videtur reprehendere ſuprà laudatus Scriptor Anonymus, ejus tamen adverſum Saracenos prælia probat omninò & laudat. Et Perſica Juſtiniani Imperatoris bella laudans, & captæ in Meſopotamia Amidæ cauſas exponens, de ejuſdem Provinciæ Monachis ſcribit Procopius Cæſareenſis: *Turrim propè Hipponomum Chriſtianorum ſapientiſſimi cuſtodiebant, quos Monachos vocant.* Quod ipſum laudat ſanctus Theophanes. Lib. 1. Fol. 124.
Et pro Theodoſio Campaniæ Abbate ad Maurentium Romanæ militiæ contra Paganos Longobardos Magiſtrum ſcribit magnus Gregorius: *Theodoſius aſſerit ſe in murorum vigiliis ultra vires ſuas vehementer affligi. Petimus ergo Gloriam veſtram, ut ſiquidem ſit poſſibile, de eodem onere relevetur.* Ex neceſſitate permittit illum cum ſuis Monachis ad onus iſtud impendi. L. 7. ind. 2. Ep. 76
Quod item venerabilis Ademarus Podienſis Epiſcopus lorica & caſſide veſtitus in Saracenos proceſſerit, atque in iſta veſte ad milites etiam concionatus fuerit, cum aliis teſtatur in ſacri Belli Hiſtoria Robertus Monachus Remenſis. Lib. 7. Et plura ſunt ejuſmodi exempla. Quin & Wernerium Abbatem, quod adverſum Chriſtianos Longobardos defenſiva Romanæ urbis arma ſumpſiſſet, ſuprà audivimus commendari à Stephano ſecundo. Etiam dudum poſteà rebelles ſibi Romanos oppugnans Gregorius nonus exercitui ſuo præfecit Petrum Vintonienſem in Anglia Epiſcopum, quod inſigniter dives eſſet, & melius pugnare ac diſponere aciem noſſet, quàm Evangelium prædicare. Ita ſcribit Matthæus Pariſienſis. Et obſeſſas à Fideli exercitu civitates etiam hodie videmus ab armatis Clericis & Monachis defendi. Qui mos invaleſcere cæpit, poſtquam Clemens quintus ob commiſſum cum inculpatæ tutelæ moderamine homicidium ſanxit non incurri irregularitatem. A. 1234. 1235.

Adverſæ tamen ſententiæ fuit in Ilerdenſi Synodo Hiſpanica Eccleſia, ſtatuens de ſacris Clericis: *In obſidionis neceſſitate poſiti ab omni humano ſanguine abſtineant, etiam hoſtili.* Cap. 1. Prævaricantes cogit ad duorum annorum pœnitentiam, & vetat ad altiora promoveri. Loquitur de obſeſſis per Gothos, peſſimos tunc Arianos. Ejuſdem ſententiæ fuit Nicolaus primus Pontifex, de neſcio quo Clerico, qui Paganum Nortmannum in bello occiderat, ſcribens ad Humfredum Morinenſem Epiſcopum: *Non oportet ad gradum majorem provehi, qui carere debet etiam acquiſito. Homicida enim eſt.* Exſtat Epiſtola in Decreto ſancti Ivonis. Lib. 6. c. 120. Hinc & Carolo Calvo Francorum Regi, qui ad Romanam Synodum evocatos Epiſcopos ſcripſerat occupari in maritimis adverſum Paganos Nortmannos vigiliis, fuit graviter indignatus. Hanc eſſe gravem Regni conſuetudinem queſtus apud eundem Pontificem fuit etiam Hincmarus Metro- Ep. 26.

 polita

Digitized by Google

polita Remenſis. Et in opuſculo de Epiſcopi officio ſcribit: *Epiſcopus debet militiam ad ſancta Eccleſiæ defenſionem, ſecundùm poſſibilitatis quantitatem, juxta antiquam conſuetudinem Regiæ diſpoſitioni exhibere.* Verba, Ep. 46. *juxta antiquam conſuetudinem*, edicunt morem hunc Canonibus adverſari. Videtur res eſſe arbitrii, circa quam quiſque poſſit abundare in ſuo ſenſu, ſui actus rationes Domino redditurus. Rogandi interim & admonendi ſunt Chriſtiani Principes, ut in ſuis etiam obſeſſarum civitatum defenſivis bellis Clericos ac Monachos non permittant, longè minus cogant arma gerere, & propriis manibus pugnare.

## CANON VII.

NE *quis Clericus vel Laïcus uſuras exerceret.*

### SCHOLION.

Cap. 26. DE Gentilibus Germanis ſcribit in libro de ipſorum moribus Cornelius Tacitus: *Fœnus exercere, & in uſuras extendere, ignotum apud Germanos, ideoq; magis ſervatur, quam ſi vetitum eſſet.* Eſt laus incomparabilis. Uſura quippè eſt crimen in humano genere, apud Gentiles, Judæos, & Chriſtianos damnatum ſemper, ſemperque graſſatum. Ipſum duris & carnalibus Judæorum mentibus Doctores graviſſimi exiſtimant in extraneos ob vitandi difficultatem fuiſſe diſpenſatoriè permiſſum. Exiſtimem permiſſum in ſolos Chananæos, qui ipſis donatas à Deo Regiones iniquè detinebant. Hanc Deus illis permiſit compenſationem. Quidquid ſit, ſub Quinti Fabii & Publii Decii Conſulatu Lib. 10. c. 23. & 24. multa Romæ fuiſſe prodigia ſcribit Titus Livius in prima Decade, eiſque averruncandis facta varia Paganæ pietatis officia, inter quæ fuerunt fœneratores mulctati bonis converſis in ornamenta Templorum, & publicarum viarum reparationem. Angelica ſancti Thomæ doctrina, uſuraria lucra mandans fœneratoribus eripi, & in publicos Eccleſiæ aut Reipublicæ uſus impendi, eſt adeò antiqua. Etiam Porcium Catonem, Prætorem Sardiniæ, quod omnes fœneratores fugaſſet ex Inſula, fuiſſe Lib. 2. c. 27. virum ſanctum idem Livius in quarta Decade affirmat. Addit multis fœnebribus legibus etiam in urbe fuiſſe conſtrictam avaritiam, ac nihilominus adverſus ejus aſtutiſſimos dolos novis frœnis ſemper fuiſſe opus. L. 5. c. 7. Et Valerii Flacci conſularem legem, quæ creditoribus quadrantem ſolvi juſſit, fuiſſe turpiſſimam, ideoque Syllanis temporibus à Deo vindicatam

dicatam affirmat Velleius Paterculus. Exponit in ſuis ad Paterculum
ſcholiis Aldus Manutius : *Juſſerat ut uſura annua quadrante ſolveretur.*
*Quadrans erant tres centeſimæ. Ternos igitur nummos ex centenis pendi uſura*
*nomine Flaccus voluit.* Et iſtam legem uti turpiſſimam fuiſſe divina in
Rempublicam vindicta dignam Pagani homines judicarunt. Et de Octa-
viano Auguſto ſcribit Suetonius : *Notavit aliquos, quod pecunias leviori-* Lib. 2. c.
*bus uſuris mutuati, graviori fœnore collocaſſent.* Et de Veſpaſiano Augu- 39.
ſto : *Auctor fuit decernendi, ne filiorum familias fœneratoribus exigendi cre-* Lib. 10.
*diti jus unquam eſſet, hoc eſt, ne poſt Patrum quidem mortem.* Quam le- c. 11.
gem fuiſſe priùs à Claudio latam affirmat Cornelius Tacitus in Annali- Lib. 11.
bus. Et de Antonino Pio Imperatore ſcribit Julius Capitolinus: *Fœnus* c. 13.
*trientarium, hoc eſt, minimis uſuris, exercuit ut patrimonio ſuo plurimos* Cap. 11.
*adjuvaret.* Uſura centeſima ſolebat ſolvi ſingulis menſibus, eratque
annuè duodecim in centum. Hinc enim Poëta Horatius: *Triſtes miſero* Lib. 1.
*venere Calendæ.* Calendarum ſeu neomeniarum dies ab uſurariis reddi- Sat. c. 3.
tos fuiſſe nefandos & execrabiles, etiam Plutarchus aſſeverat. Quare fœ-
nus trientarium erat quod ſingulis dumtaxat trimeſtribus ſolvebatur,
eratque annuè quatuor in centum. Ex quo vides poſteriores Romanos
ab antiqua juſtitia, quæ memoratam Valerii Flacci caſtiorem legem
duxit turpiſſimam, pedetentim admodum receſſiſſe. Hinc de Alexan-
dro Auguſto ſcribit etiam Ælius Lampridius : *Fœnus publicum trienta-* Cap. 21.
*rium exercuit, ita ut pauperibus pleriſque ſine uſuris pecunias dederit ad*
*emendos agros, reddendas de fructibus.* Fœnus publicum erat publicæ
ſeu Fiſcalis pecuniæ fœnus, cui debebatur uſura ſemiſſis, id eſt, ſex in
centum, ideoque Alexander, qui ſolùm quatuor exegit, meritò lau-
datur. Pergit Lampridius : *Alexander uſuras fœneratorum contraxit ad*
*trientes penſiones, etiam pauperibus conſulens.* Adeò tunc uſura apud Ro-
manos invaluerat, ut Valerii Flacci legem Alexander non potuerit re-
ſtituere. Nihilominus *Senatores, ſi fœnerarentur, uſuras accipere primo*
*vetuit, niſi aliquid muneris cauſa acciperent. Poſtea tamen juſſit in ſemiſſes*
*acciperent donum, munus tamen ſuſtulit.* Munus iſtud in ſuis ad decimum
octavum Prophetæ Ezechielis caput commentariis exponit ſanctus Hie-
ronymus: *Quidam pro fœnerata pecunia ſolent munuſcula accipere diverſi*
*generis, & non intelligunt uſuram appellari & ſuperabundantiam, quidquid*
*illud eſt, ſi ab eo, quod dederint, plus acceperint.* Munuſcula latiùs illa
edifferit in commentariis ad caput vigeſimum primum ſancti Matthæi.
Quod in explicitum pactum non deducerentur, & carnales Judæi &
Gentiles Romani crediderunt non eſſe uſuram. Modum in ipſis excedi
advertit Auguſtus Alexander, ideoque & ſuſtulit, Senatoribus permit-
tens

Digitized by Google

tens trientalium ſemiſſes uſuras, id eſt, annuè duo in centum. Licet modica, erat tamen Senatoriæ dignitatis macula, ideoque neſcio quis poſterior Imperator etiam iſtas uſuras Senatoribus interdixit. Et hanc legem in quinquageſima ſexta ſuper ſancti Matthæi Evangelium Homilia prædicat ſanctus Joannes Chryſoſtomus: *Quod ſi externos vel ſæculi legum conditores interrogare volueris, diſces quod illis quoque extremæ invrecundiæ ſignum fænus videtur. Quare conſtitutis in dignitatibus, & coaptatis in magnum conſilium, quem Senatum vocant, fas non eſt hujuſmodi lucris fœdari. Sed lex apud ipſos poſita eſt hujuſmodi lucra prohibens.* Acceptam Chriſtiana regeneratione dignitatem aſſeverat ſæculari Senatoria eſſe longè maiorem, ideoque damnabili lucro longe minus fædandam. Eandem legem ſupponunt in Reſcripto ad Eutychianum Prætorio Præfectum, exſtante in codice Theodoſiano, & laudant etiam Arcadius & Honorius Imperatores, definientes ipſam ad Senatoriæ originis pupillos non extendi, ideoque his
Lib. 2. conſuetas pupillarium pecuniarum uſuras debere omninò ſolvi. Verum
tit. 33. iidem Principes in lege ad Optatum Conſtantinopolitanæ Urbis Præfe-
cap. 3. ctum, Senatoribus centeſimæ uſuræ medietatem, id eſt, ſex in centum permiſerunt. Nempe poſt ſancti Joannis exilium lata eſt iſta lex,
Cap. 4. extorta per dictum Optatum, hoſtem ejus infenſiſſimum, qui ut Sanctiſſimum virum, adverſus uſuras conſuetum calidiſſimè concionari, etiam exulem faceret plebi odioſum, laudatumque ejus contra uſuras argumentum exinaniret, imprudentem Arcadium in ſordidam iſtam legem circumſcripſit. Eodem tempore natum exiſtimo abuſum, adverſus quem, quinquageſimi quarti Pſalmi verſum, *Non defecit de plateis ejus uſura & dolus*, exponens declamat ſanctus Auguſtinus: *Uſura & dolus non abſconduntur ſaltem, quia mala ſunt, ſed publicè ſæviunt. Etenim qui in domo aliquid mali facit, vel de malo ſuo erubeſcit. In plateis ejus uſura & dolus. Fœnus & profeſſionem habet. Fœnus etiam ars vocatur: Corpus dicitur. Corpus quaſi neceſſarium Civitati: Et de profeſſione ſua vectigal impendit. Uſque adeò in platea eſt, quod ſaltem abſcondendum erat.* Adeò tunc graſſabatur uſura, ut uſurarii eſſent non modica ſocietas, ſed integrum civitatis corpus, & de ſuis rapinis Principi penderent ſolemne vectigal. Etiamnum hodiè à publicis uſurariis ipſum accipiunt, & pro illo adverſum Epiſcopos dant criminis impunitatem Chriſtiani Reges, juxta Concordatum, quod cum ſuis Epiſcopis iniit Francorum Rex Philippus ſextus: *Quintum capitulum eſt, quod Epiſcopi vel Archiepiſcopi non debent requirere à Burgenſibus, vel ab aliis, quod numquam præſtaverint ad uſuram, nec*
A. 1329. *præſtabunt.* Res fæda. Laudandæ civitates, quæ rapinam iſtam exerceri non permittunt, niſi per Judæos.

Porrò

Porrò dudum ante ſanctum Joannem Chryſoſtomum uſura graſſari cæpit inter Chriſtianos, imò & inter Clericos, ideoque antiquiſſimos in ipſam habemus Canones. *Si quis Clericorum*, inquit Synodus Eliberina, *detectus fuerit uſuras accipere, placuit degradari, & abſtinere. Si quis etiam Laïcus accepiſſe probatur uſuras, & promiſerit correptus ſe jam ceſſaturum, nec ulterius exacturum, placuit ei veniam tribui. Si verò in iniquitate duraverit, ab Eccleſia ſe ſciat eſſe projiciendum.* Et prima Synodus Arelatenſis: *De Miniſtris, qui fœnerantur, placuit eos juxta formam divinitus datam à communione abſtinere.* Et Laodicena: *Non oportet hominem ſacratum fœnerari, & uſuras, quæ dicuntur ſeſquialteræ, accipere.* Eaſdem ſeſquialteras, itemque centeſimas omnibus generatim Clericis rigidiſſimè interdixit etiam generalis Synodus Nicœna. Seſquialterorum tam in humidis quam aridis frugibus uſuras per ſolemnem Draciliano, Præfecti Prætorio vices apud Palæſtinos agenti ſcriptam legem, non quidem juſtificarat, ſed tamen impunes ambulare permiſerat Conſtantinus Auguſtus. Eodemque libertatis pede per Romanam Rempublicam gradiebatur uſura centeſima. Hinc utramque quidem damnavit laudata Synodus, ſed optimi Principis reverita legem, in ſolis Clericis punivit. Ejuſmodi Canones poſſint adduci longè plurimi. Eodem morbo Leonis etiam noni tempora peſſimè laborarunt, ideòque & ipſe præſentem Canonem emiſit.

Cap. 20. Cap. 12. Cap. 5.

## CANON VIII.

**N**E *quis Monachus vel Clericus à ſuo gradu apoſtataret.*

### SCHOLION.

HUjus Canonis cauſam edicit in ſexto decimo ad Giſlerium Auximanum Epiſcopum opuſculo ſanctus Petrus Damiani, alloquens Maurum neſcio cujus in Italia Civitatis Epiſcopum: *Ante hoc ferè biennium, dum in anguſto Cellulæ meæ angulo latitarem, funeſtum quid & mærore plenum ad me fama diſcurrente perlatum eſt. Videlicet quod nonnulli perditi homines poſt ſathanam converſi, Monachi cum habitum ſacrilegâ temeritate desererent, & per execrabilem Apoſtaſiam ad ſæcularem militiam denuo repedarent, qui nimirum in tam profundi criminis baratrum lapſi, tuis ad audendum exhortationibus incitari, tua ad perſiſtendum dicebantur authoritate*



Digitized by Google

*ritate fulciri. Ferebaris enim dicere, quia niſi quis regulariter protractus, & per longa temporum ſpatia, ſicut Monaſtica præcipit regula, ſit probatus, ſi aliter aut propter ægritudinem, aut quolibet alio modo, ad Monachicum pervenerit habitum, liberam redeundi ad ſæculum habeat facultatem. Super cujus rei capitulo tunc temporis brevem tibi Epiſtolam miſiſſe me memini, & ut ab hac peſtifera doctrina ceſſares, debita humilitate ſuggeſſi. Nuper autem apud Auximum conſtitutus, à pluribus didici, quia in tua adhuc nihilominus intentione obſtinatiſſimè perſeveras, & contra divinæ legis authoritatem, contra Eccleſiaſticæ conſuetudinis normam, eadem dogmatizare non ceſſas.* Quidam ut lethalem morbum aut aliud quodvis mortis aut gravis mali periculum evadant, Monachatum Deo promittunt, promiſſumque poſteà ſuſcipiunt: Et hiſce ſolis, utpotè rem arduam non plena libertate aggreſſis, ſæculi regreſſum volebat Maurus licere. Proindè quidquid in illum declamavit ſanctus Petrus Damiani, declamavit & in quoſdam noſtri ſæculi morales Theologos, qui licèt non iſtiuſmodi profeſſionis, tamen ſimilium faciendarum profeſſionum vota ex frivolis fundamentis aſſerunt non eſſe reſervata Sedi Apoſtolicæ, ideoque per Epiſcopos poſſe commutari. Ejuſmodi vota & profeſſiones eſſe pleni valoris oſtendit horrenda mors Alberti Comitis Viromandenſis, relata per Baldricum Tornacenſem Epiſcopum in Chronico Eccleſiæ Cameracenſis. Lib. 3. cap. 23.

Aliam frequentis Monachalis Apoſtaſiæ anſam producit in ſuis Annalibus Witichindus Corbeienſis in Germania Monachus: *Gravis perſecutio Monachis oritur in diebus illis, affirmantibus quibuſdam Pontificibus, meliùs arbitrari paucos vita claros, quam plures negligentes eſſe in Monaſteriis oportere. Obliti, niſi fallor, ſententiæ Patris familias, prohibentis ſervos Zizania colligere, ſed utraque creſcere oportere, Zizania & triticum uſque ad meſſem. Quo factum eſt, ut plures propriæ infirmitatis conſcii, depoſito habitu & relictis Monaſteriis, grave onus Sacerdotum devitarint. Fuerunt autem quidam, qui Summum Pontificem Fredericum, Archiepiſcopum Moguntinum, hoc non purè, ſed fictè feciſſe arbitrati ſunt, quatenùs venerabilem virum, Regiq; fideliſſimum, Fuldenſem Abbatem Ademarum quoquo modo dehoneſtaret. Ipſe enim erat vir magnæ prudentiæ atque induſtriæ.* Leſæ Majeſtatis reus apud Othonem primum Imperatorem actus, ſuſpenſus à Pontificali officio, & dicto Abbati traditus in cuſtodiam fuerat dictus Fredericus, ideoque reſtitutus, omnem ſancti Benedicti Ordinem, qui tunc ſolus erat in Germania, vexatum voluit ex iſtius rei odio, atque eliminatum. Facta hæc ſunt ad decimi ſæculi medium, centum ferè annis ante Leonis noſtri Papatum. Verùm exindè nata Apoſtatandi liber-

tas

Digitized by Google

tas non ſtatim exſtincta fuit, ſed acceptis hinc indè fomentis ad præſentem uſque Synodum propagata. Et quidem uti tunc apud Monachos prava quorundam Epiſcoporum doctrina, ita inter Clericos bellandi & ducendæ uxoris licentia, ideoque plurima Apoſtatandi occaſio graſſabatur. Adverſum iſtas fœditates proceſſit præſens Canon.

## CANON IX.

*NE quis aliquibus ſacri Ordinis iter agentibus violentiam ullam inferre auderet.*

### SCHOLION.

BEllum, peſſimam lapſi humani generis pœnam & calamitatem, indicere ac gerere ſolis ſupremis Principibus indulget jus gentium: Verùm plures Barbari illo noluerunt ligari. Privata enim ob privatas injurias bella ſunt antiquiſſima ipſorum crudelitas, de qua Cornelius Tacitus in libello de moribus Germanorum: *Suſcipere tam inimicitias, ſeu Patris ſeu propinqui, quam amicitias neceſſe eſt.* Ad quem locum rectè in notis ſuper decimam ſeptimam Marculphi Monachi formulam ſcribit Hieronymus Bignonius: *Omnibus Germanicis gentibus, quæ Gallias inſederunt, mos erat, privatas inimicitias armis proſequi, quæ prava conſuetudo adeò invaluit, ut nec Principis Imperio, nec legum authoritate per ſex centos fermè annos aboleri potuerit. Quin imò legibus id non prohibebatur, ſed nimia licentia certis finibus coërcita erat.* Eandem Barbariem etiam in Africa viguiſſe oſtendit idem Tacitus in quarto libro Hiſtoriarum. Et hinc Chriſtianis poſteà temporibus exiſtimo proceſſiſſe, quæ aliud non fuit quam bella privata, Barbariem Circum-cellionum. Viguiſſe etiam in Ponto, ac à ſancto Gregorio Thaumaturgo exſtinctam fuiſſe, aut certè inſigniter frœnatam, in ejus vita demonſtrat ſanctus Gregorius Epiſcopus Nyſſenus. Frater illic in fratrem ex ſubditis ducebat exercitum, & de paterna hæreditate armati decertabant. Etiam ſuam neſcio quam domum à quopiam duro & aggreſti homine ob defuncti famuli prætenſum debitum fuiſſe privato bello invaſam & expilatam, queritur apud Provinciæ Præfectum Candidianum ſanctus Baſilius Magnus, caſtigari expoſtulat violentiam, & adjungit: *Sufficiet nobis ea vindictæ menſura, ut per carceralis cuſtodiæ lictorem captus brevi tempore in carcere detineatur.* Queritur citra præmiſſam accuſationem, citra omnem peti-

Cap. 21. Cap. 50. Ep. 173.

petitionem; citra denegatam juſtitiam, & citra ullas violentæ coactionis minas eſſe ſibi illatum iſtud bellum, ideoque ſub iſtis conditionibus geſtum aut gerendum videtur non damnare. Et hinc de hodiernis etiam Ponto vicinis Georgianis ſcribit in opere de Armeniis cum Romana Ec-
Fol. 135. cleſia uniendis Clemens Galanus: *Licitum eſt cuiq; de hoſte vindictam ſumere. Unde fit ut ſemper à fortiori & validiori ſtet victoria. Porrò vindicta ſic ſumitur, ut ſi læſus inimici perſonam offendere nequeat; bona illius aggrediatur. Hinc vaſtantur prædia, præſcinduntur arbores, maximè vites, incenduntur domus, ac paſſim interfecti boves atque ſues inimici in publicas epulas amicis & conſanguineis apponuntur.* Eandem Barbariem vigere affirmat, licèt non apud plebeios, quorum cauſas Princeps dirimit, tamen
Fol. 162. apud Colchorum Primates: *Si lis aut contentio inter ipſos oriatur Primates, dummodò alter eorum non provocet ad Principem, nequit is illi dirimendæ ſe immiſcere, ſed ipſimet armatis ſubditorum ſuorum agminibus adverſus invicem irrumpentes, litem non judicio quidem, ſed ferro decidunt. Vaſtant ſibi agros ac ſegetes, armenta diripiunt, excidunt vineas, domos incendunt, plena vino dolia perfringunt, ut ſemper non cauſa cadat niſi imbecillior, nec alter vincat, niſi cauſa deſerta.* Etiam Simeonis ac Levi pro Dinæ ſororis ſuæ injuria in Sichimitas irruptio fuit privatum bellum: Quod utique didicerant à Meſopotamiis, aut certè à Chananæis. Hinc enim & ſimile bellum ſibi metuens Patriarcha Jacob, ex divina juſſione ſtatim mutavit peregrinationis locum.

Et hanc Barbariem plures etiam poſt aſſumptam Chriſti Domini pacificam legem non depoſuerunt. Lucet ex Athalarici Gothorum in Italia Regis apud Aurelium Caſſiodorum Edicto: *Humano generi noxiam per-*
Lib. 9. *vaſionem, ſub qua nec dici poteſt civitas nec haberi, ſeveritate legum & no-*
Ep. 18. *ſtra indignatione damnamus, ſtatuentes ut Sanctio divi Valentiniani adverſum eos diu peſſimè neglecta conſurgat, qui prædia urbana vel ruſtica, deſpecto juris ordine, per ſe ſuoſq; præſumpſerint, expulſo poſſeſſore, violenter intrare, nec aliquid de ejus diſtrictione, deteſtabili volumus temperatione mitigari, inſuper addentes, ut ſiquis ingenuorum ad ſatisfaciendum legi ſuperius definitæ idoneus non habetur, deportationis protinus ſubjaceat ultioni.* Barbariem Rex Barbarus horrendè caſtigat. Loquitur ex Theodorici Regis Edicto, cujus variis capitulis varia iſtiuſmodi violentia rigidiſſimè damnatur. Etiam in Viſigothorum apud Hiſpanos regnantium legali codice exſtat titulus de invaſionibus & direptionibus, utique per bella privata. Etiam illic rigidiſſimè damnantur.

Quod nec Clericalis Ordo, imò nec Epiſcopalis apex Barbariem apud Francos depoſuerit, lucet ex quarta Synodo Aurelianenſi: *Ut ſervis Ec-*

*cleſiæ*

Digitized by Google

*cleſiæ vel Sacerdotum prædas & captivitates exercere non liceat, quia iniquum eſt, ut quorum Domini redemptionis praſtare ſolent ſuffragium, per ſervorum exceſſum diſciplina Eccleſiaſtica maculetur.* Quem ex legem furorem in Cap. 23.
ſuis etiam Epiſcopis damnat undecima Synodus Toletana. Etiam Andegavenſis ſub Leonis magni Pontificatu celebrata ſtatuit: *Ut à violentia* Cap. 5.
*& pervaſionis crimine abſtineatur.* Quod ipſum ſecunda Lugdunenſis confirmat, adjungitque prima Cabilonenſis: *Ut nullus ante audientiam res quarumlibet Eccleſiarum invadere vel auferre præſumat. Quod qui fecerit, ut necator pauperum habeatur.* Solas Eccleſiarum res vetat invadi bello privato, mandans ſola audientia ſeu legitimo judicio repeti ac recuperari. Cap. 6.
Nempe malum adeò invaluerat, ut talia inter Laïcos bella ſine fructu fuiſſent interdicta. Eorum plura videre poſſis apud ſanctum Gregorium Turonenſem. Etiam apud Anglos viguiſſe oſtendit Ine Regis lex: *Fures nominamus ad ſeptem homines vel octo, Holp, id eſt, cohortem ſeu Satellites uſque ad viginti quinque; deinceps eſt Here, id eſt, exercitus.* Omne iſtud facinus punit, mitiſſimè autem exercitum, quod nempe Cap. 15.
aliquo juſtitiæ fuco veſtiretur.

Poſt Caroli Martelli tempora, peſtis omnem modum exceſſit apud Francos. Exindè etiam Epiſcopi, Abbates, & Clerici, non tantum per Eccleſiaſticæ familiæ ſervos, ſed & propriis manibus, uti publica ſub Rege, ita & privata per ſemetipſos bella inceperunt exercere. Et hinc in edito ad undecimum ſui Regni annum capitulari ſtatuit Carolus Magnus: *De itinerantibus, qui ad Placitum aut alibi pergunt, ut eos cum collecta nemo ſit auſus adſalire, & nemo alterius herbam defenſionis tempore tollere præſumat, niſi in hoſtem* Publicum *pergat, aut Miſſus noſter ſit: Et qui aliter facere præſumpſerit, emendet.* Turbulenti privatorum bellorum geſtores non ſolum quoſvis obvios, etiam ad Comitum aut Ducum Placita ſeu judicia itinerantes, more Latronum ſpoliabant, ſed & Regiorum militum ſibi arrogabant jura, alienorum prædiorum herbas & gramina invadentes. Hinc privata iſta bella auferenda deſperans Rex Carolus, iſtas ſaltem violentias caſtravit. Et pergit: *Si quis pro Faida pretium recipere non vult, tunc ad nos ſit tranſmiſſus, & nos eum dirigemus, ubi damnum minimè facere poſſit. Simili modo & qui pro Faida pretium ſolvere noluerit, nec juſtitiam exinde facere, in tali loco eum mittere volumus, ut pro eodem majus damnum non creſcat.* Faida idem eſt quod inimicitia ſeu illata injuria: Eam pecunia componi mandat Carolus, & quamvis componere nolentem partem minatur deportare in locum adeò remotum, ut iſtic non poſſit malefacere, ſeu privata bella ſuſcitare. Bella iſta vidit non niſi indirectè eliminanda. Nec generoſior fuit in edito ad



Digitized by Google

decimum tertium Imperii annum Capitulari : *Inquiratur diligenter de* Cap. 28. *Faidioſis*, ſeu inimicitias habentibus *hominibus, qui ſolent incongruas commotiones*, ſeu privata bella *facere, tam in Dominicis diebus, quam & aliis ſolemnitatibus, ſicut & in feriaticis diebus. Hoc omninò prohibendum eſt, ne facere præſumant.* Commotiones iſtas ſolis Dominicis ac feſtivis diebus interdicit. Ejus filius & ſucceſſor Ludovicus Pius in tertio ſuo Capitulari aliquid addidit : *Poſtquam Comes & Pagenſes de qualibet expeditione hoſtili reverſi fuerint, ex eo die ſuper quadraginta noctes ſit bannus reciſus,* Tit. 7. Cap. 13. *quod lingua Theotiſca Scaſtlegi, id eſt, armorum depoſitio vocatur.* Pagenſes ex publico bello laſſos gaudere vult quadraginta dierum requie, & privatis bellis non inquietari.

Semiplena medicina vulnus adauget. Hinc privata bella adeò turbarunt Franciam, ut laudato Imperatori Ludovico adverſus nimis frequentem & temerariam Chriſtiani ſanguinis effuſionem ſexta Pariſienſis Synodus fuerit coacta ſupplicare. Omne & civile & criminale judicium affirmat ex Divino & Apoſtolico jure ſpectare ad ſolum Principem, & pergit : *Neſcimus qua per noxia adinventione à nonnullis uſurpatum eſt, ut hi qui nullo Miniſterio fulciuntur, propter ſua odia & diverſiſſimas voluntates peſſimas indebitum ſibi uſurpant in vindicandis proximis, & interficiendis hominibus vindictæ miniſterium, & quod Rex ſaltem in uno exercere debuerat propter terrorem multorum, ipſi impudenter in multis perpetrare non metuunt propter odium, & putant ſibi licere ob inimicitiarum vindictas, quod nolunt* Lib. 3. c. 17. *ut Rex faciat propter Dei vindictam.* Certè Ludovicus videtur malo non obviaſſe. Etenim Tullenſis apud Tuziacum ſub ejus filio Carolo Calvo habita Synodus rigidè quidem damnat & punit incendia, ſtupra, cædes, homicidia, rerum Eccleſiaſticarum rapinas, aliaque bellis privatis acci- Cap. 4. dentia crimina, nequaquam tamen iſta ipſa bella. Etiam Iſaac Lingonenſis Epiſcopus, vir generoſus & doctus, aliud non præſumpſit, quam ſuo Capitulari inſerere factas Ludovico preces à laudata Synodo Pariſienſi. Aliud item non fecit celebrata ſub Stephani quinti Papatu Synodus Metenſis.

Poſt exſtinctum Caroli Magni genus, & in Formoſum Pontificem patrata ſcandala, Barbaries adeò invaluit, ut à Patre ſuo Sergio, adverſus neſcio quem propinquum ſuum litigante de quodam prato, reluctante conſcientia pugnare compulſus fuerit ſanctus tunc invenis, & ſanctior poſteà Abbas Romualdus, de quo ſanctus Petrus Damiani. *Romualdus, licet perempto propinquo nullum vulnus inflixerit, quia tamen interfuit, pœnitentiam tanti reatus accepit, moxq; ad Claſſenſe Monaſterium beati Apollinaris, more Homicidarum diebus quadraginta permanſurus in luctu-*

*luctubus*, *properavit.* Temporum iſtorum miſeria poſſit plurimis exemplis demonſtrari.

Barbariem iſtam proſcribere cœpit Imperator Conrardus Salicus, de quo magnum Belgii Chronicon: *Multas ille leges condidit, & pacem in terris conſervare cupiens, ſtatuit ut quicumq; Principum infringeret pacem, capite plecteretur.* Legem adeò conſtanter executus eſt, ut ejus prævari- F. 102. cator Lupoldus Comes fuerit coactus fugere in ſolitudinem. Addit ad undecimi ſæculi annum quadrageſimum primum Glaber Rudolphus: *Obiit Conrardus Imperator. Cui ſucceſſit in Regnum Henricus tertius Filius ipſius, jam ab eodem Patre conſtitutus Rex. Contigit verò ipſo in tempore, inſpirante Divina gratia, primitus in partibus Aquitanicis, deinde paulatim per univerſum Galliarum territorium, firmari pactum propter timorem Dei pariter & amorem. Taliter ut nemo mortalium à feria quarta veſpere uſque ad ſecundam feriam incipiente luce, auſu temerario præſumeret quippiam alicui hominum per vim auferre, neque ultionis vindictam à quocumq; inimico exigere, nec etiam à fidejuſſore vadimonium ſumere. Quod ſi ab aliquo fieri contigiſſet contra hoc decretum publicum, aut de vita componeret aut a Chriſtianorum conſortio expulſus Patria pelleretur. Hoc inſuper placuit univerſis, veluti vulgò dicitur, ut treuga Domini vocaretur. Quæ videlicet non humanis ſolum fulta præſidiis, verùm etiam multoties Divinis ſuffragata terroribus.* Lib. 5. c. 1. *Nam pleriq; veſani audaci temeritate præſcriptum pactum non timuere tranſgredi, in quibus protinus aut Divina vindex ira, ſeu humanus gladius ultor extitit. Et hoc paſſim tam frequenter contigit, ut præ ſui multitudine ſingulatim non queant annotari. Et hoc ſatis juſtè. Nam ſicut dies Dominicus propter Dominicam Reſurrectionem venerabilis habetur, & octavus cognominatur, ita quintus, ſextus, & ſeptimus ob Dominica cœna & ejuſdem Paſſionis reverentiam debent ab iniquis actionibus eſſe feriati. Contigit enim, ut dum penè, ſicut diximus, per totas Gallias hoc ſtatutum firmiter cuſtodiretur, Neuſtria gens illud ſuſcipere recuſaret. Erat enim hujus rei occaſio diſſidium ſuperbiſſimi litigii, quod ortum fuerat inter Galliæ Regem Henricum, filium* Roberti, *&* *filios Odonis* defuncti Regis, *qui viciſſim incendiis bella miſcentes inteſtina, ſibimet damna inferentes non modica, plurimas ſuorum ſtrages dederunt. Deinde quoq; occulto Dei judicio cœpit deſævire in ipſorum plebibus Divina ultio. Conſumpſit enim quidam mortifer ardor multos tam de magnatibus quam de mediocribus atque infimis populi, quoſdam verò truncatis membrorum partibus reſervavit ad futurorum exemplum. Tunc etiam penè gens totius orbis ſuſtinuit penuriam pro raritate vini & tritici.* Illam penuriam ait fuiſſe anſam, ex qua plurimæ per omnem Galliam fuerint celebratæ Synodi, laudatam Dei treugam ſtabilientes, ac ſtatuentes: *Ut viri utriuſque conditionis, cujuſ-*

Digitized by Google

*cujuſcumq; antea fuiſſent rei obnoxii, abſque formidine procederent armis vacui. Prado namque aut invaſor alterius facultatis, legum diſtrictione arctatus, vel donis facultatum, ſeu panis corporis acerrimè mulctaretur. Locis nihilominus ſacris omnium Eccleſiarum honor & reverentia talis exhiberetur, ut ſi quis ad ea cujuſcumq; culpæ obnoxius confugium faceret, illaſus evaderet, niſi ſolummodo ille, qui pactum prædictæ pacis violaſſet. Hic tamen captus ad Altare præſtitutam mulctam lueret. Clericis ſimiliter omnibus, Monachis, & Sanctimonialibus, & ſi quis cum eis per regionem pergeret, nullam vim ab aliquo pateretur.*

Lib. 4. c. 5.

Inter Neuſtriæ gentes etiam nos Belgæ ſumus, iſtiuſque ſanctiſſimi pacti refutandi Auctor fuit Gerardus primus Cameracenſis Epiſcopus, ea de cauſa laudatus in ſuæ Eccleſiæ Chronico à Baldrico Epiſcopo Tornacenſi. Burgundi, per Glabrum Rudolphum laudati, Epiſcopi Aquitanicum iſtud treugæ pactum non receperunt tantum, ſed & *commune Decretum fecerunt, ut tam ſeſe, quam omnes homines ſub Sacramento conſtringerent, pacem & juſtitiam ſervaturos.* A Beraldo Sueſſuonenſi & Walleramo Belluacenſi Epiſcopis & Decretum & juramentum iſtud recipere ſuaſus Gerardus perſuaderi non potuit, & Baldricus edicit cauſam: *Gerardus altius cauſas advertens, procul renuere æſtimavit, cunctiſq; perniciosum ac impoſſibile conſilium intelligens, nullum aſſenſum porrexit. Hoc enim, non tam impoſſibile quam incongruum videri reſpondit, ſi quod Regalis juris eſt, ſibi vindicari præſumerent. Hoc etiam modo ſtatum ſanctæ Eccleſiæ confundi, quæ geminis perſonis, Regali ſcilicet ac Sacerdotali, adminiſtrari præcipitur. Huic enim orare, illi verò pugnare tribuitur. Igitur Regum eſſe, ſeditiones virtute compeſcere, bella ſedare, pacis commercia dilatare, Epiſcoporum verò Reges, ut viriliter pro ſalute Patriæ pugnent, monere, ut vincant orare. Hoc ergo Decretum periculoſum eſſe omnibus: Omnes videlicet aut jurare, aut Anathemati ſubjacere. Omnes enim peccato communi involvi, ſi commento hujuſmodi uterentur.* Rei exordia altius repetit in alio infrà capite, ac pergit: *Iſtiuſmodi Decretum à Franciæ Epiſcopis datum eſt ſervari ſubjectis ſibi populis. Unus eorum cœlitus ſibi delatas dixit eſſe litteras, quæ pacem monerent renovandam in terra. Quam rem mandavit cæteris, & hæc tradenda dedit populis: Arma quiſquam non ferret, direpta non repeteret, ſui ſanguinis vel cujuſlibet proximi ultor minimè exiſtens, percuſſoribus cogeretur indulgere.* Addebat cœleſtis Epiſtola diem Dominicam deinceps ſanctius colendam, Feriam ſextam jejunandam in pane & aqua, Sabbatho abſtinendum à carne & pinguedine, omneſque ad hæc ſervanda adſtringendos juramento. Ea ſervantes liberabat ab omni alio ſatisfactionis opere, & promittebat vitam æternam. Epi-

Lib. 3. c. 27.

Cap. 52.

ſtolam

ſtolam iſtam fabulis adnumerabat Gerardus, & bella privata ac Dei treugam exiſtimabat eſſe res merè civiles, ideoque non ad Epiſcopos, ſed privativè ad Reges pertinere. Addidit & juramentum iſtud eſſe nimis periculoſum. Attamen & à ſuis Coëpiſcopis de publicæ pacis obice increpatus, & à Leduino & Rottrico Abbatibus per preces importunas coactus, tandem conſenſit. Quem ejus conſenſum Baldricus omninò improbat: *Quod ante reclamabat, poſteà probavit eventus. Vix enim pauciſſimi crimen perjurii evaſerunt.* Baldricus enim putatur fuiſſe Gerardi Secretarius, ideoque ejus acta conſtanter defendiſſe. Aliam, quæ Gerardum ad refutandam iſtam Epiſtolam & Francorum Epiſcoporum Synodalia Decreta improbanda permovit, cauſam adducit Sigebertus Gemblacenſis: *Gerardus Cameracenſis Epiſcopus ſolus Lotharienſium appendebat ad Parochiam Francorum.* Hannonia ſemper fuit è Lotharingi Ducatus Comitatibus, ideoque & Cameracenſis Epiſcopus quidem ſemper ad Gallicanam Remenſis Metropolitæ Synodum, non tamen ad Francici Regis, ſed ad Curiam ſpectavit Germanici Imperatoris. A Francorum politicis Regulis averſus adeò fuit Gerardus, ut Walterum civitatis Cameracenſis Caſtellanum ſibi profiteri juſſerit in hanc formam: *Poſtpoſitis Carlenſibus Coſtumis, talem honorem tibi obſervabo, qualem Lotharienſes milites Dominis ſuis & Epiſcopis.* Cap. 40. Etiam Carlenſis Eccleſiæ ritus uti indiſciplinatos Gerardus fuit averſatus. Hinc enim à Remenſi quidem Archiëpiſcopo, ne Metropolitanæ ſuæ ſedi faceret injuriam, attamen non juxta illos, ſed juxta Lotharienſes ritus voluiſſe in Epiſcopum conſecrari, & fuiſſe conſecratum teſtatur idem Baldricus. Ritus & mores Carlenſes ſunt ritus & mores Gallicanæ Eccleſiæ, introducti à Carolo Magno. Eodem igitur ex fundamento ſtatutam etiam à Gallicana Eccleſia pacem Gerardus admittere noluit & probare.

An iſta cœleſtis Epiſtola fuerit authentica, quis dicat? Similia, duodecim comprehenſa capitulis, quorum unum mandabat ſacrilega Clericorum conjugia eliminari, Archangeli Gabrielis monita Ludovico Pio Imperatori olim attulit Einardus Abbas, iſtumque ob horum contemptum in Purgatoriis tormentis dudum fuiſſe cruciatum, ſcribunt Sigebertus Gemblacenſis, & Fuldenſes Francorum Annales. An. 875. Et de Petro Eremita, omnem Europam ad ſacrum pro Terra ſancta bellum animante, ſcribit in Sclavorum Chronico Presbyter Hemboldus: *Protulit Epiſtolam, quam de cœlo affirmavit allatam, in qua continebatur ſcriptum,* Lib. 1. c. 31. *quia impleta ſunt tempora nationum, & liberanda eſſet civitas, quæ calcabatur à gentibus.* Verùm Guilielmus Tyriorum Metropolita, Albertus Canonicus Aquenſis, & Cardinalis Jacobus de Vitriaco, qui Petri Eremitæ

mitæ prædicationem accuratè deſcripſerunt, iſtius Epiſtolæ non meminerunt. Et ad Domini annum nonum poſt milleſimum centeſimum ſcribit Matthæus Pariſienſis: *Celebris habebatur Epiſtola, quæ dicebatur cœlitus miſſa in manus cujuſdam Prælati, dum Miſſam celebraret, ad temperandas Romanorum enormitates, quæ in dies ſucreverunt.* Et ad octogeſimum primum ejuſdem ſæculi annum Gervaſius Monachus Cantuarienſis: *Mulier quædam Prophetiſſa, ſed & prodigioſa, de Guaſconia Romam veniens, Alexandro Papæ tertio litteras ſibi à Deo miſſas porrexit, in quibus quædam futura prodigia legebantur. Hæc cum mira diceret, Prælatis Eccleſiæ feſtinum imminere dicebat periculum. Hæc in oculis Domini Papæ & Curiæ Romanæ in tantum extitit admirabilis, ut in Papæ Palatio recumbere diceretur. Nam à quarta feria uſque ad ſabbathum omni hebdomada indeſinenter dormiebat. Loquebatur dormiens aliquid ſpirituale labiis compreſſis.* Hæc ſe ſcribere aſſerit ex ore teſtis probati & oculati. Ad Domini annum milleſimum ducenteſimum pergit Matthæus Pariſienſis: *Epiſtola de cœlo veniens in Hieruſalem, appenſa eſt ſuper Altare ſancti Simeonis in Golgotha, ubi crucifixus eſt Chriſtus pro redemptione mundi, quam homines per tres dies & totidem noctes ex alto dependentem adſpicientes, corruerunt in terram, rogantes Domini miſericordiam, ut ipſe eis dignaretur ſuam oſtendere voluntatem.* Tandem in Patriarchæ orantis manus ait delatam Epiſtolam, ab ipſo miſſam ad Romanum Pontificem Innocentium tertium, probatam ab eodem, ac ejus ubique publicationem fuiſſe commiſſam Euſtachio Abbati Ordinis Ciſtertienſis, ſocio admirabilis Fulconis, Presbyteri ac Prophetæ Pariſienſis. Diei Dominicæ cultum Epiſtola ſub graviſſimis pœnis imperabat. Et magnum Belgii Chronicon ad Honorii tertii Pontificis tempora affirmat cuidam Monacho Jacobo, viro Religioſo & ſimplici, Miſſam celebranti, ad Canonis verba, *Supplices te rogamus*, apparuiſſe lucidam nebulam, & adjungit: *Exivit manus de nebula, & extendens ſe ſuper Corporale ſcripſit multa ad correptionem humani generis depravati. Et in quatuor apparuit Miſſis, diverſam in qualibet Prophetiam ſcribens.* Infrà flagellantium errores enumerat idem Chronicon, aitque hunc fuiſſe primum: *Dici ſectam eorum fratres flagellatores, ſeu crucis fratres, & originem ex quibuſdam ſcripturis per ſanctos Angelos ſuper Altare ſancti Petri Romæ delatis circa annum Nativitatis Chriſti milleſimum treceenteſimum quadrageſimum octavum habere.* Cujus Epiſtolæ meminit etiam Albertus Argentinenſis. Guilielmus Malmesberienſis meminit etiam infernalis Epiſtolæ. Scribit duos amicos Clericos, ut prior moriens ſuperſtiti appareret, fuiſſe invicem ſtipulatos, additque de primo mortuo, æternaliter damnato, & juxta pactum apparente: *Manum expandit te-*

*tris*

Digitized by Google

*tris notis inſcriptam, in quibus ſathanas, & omne inferorum ſatellitium gratias Eccleſiaſtico catui de Tartaro emittebant, quod cum ipſi in nullo ſuis voluptatibus deeſſent, tum tantum ſubditarum animarum numerum paterentur ad inferna deſcendere prædicationis incuria, quantum numquam retroacta viderunt ſecula.* Et ſcriptura iſta non fuit inefficax. Ejus enim lector Clericus omnia ſua in egenos & Eccleſias diſtribuit, & apud ſanctum Melanum Redonenſem eſt in ſanctum Monachum transformatus. Omnes ejuſmodi Epiſtolas ego nec probare velim, nec improbare. Diſcernendorum ſpirituum gratia eſt opus. Quidquid ſit, præſens adverſus privata bella cœleſtis Epiſtola optimum opus eſt operata: Et in Gallia per Epiſcopos, & in Germania per Conrardum Imperatorem. Treugę hujus prædicationem ab Epiſcopis fuiſſe venerabili Richardo, ſancti Vitoni apud Virdunum Abbati delegatam, immiſſo in contumaces ſacro igne, & multis in ipſo ſanando miraculis firmatam, ideoque tandem à duro Neuſtriæ populo admiſſam, pluribus ſcribit Hugo Abbas Flaviniacenſis. Licèt bella iſta non plenè exſtinxerit, moderata tamen eſt, ac inſigniter caſtravit Epiſtola, ad tres in hebdomada dies reſtringens, ac per quatuor mandans eſſe generalem ubique quoad omnes & omnia pacem, ſeu Dei treugam: Mandans item bellorum iſtorum occaſione aut prætextu Eccleſias, ad ejus aſylum confugas, itinerantes Clericos, Monachos, aut Moniales non ſpoliari aux vexari. Pacis hujus violationem adeò averſatæ ſunt laudatæ Francorum Synodi, ut ejus reos ab Eccleſiaſtico aſylo projecerint. Eoſdem nullo die, nulloque loco à privatorum bellorum injuriis voluere tutos. Et hocce Clericorum, Monachorum, ac Sanctimonialium privilegium præſenti Canone confirmat adverſus Gerardi Cameracenſis Epiſcopi, & quorumdam illi adhærentium recalcitrationem Leo nonus. Hæc Synodus habita eſt anno Domini milleſimo quadrageſimo nono, quo ipſo obiiſſe dicitur Gerardus. Alberici tamen Chronicon obiiſſe vult iſtius ſæculi anno quinquageſimo primo. Hinc an Synodo ille adfuerit ignoramus. Quidquid ſit, certum eſt Canonem à Cameracenſi Eccleſia fuiſſe admiſſum.



Digitized by Google

## CANON X.

N*E quis pauperes homines rapinis vel captionibus vexaret.*

### SCHOLION.

PAuperes non ſolùm Eccleſia ſeu Epiſcopi, ſed & pii Reges in ſua ſingulari protectione ſemper habuerunt. Et hinc de Chilperico Francorum Rege, novo ſui temporis Herode aut Nerone, ſcribit in Francorum Hiſtoria ſanctus Gregorius Epiſcopus Turonenſis: *Cauſas pauperum exoſas habebat.* Eorum qui pauperes opprimunt, dona à Sacerdotibus non recipi mandat quarta Synodus Carthaginenſis. Eos in ſpeciali Epiſcoporum protectione ponit, ipſorum oppreſſores compeſci ab eis, puniri, & ad Regem deferri mandat quarta Synodus Toletana. Et de Mercatoribus ad Julianum Orientis Comitem ſcribunt Valentinianus & Valens Auguſti: *Ne modum mercandi videantur excedere Chriſtiani, quibus verus cultus eſt adjuvare pauperes, & poſitos in neceſſitate, provideant Epiſcopi.* Legem piiſſimam codici ſuo inſeruit Imperator Juſtinianus. Et Apoſtolicum Eccleſiæ Canonem, qui Clericum & Monachum ſæcularibus negotiis vetat implicari, ad pauperum & quarumvis miſerabilium perſonarum negotia deinceps non extendi ſanxit Synodus Chalcedonenſis. Quæ omnia Gallicanæ, tam ſub Merovingiis Regibus, quam ſub Carolo Magno ac ejus poſteris celebratæ, Synodi inſigniter ac frequenter confirmarunt. Et hinc neſcio quem Galliæ Comitem, qui ad ſanctum Jacobum Apoſtolum in Hiſpanias peregrinari ex pietate voverat, ab iſto itinere rectè dehortatur ſanctus Hildebertus Turonenſis Archiepiſcopus, affirmans illùm ad pauperes, quibus pii Reges ſuo etiam ſanguine quandoque emerunt quietem, audiendos & tuendos obligari, ideoque ejus votum non eſſe de meliori bono, id eſt, non eſſe votum. Certè pauperes omnes in ſpeciali ſua protectione poſuit Carolus Magnus, & ad judicandas ipſorum cauſas uno per omnem hebdomadam die Ludovicus Pius ſe publicè expoſuit. Quæ pietas ſingulariſſimè ſemper viguit in Eccleſia Romana. Et hinc non ſolùm itinerantes, ſed quoſvis pauperes bellorum privatorum rapinis & capturis vexari ſub violatæ pacis reatu vetuit hic Leo nonus.

Lib. 6. c. 46.

Cap. 94.

Cap. 32.

L. 1. tit. 4. c. 1.

Ep. 59.

Hi ſunt Canones, ex quorum reverentia Guilielmus Angliæ Conquæſtor

queſtor Rex *fuit tantus pacis auctor, quod puella auro onuſta Regnum Angliæ pertranſire poſſet impunè.* Ita ſcribit Radulphus de Diceto. Quod ipſum affirmat Joannes Bromptonus, rectè addens id in Regno, quod recenter armorum vi mutarat Dominum, fuiſſe admirandum. Nec ſolùm Clericos, ſed omnes Scholares, ipſorumque res & poſſeſſiones Guilielmus ubique juſſit plena Eccleſiæ & Dei pace gaudere. Gallicanæ Synodi à quartæ veſpera uſque ad ſequentis ſecundæ feriæ auroram juſſerunt eſſe pacem. Hoc ſtatutum Guilielmus cum Regni ſui Epiſcopis & Proceribus aliter concepit. Pacem ſervari ſanxit ab Adventu Domini uſque ad Epiphaniæ Octavam, à Septuageſima uſque ad Octavam Paſchæ, ab Aſcenſione Domini uſque ad Octavam Pentecoſtes, omnibus jejuniis quatuor Temporum, omni Sabbatho ab hora nona uſque ad feriam ſecundam, omnibus Vigiliis ac Feſtis beatæ Virginis & quorumvis Sanctorum: Etiam in propriis pagorum Feſtis, & in Dedicatione cujuſcumque Eccleſiæ. Ea gaudere juſſit omnes ad Sancti alicujus feſtivitatem, cauſa orationis ad quamvis Eccleſiam, ad Baſilicæ Dedicationem, ad Synodum, ad Capitulum, ad accipiendam vel petendam excommunicationis abſolutionem euntes aut redeuntes: Item omnes ad Eccleſiæ aut Sacerdotalis domus aſylum confugientes. Pauperum non meminit. Adjunxit: *Si quis pacem Eccleſiæ violenter infregerit, Epiſcoporum eſt juſtitia.* Epiſcopo recalcitrantes juſſit ſibi deferri citandos, puniendos, aut certè utlagandos, id eſt, extra Regiam protectionem abjiciendos, de quibus pergit: *Si poſteà repertus fuerit, & teneri poſſit, vivus Regi reddetur, vel caput ejus, ſi ſe defenderit. Lupinum enim gerit caput à die utlagationis ſuæ.* Quid apud Anglos fuerit utlagium ſeu utlagatio, exponit in ſuo Gloſſario Guilielmus Somnerus: *Utlagium eſt delictum auctorem reddens exlegem*, ſeu ab omni legis ac Regiæ protectionis patrocinio excludens. Pacis violatores, qui & ab Epiſcopo decretam pœnam explere, & citati ad Regis judicium comparere detrectabant, Guilielmus exlagabat, eiſque imponebat lupinum caput, id eſt, omnibus faciebat poteſtatem eos quaſi lupos impunè capiendi, immò &, ſi ſe defenderent, trucidandi. Ita admirandam illam ſuo Regno dedit pacem. Laudatas ejus leges latiùs exponit Henricus de Knyghton Canonicus Leiceſtrenſis. Et hinc vides, quid apud Gregorii noni Decretales ſit titulus de treuga & pace.

A 1088. A. 1077. L. 2. c. 4.

# CANON XI.

NE *quis incæſtuoſæ conjunctioni ſe copularet.*

## SCHOLION.

INter corruptæ olim Chriſtianitatis vitia ſemper fuerunt incæſtuoſa conjugia. Non ſolius, qui everſam apud nos diſciplinam reparare cœpit, ſancti Martyris Bonifacii, ſed & Leonis quarti Pontificis, Nicolai primi, Hincmari Metropolitæ Remenſis, Iſaaci Lingonenſis Epiſcopi, aliorumque id genus Patrum plurimos adverſum illa habemus Canones & querelas. Auſcienſis Provinciæ Populum fuiſſe iniquitate plenum ſcribit ad Aiaradum ipſorum Metropolitam Joannes octavus
Ep. 60. Pontifex, & adjungit cauſam: ***Nulla generis conſanguinitate cuſtodita, nulla propinquitatis parentela obſervata, unusquiſque ſuam propinquam, in quocumque fuerit gradu, accipit uxorem, atque inceſto & nefario ſe conjugio copulat.*** Quin & perniciofiſſimam ſectam, quæ cuique ad ſui ſanguinis propinquas accedere permitteret, eodem tempore viguiſſe apud
L. 4. c. 5. Anglos, in Remenſis Eccleſiæ Hiſtoria aſſerit Flodoardus. Et de Roberto Francorum Rege circa præſentis Synodi tempora ad Deſiderium Caſſinenſis Monaſterii Abbatem ſcribit ſanctus Petrus Damiani: ***Robertus Galliarum Rex, avus iſtius Philippi, qui in paterni juris Sceptra ſucceſſit, propinquam ſibi copulavit uxorem, ex qua ſuſcepit filium, Anſerinum***
L. 1. Ep. 15. ***per omnia collum & caput habentem. Quos etiam, virum ſcilicet & uxorem, omnes ferè Galliarum Epiſcopi communi ſimul excommunicaverunt ſententia. Cujus Sacerdotalis Edicti tantus omnem undique populum terror invaſit, ut ab ejus univerſi ſocietate recederent, nec præter duos ſibi ſervulos ad neceſſarii victus obſequium remanerent, qui tamen & ipſi omnia vaſa, in quibus Rex edebat vel bibebat, percepto cibo abominabilia judicantes, pabulum ignibus exhibebant. His tandem Rex coarctatus anguſtiis, ad ſanum conſilium rediit, divertit inceſtum, initq; legale conjugium.***

Eadem latiùs refert à Franciſco du Cheſne productum Franciæ Hi-
An. 997. ſtoriæ fragmentum: ***Robertus Rex in uxorem ſibi aſſumpſit matrem Odonis Comitis, Bertham nomine, qui eodem tempore puerulus erat. Illa autem commater ejuſdem Regis fuerat. Idem namq; Rex filium ipſius de ſacro ſuſceperat lavacro. Quod agnoſcens Papa Gregorius ſextus totam Franciam anathemate percuſſit. Porrò Rex amore ejuſdem mulieris plus juſto detentus, ne-***

***qua-***

Digitized by Google

*quaquam eam dimittere voluit, donec omnipotens per ſe corrigere eundem Regem ſtuduit. Dum enim de eodem Rege eadem mulier concepiſſet, credens ſe parituram filium peperit monſtrum. Quæ res Regem perterruit, & librum repudii eidem mulieri dare compulit. Quo facto, abſolvi cum toto ſuo meruit Regno.* Quomodo dimiſſa Bertha Romam ierit petitura Apoſtolicam diſpenſationem, & quomodo poſt ejus obtinendæ deſperationem Rex Robertus tandem duxerit Conſtantiam, in ſuo Chronico ediſſerit Monachus Oderamnus. Etiam Epiſcopos omnes, qui pravo conjugio adſenſum aut fomentum dederant, à Gregorio ſexto fuiſſe Romam evocatos, & plenam iſtic egiſſe pœnitentiam, in litteris ad Roberti filium Henricum Regem ſcribit noſter Leo nonus. Exſtat Epiſtola in Decreto ſancti Ivonis. Etiam Heraclii Auguſti infœlix Imperium, ac fœdum Priapiſmi morbum fuiſſe incæſtuoſi cum nepte Martina conjugii pœnas affirmant paſſim Græci ſcriptores. Etiam Ottonem primum Auguſtum, licet ſummum Eccleſiæ defenſorem, quod Adelaidem ſpiritualem commatrem duxiſſet, à Guilielmo Moguntino Archiëpiſcopo, proprio ſuo filio, excommunicatum, & recalcitrantem fuiſſe evocatum ad Divinum Tribunal in diem Pentecoſtes, affirmat in laudatis litteris laudatus Petrus Damiani, & proſequitur: *Factum eſt ipſo, qui dictus eſt, ſacroſanctæ ſolemnitatis die, ut dum præfatus Auguſtus Imperialibus infulis redimitus, multorumq; Pontificum choris, ſive Procerum vallatus agminibus, miſſarum ſolemniis intereſſet, repentino ſuper eum veniente judicio, repertus ſit mortuus. Epiſcopus autem in Domino quieverat. Sic ſic qui de inceſto conjugio contempſit inter homines judicari, ad Tribunal æterni judicis coactus eſt pertrahi, & qui ſubjectum ſibi dedignatus eſt audire Pontificem, terribilem ſuper ſe non potuit evadere Majeſtatem.* Ex Venerabilis Petri Auſarenſis Epiſcopi fidiſſima relatione etiam ad Alexandrum ſecundum Pontificem ſcribit idem Petrus Damiani: *Quidam degener quidem moribus, ſed majorum titulis inſignitus, ſui generis conſanguineam nuptiali ſibi fœdere copulavit. Quid plura? Prohibitus perſtitit, excommunicatus adhæſit, totumq; Eccleſiaſticæ Cenſuræ vigorem, nugarum puerilium fabulas deputavit. Cui certè hoc ad Divinæ indignationis judicium contigit, ut panes de nuptialibus menſis in plateas ante canum ora projecti minimè tangerentur. Inſuper, ô Divinæ animadverſionis pavenda ſeveritas: dum rigidus ſtat, dum præceptis ſe Sacerdotalibus non humiliat, qui vigilare ſibimet ad ſalutem noluit, in cubiculo dormientem repentè de cæleſtibus irruens fulmen extinxit. Sic ſic Divini furoris expertus eſt moriendo ſententiam, qui vulneri ſuo, dum viveret, adhibere contempſerat medicinam.* Ejuſmodi exempla adduci poſſint plurima. Etiam ſacri Canones incæſtuoſa conjugia, tanquam naturæ adulteria, rigidiſſimè ſemper-

Lib. 9. c. 8.

A 1031.

Lib. 1. Ep. 12.

per-

Digitized by Google

per punierunt. Ea eſſe beſtialem morem & vitium, ideoque per beſtialitatem intelligi, & ſub iſto nomine damnari ab Ancyrana Synodo affirmat, & capitali ſupplicio punienda cenſet in ſuo capitulari Iſaac Epiſcopus
Tit. 4. c. 11. Lingonenſis. Eadem in Canonicis ad ſanctum Amphilochium litteris
Cap. 67. adulterio æquat Magnus Baſilius. Et hiſce cunctis permotus Leo nonus præſentem emiſit Canonem. Quod tamen ſperatum fructum conſecutus non fuerit, lucet ex laudato Petro Damiani, corruptos ſui temporis mores deplorante in litteris ad Cardinales Epiſcopos:
Lib. 2. Epiſt. 1. *In fœderandis conjugiis legitimus ordo confunditur, &, ô nefas, ab eis in veritate Judaïcè vivitur, qui ſuperficie tenus Chriſtiano vocabulo palliantur.* Et quia inter Magnates præſertim graſſari conſuevit peſſima peſtis, hinc ad Guilielmum Comitem Pictavienſem, eadem nuper maculatum, meritò ſcripſit
Lib. 2. Epiſt. 3. Gregorius ſeptimus: *Ex hoc nobilitas generis valde corrumpitur, cum proles de non legitima conjugii permixtione generatur.*

At inquies: Spiritualis inter Robertum Regem & Bertham Comitiſſam cognationis impedimentum erat juris dumtaxat poſitivi, cur igitur Gregorius ſextus Pontifex & Gallicani Epiſcopi Regem excommunicarunt, ac omne Regnum ſuppoſuerunt Eccleſiaſtico interdicto? Cur tanto cunctorum in omni Gallia elementorum motu fuit opus? Cur Apoſtolica & Epiſcopali authoritate impedimentum non diſpenſarunt? Reſpondeo hodiernam Matrimonialium diſpenſationum facilitatem tunc non fuiſſe. Nulla tunc, etiam Regia vel Auguſta, licet in ſexto dumtaxat aut ſeptimo ſanguinis vel affinitatis gradu, vel ignoranter contracta, longe minus contrahenda Matrimonia diſpenſabantur, ſed cuncta dirimebantur juxta rigorem ſacrorum Canonum. Ejuſmodi diſpenſationes adeò tunc ignorabat Eccleſia, ut Francus quidam Româ redux, ſimilem ſibi datam aſſeverans à Gregorio tertio Pontifice, ac ejus vigore prætendens inire matrimonium, graviſſimè ſcandalizarit omnem Galliam, & à noſtro Apoſtolo Bonifacio, credere id recuſante, conſultus Zacharias Pontifex reſponderit: *Abſit ut Prædeceſſor noſter hoc ita credatur præcepiſſe. Nec enim ab hac Apoſtolica ſede illa diriguntur, quæ contraria eſſe Patrum ſive Canonum inſtitutis reperiuntur.* Inceſtuoſos iſtos ſepa-
Epiſt. 1. cap. 5. rari mandat ac puniri. Et de Fulberto Cameracenſi Epiſcopo, inceſtuoſum Amalrici Comitis Hannonienſis cum Iſaaci Cameracenſis Comitis filia matrimonium diſpenſare nolente, ſed omninò ſeparante, ſcribit
Lib. 1. c. 73. in ejuſdem Eccleſiæ Chronico Baldricus Tornacenſis Epiſcopus: *Quod parentes & amici moleſtè, ſed & dolenter ferentes, modo minarum aſperitate Epiſcopum perterrefaciunt, modo precibus & pretioſis muneribus conveniunt, quin etiam uberrimas hæreditates ſanctæ Dei Eccleſiæ promittunt, ut ſive eo-*

rum

Digitized by Google

*rum minis coactus, ſive promiſſorum munerum affectatione in aliam ſententiam flexus, diſiunctos fortaſſe conjungeret, inconvulſoſq; amodo manere permitteret.* Verùm Fulbertus ad inſtar ſaxei montis permanſit inconcuſſus. Etiam cum proprio ſuo Patre Ottone Auguſto diſpenſare noluiſſe Moguntinum Archiëpiſcopum Guilielmum, ſupra nobis dixit ſanctus Petrus Damiani. Et de Germaniæ Epiſcopis, Conrardum Salicum, cum ſua ſecundi gradûs affine conjugatum, eligere in Imperatorem parantibus, ſcribit in quarti ſui libri præfatione Glaber Rudolphus: *Innotuerunt ei Pontifices, quid potiſſimum vellet, aut tale conjugium, quod maniſeſtiſſimè ſacræ auctoritati nimium repugnabat, tenere, ſeu eo dimiſſo coronam Imperii ſumere. Qui protinus dimittendum promiſit talis incœſti conjugium, ſeq; parere diligentiſſimè illorum dictis, & obedire conſiliis.* Quod verba dederit, & factus Imperator affinem non dimiſerit, graviſſimè à laudato Glabro damnatur. Et Mangiſo Venetenſi Epiſcopo, pro neſcio quibus in vetito ſanguinis gradu conjunctis, ut orationibus, jejuniis, hæreditatis ac eleëmoſynarum largitionibus redimere poſſent iſtud impedimentum, ſupplicanti repoſuit Alexander ſecundus: *Nullam authoritatem comperimus, qua illis concederemus.* Exſtat Epiſtola in Decreto ſancti Ivonis. Et ad duodecimi ſæculi annum ſeptuageſimum ſecundum L.9.c.9. ſcribit Godefridus ſancti Pantaleonis Monachus: *Hericus Saxonum Dux filiam Regis Angliæ duxit uxorem, repudiata priore, ob famam conſanguinitatis.* Et Cardinalis Otto, Hoſtienſis Epiſcopus, Gregorii ſeptimi in Germania Legatus, qui poſt ipſum fuit Papa Urbanus ſecundus, in Synodo Quintelburgenſi pronunciavit adverſus Imperatorem Hermannum: *Audiens ego, quod Rex veſter legitimum non habeat conjugium, ſed ex conſanguinitate ſociatum, judico inter eum & uxorem ejus fieri divortium.* Ita ſcribit in libro de conſervanda Eccleſiæ unitate Venericus Epiſcopus Vercellenſis. Et de Amalrico Hieroſolymorum Rege, Agnetem Joſcelini, Edeſſani Comitis filiam, quarto ſibi gradu conſanguineam, & duplici jam prole fœcundam, habente uxorem, ſcribit Guilielmus Metropolita Tyriorum: *Hanc uxorem, defuncto fratre* Balduino tertio Rege, *dum Regnum ad ſe jure hæreditario devolutum vendicaret, coactus eſt abjurare.* Tales Regiorum conjugiorum diremptiones poſſint plurimæ adduci.

Eorum impedimenta ferè primus diſpenſavit Innocentius tertius. Othonis quarti & Philippi pro Germanico Imperio horrenda bella quis ignoret? Poſt Philippi cædem lucidum erat Othonis jus, verùm Philippi filia obviabat. Hinc omnibus pacificandis Othonis cum iſta filia conjugium convenire cenſuerunt Imperii Proceres ac Epiſcopi, quin

& ipſi Apoſtolicæ Sedis Cardinales Legati, ſed obſtabat quartus conſanguinitatis gradus. Hinc tandem ad totius Imperialis Cleri & Populi preces diſpenſavit laudatus Pontifex, eâ tamen lege, ut duo ampliſſima Monaſteria Otto fundaret, omneque Imperium largis eleëmoſynis & ferventibus orationibus iſtud Eccleſiaſticæ diſciplinæ vulnus compen-
Lib. 3. ſaret. Ita habes apud Arnoldum Abbatem Lubecenſem in Chronico
c. 19. Sclavorum. Otto de ſancto Blaſio addit, quod Cluniacenſis & Ciſtertienſis Ordinis Abbates eandem compenſationem per varia ſuorum Monachorum pia opera complere promiſerint, iſtudque Canonis vulnus acceperint in ſuas conſcientias, & quod ſpondere Otto debuerit ſingularem omnium Eccleſiarum defenſionem, ac reſumptionem ſacri belli. Rima facta facilè dilatatur, tandemque creſcit in grande foramen, imò & in apertam portam. Hinc & Innocentius Pontifex proceſſit ad ſimiles diſpenſationes ex longè levioribus cauſis, quin & conſanguinitatis atque affinitatis impedimenta ad quartum gradum contraxit. Quod variis de cauſis omnis Eccleſia meritò probavit. Ejus in diſpenſando exemplum etiam Gregorius nonus, ipſius nepos, qui in laudata Imperii dicta fuerat Hugo Cardinalis Legatus, eſt proſecutus. Etiam Epiſcopis permiſerunt & aliorum Canonum diſpenſationem, ideoque calumnioſè de
A. 1235. illis ſcribit Matthæus Pariſienſis: *Sciebant Romana Curia multa inde emolumenta provenire.* Hinc item nata eſt Joannis Anglorum Regis cum laudato Innocentio lis, de qua ſcribit Radulphus de Diceto: *Celebratum eſt*
A. 1199. *divortium inter Joannem Regem Angliæ & filiam Comitis Gloceſtriæ, in Normandia ab Epiſcopis Liſorienſi, Baiocenſi, Abrincenſi, quam ipſe tempore patris & permiſſione Romanæ Eccleſiæ duxerat in uxorem, ſed ille ſublimioris thori ſpe raptatus, conſilio pravorum eam abegit. Unde magnam ſummi Pontificis, & totius Romanæ Curiæ indignationem incurrit, præſumens temerè contra leges & Canones diſſolvere, quod eorum fuerat auctoritate colligatum.* Uti Henricus octavus datam ſibi cum Catharina Aragonia, ita Joannes Apoſtolicam cum iſta Glocestrenſi diſpenſationem aſſeruit invalidam, atque iſto fuco ad alias nuptias tranſivit. Quod Romana Eccleſia eo uſque vix in impedimentis illis diſpenſaſſet, dixit diſpenſare non poſſe. Et hæc diſpenſatio data fuiſſe videtur ab Alexandro tertio. Sub illo enim vixit Joannis Pater Henricus ſecundus.

Errant tamen qui uſque ad iſta tempora exiſtimant nunquam fuiſſe diſpenſatum. Etenim Agathenſis ſub Symmachi Papatu celebrata Synodus, quævis conſanguineorum atque affinium conjugia interdicit qui-
Cap. 67. dem rigidiſſimè, ſed tamen adjungit: *Quod ita præſenti tempore prohibemus, ut ea, quæ ſunt hactenus inſtituta, non diſſolvamus.* Ita ſtatuit non

ſolùm

ſolùm de illis, qui conſobrinam, aut defunctæ uxoris ſororem, ſed etiam de illo, qui duxerat novercam. Neophytos Anglos in contractis antè fidem cum conſanguinea conjugiis permanere permiſit etiam magnus Gregorius. Et de inito inter Rainerium Hannoniæ Comitem & ejus conſanguineam Herimanni Comitis filiam matrimonio ſcribit in Cameracenſis Eccleſiæ Chronico Baldricus Epiſcopus Tornacenſis: *Gerardo* Lib. 3. *Cameracenſi Epiſcopo omninò diſplicuit. Et tamen poſteà conſilio Coëpiſcoporum* cap. 10. *uſus, invitus ſiluit, quippè proponentium beati Gregorii,* quem cum Neophytis Anglis diſpenſaſſe jam dixi, exemplum. Publicæ, quam ex iſto conjugio ſperabat, pacis amore Gerardus diſpenſavit. Et de Guilielmo Normandiæ Duce, poſteà Anglorum Rege, qui cognatam ſuam Mathildim, Balduini Inſulenſis Flandrorum Comitis filiam duxerat, ſcribit Chronicon Beccenſis Monaſterii: *Iratus Rex Guilielmus contra Lanfrancum*, tunc dicti Monaſterii adhuc Monachum, *eum alienavit à ſua Curia, cujus Conſiliarius exſtiterat, quia contradicebat nuptias filiæ Comitis Flandriæ, quam ſibi ipſe Dux copulaverat matrimonio, quia proximitate carnis & conſanguinitate jungebantur. Undè authoritate Romani Pontificis tota Neuſtria erat ſuppoſita interdicto. Quapropter Lanfrancus Romam adiit, quamvis iturus eſſet occaſione cujuſdam Heretici Berengarii: Et tunc præſidebat Leo octavus. Et etiam ut rogaret pro Duce Nortmannorum & uxore ejus. Igitur locutus eſt cum Papa Nicolao, & oſtendit quod ejus ſententia, videlicet interdictum, eos tantùm gravabat: Qui eos nec conjunxerit, nec ſeparare poterat. Nam Dux Puellam, quam acceperat, nullo pacto dimittere volebat. Hoc audiens & verùm eſſe advertens Summus Pontifex, diſpenſatione habitâ conjugium conceſſit, eo tamen modo, quatenùs Dux & uxor ejus duo Monaſteria conſtruerent, in quibus ſingulas congregationes, virorum ac mulierum, coadunarent, quæ ibi ſub norma ſanctæ Religionis die noctuq; Deo deſervirent, & pro ſalute eorum ſupplicarent. Et paruit Dux Apoſtolicæ diſpoſitioni. Et ædificaverunt duo Monaſteria in prædio, quod antiquitus Cadomum nuncupabatur: Dux unum Monachorum in honorem ſancti Stephani, & uxor ejus alterum ſanctimonialium in honorem ſanctæ Trinitatis.* Quod ipſum eiſdem ferè verbis in ſancti Lanfranci vita ſcribit Milo Criſpi- Cap. 3. nus. Etiam ipſe Leonem nonum vocat octavum: Quod nempe Leonem octavum, de quo longa quæſtio, crederent Schiſmaticum ac intruſum. Ex iſtis interim vides diſpenſationem priùs negatam à Leone nono, ac tandem quaſi extortam fuiſſe à Nicolao ſecundo. Verùm hæ omnes fuerunt non præviæ ad contrahendum, ſed dumtaxat poſteriores malè contracti matrimonii toleratrices diſpenſationes, adeoque diſpenſationes prævias initiavit Alexander tertius, Innocentius tertius

ac ejus Succeſſores viam ampliarunt. Et hinc Leo nonus & contracta & contrahenda inter conſanguineos aut affines conjugia rigidiſſimè interdixit.

# CANON XII.

N*E quis legitima uxore derelicta aliam duceret.*

## SCHOLION.

AN adulterii præſertim cauſa dirimi poſſit rati & conſummati inter fideles Matrimonii vinculum, quæſtio olim fuit admodum intricata. Etenim Domini verbum, *Quicumq; dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*, ſtatuere videtur partem affirmativam. Et ita in ſua ad Ablavium Prætorio Præfectum lege intellexiſſe videtur Conſtantinus Magnus Imperator, qui à Gentilibus Auguſtis permiſſam uſque tunc nimiam repudiorum licentiam caſtrans, ſanxit deinceps ob ebrioſitatem, frequentatam aleam, aut adulterium non poſſe dimitti maritum, ſed dumtaxat ob homicidium, veneficium aut ſepulchrorum effoſſionem. Eadem ob crimina, itemque ob lenocinium atque adulterium permittit uxorem dimitti, & adjungit: *Si ab his criminibus liberam ejecerit, omnem dotem reſtituere debet, & aliam non ducere.* Poſt juſtum repudium novas utrique parti nuptias lucidè concedit. Edita eſt lex Annio Baſſo & Ablavio Ægyptio Conſulibus, anno Domini trecenteſimo trigeſimo primo, ſexto poſt Nicenum concilium, quo tempore omne Romanum Imperium erat Chriſtianum, atque ita optimus Princeps præſumi vix poſſit quidpiam contra Evangelicam legem decreviſſe. Scio legem iſtam & à Græcis & à Latinis Eccleſiæ Patribus frequenter argui: Nempe quod in adulterii crimine maritum & uxorem, quos Evangelium pares facit, diſpares faciat, ejuſque cauſa hanc ſolam & non iſtum permittat repudiari. Unicus fere Baſilius Magnus iſtam legis partem per conſuetudinem purgare conatur, in litteris Canonicis ſcribens ad ſanctum Amphilochium Metropolitam Iconienſem: *Domini dictum ſecundum ſententiæ conſequentiam ex æquo & viris & mulieribus convenit, quod non liceat à Matrimonio decedere, præterquam propter fornicationem. Conſuetudo autem non ita habet, ſed in mulieribus quidem multum accuratè & diligenter obſervari invenimus.* Et infrà: *Conſuetudo etiam adulterantes viros, & in fornicationibus verſantes, jubet à mulie-*

Cap. 9.

Digitized by Google

*mulieribus retineri.* Ibidem hæſitavit etiam ſanctus Exuperius Tholoſæ Epiſcopus, ideoque iſtius inter virum & uxorem, quos Evangelium palam æquat, differentiæ rationem ab Innocentio primo Pontifice efflagitavit. Et eam Evangelio adverſari Pontifex Apoſtolicâ libertate reſpondit. Juſto repudio conceſſas à memorata lege novas nuptias nemo ferè Pater palam damnat, ideoque hanc ejus partem videntur omninò probaſſe. Eam diſertè probat ac docet apud Origenem auctor Homeliæ ſeptimæ in Matthæum. Et ſanctus Epiphanius: *Cui una uxor non ſufficit, cum occaſione aliqua ſtupri, adulterii, aut alterius flagitii, cum ea divortium fecerit, is ſi alteram uxorem duxerit, aut alteri viro mulier nupſerit, ſacrarum litterarum auctoritas ab omni culpa illos abſolvit, neque ab Eccleſia aut æterna vita rejicit, ſed propter imbecillitatem tolerandos exiſtimat. Non ita tamen duas ut altera ſuperſtite uxores ſimul habeat, ſed ut ab una ſeparatus alteram ſibi legitimè, ſi lubet, adjungat.* Et in primam ad Corinthios Epiſtolam Commentator Ambroſiaſter: *Viro licet uxorem ducere, ſi dimiſerit uxorem peccantem.* Cum adducta Conſtantini lege inter virum diſtinguit & uxorem: Huic ſolum repudium, iſti autem, utpote digniori, etiam novas nuptias concedit. Alia diſtinctionis ſpecies in laudatis ad ſanctum Amphilochium litteris placuit Magno Baſilio. Et viro & mulieri repudianti ait non licere novas nuptias, additque de viro dimiſſo: *Eſt dignus venia, & quæ ei cohabitat, non ideò condemnatur.* Omne viro datum repudium ex ſuperius memorata conſuetudine putat eſſe iniquum, ideoque dimiſſo viro ſingulare iſtud licere. Quin imò prima, cui ex omni Latina Eccleſia adfuerunt Epiſcopi, Arelatenſis Synodus ſtatuit: *De his qui conjuges ſuas in adulterio deprehendunt, & iidem ſunt adoleſcentes Fideles, & non prohibentur nubere, placuit ut in quantum poteſt, conſilium eis detur, ne viventibus uxoribus ſuis, licet adulteris, alias accipiant.* Hodierna lectio habet, *Et prohibentur nubere.* Verùm in ſuis ad ſanctum Epiphanium notis rectè ait Dionyſius Petavius: *Negationem deeſſe, legendumq;*, Et non prohibentur nubere, *contextus ipſe orationis indicat. Nam ſi prohibentur nubere, non conſilium ad illos coërcendos, ſed præcepti neceſſitas adhibenda fuerat.* Quædam olim crimina privabant jure nuptiarum. Eorum puris adoleſcentibus Fidelibus novas nuptias Canon diſſuadet ſolummodò, non interdicit. Et ex iſto Canone Conſtantinus Imperator poſſit ſuam legem deſumpſiſſe. Eandem ſententiam ſecuti ſunt plures per Africam Epiſcopi, adverſum quos ſanctus Auguſtinus ſcripſit duos ad Pollentium libros de adulterinis conjugiis, id eſt, de repetitis conjugiis poſt legitimum repudium. Eleganter & acriter novas iſtas nuptias demonſtrat eſſe adulterinas, ac Evangelio repugnare.

Lib. 59. cap. 4.

Cap. 7.

Cap. 9. 77.

Cap. 10.

Lib. 59.



Digitized by Google

Cunƈta adverſariorum argumenta potenter diſſolvit. Et quia omnium Africanarum Synodorum mens erat & lingua, à Generali ducentorum & quatuordecim Epiſcoporum Carthaginenſi Synodo obtinuit hunc Canonem: *Placuit ut ſecundum Evangelicam & Apoſtolicam Diſciplinam neque dimiſſus ab uxore, neque dimiſſa à marito, alteri conjungantur, ſed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur. Quod ſi contempſerint, ad Pœnitentiam redigantur. In qua cauſa legem Imperialem petendam promulgari.* Ita ſententiam illam ab omni Africana Eccleſia Auguſtinus proſcripſit, & obtentâ conformi Imperiali lege adverſam Conſtantini legem, unicum adverſariorum aſylum, ſperavit abrogandam. Facta eſt Synodus ſub Zozymi Pontificatu, quinti ſæculi anno decimo octavo, & tamen poſt illum in libro de fide & operibus ſcripſit laudatus Auguſtinus: *Quiſquis uxorem in adulterio deprehenſam dimiſerit, & aliam duxerit, non videtur æquandus eis, qui excepta cauſa adulterii dimittunt & ducunt. Et in ipſis Divinis ſententiis ita obſcurum eſt, utrum & iſte, cui quidem ſine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur ſi aliam duxerit, ut quantum exiſtimo, venialiter ibi quiſq; fallatur.* Ejuſmodi conjugia nulli deinceps fideli affirmat permittenda, eorum jam contractorum pertinaces defenſores, quod dubiam & probabilem ſententiam ſequerentur, damnari non vult, nec à Baptiſmatis Sacramento arceri. Quod ipſum confirmare, & ad Pænitentiæ Sacramentum extendere videtur in laudatis, quos in præfati Canonis robur & confirmationem omnino edidit, libris de conjugiis adulterinis. Etiam laudatus Canon iſtiuſmodi conjugia deinceps contrahi dumtaxat interdicit, contracta non diſſoluit. Rationem dat in Retractationum libris idem Auguſtinus, profeſſus quæſtionem hanc eſſe difficillimam, addenſque de ejus per ſcriptos de adulterinis conjugiis libros ſolutione: *Quod utrum enodatiſſimè fecerim, neſcio; imo verò non me perveniſſe ad hujus rei perfectionem ſentio, quamvis multos ſinus ejus aperuerim, quod judicare poterit quiſquis intelligenter legit.* Hinc & ipſe & laudata Carthaginenſis Synodus cenſuerunt tanto animæ periculo nullum caput immittendum, item nullum Chriſtiana ſimplicitate jam immiſſum, licet ſolvi nolit, facilè damnandum. Mitigarunt, damnare tamen non præſumpſerunt magnam, cui Africanæ Eccleſiæ Primates adfuerant, Synodum Arelatenſem. Eadem licentia adeò graſſata fuit per Gallicanas Eccleſias, ut eam damnare non præſumpſerit, ſed Apoſtolicam Sedem conſulendam duxerit ſanctus Exuperius Epiſcopus Tholoſanus. Et licet Innocentius primus Pontifex reſponderit ipſam adverſari Evangelio, adeò tamen Galliarum Epiſcopis non placuit ejus ſententia, ut ſtatuerint in Venetica Synodo: *Eos, qui relictis uxoribus ſuis, ſicut in Evan-*

Cap. 17. Cap. 19. Lib. 2. cap. 57. Epiſt. 2. cap. 4.

*Evangelio dicitur, excepta cauſa fornicationis, ſine adulterii probatione aliàs duxerint, ſtatuimus à Communione arcendos, ne per Indulgentiam noſtram prætermiſſa peccata alios ad licentiam erroris invitent.* Uxorem deinceps non ex quavis, aut varia certè cauſa, ſed ob ſolum legitimè probatum adulterium dimitti, & aliam tunc duci lucidè permittunt: Et Evangelium ſibi patrocinari omninò crediderunt. Quod ipſum eorum ſucceſſores confirmarunt in Synodo Agathenſi. Romanum Imperium ceſpitabat, & labi tunc incipiebat in Gallia, ideoque adverſum ejus leges ita liberè definierunt Epiſcopi Gallicani: Definierunt adverſum Conſtantini, Arcadii, atque Honorii leges, datamque ab illis nimiam repudiorum & novarum nuptiarum licentiam circumcidunt, & ad fixos ab Evangelio limites, ut illis quidem viſum eſt, coarctarunt. Cap. 2.

Sui item Carthaginenſis Canonis confirmatricem legem adeò olim non impetrarunt Afrorum Epiſcopi, ut adductam Conſtantini legem confirmarit Theodoſius Junior Auguſtus, & ſuo codici inſeruerit. Etiam Patruus ejus Honorius novarum poſt legitimum repudium nuptiarum licentiam moderatus quidem eſt ſcriptâ ad Palladium Prætorii Præfectum lege, tamen & confirmavit. Data fuit lex Euſtaſio & Agricola Conſulibus, anno Domini quadringenteſimo vigeſimo primo, atque ita vides Africanæ Eccleſiæ preces nihil obtinuiſſe. Quæ omnia in novella ad Joannem Orientalis Prætorii Præfectum lege confirmat Imperator Juſtinianus, virum etiam ob adulterium permittens dimitti, addenſque hoſtili captivitate non ſolvi conjugium, niſi poſt quinque annos incertitudinis de vita & ſtatu captivi. In alia ad Theodotum ejuſdem Prætorii Præfectum lege rurſum firmat iſta omnia, caſtrans tamen bonæ gratiæ licentiam, id eſt, facultatem mutuo conſenſu ſolvendi Matrimonii. Hac via ſolvi vetat, niſi ſubſit legitima cauſa, qualis eſt voluntas intrandi Monaſterii, aut ſaltèm caſtè vivendi. Quas leges in ſuis ad quintum & quadrageſimum ſeptimum Apoſtolicum, ad quadrageſimum octavum & octogeſimum ſeptimum Trullanum, & ad centeſimum quintum Carthaginenſem Canonem laudat & probat Theodorus Balſamon, de dicto Carthaginenſi, qui eſt ſupra adductus decimus ſeptimus, adjungens: *Quæ in hoc Canone continentur, cum ſint multo antiquiora, exoleverunt.* Quoſvis conjugalis vinculi ſolutionem damnantes Canones ſchiſmaticus laïcæ poteſtatis adulator garrit cedere adductis Juſtiniani legibus, conjugem invito conjuge definit tranſire poſſe ad ſtatum Monaſticum, eoque tranſitu conjugium ſolvi. Rogatus olim, *Si alicujus uxor ſpiritu corripitur, ut ferreos etiam compedes & manicas geſtet, vir autem dicat, Non poſſum continere, & velit aliam accipere, debetne aliam accipe-*

Lib. 3. Tit. 16. Cap. 1.

Lege 22 cap. 7. 15

Lege 17.

*accipere, an non?* Hanc, inquam, quæſtionem rogatus ſanctus Timotheus Patriarcha Alexandrinus reſpondit: *In hac re quidem adulterium intercedit, nec invenio quid de ea reſpondeam.* Quod reſponſum commentatur etiam Theodorus: *Reſponſio ſe nihil poſſe dicere, eſt enim adulterium, ſi conſtante matrimonio vir aliam mulierem ducat. Ex Novella autem Domini Leonis Philoſophi marito conceſſum eſt mulieris, quæ perpetua inſania laborat, ſolvere Matrimonium. Soluto autem Matrimonio, licet marito aliam duce-*
Leg. 111 *re.* Alteram de mariti, alteram de uxoris ſupervenienti furore legem
112. edidit Leo Sapiens: Utraque utrumque conjugium in certis caſibus ſolvit. Et omni iſtarum legum jure etiamnum hodiè Græci vivunt. Et hinc de ipſis antiquus incogniti auctoris, Conſtantinopoli in Patrum Prædicatorum Conventu repertus, tractatus merito ſcribit: *Viri & mulieris Sacramentum conjugii pro futili reputant. Nam quoties alter diſplicet alteri, coram Prætore urbano voluntatibus eorum expoſitis, inſtrumentis & ſingulis præciſis, ſine contradictione viri uxores, & mulieres viros pro libitu accipiunt, contra mandatum quod dicit: Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Etiam in Florentino Concilio ab illis poſt concluſam unionem poſtularunt Latini, qua auctoritate rata & conſummata conjugia dirimerent. Et licet Dorotheus Mitylenenſis Metropolita nequiverit diſſolvere quæſtionem, illi tamen in more ſuo duri perſtiterunt, iteratæ Eugenii quarti Pontificis, dogma iſtud eſſe enorme & Evangelio adverſum, ideoque neceſſario reformandum urgentis, inſtantiæ aliud non reponentes, quam *ſe non ſine legitima cauſa matrimonia ſeparare.* Utique ex auctoritate jam adductarum legum. Etenim quod Juſtinianus Auguſtus Eccleſiaſticam Chriſtianitatis diſciplinam tangentes leges nec concipere ſine doctiſſimorum Epiſcoporum aſſeſſu & aſſenſu, nec promulgare cenſueverit, lucet ex Procopio Cæſareenſi, ideoque leges iſtas Evangelio adverſari non poſſe Græci conſtanter crediderunt. Etiam de Armeniis, Græcorum ritum hinc inde ſequentibus, ſcribit in Hiſtoriali ſpeculo Vincentius Epiſcopus Belluacenſis: *Si uxor alicujus adulteraverit, ſtatim Epiſcopus dat ei licentiam accipiendi aliam.* Et inſignis ipſorum Patriota, & ex Prædicatorum Ordine Doctor Joannes Chernacenſis in Epiſtola de eorum erroribus: *Parochi & Epiſcopi faciunt inter virum & uxorem divortium ſine cauſa propter pecuniam, contra Evangelii præceptum & Sacros Canones.* Erudita ad ſui Ordinis in Armenia Fratres Epiſtola exſtat apud
Fol. 516. Clementem Galanum. Armenius Monachus ſanctus Nicon in opuſculo de peſſima peſſimorum Armeniorum Religione adjungit: *Hiſtoriam quæ nos docet quod mulier tamquam adultera ad Jeſum adducta eſt, cum is autem dixiſſe. Qui non peccavit lapidem in illam mittat, receſſerunt omnes, & nec*

*& nec à Chriſto condemnata eſt, rejiciunt, hanc auditionem multis eſſe perniciosſam dicentes.* Et in catalogo, quem de Colchorum & Iberorum erroribus ad Urbanum octavum Pontificem miſit Petrus de Avitabolis, habet laudatus Galanus: *Si de uxore litteras non recipiant, de Sacerdotum licentia dant illi libellum repudii atque aliam ducunt. Idem ſimiliter faciunt, ſi rixoſa ſit, aut in adulterio eam deprehenderint.*

Et ſimiles Gentium Fidelium leges & conſuetudines exſtiterunt olim etiam apud Latinos. Etenim apud Marculphum Monachum, qui ſub Merovingiorum Regum finem in Gallia floruit, exſtat ex ipſorum conſuetudinariis legibus deſumpta formula, qua ex bona gratia, ſeu mutuo ob domeſticas diſcordias conſenſu decernunt, *Ut unuſquiſque ex ipſis ſive ad ſervitium Dei in Monaſterio, aut copulæ matrimonii ſociare ſe voluerit, licentiam habeat, & nullam requiſitionem ex hoc de parte proximi ſui habere debeat.* Quod ipſum, ex ſolo tamen conjugii vel ipſius naturæ adulterio, permittunt leges Viſegothorum, quas licèt, teſte ſancto Iſidoro in Gothorum Chronico, Euricus Arianus Rex conſcripſerit, & Tyrannus Leovigildus correxerit, etiam correxerunt Chindaſvintus, & Receſvintus Reges Orthodoxi, tandemque Ervigius Rex, haud dubiè cum Epiſcoporum conſilio, perfecit. Etiam Theodoricus Rex pro ſuis in Italia tam Gothis quam Romanis ſuprà adductas Conſtantini, Arcadii atque Honorii leges in ſuo Edicto confirmavit. Eaſdem probaſſe videtur Papa Deuſdedit, virum, qui proprium filium ſuſcepiſſet ex ſacro Fonte, ab uxore ſeparandum reſcribens Gordiano Hiſpalenſi Archiepiſcopo, & adjungens: *Mulieres, cum ſeparatæ fuerint pro hac illicita re à propriis viris, totam præcipimus recipere dotem. Et poſt expletum annum recipiant alium virum. Similiter & vir uxorem.* De ejuſdem olim facti ſpecie ita reſponſum affirmat à ſuis Anteceſſoribus, Julio, Innocentio, Cœleſtino. Eodem principio uſus fuit Chilpericus Francorum Rex, de quo Abbas Regino: *Chilpericus Audoveram Reginam à ſe repulit, eo quod adhortante Fredegonde filiam propriam è ſacro Fonte ſuſcepiſſet, & eandem Fredegondem ſibi in matrimonium jungit.* Nec ſolùm à dictarum gentium Regibus, ſed etiam à popularibus fuiſſe frequenter dicta conjugibus repudia, initaque conjugia alia, teſtantur ipſarum Annales. Francorum Regum varia exempla exhibet in ipſorum Hiſtoria ſanctus Gregorius Epiſcopus Turonenſis Et quoniam Franci non ex ſolo adulterio, ſed ex aliis etiam cauſis repudiabant, ipſorum Regibus Gothorum in Hiſpania Reges deſpondere nolebant ſuas filias, niſi datis de citra adulterium non repudiando Sacramentis. Ita habes apud Fredegarium, & Monachum Aimoinum.

Cap 30. — L. 3. tit. 6 c. 1. & 2. — Cap. 54 — An. 498. — Lib. 3. c. 94.

Etiam ſub Pippino, Carolo Magno, Ludovico Pio, eorumque Succeſſoribus graſſata eſt licentia. Quod enim Pippinus factus Rex, ejuſque defuncti Succeſſores & filii Carolus Magnus & Carolomannus uxores priores dimittere, & alias ſublimioris ſanguinis accipere voluerint, lucet ex Stephani tertii Pontificis Epiſtola ad dictos Carolum & Carolomannum. Quam peſſimam ad Regnum evectorum ſuperbiam viguiſſe
Lib. 4. etiam in Anglorum Proceribus, ſcribit Simeon Monachus Dunelmenſis. Et quidem Stephano Pontifici aliud mandanti Carolus non obedivit. Quod enim Deſiderii Longobardorum Regis filiam, cujus nuptias ſingulariter damnabat Pontifex, duxerit & poſteà pœnitens etiam repudia-
An. 770. rit, teſtantur Hermannus Contractus, Eginardus, & ſancti Galli Mo-
Cap. 26. nachus, addens id factum ex Epiſcoporum judicio, quod eſſet clinica & infœcunda. Secuti ſunt Gregorii ſecundi Pontificis reſcriptum ad Francorum Apoſtolum ſanctum Bonifacium: *Quod propoſuiſtis, quod ſi mulier infirmitate correpta non valuerit viro debitum reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum eſſet, ſi ſic permaneret, ut abſtinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum eſt, nubat magis. Non tamen ſubſidii opem ſubtrahat ab illa, quàm infirmitas præpedit, & non deteſtabilis culpa excludit.* Et in Vermerienſi Synodo ſtatuit ipſe, lapſam apud nos Chriſtianitatem reparans, laudatus Bonifacius: *Si aliquis cum filiaſtra ſua manet, nec matrem nec filiam ipſius habere poteſt. Nec ille, nec illa aliis ſe poterunt conjungere ullo umquam tempore.* Fœdus enim ille incæſtus utrumque privat perpetuo jure nubendi. *Attamen uxor ejus, ſi ita voluerit, ſi ſe continere non poteſt, ſi poſteà quam cognovit, quod cum filia ſua vir ejus fuit in adulterio, carnale commercium cum eo non habet, niſi voluntate abſtinet, poteſt alio nu-*
Cap. 2. *bere.* Et iterùm: *Si qua mulier mortem viri ſui cum aliis hominibus conſiliavit, & ipſe vir ipſius hominem defendendo ſe occiderit, & hoc probare poteſt, ille vir poteſt uxorem ſuam dimittere, & ſi voluerit, aliam accipiat.*
Cap. 5. Et rurſum: *Si quis neceſſitate inevitabili cogente, in alium Ducatum ſeu Provinciam fugerit, aut Seniorem ſuum, cui fidem mentiri non poterat, ſecutus fuerit, & uxor ejus, cùm valet & poteſt, amore Parentum aut rerum ſuarum ſequi eum noluerit, ipſa omni tempore, quamdiu vir ejus, quem ſecuta non fuit, vivit, ſemper innupta permaneat. Nam ille vir ejus, qui neceſſitate cogente in alium locum fugit, ſi ſe abſtinere non poteſt, aliam uxorem cum pœnitentia poteſt accipere.* Plures ibi ſunt ejuſmodi Canones. Quæ omnia confirmavit etiam ſub Pippini Regno habita Synodus Compendienſis: *Si quis homo habet uxorem legitimam, & frater ejus adulteravit cum ea, ille frater vel illa mulier, qui adulterium perpetrarunt, interim quo vivunt numquam habeant conjugium. Ille, cujus uxor fuit, ſi vult, poteſtatem*

Digitized by Google

*ſtatem habeat aliam accipere.* Et iterùm : *Si quis vir mulierem ſuam dimiſerit & dederit commeatum pro Religionis cauſa intra Monaſterium deſervire, aut foras Monaſterium dederit licentiam velare propter Deum, vir ille accipiat mulierem legitimam. Similiter & mulier faciat. Gregorius conſenſit.* Et rurſum : *Si vir leproſus mulierem habeat ſanam, ſi vult ei donare commeatum, ut accipiat virum, ipſa fœmina, ſi vult accipiat. Similiter & vir.* Etiam iſtic ſunt plures iſtiuſmodi Canones. Porrò Gregorius ille fuit Romanus Epiſcopus, id eſt, Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Pauli primi Pontificis ad Synodum iſtam Legatus. Ex quo videri poſſit Romana Eccleſia tunc fuiſſe ejuſdem mentis. Primùm iſtum Compendienſis Synodi Canonem ſuo capitulari inſeruit etiam Iſaac doctiſſimus Lingonenſium Epiſcopus, atque ita lucet etiam tunc ſub Caroli Calvi Regno morem iſtum non fuiſſe damnatum. Non ſolùm ob fornicationem, ſed etiam ob ſupervenientem ſervitutem, amentiam, aut ſimilem infirmitatem, imò & ob paupertatem conſueſſe tunc uxores dimitti, aliaſque duci in Francia, teſtatur in libris de laïca inſtitutione eruditus iſto tempore Epiſcopus Jonas Aurelianenſis. Iſtud ipſum de Anglia affirmat in litteris ad Edelredum Cantuarienſem Archiëpiſcopum Joannes Pontifex octavus. Nempe de conjugiis & divortiis quæſtionem eſſe obſcuriſſimam, & plenè à ſe non poſſe explicari, ſupra profeſſus eſt ſanctus Auguſtinus. Eadem ignorantia laborarunt plurimi per alias etiam gentes Epiſcopi, atque ita de hac re variè ſenſerunt.

L. 2. c. 12. 13.

Ep. 65.

Abuſus rurſum invaluit poſt patrata in Formoſum Pontificem ſcandala. Tunc enim ſtatuit Synodus Triburienſis : *Si quis cum noverca ſua dormierit, neuter ad conjugium poteſt pervenire, ſed vir ejus, ſi vult, poteſt aliam accipere, ſi continere non poteſt. Similiter ſi quis cum filiaſtra ſua, vel cum ſorore uxoris ſuæ dormierit, obſervandum eſt.* Ab omni ſupervenienti impedimento dirimenti matrimonium ſolvi videtur cenſuiſſe. Licet non in hodiernis Synodi actis, exſtat tamen Canon apud Gratianum. Conjugibus ob enatas diſcordias reconciliari & convivere pertinaciter recuſantibus, aut ambobus aut eorum alteri Monaſticam profeſſionem ſuadebat, & apud ſæculum remanenti novas nuptias indulgebat etiam ſanctus Fulbertus Carnutenſis Epiſcopus, ac de iſto ſuo more ſcripſit ad Robertum Archiëpiſcopum Rothomagenſem : *Si hac de cauſa meum conſilium vultis, quod ego facio, idem vos facere ſuadeo. Capitula Canonum ad hanc cauſam pertinentia nobis ſubſcribere non vacavit ad præſens hoſtium perſecutione turbatis. Scribemus autem & hac & alia libenter in obſequium veſtrum, ſi Deus nobis conceſſerit ſalutem & pacem.* Alia Canonum de hac re Capitula ego neſcio, niſi adductas leges Juſtiniani Augu-

32. quæſtione 7. cap. 24.

 ſti,

ſti, & Canonem Synodi Compendienſis. Quod Scoti uxores ſuas non ſolum dimitterent, ſed etiam venderent, habes in litteris Gregorii ſeptimi ad ſanctum Lanfrancum Archiëpiſcopum Cantuarienſem. Etiam ad Muriardachum Hiberniæ Regem ſcripſit tunc ſanctus Anſelmus: *Di-*
App. Ep. 1. *citur quod in Regno veſtro viri ita liberè & publicè uxores ſuas uxoribus aliorum commutant, ſicut quilibet equum equo, aut quamlibet aliam rem re aliâ ab*
Lib. 3. *illo commutat, & pro libitu ac ſine ratione relinquit.* Et de quibuſuis Euro-
Ep. 142. pæ Gentibus ſcribit Guilielmus Monachus Malmesberienſis: *Legitimis*
147. *uxoribus excluſis, multi contrahebant divortium, alienum expugnantes matrimonium.* Loquitur de Urbani ſecundi temporibus. Attamen abuſus
Fol. 150. erat inveteratus, & longè antiquior. Et adverſus illum Leo nonus emiſit præſentem Canonem.

Quæſtio eſt, Quibus ex fundamentis famoſam adeò ſententiam, ac latiſſimè diffuſum morem proſcripſerit ac damnarit? Reſpondeo, ex firmiſſimis fundamentis. Etenim repudio non ſolvi Matrimonia docet conſtantiſſimè variis in locis Tertullianus, adjungitque in libro de
Cap. 9. Monogamia: *Adeò repudium*, utique conjugalis vinculi diremptivum, *à primordio non fuit, ut apud Romanos poſt annum ſexcenteſimum Urbis con-*
Cap. 6. *dita id genus duritia commiſſum denotetur.* Et in libro Apologetico: *Ubi eſt illa felicitas Matrimoniorum de moribus ubique proſperata, quo per annos fere ſexcentos ab Urbe condita nulla domus repudium ſcripſit?* Utique apud Gentiles Romanos. Ita oſtendit repudium non ſoli Evangelio, ſed & naturali legi repugnare. Ex fornicationis cauſa profitetur poſſe diverti, verùm ſine vinculi injuria, & ſine licentia novarum nuptiarum. Permiſſam Judæis licentiam affirmat fuiſſe *duritia genus*, ſeu merum Divinæ commiſerationis indultum, impunè ſuſtinens duritiam Judaici cordis, malenſque ab ipſa dimitti uxores, quam trucidari. Vera quidem falſis hinc indè permiſcet, attamen & Catholicus & ad Montanum lapſus ſententiam noſtram eſt ſolidiſſimè tutatus. Eandem tutatâ eſt Eliberina Synodus, fœminis, quæ non ſolum ſine cauſa, ſed & quæ ob adulterium viros dimiſerint, interdicens novas nuptias, & accipientibus, donec dimiſſus vir obierit, auferens communionem. Eandem ſenten-
Cap. 9. 10. tiam in litteris ad Oceanum tutatur ſanctus Hieronimus, Romanam Matronam Fabiolam, quæ dimiſſo adultero alium virum duxerat, affirmans & laudans fuiſſe à Romana Eccleſia ſubjectam publicæ pœnitentiæ, tam-
Ep. 30. quam Evangelicæ legis prævaricatricem. *Præcepit*, inquit, *Dominus uxorem non debere dimitti excepta cauſa fornicationis, & ſi dimiſſa fuerit, manere innuptam.* Aliud à Paulo, aliud à Papiniano ait præcipi; alias Cæſarum, alias Chriſti eſſe leges, quæ & viros & mulieres,

pari-

pariformiter conſtringant. Quæ omnia repetit in litteris ad Amandum, & in Commentariis ad quintum & decimum nonum caput ſancti Matthæi. Ep. 147. Et quidem publica nobiliſſimæ Fabiolæ antè Lateranenſis Baſilicæ fores pœnitentia oſtendit oppoſitam ſententiam à Romana Eccleſia judicatam fuiſſe improbabilem, imò & intolerabilem: Quilibet enim probabilitatis fucus tantam Matronam à tanta coram totius populi oculis confuſione ſaltem diſpenſatoriè excuſaſſet. Et in hoc ſenſu Romani Pontifices ſemper fuerunt conſtantiſſimi. Etenim ſancto Exuperio Toloſano Epiſcopo, de adulterorum repudio & novis repudiantium nuptiis conſulenti, reſpondit Innocentius primus: *De his requiſivit Dilectio tua, qui interveniente repudio, alii ſe matrimonio copularunt, quos in utraque parte adulteros eſſe manifeſtum eſt.* Ambos ejuſmodi novos conjuges Cap. 6. affirmat abſtinendos communione, tradendoſque ſolenni pœnitentiæ: Quod nempe & illum qui dimiſerit conjugem & aliam duxerit, itemque illum qui duxerit dimiſſam, Dominus edixerit mœchari. Quod ejus reſcriptum prædicat in libris de laïcali inſtitutione Jonas Aurelianenſis Epiſcopus, & adjungit: *Hoc tantum nefas contra præceptum Domini & Salvatoris Jeſu Chriſti de dimittendis uxoribus, & aliis ducendis, ideò inoleviſſe dubium non eſt, quoniam nefandi tanti criminis operatores ſeveriſſima Canonica cenſura, ut oportet, non percelluntur.* Solemnes Romani Imperii leges, & ab ipſis permiſſas nuptias damnare varii metuebant tepidi L. 2. c. 13. Epiſcopi, ideoque largiſſimè graſſatus eſt nequiſſimus abuſus, imò & veritatis fucum induit apud imperitos: Et iſto ab errore atque metu Romana Eccleſia fuit ſemper immunis. Hinc etiam alterius conjugis captivitate conjugium non dirimi, contra Romanas leges ad virum illuſtrem Probum laudatus Innocentius reſcripſit. Quod ipſum in litteris ad Nicetam Aquileiæ Archiepiſcopum confirmavit Leo magnus. Epiſt. 9. Et de iſtis omnibus, præſertim Juſtiniani legibus, à Theoctiſta Patricia rogatus magnus Gregorius reſpondit: Ep. 79. cap. 4. *Si dicunt Religionis cauſa conjugia debere diſſolvi, ſciendum eſt, quia etſi hoc lex humana conceſſit, lex Divina tamen prohibuit. Per ſe enim veritas dicit: Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Et in L. 9. Ep. 39. litteris ad Adrianum Notarium Panormitanum: *Etſi mundana lex præcipit, converſionis gratia, utrolibet invito poſſe ſolvi conjugium, divina hoc tamen lex fieri non permittit. Nam excepta fornicationis cauſa vir uxorem dimittere nullâ ratione conceditur.* Etiam Stephanus ſecundus à Pippino Francorum Rege ac ejus Epiſcopis de repudiis ac novis nuptiis rogatus reſpondit per laudatum reſcriptum Innocentii primi ad ſanctum Exuperium. Quod ipſum in ſuis, per illuſtriſſimum Lucam Holſtenium nuper publicatis, Romanis Synodis firmarunt etiam Eugenius ſecundus, ac Leo



Digitized by Google

quartus, addentes nuptias nec per Monaſticam profeſſionem ſolvi.
Cap. 36. Neophytis Bulgaris, fidelium Græcorum varia repudia & novas nuptias videre conſuetis, ideoque deſuper hæſitantibus, iſtud ipſum reſpondit
Ep. 71. c. 91. Nicolaus primus. Et Roſtagno Arelatenſi Archiëpiſcopo, eundem abuſum in Gallia adhuc ſupereſſe conquerenti, idem repoſuit Joannes octavus & omnis ſecunda Synodus Tricaſſina. Eundem abuſum graviſ-
Epiſt. 6. ſimè damnat idem Pontifex in litteris ad Airardum Archiëpiſcopum Auſcenſem. Longè plura adduci poſſint ejuſmodi decreta atque reſcripta Romanæ Eccleſiæ. Quare adverſa Deuſdedit, Gregorii ſecundi, & Zachariæ Pontificum reſcripta Indulgentiam continent, non legem. Duris corruptorum dierum cordibus iſtam diſpenſatoriam paternæ miſerationis conniventiam maluerunt impendere, quàm lapſæ diſciplinæ vulnera magis exulcerare.

Romanæ Eccleſiæ ſententiam fortiſſimè tutatus eſt cum Carthaginenſi Synodo & omni Africana Diœceſi ſanctus Auguſtinus. Evincit id vel ſolus titulus librorum de adulterinis conjugiis. Quod verò oppoſitam ſententiam plenè non damnarit, fecit ejus ſumma & conſueta modeſtia, qua ſanctum Cyprianum imitatus nunquam præſumpſit ſe ſtatuere Epiſcoporum Epiſcopum, ſeu judicem ſuorum Collegarum. Circa opiniones, quas vel quis fucus ſuaderet tolerabiles, permiſit quemque *in ſuo ſenſu abundare*. Eandem ſententiam conſtantiſſimè tutatus eſt ſanctus Joannes Chryſoſtomus, intrepidè aſſeverans permiſſum à Domino ex fornicationis cauſa divortium eſſe quoad ſolam cohabitationem, non quoad vinculum, cunctas Romani Imperii leges Evangelio adverſari. Addit adverſari & legi naturali, ideoque Judæis permiſſum à Moyſe divortium fuiſſe merum indultum temporalis impunitatis. Solâ morte ſolvi vinculum iſtud firmiſſimus affirmat. In ſexageſima tertia ſuper ſancti Matthæi Evangelium Homilia ex Divinæ Majeſtatis verbis, ***Erunt duo in carne una, quod Deus conjunxit, homo non ſeparet***, docet matrimonium & per naturam & per divinam legem eſſe inſeparabile, nec ulla ex cauſa poſſe ſolvi. Datam Judæis ſolvendi licentiam addit fuiſſe diſpenſatoriam, & à nova Chriſti Domini lege etiam in adulterii caſu ſublatam. In Commentariis ad primum ſancti Eſaïæ caput affirmat repudium eſſe uxoricidio minus, & tanquam tale Judæis dumtaxat permiſſum. Supponit vinculum permanſiſſe. In libro de virginitate palam docet adulteræ repudio longè minus ſolvi apud Chriſtianos, ideoque repudiantem
Cap. 40. oportere aut caſtè vivere, aut reconciliari, & adjungit: ***Habes alterum effugium. Quodnam? Ejus mortem exſpecta.*** Quod ipſum pluribus docet in Homilia de libello repudii. Aſſerit mulierem eſſe non viri tantum, ſed & le-

Digitized by Google

& legis ſervam, ſolâ viri morte emancipari, ac proſequitur: *Quæ autem ſerva eſt ac ſubdita legi, etiamſi millies repudii libellum accipiat, adulterii ligabitur lege. Nam ſervis quidem licet mutare Dominos viventes, uxori autem viventes commutare viros non licet. Alioquin adulterium perpetrabunt. Ne mihi leges ab exteris conditas legas, præcipientes dari libellum repudii ac divelli. Neque enim juxta illas Deus te judicaturus eſt, ſed ſecundùm ſuas. Id etiam externæ leges non ſimpliciter nec abſolutè hoc poſuerunt: Nam & ipſæ puniunt factum. Et hinc liquet quod peccatum valde ægrè tulerint. Unde eam, quæ auctor fuerat repudii, nudam & ſpoliatam facultatibus ejiciunt, & eum à quo data fuerat diſſolutionis occaſio, etiam facultatum jactura puniunt, & ideò factum illud non commendant.* Suprà adductas Romanorum Principum leges aſſerit Evangelio adverſas, & adinſtar Moſaïcæ eſſe ad evitanda majora Reipublicæ mala merè diſpenſatorias ac permiſſivas. Largiſſimè hæc deducit ibidem, nec non in ſermone de ducendæ uxoris qualitatibus, ac in ſermone adverſus deſperationem. Quod ipſum in ſuis ad ſeptimum primæ ad Corinthios Epiſtolæ caput Commentariis inſigniter tradit Theodoretus. Et quis ignoret Theodoretum Orientalis Diœceſis fuiſſe mentem & linguam, adeoque ex ipſius, in cujus Metropoli ſanctus etiam Joannes Chryſoſtomus natus fuit & in tantum Doctorem formatus, unanimi ſenſu fuiſſe locutum? Idem ſenſerunt plures Patres Latini & Græci. Tom. 5. ſerm. 28 Serm. 56

Porrò pro adverſa parte adducti Gallicani Canones ſunt parvi ponderis. Hi enim ſunt, quos quidam apud Agobardum Lugdunenſem Archiëpiſcopum in opuſculo de Eccleſiaſticarum rerum diſpenſatione dixerunt non recipiendos, eo quod Romani Legati ipſis condendis non interfuiſſent. Quidquid ſit, poſteriores Synodi eos omninò exufflarunt. Etenim à Patre ſuo Pippino & ſancto Martyre Bonifacio cœptam lapſæ diſciplinæ reformationem proſequens Carolus Magnus ſtatuit in ſuo Aquiſgranenſi Capitulari: *Nec uxor à viro dimiſſa alium accipiat virum vivente viro ſuo, nec vir aliam accipiat vivente uxore priori.* Loquitur etiam de facto ob adulterium divortio. Edictum enim ſuum fundat in ſuperius adducto Canone Carthaginenſi. Quod ipſum in tertio ſuo Capitulari firmat Ludovicus Pius. Et habita ſub ipſo ſexta Pariſienſis Synodus ſtatuit: *Qui cauſa fornicationis dimiſſis uxoribus ſuis alias ducunt, Domini ſententia adulteri eſſe notantur.* Quod ipſum ſtatutum fuiſſe à ſecunda, cui Joannes octavus Pontifex præſedit, Trecenſi Synodo, eſt ſuprà oſtenſum. Lucidiſſimis verbis confirmavit etiam Namnetenſis Synodus: *Vir dimiſſæ ob adulterium uxoris, illâ vivente, nullatenus aliam accipiat. Similis forma & in muliere ſervabitur, ſi eam vir ejus adulteravit.* Eam eſſe Tit. 6. c. 3. L. 3. c. 2. Cap. 12. 14.

certam

Digitized by Google

certam Evangelii legem, ipſique omnes Scripturas, Patres & Canones conſonare affirmavit in libris de Lotharii Regis divortio, atque inſigniter demonſtrat Hincmarus Metropolita Remenſis. Et in ſuo Capitulari Iſaac Lingonenſis Epiſcopus: *Vir dimiſſa ob adulterium uxoris, illa vivente, nullatenùs habeat licentiam ducere aliam.* Apud Anſegiſum Lobienſem Abbatem eſt Capitulum Caroli Magni. Nec aliud cum ſuis Synodis ſenſit glorioſus noſter Apoſtolus & Martyr Bonifacius: Libertinos & omnem ferè Chriſtianitatem exutos Parentes noſtros plenè reparare unico inſtanti non potuit, ideoque duro illorum cordi ad tempus aliqua divortia diſpenſatoriè indulſit. Quæ omninò fuit mens etiam Gregorii ſecundi, & quorundam aliorum Romanorum Pontificum.

Lib. 1. qu. 5. Tit. 3. c. 9. Lib. 7. c. 382.

At inquies ſanctum Joannem Chryſoſtomum loqui adverſus ſolum ex alia quam fornicationis cauſa repudium. Etenim in laudatis de ducendæ uxoris qualitatibus, & adverſus deſperationem ſermonibus diſertè ſcribit, quod ob nullum, niſi ſolum impudicitiæ vitium Paulus Apoſtolus permittat expelli uxorem, & aliam introduci. Et in decima nona ſuper primam ad Corinthios Epiſtolam Homilia diſtinguit inter infidelem & adulteram uxorem, hanc ſolam affirmat poſſe eiici, & addit cauſam: *Quia jam ſolutum eſt matrimonium.* Et infrà: *Poſt fornicationem maritus non eſt maritus.* Reſpondeo hæc ab ipſo in eadem Homilia exponi: *Adultera maritum dedecore affecit, facta eſt alterius, & abolevit jura Matrimonii.* Utique quoad thorum & cohabitationem. Hinc & trigeſima Homilia introducit loquentem Dominum: *Si adultera ſit mulier, minime te cogo ut cum ea habites; ſi infidelis, non prohibeo.* Nam læſum etiam adulterio vinculum ſolâ morte ſolvi eſt ſupra profeſſus. Et quod quædam Patrum locutiones hic ceſpitare videantur, non eſt mirandum: Utuntur enim phraſi Evangelicâ, quæ omninò habet aliquid obſcuritatis. Aliis parumper verbis ſanctus Matthæus, aliis ſanctus Marcus, aliis ſanctus Lucas, aliis in prima ad Corinthios Epiſtola Paulus Apoſtolus fuit uſus, ideoque ſanctus Auguſtinus ſingulorum verba producit ac diſcutit in libris de adulterinis conjugiis, & advertit palmarem difficultatem eſſe de ſancti Matthæi verbis: *Quicumq; dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur. Et qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Eam lucidè exponit celebrata ſub Caroli Magni Imperio per Paulinum Aquileiæ Patriarcham Synodus Foro-Julienſis: *Quoniam in medio ambiguus interponitur ſermo, id eſt, Niſi ob fornicationem, quæri nimirum poteſt, utrum ad ſolam licentiam dimittendi uxorem, an etiam ad utrumq; dictum referatur, hoc eſt, ad aliam vivente illa accipiendam, quaſi dixerit, Qui dimiſerit uxorem ſuam, & aliam niſi ob fornicationem duxerit,*

mœcha-

Digitized by Google

*mœchatur*. Ex ſancto Hieronymo definit exceptionem iſtam ad ſolam, quæ proximè ante cedit, dimittendi licentiam debere reſtringi. Facta igitur ob fornicationem dimiſſio non ſolvit vinculum, adeoque & qui aliam ducit, & qui dimiſſam duxerit, ipſaque item alteri nubens dimiſſa omnino mœchantur. Quem ſenſum non dumtaxat in laudatis à dicta Synodo ſuper ſancti Matthæi Evangelium Commentariis, ſed & in litteris ad Oceanum tradit ſanctus Hieronymus: *Præcepit Dominus uxorem non debere dimitti excepta cauſa fornicationis, & ſi dimiſſa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris jubetur, hoc conſequenter redundat in fœminas.* Epiſt. 30. cap. 1. Aliter non nihil ſentit ſanctus Auguſtinus: Exceptam fornicationis cauſam, licet non ad ſolam dimittendi, ſed & ad novarum nuptiarum licentiam referatur, vult iſtis nuptiis non favere. Exiſtimat eſſe locutionem ſimilem huic: *Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi.* Uti ſcienter peccantes damnans, ignoranter lapſos non expurgat Jacobus Apoſtolus, ita à Domino, dum citra fornicationis cauſam repudiantes ac alias nuptias attentantes damnat adulterii, eos qui ex iſta cauſa patrant eadem, vult Auguſtinus non expurgari. Iſtos non ſolos, ſed præſertim dumtaxat ac gravius damnari cenſet, uti ſcienter peccantes damnantur ab Apoſtolo Jacobo. Sancti Hieronymi expoſitio eſt clarior & longè firmior. Et ex his omnibus vides præſentem Leonis noni Canonem ſolidis fundamentis eſſe nixum.

## CANON XIII.

*ET quia novi Hæretici in Gallicanis partibus emerſerant, eos excommunicavit, illis additis qui ab eis aliquod munus vel ſervitium acciperent, aut quodlibet defenſionis patrocinium illis impenderent.*

## SCHOLION.

NOvi hi in Gallicanis partibus Hæretici fuerunt duo Aurelianenſis Eccleſiæ Clerici, Heribertus & Lyzoius, *quorum poſterior in Monaſterio ſanctæ Crucis Clericorum clariſſimus habebatur, prior ſancti Petri Eccleſiæ, cognomento puellaris, capitale Scholæ habebat dominium.* Ita Glaber Rudolphus, qui circa Heribertum videtur falli. Aurelianenſis enim, in quo damnata Hæreſis, concilii acta affirmant Heribertum, non Aure-



Digitized by Google

lianenſis Eccleſiæ, ſed Arfaſti nobilis Rothomaſenſis fuiſſe Clericum, nequaquam Hæreſis Auctorem, ſed ſeductum, ac poſteà proditorem. Lizoii in plantanda Hæreſi ſocium affirmant fuiſſe Stephanum Clericum Aurelianenſem, Conſtantiæ Reginæ Confeſſarium. Addunt ambos fuiſſe ſapientia claros, ſanctitate magnificos, eleëmoſynis largos, in Roberti Regis aula ac omni vulgo potentes, ideoque ad diaboli, ſepulchris dealbatis ſemper utentis, opus aptos. Antiquum incogniti Authoris, à Franciſco du Cheſne publicatum, Francicæ à Roberto uſque ad Philippum primum Regem Hiſtoriæ fragmentum eadem confirmat. A neſcio qua Italica muliere ambo circumſcripti & ſeducti receperunt, & clandeſtinè prædicarunt Gnoſticam & Manichæam Hæreſim, cujus quædam capita exponit præfatus Rudolphus: *Dicebant deli-*
L.3. c.8. *ramenta eſſe quidquid in veteri ac novo Canone certis ſignis ac prodigiis, veteribuſq; teſtatoribus de Trina unaq; Deitate beata confirmat auctoritas. Cœlum pariter ac terram, ut conſpiciuntur, abſque Auctore Initii ſemper exſtitiſſe aſſerebant. Et cum univerſarum Hæreſium face inſanientes, canum more latrantes deterrima, in hoc tantum Epicuræis erant Hæreticis ſimiles, quoniam voluptatum flagitiis credebant non recompenſari ultionis vindictam. Omne Chriſtianum opus, quod æſtimatur pretium remunerationis æternæ, laborem ſuperfluum judicabant.* Alios inſuper errores adducit laudatum Hiſtoriæ fragmentum: *Exorta eſt Aurelianis nefanda Hæreſis. Hujus Principes erant Stephanus cum Lizoio, qui & alios ſibi ſuæ perditionis adſciverant ſocios, quorum alii erant Presbyteri, alii Levitæ, alii aliorum Ordinum gradu ſublimati. Dicebant non poſſe aliquem in Baptiſmate Spiritum ſanctum ſuſcipere, & poſt criminale peccatum veniam non promereri. Impoſitionem manuum nihil poſſe conferre. Nuptias ſpernebant. Epiſcopum affirmabant non poſſe ordinare, & ſanctum dare Spiritum.* Alios adhuc producunt publicata per Lucam Dacherium Acta Synodalia: *Dicunt Chriſtum de Virgine Maria non eſſe natum, neque pro hominibus paſſum, nec verè in ſepulchro poſitum, nec a mortuis reſurrexiſſe. Addunt in Baptiſmo nullam eſſe ſcelerum abſolutionem, neque Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti in conſecratione Sacerdotis. Sanctos Martyres atque Confeſſores implorare pro nihilo ducebant.* De Sacroſancta Euchariſtia errorem lucidiùs in Aurelianenſi Synodo expoſuit ipſorum accuſator Arfaſtus: *Docuiſtis panem & vinum, quod ſuper Altare manibus Sacerdotum ſancti Spiritus operatione effici videtur Sacramentum, converti non poſſe in Corpus & Sanguinem Chriſti.* Replicanti autem, *Si in his, quæ enumeraſtis, ſalus hominum, quæ ſperatur, ut dicitur, eſſe non poteſt, à vobis obnixè rogo mihi aperiri, in quibus ſperari poterit, ne meus animus in dubio poſitus citò cadat in deſperationis ruinam*, repoſuerunt: *Pro-*

*cul*

Digitized by Google

*cul dubio, frater, in charybdi falſæ opinionis hactenus cum indoctis jacuiſti, nunc verò erectus in culmine totius veritatis, integra mentis oculos ad lumen veræ Fidei aperire cœpiſti. Pandemus tibi ſalutis oſtium, quo ingreſſus, per impoſitionem ſcilicet manuum noſtrarum, ab omni peccati labe mundaberis, atque ſancti Spiritus dono repleberis, qui ſcripturarum omnium profunditatem ac veram dignitatem abſque ſcrupulo te docebit. Deinde Cœleſti cibo paſtus, interna ſatietate recreatus, videbis perſæpè nobiſcum viſiones Angelicas, quarum ſolatio fultus, cum eis quovis locorum ſine mora vel difficultate, cùm volueris, ire poteris, nihilq; tibi deerit, quia Deus omnium tibi comes nunquam deerit, in quo ſapientiæ theſauri atque divitiarum conſiſtunt.* Pergunt Acta Synodalia: *De cibo illo, qui Cœleſtis ab illis dicebatur, quali arte conficiebatur, neſcientibus demonſtrare curabo. Congregabantur certis noctibus, ſinguli lucernas tenentes in manibus, adinſtar Litaniæ Dæmonum nomina declamabant, donec ſubito Dæmonem in ſimilitudine cujuſlibet beſtiolæ videbant deſcendere. Qui ſtatim, ut viſibilis illa videbatur viſio, omnibus exſtinctis luminaribus, quamprimum quiſque poterat mulierem, quæ ad manum ſibi veniebat, ad abutendum accipiebant ſine reſpectu, & utrum Mater, aut Soror, aut Monacha haberetur, pro ſanctitate & Religione iſtius concubitus ab illis non æſtimabatur. Ex quo ſpurciſſimo concubitu generatus infans, octava die in medio eorum copioſo accenſo igne probabatur per ignem, more antiquorum Paganorum, & ſic in igne cremabatur. Cujus cinis tanta veneratione colligebatur atque cuſtodiebatur, ut Chriſtiana Religioſitas Corpus Chriſti cuſtodire ſolet, ægris dandum de hoc ſæculo exituris ad viaticum. Inerat enim tanta vis diabolicæ fraudis in iſto cinere, ut quicumque præfata Hæreſi imbutus fuiſſet, & de eodem cinere quamvis ſumendo parum prælibaviſſet, vix unquam poſteà de eadem Hæreſi greſſum mentis ad viam veritatis derigere valeret.* Inſignem hanc Chriſtianitatem edoctus Heribertus etiam Arfaſto Domino ſuo eſt perſuadere conatus. Itala quippe mulier promiſerat ab omni penitus mundo recipiendam. Prudens Arfaſtus videns hæc non Jeſu Chriſti miracula, ſed nefanda Gnoſticorum clandeſtina dogmata, cenſuit aſtum aſtu ſuperandum. Ad Stephanum & Lizoium acceſſit Aureliam, eis ſe dedit diſcipulum, & omnia fœda ſecreta eſt expiſcatus. Domino ſuo Richardo Normandiæ Comiti detulit, hic ad Robertum Galliæ Regem, qui Synodum Epiſcopalem fieri juſſit Aureliæ, ubi ab Arfaſto accuſata, à Guarino Belluacenſi Epiſcopo, & Ebrardo Eccleſiæ Carnutenſis, ac apud ſanctorum Principum Apoſtolorum limina abſentis ſancti Epiſcopi Fulberti Clerico convicta, & per omnem Synodum damnata fuit Hæreſis, ejuſque cum multis aſſeclis Auctores ſolemniter degradati, ſæculari brachio traditi, & vivi ſunt combuſti. Nemo



Digitized by Google

reſipuit, niſi cum uno Clerico unica Monialis. Quæ omnia latiùs referunt laudata Acta Synodalia. Etiam in ſancti Petri vivi Chronico meminit Clarius Monachus Senonenſis: *Sub ipſo tempore exorta eſt magna Hæreſis, nova & inaudita, in urbe Aurelianenſi. Quapropter accerſens Rex Archiëpiſcopum, juſſit in eadem urbe congregari Synodum. Erant autem ipſi Hæretici ex melioribus civitatis Clericis. Communi verò conſenſu & voluntate convicti, omnes perpeſſi ſunt ignis incendium.* Hi ergo ſunt primi Hæretici Sacramentarii, è quibus poſteà Petrus Bruſſius, Henricus, Tanchelinus, Albigenſes, Waldenſes, Wickffiſtæ, tandemque Lutherani, Calviniſtæ, nec non & Suenckfeldiani, ſeu omne ſcriptum Dei Verbum projicjentes Prophetæ Cæleſtes, quaſi è terra fungi prodierunt. Hinc enim Guarino Belluacenſi Epiſcopo fidem orthodoxam prædicanti, & iſti reſponderunt: *Iſta illis narrare potes, qui terrena ſapiunt, atque credunt figmenta carnalium hominum ſcripta in membranis animalium; Nobis autem, qui legem ſcriptam habemus in interiori homine à Spiritu ſancto, & nihil aliud ſapimus, niſi quod à Deo omnium Conditore didicimus, in caſſum ſuperflua, & à Divinitate devia profers. Idcirco verbis finem impone, & de nobis, quidquid velis, facito.* Stultus & vanus, de quo cum Lutheranis & Calviniſtis hodie inſaniunt præſertim Suenckfeldiani, privatæ revelationis ſpiritus eſt adeò antiquus. Eſt enim ille, qui omnes à ſe in errorem ſeductos impios facit in iſto circuitu ambulare. Hanc igitur nequiſſimam atque fœdiſſimam, necdum penitus exſtinctam, Hæreſim denuò damnavit Leo nonus, omneſque ejus ſequaces interdixit aqua & igni.

A. 1015.

## CANON XIV.

P*Ari modo damnavit & Sodomitas.*

### SCHOLION.

NEfandum iſtud humanæ naturæ adulterium, propter quod & in univerſum genus noſtrum catecliſmus & in diffidentiæ apud Sodomam & Gomorrham filios venit ignis cæleſtis, adeò fædum eſt, ut etiam Diabolus audire nolit eſſe ejus incentor. Etenim de quopiam, varias variorum libidines procurante, Diabolo ſcribit magnum Belgii Chronicon: *Omnes, quidquid petierunt, habuerunt & obtinuerunt, præter unum, qui petiit conſenſum maſculi cujuſdam, nobilis adoleſcentis,* *quod*

Digitized by Google

*quod Diabolus in ſua poteſtate eſſe negavit, nec ſibi eſſe licitum in tam illicito* Fol. 133.
*deſiderio præbere conſenſum.* Quin imò ſancto Eparchio Alvernenſi Epiſcopo, ſolum meretricis elogium improperanti, apud ſanctum Gregorium Turonenſem repoſuit iratus Diabolus: *Quia mihi meretricis nomen* Lib. 2. c.
*imponis, multas tibi parabo inſidias ob deſideria mulierum.* Et multis iſtiuſ- 21.
modi vexis vir ſanctiſſimus exinde fuit inquietatus. Etiam ſolo excæcatæ naturæ lumine ducti ante Domini adventum Gentiles, noſtrates præſertim, adeo ſemper execrati ſunt nefandum iſtud vitium, ut excuſſi à Batavis Romani Imperii Cornelius Tacitus in Hiſtoriarum libris dicat & Lib 4. c.
hanc fuiſſe cauſam, quod impuberes à Reipublicæ Miniſtris *ad ſtuprum* 14.
traherentur. Taifalorum, vitium iſtud profitentium, gentem, uti obſcænam & hominum nomine indignam, damnat etiam Ammianus Marcellinus. Imperatores item Neronem & Antoninum Heliogabalum Lib. 3. c.
ob idem flagitium omnis uſque hodiè mundus peſſimè deteſtatur. Et huc 25.
omninò reſpexit Apoſtolus, mandans neminem eligi in Epiſcopum, niſi qui habuerit filios ſubditos in omni caſtitate. Mandat adverſus peſſimum gentilitatis morem, quo etiam Philoſophi, uti acerbo ſarcaſmo improperat in libro de anima Tertullianus, Philoſophiam exornabant amore puerorum. Cap. 54.
Solonis leges, abominationem iſtam, uti rem magnam, ſolis ingenuis permittentes, inſigniter pro merito exagitat in ſuis ſupra Apoſtolicam ad Romanos Epiſtolam Homiliis ſanctus Joannes Chryſoſtomus. Et hinc quod leges iſtas, licet omninò dilectas, tamen imitari erubuerit ſpurciſſimus etiam Mahometus, in Orientalis Eccle- Cap. 5.
ſiæ Hiſtoria demonſtrat Cardinalis Jacobus de Vitriaco. Origenes idolis immolare, quam fœditatem iſtam pati maluit: Alterutrius eligendi neceſſitatem fuiſſe illi cauſam lapſus, teſtantur in libro de Sectis Leontius Cap. 10.
Scholaſticus, & in Hiſtoria Eccleſiaſtica Nicephorus Calixtus. Idololatriam exiſtimavit eſſe minus fœdam. Lib. 5. c. 32.
Et ſane hæc eſt avaritia, quam Apoſtolus tradit eſſe ſervitutem idolorum. Nequaquam enim de nummorum, ſed de corporum avaritia loqui illic Apoſtolum, ſanctus Hieronymus & alii graviſſimi Doctores conſtanter & meritò affirmant. Etiam iſtud flagitium in libro de Pudicitia notat præſertim Tertullianus: *Reli-* Cap. 4.
*quas libidinum furias, impias & in corpora & in ſexus ultra jura naturæ, non modo limine, verum omni Eccleſia tecto ſubmovemus. Quia non ſunt delicta, ſed monſtra.* Quod emphaticum locutionis genus eſt mutuatus ab homine gentili Suetonio: *Monſtroſi concubitus repertores.* Et iterum: *Mon-* Lib 3. c.
*ſtruoſa libidines.* Addit idem gentilis nefandum iſtud hominum genus 34.
non dumtaxat urbe pellendum, ſed & profundo ſubmergendum. Quo Lib. 4. c. 16.
ſupplicio vindicari conſuetum affirmat etiam gentilis Athenæus. Hinc Cap. 10.

 illi

Digitized by Google

illi Sacramentalem etiam abſolutionem in mortis articulo denegabat primitiva Eccleſia, Chriſto Domino ſummo noſtro in dextera Patris Pontifici reſervans & mittens judicandum. Ex iſta peſte omnem Africam fuiſſe à Divina juſtitia traditam in Barbaras Wandalorum manus, ſcribit in libris de providentia ſanctus Salvianus. Etiam Angliam in Nortmannam Guilielmi Conquæſtoris poteſtatem hinc deveniſſe affirmat in
Cap. 13. Albanenſium Abbatum vita Matthæus Pariſienſis. Sub Ludovico Pio celebrata ſexta Pariſienſis Synodus ait exinde perire Eccleſiæ ſtatum, & Regna periclitari. Quare flagitium extremo ſupplicio vindicandum,
Leg. 177 magnum Conſtantinum imitatus, in novellis ſuis legibus meritò ſtatuit Imperator Juſtinianus. Quàm horrendè caſtigari juſſerit illo infectos Epiſcopos & Clericos, habes apud Theophanem & Georgium Cedrenum. Qualiter ad Leonis noni tempora flagitium graſſatum ſit, videri poſſis ex ejus ad ſanctum Petrum Damiani litteris, libroque quem ejus juſſu ſcripſit, ac ipſi inſcripſit dictus Petrus, & appellavit Gomorrhianum. Etiam Hugonem Lingonenſem Epiſcopum fuiſſe ipſo infectum, ideoque à præſenti Synodo degradatum, habent acta Synodalia. Verùm enim verò nefandum eſt hoc monſtrum, ideoque imitemur ſanctum Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum, de quo Henricus Cnygthonus: *Anſelmus Sodomitas quolibet die Dominico excommunicandos cenſuit. Sed & hoc poſtmodum retractavit. Nam publicatio hujus vitii pravis mentibus fuit fomes majoris audaciæ ſimilia perpetrandi.* Eadem de cauſa Gomorrhianum, in quo ſingulæ vitii iſtius ſpecies refutantur quidem doctiſſimè & caſtiſſimè, tamen & exponuntur, ſancti Petri Damiani librum finxit à ſe perditum, atque ita cum gravi laudati Auctoris ira ſuppreſſit Pontifex Alexander ſecundus. Quæ regula omninò ſervanda eſt in noſtro Belgio, ubi monſtrum ignotum eſt & plurimis inauditum.

DIS-

# DISSERTATIO
## DE HAC
# REMENSI SYNODO.

## CAPUT PRIMUM.

*Exponuntur Synodi Occaſio, Epiſcopi, Locus, Dies, Obſtacula.*

LEonis Pontificis ſanctitatem compendio depingit in ſui Monaſterii Chronico Hariulphus Monachus ſancti Richarii Centulenſis: *Leo Papa natione Teutonicus, parentum excellentiſſima nobilitate præfulgens, & cæleſti viſione deſignatus antequam natus, in Lotharingia mundo proceſſit. Qui ſacris litteris atque liberalibus ſtudiis accuratiſſimè eruditus, & per omnem pueritiam, juventutemq; & adoleſcentiam, timoratæ mentis honeſtatem conſervans, electione Cleri & populi Eccleſiæ Tullenſi ordinatus eſt Epiſcopus, cum jam ei propinqui viri Imperiales de Romano Apoſtolatu ei conferendo tractarent. Sane quoniam cum nobilitate parentum non deerat ei ſanctiſſima claritas morum, non recuſavit homo inclitus paupercula civitatis curam ſuſcipere, imò obtentu majoris evitandi honoris, ad hanc facile eſt deductus.* Fuiſſe Comitis Habſpurgenſis filium undecimi ſæculi ſecundo anno natum, in Baptiſmo vocatum Brunonem, anno ejuſdem ſæculi vigeſimo ſexto è ſancti Benedicti Monacho factum Tullenſem Epiſcopum affirmat Richerius in Chronico Monaſterii Senonienſis, & adjungit: *Cujus ſanctitatis poſtea Bruno futurus eſſet, in quamcumq; civitatem, vel caſtellum, vel vicum, aut villam intrarit galli earumdem villarum lingua ejus patria, per quam tranſibat, denſis clamoribus eum Papam futurum clamabant, Leo Papa, Leo Papa, cum ei nomen imponendum omnes ignorarent. Et iterum atque iterum hoc nomen reciprocabant, Leo Papa, Leo Papa. Quo audito, qui cum eo erant, eum in ſumma veneratione habere cæperunt.* Dicti ſæculi anno quinquageſimo primo, fuiſſe Sedi Apoſtolicæ impoſitum affirmat idem Richerius, aſt anno quadrageſimo nono id factum conſtanter ſcribunt Hermannus Contractus, Siffridus Presbyter, Marianus Scotus, Lambertus Schafnaburgenſis, Auguſtenſis Eccleſiæ Chronicon, Adamus

Lib. 4. c. 20.

Lib. 2. c. 10.

muſBremenſis, & alii plures. Sigebertus Gemblacenſis adſcribit anno poſt milleſimum quadrageſimo octavo. Et rectè. Etenim Veſontione in ſancti Stephani Eccleſia exſtat authentica tabula, atteſtans à Leone nono, dum electus Wormatia per dictam civitatem tranſiret Romam dicto anno, ibidem dediſſe varia privilegia, & nominatim ſtatuiſſe, *Uti ſeptem de Canonicis ipſius loci eligerentur, qui Cardinales vocarentur, qui cum Dalmatica, Mitra, Sandaliis, Chyrothecis, ad Altare illud ordinati, Miſſas ibidem facerent, quorum unus, loci illius Decanus, annulo etiam ad Miſſarum ſolemnia uteretur.* Quod ipſum poſteà dedit Remenſi etiam Eccleſiæ, & Colonienſi. Nempe anni quadrageſimi octavi menſe Septembri aſſumptus fuit in Pontificem ab Henrico Imperatore, ſed ſequentis dumtaxat anni menſe Februario coronatus atque intronizatus. Etenim quod non Romæ à Cardinalibus electus, ſed Moguntiæ ab Imperatore nominatus eſſet, per Cluniacenſe Monaſterium tranſeuntem in Italiam Hildebrandus ejuſdem Monaſterii Prior illegitimæ per Laïcam poteſtatem promotionis admonuit, quem Leo audiens, & ſecum ducens Romam, Papalia ornamenta depoſuit, in peregrini habitu profecutus eſt iter, atque ita tandem à Cardinalibus, per dictum Hildebrandum perſuaſis, legitimè electus. Hic eſt ille magnus Hildebrandus, qui poſteà Gregorius ſeptimus omnem Eccleſiam potentiſſimè reformavit. Eidem reformandæ poſt dejectum Gregorium ſextum, priùs Clementem ſecundum, ac deindè Damaſum ſecundum admoverat laudatus Imperator Henricus, verùm brevis utriuſque vita omnem conatum & ſpem exſufflavit. Hinc tandem ſuffecit noſtrum Leonem, de quo lauda-
A.1048. tus Sigebertus: *Leo, cum ad capeſſendam Sedem Apoſtolicam tenderet Romam, audivit voces Angelorum concinentium, Dicit Dominus, Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* Utique inter Deum & humanum genus pacis, quæ eſſe non poſſit ſine integra aut reformata Chriſtianitatis diſciplina. Quam Cœleſtem Prophetiam Leo ſtatim adimplevit.

Eum enim in Quadrageſima fuiſſe inthronizatum ſcribit Hermannus Contractus, & adjungit: *Leo Papa in hebdomada poſt Albas Synodum Romæ cum Epiſcopis Italiæ celebravit. Item in hebdomada Pentecoſtes aliam Synodum Papiæ congregavit, indeq; per montem Jovis cum plurimis Romanorum in Ciſalpinas partes devenit.* Acta hæc dicit anno poſt milleſimum quadrageſimo nono, & pergit: *Autumnali tempore Dominus Papa magnam Synodum Remis habuit cum Galliarum Epiſcopis, indeq; Moguntiam veniens aliam Synodum quadraginta propè Epiſcoporum coram Imperatore & Regni noſtri Principibus celebravit.* Ad eundem annum ſcribit Simeon Dunelmen-

nelmenſis: *Eodem anno ſanctus Leo Papa rogatu eximiæ Religionis Abbatis Hermari in Franciam venit, habens in Comitatu ſuo Præfectum & digniores quoſque Romuleæ urbis, & ſancti Remigii Francorum Apoſtoli Monaſterium Remis conſtitutum maximo cum honore dedicavit, & poſtmodum in ipſa urbe magnam Synodum Archiëpiſcoporum, Epiſcoporum, & Abbatum, ſex diebus celebravit.*

Venerabilis ille Hermarus fuit ſancti Remigii Remenſis Abbas, de quo & Francicæ Hiſtoriæ à Roberto Rege uſque ad Philippi primi mortem fragmentum: *Henrico Rege regnante, Leo Papa in Franciam venit, rogatu Hermari Cœnobii ſancti Remigii Abbatis. Qui Remis pertingens, Monaſterium ejuſdem ſancti Remigii, ab eodem Abbate magnis ſumptibus exſtructum, cum maxima conſecravit gloria. Ubi etiam multorum adunavit Concilium Epiſcoporum & Abbatum, in quo Simoniacam Hæreſim, quæ ferè totam reſperſerat Galliam, anathematis ſugillavit gladio, multos humilians, quos ea peſtis extulerat, & ſanctorum Patrum ſtatuta, quæ propemodùm apud Gallos abolita fuerant, reformans.* Exſtat fragmentum apud Franciſcum du Cheſne: Ad dedicandas Eccleſias grandem Antiſtitum numerum convenire, & ex iſta occaſione Synodum agere, eſt mos antiquiſſimus, ipſum & Leo eſt ſecutus.

Verùm quid ſibi volunt hæc Lamberti Schafnaburgenſis de hac Synodo verba, *Ad pacem Galliis reddendam?* Reſpondeo ea elucidari à Sigeberto Gemblacenſi: *Leo Papa in Gallias veniens, ut motus Imperii à* A. 1049. *Balduino & Godefrido concitatos ſedaret, Godefridum quidem Imperatori reconciliavit; Balduino pertinacius agente, contra eum Imperator duxit exercitum, ſed tandem Balduinus flexus condicto die Aquis Imperatori ſatisfecit.* Et Simeon Dunelmenſis: *Henricus Imperator innumerabilem congregavit exercitum contra Flandrenſem Comitem Balduinum, maximè eo quod Neomagum ſuum Palatium combuſſiſſet atque fregiſſet pulcherrimum. In qua expeditione fuit Leo Papa, & de multis terris nobiles & magnifici viri quamplurimi.* Gallia, uti etiamnum hodie, tunc partim Germanico Imperio, partim Francicæ Coronæ parebat, & in iſta ejus parte Godefridus Gibboſus Lotharingiæ Dux, & Balduinus Inſulenſis Flandrenſium Comes exercebant turbas, bella, rapinas, incendia, non Imperialium dumtaxat Palatiorum, ſed etiam Monaſteriorum atque Eccleſiarum. Hac occaſione Leo Pontifex venit in Gallias, & partim in Moguntina, partim in Remenſi Synodo omnia pacificavit.

Remenſem Synodum fuiſſe celeberrimam, lucet ex verbis Hermanni Contracti: *Leo Papa magnam Synodum Remis habuit.* Et Simeon Dunelmenſis: *Leo Papa magnam Synodum Archiëpiſcoporum, Epiſcoporum,*



Digitized by Google

*& Abbatum, ſex diebus celebravit. In qua fuit Alduinus Rameſienſis Abbas, & Abbas Monaſterii ſancti Auguſtini à Rege Anglorum Eduardo illuc directi.* Adfuiſſe etiam Gervinum ſancti Richarii Centulenſis Abbatem ſcribit in ejuſdem Monaſterii Chronico Hariulphus Monachus, & adjungit: *Leo Papa, cum beatiſſimi Remigii Remorum Pontificis Eccleſiam dedicare veniſſet, venerabilem Gervinum, ut ejuſdem Confeſſoris corpus efferret, cum aliis tribus æquè ſanctis viris delegit.* Affirmat adfuiſſe & Fulconem Epiſcopum Ambianenſem. Etiam Halinardum Lugdunenſem, Hugonem Veſontionenſem, Widonem Remenſem, Evrardum Trevirenſem Archiëpiſcopos adfuiſſe aſſerit vetus ſancti Benigni Divionenſis Chronicon, & proſequitur: *Adfuerunt penè totius Galliæ tam Archiëpiſcopi quam Epiſcopi, cum innumerabili multitudine Cleri & Populi.* Addit adfuiſſe & Hugonem Epiſcopum Lingonenſem. Synodalia per Dominum Cardinalem Cæſarem Baronium publica Acta ajunt adfuiſſe Epiſcopos viginti, & huc uſque nominatis addunt Beroldum Sueſſionenſem, Drogonem Morinenſem, Frotlandum Sylvanectenſem, Adelberonem Metenſem, Joſfridum Conſtantienſem, Ivonem Sagienſem, Herbertum Lexovienſem, Theodorum Virdunenſem, Hugonem Nivernenſem, Euſebium Andegavenſem, Pudicum Namnetenſem, & Joannem Epiſcopum Portuenſem. Pudicum ajunt fuiſſe Epiſcopum Anglicanum. Omne hoc Leonis Pontificis iter, & Synodi hujus Acta deſcripſit atque digeſſit Anſelmus ſancti Remigii Monachus, verùm grandi Eccleſiaſticæ eruditionis injuria periit iſtud opus aut latet, ejuſque ſolùm à Sigeberto Gemblacenſi in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum habemus hoc Encomium: *Anſelmus Remenſis Monachus ſcripſit itinerarium noni Leonis Papæ à Roma in Gallias, ob hoc maximè ut notificaret, quanta authoritate Remis, vel in aliis urbibus Synodum celebrarit, qua ſubtilitate & juſtitia examinaverit cauſas Eccleſiaſticas, qua diſcretione peccantes correxerit, quomodo ei virtus Dei cooperata ſit. Quod ſatis patuit in una cauſa Remenſis Synodi, ubi dum Epiſcopus Friſingenſis contumaciter ageret contra Apoſtolicam authoritatem, repentè in omnium oculis obmutuit.* Friſingenſem hunc, Salisburgenſis Metropolitæ Suffraganeum, non ut Synodi hujus Patrem, ſed ut citatum reum, aut certè ut Henrici tertii Imperatoris Legatum oportet hic adfuiſſe. Neque enim ad Gallicanam, ſed ad Germanicam Eccleſiam ſpectat Friſinga. Ego exiſtimem & Anſelmi & Sigeberti textum eſſe vitiatum, & pro *Friſingenſis* ponendum eſſe *Veſontionenſis*. Etenim Hugonem Veſontionenſem Epiſcopum, dum Hugonem Lingonenſem, Simoniacum Æthiopem, eloquii ſui fluentis abluere conatur adverſus judicium Apoſtolicum, divinitus hic obmutuiſſe,

Lib. 4. c. 27.

A. 1031.

ſe, infrà lucebit. Adfuiſſe quinquaginta Abbates addunt laudata Acta, & exprimunt ſeptemdecim, quos inter ſunt duo Angli laudati per Simeonem Dunelmenſem. Et ſancti Auguſtini Cantuarienſis Abbas, quod Simeon non dixit, vocabatur Ulricus.

Proximam Synodi occaſionem edicit laudatum ſancti Benigni Chronicon: *Leone Papa ordinato, evocatus eſt ab ipſo Romæ ad Concilium Domnus Lugdunenſis Archiepiſcopus Halinardus, ſimulq; omnes Epiſcopi Galliæ, ad pertractandum inibi de ſtatu & correctione ſanctæ Eccleſiæ. In ipſo anno ipſe Domnus Papa perrexit in Franciam, & Remis habuit Concilium Epiſcoporum.* A. 1046.
Romam ad Patriarchales Domini Papæ Synodos in corpore accedere numquam dilexerunt Gallicani Epiſcopi. Hinc enim ipſos, dum ſuas ad ſanctum Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum dogmaticas adverſus Eutychetem litteras ab illis probari voluit, & cum iſtius magni ſuffragii robore mitti ad Chalcedonenſem Synodum, non Romæ, ſed intra Galliam congregari per Ravennium Metropolitam Arelatenſem, ſuum iſtic Vicarium, juſſit ſanctus Leo magnus. Quæ res poſt occupatas à Francis Gallias admodum crevit. Hinc enim de facta adverſus Symmachum Pontificem Romana Synodo ad urbis Senatores Fauſtum & Symmachum ſcripſit ſanctus Avitus Metropolita Viennenſis: *Fuerat talis ſtatus rerum deſiderandus, ut nos ipſi per nos urbem orbi venerabilem pro dependendis divinis humaniſq; expeteremus officiis. Sed quia iſtud jam dudum per rationem temporum fieri poſſe ceſſavit, vellemus, quod fatendum eſt, vel eo ſecuritatis accedere, ut quæ in cauſa communi ſupplicari oportet, Amplitudo veſtra congregatorum Galliæ Sacerdotum relatione cognoſceret.* Prava iſta temporum ratio fuit occupata à Francis, Gothis, ac Burgundis, & inter ipſos ac Romanos dilacerata Gallia: Barbari iſti Gallicanos Epiſcopos nec Romam permittebant accedere, nec inter ſe in unam totius Diœceſis Synodum convenire. Prius malum adunata in unam Monarchiam omni Gallia Carolus Magnus abſtulit, reliquit tamen ſecundum. Etenim Nicolao primo Pontifici, Gallicanos Epiſcopos ad ſuam Patriarchalem Synodum ob graviſſimas cauſas evocanti, reſpondit Carolus Calvus Rex etiam in Gallia fieri Synodos, ideoque tantis itineribus non eſſe opus. Et hinc dum Photii Conſtantinopolitani Epiſcopi Schiſma, ac in omnem Latinam Eccleſiam Hæretica convitia ſupervenerunt diſcutienda, Romanum non ampliùs acceſſum, ſed ſolam intra Gallias numeroſam Synodum laudatus Pontifex duxit ab iiſdem Epiſcopis poſtulandam. Erat graviſſima in Patriarchalem Romanæ Eccleſiæ poteſtatem injuria, ideoque & ipſam damnavit octava Synodus. Verùm iſte mos in Gallia permanſit. Hinc etiam ad Romanam Leonis

noni Synodum accedere detrectarunt Gallicani Epiſcopi, atque ita oblata occaſione deſcendit ipſe in Galliam, & illic cum ipſis Synodum celebravit.

In octavam Octobris diem, quæ & in ſancti Remigii feſtivitate eſt octava, Synodum indicere propoſuerat primum Pontifex, ſed poſtmodum mutato conſilio indixit in ipſam ſancti Remigii feſtivitatem, iſto die ejus corpus elevaturus, altero dedicaturus Baſilicam, ac tunc Synodum celebraturus. Eam indixit in feſto Exaltatæ Dominicæ Crucis, exiſtens in dilecta ſibi civitate Tullenſi. Et quidem Henricus Francorum Rex Hermaro Abbati ſuam addixerat præſentiam, ſpondens non ſolùm ſanctum Remigium, ſed & Romanum Pontificem pro debito honorare. Verùm criminoſis quibuſdam Epiſcopis, Abbatibus, ac Laïcis, nobilibus præſertim in incæſtuoſo aut adulterino conjugio fœtentibus, Synodus futura non placuit, ac de ipſis ſcribunt Acta Synodalia: *Tanta perverſitatis viri, incentoris ſui diaboli callida ſuggeſtione inſtructi, Regi Francorum ſuggerunt, Regni ſui decus annullari, ſi in eo Romani Pontificis authoritatem dominari permitteret, vel ſi eidem, ut decreverat, occurrens præſentia ſua favorem ad cogendum Concilium exhiberet. Addunt etiam, quod nullus Anteceſſorum ejus id reperiatur aliquando conceſſiſſe, ut ob ſimilem cauſam in Francia urbes ingreſſus pateret alicui Papa.* Etiam quoſdam Proceres adjunxerunt eſſe Regi contumaces, ideoque non Synodo, ſed bello eſſe opus, ad quod non ſoli feudales Laïci, ſed omnes etiam cum ſua militia convocari debeant Epiſcopi & Abbates, præſertim ſancti Remigii Abbas, qui de Papalibus in ſuo Monaſterio pompis, & conſecrata per ipſum Pontificem Baſilica parabat vanus gloriari & ſuperbire. Et Regi perſuaſerunt. Etenim ille Legato ad Dominum Papam Frotlando Sylvanectenſi Epiſcopo, excuſavit ſe de celebranda intra ſuum Regnum Synodo, Papalem adventum differri flagitavit in aliud tempus, omneſque ſuos Epiſcopos compulit ad bellicam expeditionem. Potuerit etiam de ſuis ac paternis per Simoniacas Antiſtitum nominationes ac intruſiones in Eccleſiaſticam diſciplinam violentiis noluiſſe confundi.

De Hoſtienſi, Præneſtino, Curienſi, & Comenſi Epiſcopis, Gregorii ſeptimi ad Henricum quartum Imperatorem Legatis, ſcribit Lam-
A.1074. bertus Schafnaburgenſis: *Petierunt verbis Romani Pontificis, ut Synodum tenere intra Germaniam pace Epiſcoporum ſinerentur. Vehementer hoc abnuerunt omnes Epiſcopi, tamquam inuſitatum, longeq; à ſuis rationibus alienum, nec ſua hujus authoritatis privilegium ulli alii, præterquam Romano Pontifici, unquam delaturos affirmabant.* Etiam de Othone Gregorii noni Cardinali

dinali Legato ſcribit Godefridus Coloniæ apud ſanctum Pantaleonem Monachus: *Otho apud Herbipolim Concilium Provinciale indixit, ſed renitentibus Principibus Laïcis, & paucis Eccleſiarum Prælatis convenientibus, iratus receſſit.* Similes adverſus Honorii quarti in Germania Legatum rixas refert antiqua Auſtralis Hiſtoria, & Chronicon fratrum Prædicatorum Colmarienſium, addens Colonienſem, atque Tullenſem Epiſcopos ad Apoſtolicam Sedem de illata Ordini ſuo injuria appellaſſe. Verùm enim verò ipſi appellantes & Legato & ipſi Sedi Apoſtolicæ irrogabant injuriam, Quis enim neſciat Apoſtolicis Legatis Synodi jus apud omnes gentes ſemper fuiſſe? Infinita ſunt exempla: Et res ipſa eſt omni exemplo clarior. Et quidem de Arſenio Hortenſi Epiſcopo, Nicolai primi Pontificis ad Carolum Calvum ac ejus ex fratre nepotem Lotharium Legato ſcribit Regino Abbas: *Arſenius Epiſcopus, Apocriſarius & Conſiliarius Nicolai Papæ, vice ipſius directus eſt in Franciam. Quo perveniens tanta auctoritate ac poteſtate uſus eſt, ac ſi idem ſummus Præſul adveniſſet.* Hinc ſpretis Regiis obſtaculis, in ſancti Archangeli Michaëlis vigilia Remos advenit cum Trevirenſi, Lugdunenſi, ac Veſontionenſi ſuprà nominatis Archiëpiſcopis, Joanne Portuenſi Epiſcopo, Petro Romanæ Eccleſiæ Cardinali Diacono, urbis Præfecto, aliiſque utriuſque Ordinis Magnatibus Leo Pontifex, exceptus eſt ſolemniſſima proceſſione, conſecravit Baſilicam, & Synodum perfecit. Idque in ipſa ſancti Remigii Baſilica. Rationem dant laudata Acta Synodalia: *Ut per ſancti Remigii, per quem Franci Orthodoxæ fidei initiati ſunt rudimentis, præſentiam conſequerentur reparationem tepefactæ in ſe divinæ Religionis.* Iſta interim eſt cauſa, cur & Rex abfuerit, & adfuerint adeò pauci Epiſcopi. Carnales homines malebant corporeis pro Rege, quam ſpiritualibus induti armis pro Deo pugnare. A. 1023. A. 1287.

## CAPUT II.

### *Exponitur Synodi conſeſſus.*

Primæ, die Octobris tertia habitæ, ſeſſionis ingreſſum deſcribunt laudata Acta Synodalia: *Statim vetus querela inter Remenſis ac Trevirenſis Archiëpiſcopi Clericos eſt renovata, his adſtruentibus quia Remenſis Primas eſſet in Gallia, ideoq; illi diſpoſitio competeret Synodica; è contra verò illi Archiëpiſcopo Trevirenſi eam dignitatem conabantur adſcribere, primamq; Sedem poſt Romanæ Eccleſiæ Præſulem in celebrando Concilio acquirere.* Epiſcoporum in Synodis lites ejuſmodi habemus innumeras, & pudet refer-



Digitized by Google

re. In pravos Populi mores, non de hujuſmodi quiſquiliis oportuerat ipſos pugnare. Certè pro hiſce ipſorum Clerici & famuli quandoque ad manus & ſanguinis effuſionem ſcandaloſiſſimè devenerunt. Omne Belgium Romanis olim fuit unica Provincia, ejuſque caput & Metropolis fuit civitas Trevirorum. Poſteà diviſum fuiſſe in duas Provincias, demonſtrat ſancti Hilarii Pictavienſis Epiſcopi de Synodis liber, inſcriptus Epiſcopis omnium Gallicarum Provinciarum, etiam *prima Belgica & Belgica ſecunda.* Factum id fuit à Conſtantino Magno, ſub cujus filio Conſtantio Hilarius floruit & ſcripſit. Apud Treviros manſit primæ, ſecundæ Belgicæ Metropolis poſita eſt apud Remos, atque ita hujus civitatis Epiſcopus profecit in Metropolitam. Ambas Metropoles eſſe ſorores Eccleſias, id eſt, ejuſdem per omnia dignitatis ac poteſtatis, ſcripſit in ſuo Teſtamento ſanctus Remigius. Hinc inter ipſarum Præſules acceptæ conſecrationis ætatem & ordinem ſervari profeſſus
Ep. 17. ſemper fuit etiam Metropolita Hincmarus. Eandem ſanè formam in Synodis ac aliis Conventibus omnes ubique gentium Eccleſiæ & Epiſcopi paſſim cuſtodierunt. Verùm contentiones has abſcidit prudentiſſimus Pontifex, Synodalem conſeſſum jubens formari in circulum, ac ſe in medio, Remenſem à dextris, Trevirenſem à ſiniſtris, Lugdunenſem ad meridiem, Veſontionenſem Metropolitam locans ad ſeptemtrionem. Remenſis ac Trevirenſis Clericos pacificavit, & iſti, quod in propria eſſet civitate, priorem locum adſcripſit.

Eidem Remenſi proximus aſſedit è ſuffraganeis Beroldus Epiſcopus Sueſſionenſis. Sueſſionenſis enim Eccleſia ſemper ſuæ Provinciæ fuit Protothronica, ideoque ejus Epiſcopus ſemper ante omnes Collegas habuit primum locum à Metropolita. Hinc in ſecunda, Ebbonis & Hincmari Metropolitarum cauſam tractante, Sueſſionenſi Synodo primus ſurrexit & ex omnium nomine reſpondit Rothaldus Epiſcopus ejuſdem ci-
Act. 3. vitatis. Hic etiam Hincmarum ordinarat, quod nempe Metropolitam ordinare ſpectaret ex avito more ad Protothronum. Et poſt Hincmari mortem, quod ante dati à Rege viſitatoris Epiſcopi adventum elegiſſet, accuſata Remenſis Eccleſia, ſeriò ſe excuſat apud Comprovinciales, primoque in litteris loco nominat Hildeboldum Sueſſionenſem: Quod nempe vacanti Provinciæ præſideret. Et de Ludovico ſancto Francorum Rege ſcribit antiquum Sueſſionenſis ad ſanctum Medardum Monaſterii Chro-
Fol. 85. nicon: *Ludovicus conſecratus fuit & coronatus in civitate Remis per manus Jacobi Sueſſionenſis Epiſcopi, quia tunc Sedes Archiepiſcopatus vacabat.* Quod ipſum affirmat Chronicon ſancti Dionyſii propè Pariſios. Regis
A. 1226. conſecratio & coronatio ex ſancti Remigii inſtituto & avita conſuetudine

Digitized by Google

ne ſpectabat ad Metropolitam Remenſem, ideoque vacante iſta Sede devolvebatur ad Sueſſionenſem Epiſcopum, ejus tunc Vicarium & Provinciæ Primatem. Iſtud ipſum habes in vita ſancti Ludovici per Guilielmum Nangiacenſem. Cur in litteris ad Nomenoium Britanniæ Principem quarta Turonenſis Synodus Rothaldum Sueſſionenſem tertio tantum loco ponat poſt Hincmarum Metropolitam, ignoro. In alterando dignitatis ordine Majores noſtri non fuerunt ſcrupuloſi. Etiam ſecundum thronum habuit ſecunda Belgica, de quo ad neſcio cujus Eccleſiæ Electum ſcribit ſanctus Fulbertus Carnutenſis Epiſcopus, Protothronus Provinviæ Senonenſis: *Ne civitati vel Eccleſiæ Catalaunorum ſuum derogetis honorem. Meminiſſe vos decet quod in antiqua deſcriptione Provinciæ Belgicæ ſecundæ ipſa civitas à Remenſi tertium locum habeat. Sapienti pauca.* Rationem in ſanctum Petrum Apoſtolum, qui Remenſem ac Ep. 78.
Sueſſionenſem per ſemetipſum, Catalaunenſem autem Eccleſiam per Sixtum primum à ſe miſſum Remenſibus Metropolitam erexerit, refundit in Remenſis Eccleſiæ Hiſtoria Presbyter Flodoardus. Sixtum fuiſſe Metropolitam errat: Nam uſque ad Conſtantini tempora Trevirim fuiſſe unicam Belgii Metropolim, eſt nimis certum. In Romani Imperii notitiam ſeu laterculum potiori jure refundit ſanctus Fulbertus. Ex Lib. 1. cap. 3.
eo enim Majores noſtri etiam Eccleſiarum dignitatem & Ordinem conſtituerunt.

Quæſtio eſt, Quomodo Joannes Portuenſis Eccleſiæ Cardinalis Epiſcopus ſederit ultimo loco? Licet enim Presbyteri ac Diaconi Cardinales ante aliarum Eccleſiarum Epiſcopos & Archiepiſcopos tunc necdum obtinerent locum, obtentum tamen fuiſſe à Cardinalibus Epiſcopis diſertè in litteris ad Cadaloum, ex Parmenſi Epiſcopo Antipapam Honorium ſecundum, teſtatur ſanctus Petrus Damiani: *Quid tibi de Cardinalibus videtur Epiſcopis, qui videlicet & Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibuſdam aliis prærogativis, non modo quorumlibet Epiſcoporum, ſed & Patriarcharum atque Primatum jura tranſcendunt? Salvo quippe univerſalis Eccleſiæ Sacramento iſti ſunt oculi unius lapidis, id eſt, Romanæ Eccleſiæ.* Eorum dignitatem inſigniter exaltat. Quod ipſum facit in prima Epiſto- Lib. 1.
la ad Epiſcopos Cardinales. Nec heſternam novitatem, ſed vetuſtam Ep. 20.
Eccleſiæ formam lucidè laudat vir ſanctiſſimus. Cur ergo illi coævus Lib. 2.
Leo nonus Pontifex Joannem Cardinalem Epiſcopum, ſuum per tot Epiſt. 1.
itinera ſocium, in hac Synodo poſtpoſuit omnibus Epiſcopis Gallicanis? Reſpondeo Dominorum Cardinalium, præſertim Epiſcoporum, dignitatem ac Eminentiam eſſe antiquiſſimam. Lucet ex Edicto Conſtantini Magni pro Romana Eccleſia: *Sancimus, ut viri religioſiſſimi, multorum*

*rum ordinum Clerici, qui ſancta Romanæ Eccleſiæ deſerviunt, ornentur & habeant illam ſublimitatem & Magnificentiam, quâ ornatus eſt magnus noſter Senatus, Patricii nempe & Conſules, & reliquæ dignitates.* Quæ verba ſolis Cardinalibus Epiſcopis in laudata ad ipſos Epiſtola applicat, atque ita de ipſis ſolis intelligenda cenſet ſanctus Petrus Damiani. Ex Magdenburgenſis Eccleſiæ manu ſcripto Chronico deſumptum, ab Henrico Meybomio publicatum, ac Witichindi Corbeienſis Monachi Annalibus adjunctum fragmentum conſonat, agens de Joanne decimo tertio Pontifice, erectoque per ipſum Archiëpiſcopatu Magdenburgenſi: *Joannes ordinavit, & Privilegia Apoſtolicæ auctoritatis ſanxit, ac confirmavit Archiëpiſcopum Magdenburgenſem in omni Ordine Eccleſiaſtico primatum habere omnium Archiëpiſcoporum, qui in Germania ſunt ordinati, in Gallia quoque Colonienſi, Moguntinenſi, & Trevirenſi Archiëpiſcopis per omnia honore ſimilem eſſe, crucis ſignaculum ante ſe ferre, & inter Cardinales Epiſcopos Romanæ Sedis conſortium habere.* Cardinalibus Epiſcopis æquiparari eſt antiquum Colonienſis, Moguntini, ac Trevirenſis Archiëpiſcoporum Privilegium. Hinc enim de Adolpho Moguntino, Frederico Colonienſi, & Cunone Trevirenſi ſcribit magnum Belgii Chronicum: *Dominus Urbanus Papa ſextus ſeptemdecim Cardinales creavit, inter quos erant Trevirenſis, Moguntinus, & Colonienſis Archiëpiſcopi, ſed*
Fol. 333. *illi non acceptaverunt.* Partim quod graſſanti tunc ſchiſmati nollent miſceri, partim quod Cardinalibus Epiſcopis ſe noſſent æquales. Hinc item Urbanus octavus, dum Dominos Cardinales ex illuſtriſſimis fecit Eminentiſſimos, eundem titulum jam dictis Archiëpiſcopis indulſit. Magdenburgenſis Archiëpiſcopatus anno Domini 969. fuit erectus: Inter Cardinales Epiſcopos tunc habere locum fuit quorundam Archiëpiſcoporum grande Privilegium, ideoque cæteri omnes illis omninò cedebant.

Superius adducta, quibus Cardinales Epiſcopos etiam Patriarchis anteponit ſanctus Petrus Damiani, verba exponunt apud Ottonem Friſingenſem Epiſcopum in libris de geſtis Frederici primi Imperatoris, ac modificant Eugenii tertii Cardinales, adverſum clandeſtina ſancti Bernardi cum Gallicanis Epiſcopis circa Gilberti Porretani cauſam acta proteſtantes: Epiſcopis Gallicanis ſe aſſeverant majores, Alexandrino autem & Antiocheno Patriarchis fatentur inferiores. Proindè de ſolis Aquileienſi, Cantuarienſi, aliiſque id genus Latinæ
Lib. 1. Eccleſiæ Primatibus, Patriarchæ titulo inſigniri tunc conſuetis, lo-
cap. 57. quitur laudatus Petrus Damiani. Nam & Joſepho Patriarchæ Conſtantinopolitano priorem in Synodo Florentina locum ceſſerunt omnes Domini Cardinales. In diplomate, quo Sylveſtri ſecundi electionem confirmavit,

Digitized by Google

mavit, iſtud Conſtantini Edictum eſſe fabuloſum rectè affirmat Imperator Otto tertius, fatetur tamen eſſe antiquum, dicens confictum à Joanne Diacono, cognomento Digitorum, qui res futuras nequaquam ſcripſit, ſed ſuo tempore cœptum, & adhuc vacillantem Romanorum Clericorum ſtatum voluit fabula iſta adjutum & ſtabilitum. Fabula tamen proceſſit ex variæ, hic non edifferendæ, admixtæ veritatis fundamento. Et hinc Cardinalium Epiſcoporum Eminentiam fuiſſe etiam à Leone nono Pontifice agnitam & defenſam oſtendit in ſuis Chronicis Guilielmus Thorne, Cantuariæ ad ſanctum Auguſtinum Monachus, ſcribens de præſenti Synodo: *Leo Papa Simoniacam hæreſim in Francia debellabat. Mittitur ad eum conſenſu Regis & Regni Wulfricus Abbas, pro negotiis Regni & Eccleſiæ Anglicanæ reſponſurus. Cujus reſponſo Papa intelligens Anglos cæteris innocentiores, & Anglicanæ Eccleſiæ profectui congratulans, inter alia multa confirmabat, ut Archiëpiſcopus Cantuarienſis in Conciliis vel Synodis celebrandis aſſidere debeat Pontifici ſanctæ Ruffinæ.* Grande fuit iſtud Privilegium. Etenim ſanctæ Ruffinæ, ſeu Sylvæ candidæ Cardinalem Epiſcopum fuiſſe inter ſeptem ordine ſecundum, ac feria ſemper ſecunda ſolemniter celebraſſe in Baſilica Lateranenſi, affirmat Onufrius Panuinus in erudito opuſculo de præcipuis Eccleſiis almæ urbis. Quinque ergo Cardinalibus Epiſcopis Archiëpiſcopum Cantuarienſem Leo antepoſuit. Et hinc in Barenſi Synodo, ubi *Omnibus ſuum locum ex antiquo vindicantibus*, ſanctus Anſelmus Cantuarienſis Archiëpiſcopus, humilitate ſummus, *quâ poterat aſſedit*, à Græcis adverſus Spiritus Sancti à Filio proceſſionem inſurgentibus preſſus Urbanus ſecundus Pontifex, altâ voce exclamavit: *Pater & Magiſter Anſelme, Anglorum Archiëpiſcope, ubi es?* Exponit Guilielmus Malmesberienſis: *Exciderat animo ſummi Pontificis, ingruente tumultu, ut ei locum delegaret, ſed erroris admonitus eſt quæſtionis à Græcis propoſitæ neceſſitate. Annitentibus proximis ad conſeſſum Apoſtolici levatus eſt, ſedere juſſus juxta Romanum Archidiaconum, cui ante Papam ſedere moris eſt. Includamus, inquit, hunc in orbe noſtro, quaſi alterius orbis Papam.* Ita debiti juxta ſanctæ Ruffinæ Epiſcopum loci jacturam abundè Pontifex illi compenſavit. Huic item privilegio innitur, quod de Joanne Cardinali Presbytero, Calixti ſecundi Pontificis per Angliam legato, omnibus illic Epiſcopis ſynodaliter præſidente, ac celebrante in Pontificalibus ornamentis queritur in Cantuarienſium Pontificum vita Gervaſius Monachus Cantuarienſis: *Videres rem eatenus Regno Anglorum inauditam, Clericum ſcilicet Presbyterii tantùm gradus perfunctum, Archiëpiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, totiuſque Regni Nobilibus, qui confluxerant, in ſublimi ſolio præſidere,*

A. 1050

 *illos*

*illos autem deorſum ſedentes, ad nutum ejus vultu & auribus animum ſuſpenſum habere.* Læſam fuiſſe proteſtatur Anglicanæ Eccleſiæ libertatem, ac pergit: *Toti Regno Anglorum, & circumjacentibus Regionibus cunctis notiſſimum eſt, eatenus à primo Cantuarienſium Metropolitano, ſanctiſſimo videlicet Auguſtino, omnes ipſius ſucceſſores Primates & Patriarchas nominatos & habitos, nec ullius unquam Romani Legati ditioni addictos.* Erat querimonia iniqua ac imperita. Quis enim neſciat non ſolius Papæ, ſed & cujuſcumque Patriarchæ legato, licet Presbytero dumtaxat aut Diacono, eſſe celebrandæ Synodi, ibidemque ante omnes iſtius Diœceſis Epiſcopos ac Metropolitas præſidendi poteſtatem, donatam ab antiquiſſimo Canone omnium Eccleſiarum? Romanæ Eccleſiæ Cardinales Diaconi Generalibus etiam Synodis ſemper præſederunt. Verùm quod ſolis Hoſtienſi & ad ſanctam Ruffinam Cardinalibus Epiſcopis cedere ex nupero Leonis noni privilegio deberet Primas Cantuarienſis, de laudati Joannis Cardinalis Presbyteri legatione ac Synodali præſidentia quidam Anglorum Epiſcopi fuerunt offenſi. Et ipſos, quod aliquid rationis habere viderentur, placavit Calixti ſucceſſor Honorius ſecundus, Apoſtolicam totius inſulæ legationem impartiens Guilielmo Primati Cantuarienſium. Laudatum Calixtum, qui Turſtinum Eboracenſem Archiëpiſcopum, ab Henrico Rege primo proſcriptum, honoravit inſigniter, ſibi proximum & collateralem, uti Cardinalem, eſſe ubique juſſit, & proximè poſt Oſtienſem Epiſcopum equitare in ſolemnibus proceſſionibus, vice verſâ extollit in Eboracenſium Pontificum vita Thomas Stups, è Prædicatorum Ordine ſcriptor antiquus ac eruditus. At dumtaxat perſonale erat hocce Privilegium. Ex his interim omnibus vides avitam Cardinalium Epiſcoporum Eminentiam fuiſſe agnitam & ſtabilitam à Leone nono: Hoc enim in ſtabilimento fundatur Privilegium datum Archiëpiſcopo Cantuarienſi. Et hinc Joannem Portuenſem Epiſcopum hac in Synodo ſediſſe ultimum poſt omnes Gallicanos Epiſcopos, nunquam crediderim. In Gallicanorum, qui Dominorum Cardinalium Eminentiam bonis oculis dudum non adſpexerunt, Epiſcoporum gratiam exiſtimo illum à Synodalium actorum compilatore, homine utique Gallo, in locum noviſſimum eſſe detruſum.

Oritur hinc alia quæſtio, An inter ſeptem Cardinales Epiſcopos ſemper certus ordo, primuſque locus Oſtienſi, ſecundus ſanctæ Ruffinæ, tertius Portuenſi fuerit, & ſic deinceps? Rationem dubitandi faciunt plura authentica atque antiqua Concilia, in quibus dicti Epiſcopi leguntur alio longè ordine ſediſſe & ſubſcripſiſſe. Etenim in Romana contra Clementem & Adelbertum, peſſimos Francorum Epiſcopos, Synodo proxi-

proximus poſt Zachariam Pontificem ſedit Epiphanius ſanctæ Ruffinæ Epiſcopus, deinde Benedictus Nomentanus, hinc Venantius Præneſtinus, tum Gregorius Portuenſis: Theodorus Oſtienſis ſedit dumtaxat ſextus poſt Nicetam Gabinatem. In Romana adverſus Joannem duodecimum Pontificem Synodo Cardinales Epiſcopi ſederunt poſt multos alios hoc ordine: Gregorius Albanenſis, Sico Oſtienſis, Benedictus Portuenſis, Theophylactus Præneſtinus, Wido Sylvæ candidæ. Exſtat Synodus apud Luitprandum Ticinenſem. In Romana Paſchalis ſecundi adverſum Laicas inveſtituras Synodo ſederunt poſt omnes Archiëpiſcopos hoc ordine: Cencius Sabinenſis, Petrus Portuenſis, Leo Oſtienſis, Cono Præneſtinus. Exſtant acta apud Guilielmum Malmesberienſem. Apud eundem in novella Hiſtoria exſtat Petri Portuenſis Epiſcopi, qui in Honorii ſecundi defuncti locum intruſit Petrum Leonis, ad alios Cardinales Epiſcopos, qui Innocentium ſecundum elegerant, Epiſtola, qua ſchiſma nititur componere, & in qua Guilielmum Præneſtinum primo, ſecundo Matthæum Albanenſem, tertio Conrardum Sabinenſem, quarto & ultimo loco nominat Joannem Epiſcopum Oſtienſem. Nempe quomodo alii paſſim, ita & Cardinales Epiſcopi ſervabant ordinem & locum juxta acceptæ conſecrationis ætatem, atque ita Oſtienſis Epiſcopus quandoque erat primus, quandoque medius, quandoque poſtremus. Etiam Privilegio, quod Piſcarienſi Cænobio dedit Adrianus quartus, ſubſcribunt eodem ordine: Sabinenſis, Oſtienſis, Præneſtinus, Albanenſis, Portuenſis. Etiam initis inter Innocentium tertium & Joannem Angliæ Regem concordatis, exſtantibus apud Lucam Dacherium. Et notari oportet pleroſque hos Pontifices Leone nono fuiſſe non paucis annis poſteriores, adeoque ex ipſorum actis lucet Cardinales Epiſcopos in obtinendo ante quoſvis Archiëpiſcopos & Primates loco necdum fuiſſe firmos.

Lib. 6. cap. 6.

Fol. 168.

Tom. 5. Fol. 576.

Reſpondeo Cardinales Epiſcopos ſemper fuiſſe ſeptem. Quinque principales ſeu Patriarchales Baſilicas habet Romana Eccleſia, ſancti Salvatoris Lateranenſem, ſancti Petri Apoſtoli Vaticanam, ſancti Pauli Apoſtoli via Oſtienſi, ſanctæ Mariæ Majoris in Exquiliis, & ſancti Laurentii in agro Verano. Omnium præcipua eſt Baſilica Lateranenſis, utpote Romani Pontificis Apoſtolica Sedes, & urbis Eccleſia Cathedralis. Singulæ ſolemnia ſua ſemper habuerunt quotidiè Divina officia: In hac unus quotidiè Cardinalis Epiſcopus per vices, in aliis Cardinalis Presbyter ſolemnis Miſſæ ſacrificium celebrabat, ideoque viginti olim octo erant Presbyteri Cardinales. Eorum in quatuor Patriarchalibus Eccleſiis officiandi quotidianum Ordinem vide apud Onufrium

Cap.1.2. Panuinum in Opuſculo de Principalibus Baſilicis Almæ urbis. Et quia omnium Eccleſiarum ſolicitudo ſemper fuit Romani Pontificis quotidiana inſtantia, ſanctæ Ruffinæ Epiſcopus in urbe Leonina, ſeu ſancti Petri ſuburbio, Portuenſis autem in Tranſtyberina regione exercebant actus Epiſcopales, tamquam illius occupati aut abſentis vicem gerentes. Et hoc eſt officium, quod ſub ſancto Petro Apoſtolo exiſtimantur geſſiſſe Linus & Cletus. Id ipſum fortè habebat Georgius, Pauli primi Pontificis ad Pippinum Francorum Regem Legatus, de quo ad varios Canones adjungit Synodus Compendienſis: *Georgius Epiſcopus Romanus conſenſit.* Quidam volunt fuiſſe Georgium Præneſtinum Epiſcopum, qui cum Euſtaſio Albanenſi & Citonato Portuenſi in defuncti Pauli locum intruſit & conſecravit Conſtantinum, Totonis Ducis Nepeſini fratrem: Eum, quod Româ miſſus eſſet Legatus, dici volunt Epiſcopum Romanum. Hoc enim ſenſu etiam in Chalcedonenſi Synodo Glorioſi Judices ſancti Leonis Papæ Legatos appellarunt *Epiſcopos de Roma.* Verùm enim verò aliud eſt de Roma, aliud Romanus Epiſcopus: Romanum Epiſcopum non credo ullibi dictum, niſi Epiſcopum Cardinalem. Ita Ottonem primum Imperatorem adverſus Joannis duodecimi exceſſus fuiſſe tam à Romanis Epiſcopis, quàm plebe interpellatum ſcribit
L.6. c.6. Luitprandus Diaconus Ticinenſis. Et qui ſint Romani Epiſcopi, in ſequenti ejuſdem libri capite exponit: *Romani Pontifices, & Cardinales Presbyteri ac Diaconi cum univerſa plebe dixerunt.* Per Romanos Pontifices clarum eſt intelligi Epiſcopos Cardinales. Etiam in Remenſis Eccleſiæ
Lib. 3. c. 21. Hiſtoria Flodoardus Gaudericum Cardinalem Epiſcopum intitulat *Epiſcopum Eccleſiæ Romanæ.* Ita Niceforus Calixtus ſanctum Hippolitum Mar-
L.2. c.3. tyrem vocat *Portuenſem Romæ Epiſcopum.* Et Ludovici Pii Imperatoris Aſtrologus laudat *Regionarium Romæ Epiſcopum:* Utique ſanctæ Ruffinæ aut Portuenſem, qui non tantùm apud Lateranenſem Baſilicam Pontificalia, ſed etiam in urbe Leonina, aut Tranſtyberina Regione Papales Epiſcopalis juriſdictionis vices exercebant.

Viginti octo Cardinales Presbyteros, ipſorumque in quatuor Patriarchalibus Baſilicis officiandi vices quis inſtituerit, ignoramus. Etenim uſque ad ſancti Sylveſtri Pontificatum non fuerunt tot Cardinalium tituli, & iſtarum Baſilicarum tres ſunt Conſtantini opus, quinimò quarta ſanctæ Mariæ Majoris eſt opus Liberii Pontificis, ideoque planum eſt & tot Cardinales & laudatas, ipſorum vices non eſſe Apoſtolicum ſancti Petri inſtitutum. Crediderim eſſe rem cæptam à ſancto Sylveſtro, & à Succeſſoribus perfectam. Quidquid ſit, ſeptem Cardinales Epiſcopi, ipſorumque in primario urbis titulo vices ſunt res antiquiſſima. Etenim

de

Digitized by Google

de Stephano quarto ſcribit in libro Pontificali Anaſtaſius Bibliothecarius: *Beatiſſimus Præſul Stephanus erat Eccleſiaſticæ traditionis obſervator. Unde priſtinum Eccleſiæ in diverſis Clericatus honoribus renovavit ritum. Hic ſtatuit ut omni Dominico die à ſeptem Epiſcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in Eccleſia Salvatoris obſervant, Miſſarum ſolemnia ſuper Altare beati Petri celebrarentur.* Et in ſua de Cardinalium juribus conſtitutione Joannes octavus: *Sancimus vos in principalibus Eccleſiis juxta Primatum veſtræ conſecrationis viciſſim divina Officia peragere.* Et ſupra laudatum Magdenburgenſis Chronici fragmentum: Joannes decimus tertius Pontifex Archiëpiſcopo Magdenburgenſi *conceſſit duodecim Presbyteros, ſeptem Diaconos, viginti quatuor Subdiaconos Cardinales, ad morem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ordinare, qui ad principale Altare miniſtrantes, quotidie, excepto jejunio, Dalmaticis, feſtis verò diebus ſandaliis uterentur.* Et in litteris ad Cardinales Epiſcopos ſanctus Petrus Damiani: *Lateranenſis Baſilica, ſicut Salvatoris eſt inſignita vocabulo, qui omnium caput eſt Electorum, ita Mater & quidam apex ac vertex eſt omnium per orbem Eccleſiarum. Hæc ſeptem Cardinales habet Epiſcopos, quibus ſolis poſt Apoſtolicum licet ſacroſanctum illud altare accedere, ac divini cultûs Myſteria celebrare.* Hoc eſt unicum illud ſub cælo Altare ligneum, de quo Romanum Breviarium: *Quo Altari ſanctus Sylveſter, redditâ Eccleſiæ pace, honoris cauſa Principis Apoſtolorum, qui in illo ſacrificaſſe dicitur, & reliquorum Pontificum, qui uſque id tempus ad Myſteria conficienda eo uſi fuerant, in Lateranenſi prima Eccleſia collocato, ſancivit ne quiſquam in eo, præter Romanum Pontificem, Miſſam deinceps celebraret.* Præter Romanum Pontificem ac ejus Vicarios ſeptem Epiſcopos Cardinales. An quotidiani per ipſos ſacrificii mos plenè reſtitutus fuerit à Stephano quarto, an dumtaxat pro diebus Dominicis, non plene conſtat.

Lib. 2. Epiſt. 1.

Porrò Oſtienſis Epiſcopus præ cæteris habuit prærogativam ſingularem, laudatam à Romano Breviario: *Marcus Pontifex inſtituit, ut Epiſcopus Oſtienſis, à quo Romanus Pontifex conſecratur, pallio uteretur.* Eſt ejus antiquiſſima dignitas. Etenim Donatiſtis, Cecilianum Carthaginenſem Archiëpiſcopum & totius Africanæ Diœceſios Primatem, à ſuo Comprovinciali Felice Aptungitano Epiſcopo conſecratum, à Secundo Tigiſitano Epiſcopo ac Numidiæ Primate, tamquam Principem à Principe, conſecrandum fuiſſe blaterantibus, in Carthaginenſis collationis breviculo reſpondit ſanctus Auguſtinus: *Aliud habet Eccleſiæ conſuetudo, ut non Numidiæ, ſed propinquiores Epiſcopi Epiſcopum Eccleſiæ Carthaginis ordinent. Sicut nec Romanæ Eccleſiæ ordinat aliquis Epiſcopus Metropolitanus, ſed de proximo Oſtienſis Epiſcopus.* Moris exordium ad-

Lib 3. cap. 16

ducit in Sigeberti Gemblacenſis ſupplemento Robertus Abbas Montenſis: *Oſtienſis Epiſcopus ex antiqua conſuetudine ordinat & ſacrat Romanum Pontificem. Quæ conſuetudo exinde accidit, quod martyrizato beato Sixto, & ſancto Laurentio ejus Diacono, beatus Juſtinus Presbyter cum Clero Romano elegit beatum Dionyſium in Romanum Pontificem, quem ſacravit Maximus Oſtienſis Epiſcopus. Ex hac conſuetudine exinde Oſtienſis Epiſcopus ordinat & ſacrat Romanum Pontificem, & habet pallium: Solummodò ad ea quæ*
A. 1181. *pertinent in ordinatione & conſecratione Pontificis.* Rei hujus, quoniam nemo antiquus Scriptor meminit, fides ſit penes Robertum. Ego morem illum malim inſtitutum ab Apoſtolis. At verò Suffraganeus, ad quem Metropolitæ, præſertim Patriarchæ, conſecratio ſpectat perpetuo jure, eſt Provinciæ ſuæ Protothronus: Qualem in ſecunda Belgica eſſe Sueſſionenſem, eſt ſuprà oſtenſum. Qualis item in Senonenſi Carnutenſis, in Turonenſi Cenomanenſis, & in Cantuarienſi Provincia ſemper fuit Epiſcopus Londinenſis. Protothronum non habentis Provinciæ Metropolita, ad ſui Patriarchæ manus accedere non conſuetus, à Suffraganeo juxta conſecrationis ætatem ſeniori ſemper fuit conſecratus. Quod pallio per ſingularem Apoſtolicæ Sedis gratiam inſignitus Provincialis Epiſcopus ſemper item fuerit Provinciæ ſuæ Protothronus, lucet ex ſancti Gregorii Magni, qui Syagrio Auguſtodunenſi Epiſcopo intra primam Lugdunenſem Provinciam fecit iſtam gratiam, Epiſtola: *Cujus ne indumenti munificentiam nudam videamur quodammodo contuliſſe, hoc etiam pariter proſpeximus concedendum, ut Metropolitæ ſuo per omnia loco & honore ſervato, Eccleſia civitatis Auguſtodunæ, cui omnipotens Deus præeſſe te voluit, poſt Lugdunenſem Eccleſiam eſſe debeat, & hunc ſibi locum & ordinem ex noſtra authoritatis indulgentia vindicare.* A cæteris Epiſco-
L. 7. in pis addit ſecundum ordinationis tempus debere ubique conſedere & ſub-
dict. 2. ſcribi. Pallio inſigniti Latinorum Provinciales Epiſcopi eis omnibus frue-
Ep. 114. bantur privilegiis, quibus Græci ſolo honore & nomine Metropolitæ: Et hiſce primum à vero Metropolita fuiſſe ubique locum, eſt alibi oſtenſum.

Inſuper aliam Oſtienſis Epiſcopus habuit prærogativam, laudatam à Rogerio Hovedenſi: *Joannem de ſancto Paulo, Presbyterum Cardinalem tituli ſanctæ Priſcæ Virginis, adeò præ cæteris diligebat Cæleſtinus tertius Pontifex, quod illum loco ſui conſtituerat ad omne officium ſuum exequendum, niſi in conſecratione Epiſcoporum, quod pertinebat ad Officium*
Fol. 774. *Epiſcopi Oſtienſis Cardinalis.* Et de Cardinali Glandatenſi, per Urbanum ſextum tranſlato ad Epiſcopatum Oſtienſem, ſcribit ad Ludovicum Flandriæ Comitem Pileus de Prata Archiëpiſcopus Ravennæ, & Romanæ Eccleſiæ Cardinalis: *Epiſcopos & Archiëpiſcopos conſecravit, Abbates*

Digitized by Google

*bates benedixit & ordines fecit tanquam verus Epiſcopus Oſtienſis.* Exſtat Epiſtola apud Lucam Dacherium. Epiſcoporum conſecrationes olim ipſe peragebat Pontifex: Eſt enim ſupremus actus officii Pontificalis. Nimia agendarum rerum copia poſtmodum alio illum diſtraxit, ideóque eminens iſtud munus eſt impoſitum Oſtienſi Epiſcopo, tanquam Protothrono, ad quem non ſolius Metropolitæ, ſed etiam omnium, ipſo defuncto aut impedito, comprovincialium conſecratio ſemper ſpectavit. Et hinc de Cardinalibus Epiſcopis ſcribit in Turſtini Eboracenſis Archiëpiſcopi vita Thomas Stups: *Oſtienſis Magiſter inter eos eſt & dignior.* Tom. 4. Fol. 307.

Quæ omnia Oſtienſem Epiſcopum fuiſſe Romanæ Provinciæ Protothronum, validè confirmant. Verùm & validè obeſt laudata Joannis octavi conſtitutio, ſanciens quoſvis Cardinales in principalibus Eccleſiis Divina celebrare juxta primatum ſeu ætatem acceptæ conſecrationis. Obſtant & ſuperius laudatæ Synodi, in quibus & Epiſcopi & Presbyteri Cardinales leguntur ita & conſediſſe & ſubſcripſiſſe: Etiam Epiſcopus Oſtienſis. Eſt res perplexa. Omninò inclinor, ut cum Onufrio Panuino, rerum ad Romanam Eccleſiam ſpectantium peritiſſimo, affirmem inter ipſos non acceptæ conſecrationis, ſed ſedium ac titulorum ordinem ſemper & ubique fuiſſe. Certè in laudata Joannis octavi conſtitutione vox, *Conſecrationis primatum*, nequaquam debet temporis, ſed importare poſſit primatum Sedis ac tituli, ad quem Cardinales fuerint conſecrati. Epiſcoporum varius in variis Synodis repertus conſeſſus & ſubſcriptio non facit firmum argumentum. Illic enim reperis & Epiſcopos ante Metropolitas, & juniores ſediſſe & ſubſcripſiſſe ante ſeniores. Quin imò Tholoſano, cui Calixtus ſecundus præſedit, Concilio ſubſcriptum eſt hoc ordine: *Cono Praneſtinus Epiſcopus*, *Ottegarius Archiëpiſcopus Tarragonenſis*, *Raymondus Barbeſtrenſis Epiſcopus*, *Bernardus Anicienſis*, *Lambertus Oſtienſis*, *Richardus Narbonenſis*, *Petrus Cardinalis ſanctorum Coſmæ & Damiani*, *Atto Archiëpiſcopus Arelatenſis.* Hæc ſunt irregulariter geſta, aut vitioſè compilata. Et ſingulorum cauſas quis cognoſcat? Quidquid ſit, ex allegatis abundè lucet Joannem Portuenſem Epiſcopum poſt omnes Gallicanos in hac Synodo non ſediſſe. Hodiè juxta ſedium ſuarum ac titulorum dignitatem Domini Cardinales ſedent & ſubſcribunt. Haud dubiè ex more & traditione antiqua.

Porrò de Cardinali ſanctæ Ruffinæ Epiſcopatu ſcribit in Sigeberti Gemblacenſis ſupplemento Robertus Abbas Montenſis: *Eugenius Papa tertius Epiſcopatui Oſtienſi Velitrenſem conjunxit, & ſic fecit de duobus unum. Similiter fecit de Epiſcopatu Portuenſi, cui junxit Epiſcopatum ſanctæ Ruffinæ, faciens*

Digitized by Google

A.1181. *faciens de duobus unum.* Et hinc privilegio, quod Piſcarienſi Monaſte-
rio apud Lucam Dacherium dedit Adrianus quartus, Bernardus Cardi-
Tom. 5. Fol. 56. nalis ſeſe ſubſcribit Epiſcopum Portuenſem & ſanctæ Ruffinæ. Initis
inter Innocentium tertium Pontificem ac Joannem Angliæ Regem
Fol. 576. concordatis eodem modo ſubſcripſit Cardinalis Benedictus. Onufrius
tamen Panuinus unionem iſtam vult eſſe opus Calixti ſecundi, natum
ex deſtructa ſanctæ Ruffinæ civitate, deductaque ad tantam ſolitudi-
nem, ut proprio Epiſcopo non haberet opus. Ita interim evanuit ſepte-
narii, quod multis prædicat ſanctus Petrus Damiani, in Cardinalibus
Lib. 2. Epiſcopis numeri Sacramentum. Bonifacii octavi, qui teſte Henrico
Epiſt. 1. Sterone Monacho Althanenſi, *Civitatem Præneſtinam Epiſcopatus honore*
A.1294. *privavit, & ſubverti juſſit*, factum ſucceſſores Pontifices meritò non
probarunt.

Cur Petro Cardinali Diacono nullus hic aſſignetur locus aut ſedes, ad-
diſcere poſſis ex Romana Synodo ſancti Gregorii Magni: *Gregorius Papa*
*cum Epiſcopis omnibus ac Romanæ Eccleſiæ Presbyteris reſidens, adſtantibus*
Lib. 4. *Diaconibus & cuncto clero.* Quod ipſum habet ejus alia Synodus de cauſa
Ep. 44 Probi Abbatis ad ſanctum Andream. Nempe Diaconi ſunt dumtaxat
Miniſtri, ideoque in Synodo ipſis non competit ſedes, ſed poſt Epiſ-
Lib. 9. Ep. 22. copos atque Presbyteros ſtare conſueverunt. At verò apud Lugdunen-
ſem Innocentii quarti Synodum Cardinales Diaconi una cum Romanæ
Eccleſiæ Vice-Cancellario ſederunt ante Thronum Pontificis: More
Græcorum, apud quos ſeptem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Crucige-
ri Diaconi Synodalem ſui Patriarchæ Thronum ſolent circumcingere.
Quod an ante laudati, qui Cardinales inſigniter exaltavit, Innocentii
tempora fuerit factum apud Latinos, adeoque an in hac etiam Synodo
Petrus Cardinalis Diaconus ante Leonis noni Thronum ſederit, quidam
dubitant. At ſinè fundamento. Etenim Barenſis per Urbanum ſecun-
dum Synodi acta laudans Guilielmus Malmesberienſis adjungit de Ro-
manæ Eccleſiæ Cardinali Archidiacono: *Cui ante Pontificem ſedere moris*
Fol 223. *eſt.* An præſens Petrus fuerit Romanorum Archidiaconus, ignoro.
Certe fuit ipſorum Cancellarius, & apud agentem longè ab urbe Pon-
tificem forſan functus fuit vice & officio Archidiaconi, adeoque in præ-
ſenti Synodo ante ipſum ſedit. Fuiſſe Cancellarium lucidè dicunt acta
Synodalia. Porrò Presbyteros etiam ac Diaconos Cardinales omninò in-
ſigniter exaltavit, Epiſcopis ac Archiepiſcopis antepoſuit, purpuraque
ornavit laudatus quartus Innocentius: Ut contra Fredericum ſecundum
ex degradato Imperatore ferociſſimum Romanæ Eccleſiæ hoſtem ar-
maret, ac vel ex ſolo propriæ veſtis aſpectu cogeret eſſe paratos ad pu-
gnan-

gnandum pro Eccleſiæ libertatibus uſque ad ſanguinem & mortem. Res viſa eſt dura quibuſdam Epiſcopis, ideoque ipſam dudum etiam poſt conati ſunt exufflare. Etenim de benedicendis Caſimiri tertii Polonorum Regis nuptiis tanta inter Cracovienſem Epiſcopum, qui erat Presbyter Cardinalis, & Archiëpiſcopum Gnæſnenſem ſurrexit contentio, ut neuter alteri voluerit cedere, ideoque Rex utrumque rejecerit, & benedictionis honorem detulerit fratri Joanni Capiſtrano, Presbytero Ordinis Minorum. Et tales hinc indè contentiones fuerunt plures. Attamen tandem plenè vicerunt Domini Cardinales. Hinc enim in Guilielmum Warhamum Cantuarienſem Archiëpiſcopum, privatis litteris ex veteri more ſubſcribentem, *Gulielmus frater Cantuarienſis*, Thomas Volſæus Eboracenſis Archiëpiſcopus, & Presbyter Cardinalis, peſſimè apud Nicolaum Harpſfeldium ſtomachatus fuit, dixitque adſtantibus: *Propediem efficiam, ut intelligat ſe mihi non eſſe parem, tantum abeſt ut ſit frater.* Verùm fuerunt verba vani & inſolentis hominis. Nec enim rem peregrinam in Eccleſia aut novam orſus fuit Innocentius. Dominis Cardinalibus aliud non dedit, quam quod in Conſtantinopolitana Eccleſia jampridem habuerant & ſeptem Cruciferi Diaconi, & Patriarchæ Syncelli Clerici, de quibus ad Romani Argyri Imperium Georgius Cedrenus: *Die Pentecoſtes tumultuatum eſt ob ſeſſionem in ſacro Officio, Metropolitis non ferentibus ſuperiore loco ipſis ſedere Syncellos.* Quod tamen Syncelli cauſam obtinuerint, docet jus Græco-Romanum ad titulum de Carthophylace, & novellæ leges Imperatoris Alexii Comneni. Lib. 15. cap. 13.

Culpanda etiam fuit ſuperbia, ex qua Moguntinus, Colonienſis, & Trevirenſis Archiëpiſcopi delatum ab Urbano ſexto Cardinalatum non admiſerunt. Ea quippè dignitas iſtis Archiëpiſcopis non fuit indigna. Etenim Conrardum primum Moguntinum Archiëpiſcopum, Frederici primi Imperatoris affinem, fuiſſe ab Alexandro tertio creatum Cardinalem Presbyterum ſancti Marcelli, ac deindè Cardinalem Epiſcopum Sabinenſem, teſtantur Moguntinæ Eccleſiæ archiva, & Chronicon Monaſterii Lauriſhamenſis. Etiam Siffridum tertium fuiſſe ſanctæ Sabinæ Cardinalem Presbyterum ſcribit Godefridus Monachus ſancti Pantaleonis. Albertus Archiëpiſcopus, Brandenburgenſis Marchionis frater, Lutherano diluvio miſerè abſorptus, erat Cardinalis ad ſanctum Chryſogonum. Et de Theodorico primo Trevirenſium Archiëpiſcopo, qui ſæculo decimo ſub Leonis octavi Pontificatu floruit, ſcribit magnum Belgii Chronicon: *Theodoricus Romæ Cellam quatuor Coronatorum cum omnibus Appendicibus ſuis ſibi & ſuis Succeſſoribus in perpetuum acquiſivit.* Cella iſta erat titulus Cardinalis, ideoque & Theodoricus & omnes ejus A. 1208. Fol. 84.



Digitized by Google

Succeſſores dudum fuerunt Cardinales Presbyteri: Quomodo ad ſanctam Priſcam fuerunt etiam Abbates Vindocinenſes. Et Nemauſenſi per Urbanum ſecundum celebratæ Synodo ſubſcribit *Daimbertus Piſanus Archiëpiſcopus Cardinalis*. Hic eſt ille Daimbertus ſeu Dagobertus, qui poſteà ſub Latinis Regibus fuit primus Hieroſolymæ Patriarcha, & Cardinalis manſit. Etiam Rangerium Rhegienſem Archiëpiſcopum fuiſſe ſub eodem Urbano Presbyterum Cardinalem affirmat antiqua Appen-
Fol. 102. dix de majoris Monaſterii Abbatibus apud S. Gregorium Turonenſem. Et de Poppone Metenſi Epiſcopo, Calixti ſecundi Pontificis per ſororem nepote, apud Lucam Dacherium ſcribit prior Metenſis Chro-
Fol. 661. nici Appendix: *Poppo ab eodem Pontifice conſecratus eſt, & tam Pallii dignitate, quàm Cardinalis titulo honoratus*. Quinimo Gerbaldum Leodienſem Epiſcopum, filium Regis Bavariæ, fuiſſe ab Adriano primo creatum Cardinalem, laudatum Belgii Chronicon aſſeverat. Adeò antiquum eſt, quod Primates etiam Epiſcopi ambierint & gaviſi ſint eſſe Romanæ Eccleſiæ Cardinales. Nec mirum: Nam etiam Stephanum Nicomedienſem Epiſcopum, Bithyniæ Metropolitam, fuiſſe Patriarchæ Conſtantinopolitani Syncellum laudat ad Conſtantini & Baſilii Imperium laudatus Georgius Cedrenus. Nec deſunt ejuſmodi alia exempla. Hinc etiam Beſſarion Nicenus, & Iſidorus Ruſſorum Metropolita gaviſi ſunt eſſe Romanæ Eccleſiæ Cardinales.

## CAPUT III.

### *Exponuntur Synodi Acta.*

### SESSIO PRIMA.

PRimam Synodi Actionem exponunt Acta Synodalia: *Epiſcopis ita reſidentibus, imperato ſilentio ex præcepto Domini Papæ, ſurrexit Petrus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus, expedito ſermone proponens, de quibus in eadem Synodo ſermo eſſet habendus. De multis videlicet illicitis, quæ contra Canonum inſtituta in Gallicis finibus exercebantur. Id eſt, de Simoniaca Hæreſi, de Miniſteriis Eccleſiaſticis & Altaribus quæ à Laïcis tenebantur, de pravis conſuetudinibus quæ ab eis in atriis Eccleſiarum accipiebantur, de inceſtis conjugiis, & eis qui legitimas uxores relinquentes adulterinis iterum nuptiis implicabantur, de Monachis & Clericis à ſancto Propoſito & habitu recedentibus, de rapinis & pauperum injuſtis captionibus, de Sodomitico vitio, & quibuſdam Hæreſibus quæ in iiſdem pullulaverant partibus.* Epiſcopis, quo

quo plenum deliberandi tempus haberent, ſtatim in Synodi exordio Pontifex exponi juſſit capita neceſſariæ in Gallicana Eccleſia reformationis. Verbum de Petro Cardinali Diacono, *Surrexit*, confirmat ipſum non ſtetiſſe poſt Pontificem, ſed ante ipſum ſediſſe. Ad maturè de dictis capitibus deliberandum, & in ipſis eliminandis adjuvandum Pontificem laudatus Petrus Epiſcopos adhortatus eſt, *Et commonuit ſub Anathemate Apoſtolicæ auctoritatis, ut ſi quis eorum ad ſacros Ordines per Simoniacam hæreſim perveniſſet, vel præmio quemlibet ad eandem dignitatem promoviſſet, publicâ confeſſione patefaceret.* Simoniacæ enim hæreſios damnationem fuiſſe Pontificis palmarem in hac Synodo ſcopum, multa nos ſuperius authentica teſtimonia docuerunt.

Porrò ad occulti, ex quo nata irregularitas aut amiſſus gradus, criminis publicam confeſſionem cogere reos Epiſcopos & Clericos eſt antiquus mos, avitaque regula Synodorum. Lucet ex actis decimæ Toletanæ Synodi, ubi Potamius Bracharenſis Archiepiſcopus, ex humanâ infirmitate in fornicationem lapſus, Collegis ſe publicè proſternit, lacrymans porrigit ſcriptam criminis confeſſionem, proteſtatur ſe indignum Epiſcopatu, profitetur ſe ab omni ejus functione jam per novem menſes abſtinuiſſe clauſum in Pœnitentiæ ergaſtulo, rogatque eligi alium Epiſcopum: Et Synodus omninò elegit. Et ad Andream Tarentinum Epiſcopum, de concubinatu accuſatum, ſcribit Gregorius Magnus: *Si in ſacro Ordine conſtitutus, concubinæ te permixtione recolis eſſe maculatum, Sacerdotii honore depoſito, ad miniſtrandum nullo modo præſumas accedere, ſciturus in anima tua periculo te miniſtrare, & Deo noſtro ſine dubio te reddere rationem, ſi hujus ſceleris conſcius in eo, in quo es, ordine, veritatem celans, permanere volueris.* Quod in ſequenti Epiſtola repetit & mandat ſimiliter infamato Joanni Epiſcopo Gallipolitano. Et pro neſcio cujus vici Presbytero, qui poſt commiſſam fornicationem etiam ſacrificium offerre præſumpſerat, ideoque immiſſo divinitus cancro fœdè dilacerabatur, ſalutem deprecanti Palladio Helenopolitano Epiſcopo reſpondit ſanctus Macarius Monachus, & Monachalium apud Alexandriam Cellarum Presbyter: *Quod ſi velis eum curari, perſuade illi ut deinceps abſtineat à Miniſterio ſanctorum Sacramentorum. Acquievit Presbyter, confeſſus eſt peccatum, & ſpopondit ſe non peccaturum amplius, neque altari miniſtraturum, ſed ſortem laïcam amplexurum.* Ita & in corpore & in anima fuiſſe curatum affirmat in Lauſiaca Hiſtoria laudatus Palladius. Voluntarii homicidii ſecretò reus Epiſcopus vel Clericus, niſi à Romano Pontifice diſpenſationem accipiat aut accipere cum fundamento ſperet, Eccleſiæ miniſterio non tantùm abſtinere, ſed & ipſum dimitte-

L. 2. in dict. 12. Ep. 44.

Cap. 20.



Digitized by Google

re obligatur ab hodiernis etiam Canonibus: Ita olim obligabat omne crimen. Epiſcopum enim, Presbyterum, atque Diaconum Apoſtolicus Canon mandat eſſe abſque crimine, præſertim commiſſo poſt ſacram Ordinationem. Pedetentim hic rigor decrevit, ipſum tamen quoad Simoniacos plenè adhuc valere voluit hac in Synodo Leo nonus. Quomodo quiſpiam Gallicanus Epiſcopus, dum à Cardinali Hildebrando juſſus talem confeſſionem erubeſcit, deinceps Spiritum ſanctum nec nominare potuerit, ſuprà audivimus à ſancto Petro Damiani.

Et hinc omnes Epiſcopi præſenti Pontificis Edicto prompti obedierunt: Omnes profeſſi ſunt ſeſe innoxios, exceptis Remenſi, Lingonenſi, Nivernenſi, Conſtantienſi, & Namnetenſi. Prior inducias petiit. Aliorum, quod graviter eſſent accuſati, prolixior cauſa in aliam ſeſſionem eſt dilata. Hinc etiam Abbates ad ſimilem profeſſionem poſtulavit Petrus Cardinalis Diaconus: Et plures obedierunt. Omittere nolim humilem confeſſionem Hugonis Abbatis Cluniacenſis: *Pro adipiſcendo Abbatiæ honore nihil dedi vel promiſi, quod quidem caro voluit, ſed mens & ratio repugnavit.* Hic eſt magnus ille Hugo, multorum Scriptis meritò celebratus. Ejus enim diſciplina dedit nobis tres laudatiſſimos Romanæ Eccleſiæ Pontifices, Gregorium ſeptimum, Urbanum ſecundum, & ſecundum Paſchalem. *Quidam verò nihil reſpondentes reatum ſuum occulere, quàm patefacere maluerunt.* Eos inter fuit Arnoldus Abbas Pultarienſis, quem proindè Hugo Lingonenſis Epiſcopus de fœtore luxuriæ, de contumacia adverſus Romanam Eccleſiam, de inſordeſcentia in excommunicatione, ipſaque per Miſſæ celebrationem violata accuſavit & convicit, fecitque degradari.

Pergunt Acta Synodalia: *His ita definitis, edictum eſt ſub anathemate auctoritatis Apoſtolicæ, ut ſi quis aſſidentium quempiam univerſalis Eccleſiæ Primatem præter Romanæ Sedis Antiſtitem eſſe aſſereret, ibidem publica ſatiſfactione patefaceret. Cumq; ad hæc univerſi reticerent, lectis ſententiis ſuper hac re olim promulgatis ab Orthodoxis Patribus, declaratum eſt quod ſolus Romanæ Sedis Pontifex univerſalis Eccleſiæ Primas eſſet & Apoſtolicus.* A nullo per iſta tempora Gallo aut alio Latino homine lego Romanæ Eccleſiæ Primatum fuiſſe impetitum. Quare adducta verba reſpiciunt Græcos,
A. 1028. de quibus in ſua Hiſtoriali Epitome Syffridus Presbyter Miſnenſis: *Tempore Imperatoris Conrardi ſecundi, Eccleſia Orientalis receſſit ab obedientia Sedis Apoſtolicæ.* Et incogniti Auctoris Hiſtorica Compilatio: *Tempore hujus Imperatoris, qui vocabatur Conrardus Salicus, Orientalis Eccleſia in Aſia fortitudine Regnorum, diverſitate linguarum, multitudine Epiſcopatuum, grandi terrarum ſpatio magna valdè, receſſit ab obedientia Sedis Apoſtolicæ.*

Digitized by Google

*ſtolicæ. Aliter enim baptizant, generalia Concilia non frequentant, ſtatuta Romanorum Pontificum non recipiunt, de fermentato conficiunt, de pane azymo conficere nolunt, negant Spiritum ſanctum procedere à Filio ſicut à Patre, ab Eccleſiaſtica unitate ſciſſi ſunt, & ita in ſtatu damnatorum.* Photius ob invaſam ſedem Conſtantinopolitanam, & varia alia facinora, præſertim ob conflatum inter Latinam & Græcam Eccleſiam novum ac inauditum Schiſma, ab octava Synodo degradatus cum omnibus per ipſum conſecratis Epiſcopis & Clericis, ac per Joannem octavum Pontificem ex meliorum ſpe ad Baſilii Imperatoris preces diſpenſatoriè reſtitutus, nullo modo reſipuit, ſed laudatum Principem per magicas Theodori Santabareni artes adeò dementavit, ut proprium filium & hæredem Leonem conjecerit in carceres, & renovando Schiſmati dederit lamentanda fomenta. Hinc poſt defunctum Patrem Leo levatus in Regnum, mox ejecit Photium, deportatos per ipſum Epiſcopos revocavit, omne Imperium reddidit Romanæ Eccleſiæ, & fratrem ſuum Stephanum evexit in thronum Patriarchalem. Verùm quoniam hic à Photio fuerat conſecratus in Diaconum, ideoque ex octavæ Synodi Decretis perpetuo atque indiſpenſabiliter irregularis, Orthodoxi Epiſcopi ejus communionem ſunt averſati, ad quos proindè in Synodi octavæ Appendice fatur laudatus Imperator Leo: *Veſtram Pietatem rogo, ut cum fratre meo ſentiatis, & unum ovile fiat. Quod ſi abſque Romanæ Eccleſiæ auctoritate, quæ Photium anathemate damnavit, cum fratre meo, ut qui à Photio Diaconus ſit conſecratus, communicare recuſetis, agite, Romam ſcribamus, libellumq; ſupplicem ad Papam mittamus, ut anathematis cenſurâ abſolvat eos qui a Photio ſunt initiati.* Et Imperator omninò ſcripſit. Etiam Stylianus Mappa, Neocæſarieæ Metropolitanus, Euſebius Nazianzenus, Joannes Comanenſis, Joannes Leontopolitanus, aliique plures cum Clericis & Monachis Epiſcopi ſcripſerunt ad Stephanum ſextum, ſupplicantes ut longas Orientalis Eccleſiæ calamitates miſeratus, diſpenſatoriè dignaretur mitigare octavam Synodum, & omnes à Photio conſecratos Epiſcopos & Clericos, præſertim Stephanum Patriarcham ac germanum Principis fratrem, ad Ordinum ſuorum honorem & executionem habilitare. Verùm quod Princeps & Epiſcopi in quodam ſuarum precum articulo diſcordarent, per Legatos & novas litteras inſtrui Pontifex voluit, quæ miſſæ ipſum defunctum repererunt, ac Succeſſorem Formoſum, à quo reſponſum: *In eos, qui à Photio conſecrati ſunt, clementem ſententiam tulimus, ut datis libellis ſupplicibus fateantur ſe peccaſſe, veniam per pœnitentiam petant, polliceanturq; nihil ſe ampliùs hujuſmodi peccaturos. Ita enim illis ut Laïcis in Fidelium communionem receptis, offenſa*

 *omnia*

*omnis & ſcandalum tollatur.* Eos non in Epiſcopalem aut Clericalem gradum, ſed in Laïcam dumtaxat communionem recipit, aſſeverans aliud non pati octavam Synodum, & Decreta ſuorum Anteceſſorum. Interim uti in Patriarchali Throno, ita in Romanæ Eccleſiæ obedientia firmus permanſit Stephanus, itemque ejus Succeſſor Antonius Cauleas: Utique ſub ſpe obtinendæ tandem aliquando gratiæ & diſpenſationis. Hinc Joanni nono, qui poſt Bonifacium ſextum, Stephanum ſeptimum, Romanum & Theodorum Formoſo ſucceſſerat, iterum ſupplicavit Stylianus Mappa, non ſolùm pro Photii, ſed etiam pro Stephani & Antonii conſecrationibus, obtinuitque hoc reſponſum: *Volumus ut etiam nunc Decreta ſanctorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum inconcuſſa maneant. Quapropter Ignatium, Photium, Stephanum & Antonium, ſicut ſanctiſſimus Papa Nicolaus, Joannes octavus, ſextus Stephanus, & univerſa Romana Eccleſia huc uſque tenuit, etiam nos eodem ordine recipimus & tenemus, & illis, qui ſuperſunt ex eorum ordine, eodem pacto manus præbemus.* Nec Photium nec Stephanum defunctos, nec ſedentem tunc Antonium recipere voluit ut Patriarchas, ipſorum tamen conſecratos videtur gradui ſuo reddidiſſe. Et ſanè tandem plenè exſtinguendi Schiſmatis neceſſitas, variaque ratio ita ſuadebant & cogebant. Quidquid ſit, omnis tunc Orientalis Eccleſia deteſtabatur impium cum ſuis operibus Photium, & Apoſtolicum Romani Epiſcopi Thronum integrè venerabatur. Etiam Antonii Succeſſor Nicolaus Myſticus ſuas adverſus quartum Leonis Auguſti matrimonium quæſtiones permiſit appellari ad Benedictum quartum Pontificem, & adverſum ſe ab ipſo definiri. Omnes uſque ad Theophylactum, Romani Lacapeni Imperatoris filium, Patriarchæ & Pallium & confirmationem Roma acceperunt. Quod enim ipſe aſſumendi ſine Romani Pontificis interrogatione ac donatione Pallii auctoritatem pro ſe & ſuis Succeſſoribus emerit à Joanne undecimo Pontifice, affirmat & lamentatur in ſuæ ad Nicephorum Phocam Imperatorem Legationis deſcriptione Luitprandus Epiſcopus Cremonenſis. In puerili ætate contra Canones in Patriarchatum intruſus fuit Theophylactus, ideoque à ſua Synodo duras paſſus uſque ad excuſſionis periculum contradictiones, de quibus antiquus & manuſcriptus apud Leonem Allatium Chronographus: *Conſecratur Patriarcha Theophylactus. Cum Legati Pontificis Roma veniſſent, & tomum Synodicum apportaſſent, in quo de illius ordinatione præcipiebatur. Qui & illum in Patriarchali ſolio confirmarunt.* Quod ipſum confirmant Leo Grammaticus & Georgius Cedrenus. Nempè à Metropolitis & Epiſcopis Theophylacti electio fuerat Romam appellata, & adverſum ipſos judicavit Joannes Pontifex, puerumque Theophylactum

L. 2. c. 7.

ctum ob Auguſti Patris gratiam in tanta Cathedra confirmavit. Tanta tunc iſtic erat auctoritas Romani Pontificis.

Quis Conſtantinopolitanus Patriarcha Photianum ſchiſma denuo inſtaurarit, non plenè conſtat. Quidam adſcribunt Siſinnio, qui poſt Polyeuctum, Baſilium, Antonium Studitem, ac Nicolaum Chryſobergium, ſucceſſit Theophylacto. Ipſe enim Encyclicam, qua Romanam ac omnem Latinam Eccleſiam peſſimè damnavit Photius, Epiſtolam ſuo fertur inſigniviſſe præfixo nomine, & ita ad omnes Græcorum Eccleſias direxiſſe. Verùm quod iſtorum, quæ ad Photii cauſam ſpectarent, nihil ſub ipſo immutatum ſit, alii volunt eſſe viro inpactam calumniam. Fuiſſe virum probum & doctum, Græcorum ſcriptores paſſim teſtantur. Et nulla tunc nata fuit cauſa reſumendi ſchiſmatis. Hinc alii malum proceſſiſſe credunt à proximo ejus ſucceſſore Sergio ſecundo. Fuit enim is Photii cognatus. Ita ſcribit Nicetas Nicenus, addens cauſam à Formoſo Pontifice duxiſſe originem. Affirmat Formoſum, ejuſque ſucceſſores, Bonifacium ſextum, Stephanum ſeptimum, Romanum, Theodorum, Joannem nonum, Benedictum quartum, ac Leonem quintum, in ſuis, quibus Conſtantinopolitanos poſt Photium Patriarchas confirmabant, Synodicis litteris doloſè ſcripſiſſe Spiritum Sanctum, Filio omiſſo, ex Patre procedere, & in ſuis Romæ Eccleſiis cantaſſe, *Qui ex Patre filioq. procedit*, ideoque fuiſſe ſimulatores Hæreticos, ac tandem dicti Leonis ſucceſſorem Chriſtophorum, & hujus ſucceſſores, Sergium tertium, Anaſtaſium tertium, Landonem, Joannem decimum, alioſque uſque ad Sylveſtrum ſecundum etiam ſine ſimulatione ac fronte deviaſſe, utpote qui in ſuis Synodicis ſcribere palam cœperint Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio: Hinc à Sergio Patriarcha Chriſtophori nomen aſſerit raſum è ſacris tabulis, & interciſam Eccleſiarum communionem, eaque omnia à Michaële Cerulario fuiſſe poſtmodò confirmata & aucta. Quod ipſum aſſerunt auctor de Græcorum & Latinorum diſſidio, Joſephus Bryennius in oratione de ſancta Triade, ac in Græci & Latini de ſancti Spiritus proceſſione Dialogo Margunius, adjungens inter Joannis octavi & Formoſi Pontificatum decurriſſe octoginta annos.

Sed miſerè eſt lapſus. Etenim inter Joannis octavi mortem, & Formoſi promotionem interceſſerunt ſolum anni octo vel novem. Et quod ſub Formoſo Pontifice Romani in ſuis Eccleſiis cantarint, & quidem cum famoſo additamento, Symbolum, eſt lucida fabula: Quod cantum iſtum ad ſancti Henrici Imperatoris preces primus induxerit Benedictus octavus, multis refert in libello de quibuſdam ad Miſſam ſpectantibus Cap. 2.

Berno.

Cap. 2. Berno Abbas Augienſis. Et ipſe videtur additamentum necdum recepiſſe. Præterea Pſeudo-Pontifex Chriſtophorus Chriſti Domini anno nongenteſimo tertio Apoſtolicam Sedem & invaſit, & per degradationem amiſit clauſus in Monaſterio ad perpetuam pœnitentiam; Sergius verò ſecundus Patriarcha anno nongenteſimo nonageſimo nono fuit promotus, ideoque Chriſtophori nomen nequit è ſacris tabulis raſiſſe. Et in litteris ad Michaëlem Cerularium Patriarcham Conſtantinopolitanum ſcribit Petrus Patriarcha Antiochenus: *Praterea teſtis ipſe quoque ſum irrefragabilis, & alii mecum pleriq; ex Eccleſiaſticis Primatibus, ſub beatiſſimo Patriarcha Antiocheno, Domino Joanne, Romanum Pontificem, Joannem & ipſum nuncupatum, in ſacris Dypticbis commemorari. Et ante annos quadraginta quinq; Conſtantinopolim appellens ſub beata memoria Patriarcha Sergio, prædictum Papam Joannem inter ſacra Miſſarum ſolemnia cum aliis Patriarchis commemorari audivi. Quomodo verò poſteà ejuſdem commemoratio eraſa fuerit, & quam ob cauſam, ignoro.* Patriarcha Michaël Papalis nominis eraſionem ſcripſerat eſſe antiquiſſimam, utpote factam in ſexta, ubi Vigilius Pontifex tria Chalcedonenſis Concilii Capitula damnare noluit, Synodo: Ita homo imperitus ac improbus Schiſmatis iniquitatem ſperavit per vetuſtatem purgare. Hunc fœdum errorem, Patriarcham non auſus in faciem arguere, in ejus Chartophylacem, Patriarchales litteras ſcribere & ſignare conſuetum, refundit laudatus patriarcha Petrus, demonſtrans Papam Vigilium & trium Capitulorum quæſtionem non in ſexta, ſed in quinta fuiſſe Synodo, atque ita palmaria hujus Schiſmatis fundamenta infœliciter vacillare. Et revera lucidiſſimos olim Græcorum oculos Photianum Schiſma fecit, præſertim circa Romanæ & omnis Latinę Eccleſię res, adeò titubare & lippire, ut album eſſe nigrum, & nigrum dicant album, & quaſi Andabatæ in nos digladientur.

Quæ omnia in ſecunda partim Apologetica, partim contradictoria oratione poſtea confirmavit Joannes Veccus Patriarcha item Conſtantinopolitanus. Sergius ſecundus Patriarcha ſedit viginti annis, ideoque mortuus eſt Chriſti Domini anno decimo nono poſt milleſimum; At verò Petrus Antiochenus promotus fuit anno quinquageſimo tertio, & anno proximè ſequenti ſcripſit laudatam Epiſtolam, atque ita memorati ab ipſo quadraginta quinque anni exordium habent ab anno nono poſt milleſimum, decimo Sergii Patriarchæ, ſexto & ultimo Joannis Pontificis decimi noni. Et hujus à Domino Cardinali Baronio productum epitaphium habet cum cæteris hoc dyſtichon: *Nam Graios ſuperans, Eois partibus unam, ſchiſmata pellendo, reddidit Eccleſiam.* Inter ipſum ergo & Sergium Patriarcham fuerunt omninò quæſtiones, ſed catholicæ unitatis & frater-

Digitized by Google

fraternitatis pace ſervata ſopitæ. Etiam nullius Succeſſoris Papæ nomen Sergius videtur raſiſſe. Etiam de ejus proximo ſucceſſore Euſtatio, & Baſilio ſecundo Imperatore ſcribit Glaber Rudolphus: *Circa annum Domini milleſimum vigeſimum quartum Euſtatius Conſtantinopolitanus Præſul cum ſuo Principe Baſilio, aliiq; nonnulli Græcorum, conſilium iniere, quatenus cum conſenſu Romani Pontificis liceret Eccleſiam Conſtantinopolitanam in ſuo orbe, ſicut Roma in univerſo, univerſalem dici & haberi.* Auguſta auri & argenti munera Baſilius Imperator adjunxit. Plenam ergo tunc cum Romana Eccleſia communionem Græci omninò fovebant. Hinc item non vanè conjecturamus Stephanum Patriarcham ad univerſalis Epiſcopi titulum, quem Photius contumaciter reſumpſerat, deponendum fuiſſe à fratre ſuo Leone Auguſto compulſum, ejuſque ſucceſſores ad illum citra Sedis Apoſtolicæ veniam huc uſque non adſpiraſſe. Guilielmum ſancti Benigni Divionenſis Abbatem, quod Joanni vigeſimo Pontifici, Auguſtis Græcorum muneribus attendenti, meliora ſapere, & poſtulatum titulum denegare perſuaſerit, laudat memoratus Glaber Rudolphus. Sed neſcio an rectè. Titulum namque in poſtulato per Euſtatium Patriarcham ſenſu eſſe tolerabilem affirmat ac demonſtrat, admittique ſupplicat Anaſtaſius Bibliothecarius in ſeptimæ Synodi ad Joannem Octavum præfatione, atque ad continuandam Eccleſiarum concordiam omninò potuerat à Joanne vigeſimo diſpenſatoriè concedi. Planè enim exiſtimo harum precum refutationem fuiſſe unam ex cauſis reſumpti ſchiſmatis. Nec deſunt qui reſumptum putent ab iſto ipſo Patriarcha Euſtatio. Licet enim Cardinalis Baronius eum ad annum dumtaxat milleſimum vigeſimum quintum, & ad ſancti Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani Chronicon appendix ad annum dumtaxat milleſimum vigeſimum ſeptimum dicant vixiſſe, Onuphrius tamen Panuinus vitam ejus & Sedem uſque ad annum iſtius ſæculi trigeſimum tertium extendit. Et ita Siffridus Presbyter & Hiſtorica incogniti auctoris compilatio rectè dicent Græcos anno vigeſimo octavo in Romanam denuo Eccleſiam rebellaſſe. Et hinc in libris adverſum Græcos Emmanuel Calæcas, de veteris Romæ ſeparatione ab Eccleſia Græca auctor incognitus, & Leonis Allatii auctor manu ſcriptus de Epiſcoporum tranſlationibus, aſſerentes rebellionem iſtam à Michaële Cerulario fuiſſe primitùs reſumptam, quibuſdam videntur labi. Etenim Michaëlem, qui poſt Alexium Studitam ſucceſſit Euſtatio, Onufrius Panuinus dicti ſæculi quinquageſimo primo, Dominus autem Cardinalis Baronius promotum vult anno quadrageſimo tertio. Quidquid ſit, non poteſt ipſe anno vigeſimo octavo in Romanam Eccleſiam rebellaſſe. Et Lib. 4.

quomodo ad ipſum tantæ rebellionis auctorem ſcriberet Petrus Patriarcha Antiochenus: *Quomodo Papa commemoratio è medio ſublata ſit, & quanam de cauſa, ignoro?* Quomodo adjungeret: *De Papa commemoratione, quando & quare interciſa fuerit, cupio te diligentius indagare.* Quomodo eundem Petrum, itemque Alexandriæ & Hieroſolymæ Patriarchas de reſumpta Papæ commemoratione, uti de intruſa in Eccleſias novitate, ipſe novitatis introductor Michaël arguere potuiſſet? Quo circa rebellionem hanc aut Euſtatius cæpit, aut Patriarcha Alexius: Aut hic aut iſte, aut forſan uterque ſcribere ſe cæpit univerſalem abſolutè Epiſcopum, utique ob iſtum cum limitatione titulum à Joanne vigeſimo denegatum. Et adverſum iſta ſchiſmatis exordia, poſtea per Michaëlem Cerularium magno cum fænore aucta, Gallicanos Epiſcopos hic conſulit, & ad præbenda ſibi adjutoria animat Leo nonus, Nicolaum primum & Formoſum Pontificem imitatus, qui adverſum Photii nugas, earumque reliquias à Gallicanis etiam Epiſcopis & Monachis iſtud ipſum auxilium petierunt ac impetrarunt. Ratramni enim Corbeienſis apud Ambianos Monachi, ac Æneæ Pariſienſis Epiſcopi erudita adverſus Photium ſcripta nuper publicavit Lucas Dacherius. Solam de univerſalis Epiſcopi titulo audaciam hic diſcutit ac damnat Leo Pontifex, alias Michaëlis Patriarchæ præſumptiones ſuo tempore & loco diſcutiemus.

## SESSIO SECUNDA.

Secunda Seſſio facta eſt die ſequenti, diſcuſſitque cauſam Guidonis Archiëpiſcopi Remenſis, qui de Simonia & aliis criminibus heri accuſatus poſtularat reſpondendi inducias. Eum ab ipſo priùs Pontifice in ſecreto confeſſionis & conſcientiæ foro diſcuſſum, Petrus Cardinalis Diaconus Synodaliter urſit ad ſatisfaciendum accuſatoriis libellis, atque ita ille ſurgens, ut ſibi conſiliandi facultas concederetur, expetiit. Qua impetrata, Veſontionenſem, Sueſſionenſem, Andegavenſem, Sylvanectenſem, ac Morinenſem Epiſcopos convocans, cum ipſis habuit myſterium conſilii ſui, indeque reverſus, perorandæ ſuæ cauſæ facultatem à Domino Papa obtinuit. Surgens autem Sylvanectenſis Epiſcopus reſpondit *Archiëpiſcopum non eſſe reum Simoniacæ Hæreſis.* Verùm hac Apologia non contentus Pontifex per ipſum Guidonem addi voluit ſolemnia & corporalia Sacramenta, quibus olim in ſimili cauſa Maximus Salonitanus in Dalmatia Archiëpiſcopus ſeſe Ravennæ coram ſancti Gregorii Magni Legatis expurgarat. Ea Guido addixit, ſed denuo inducias petiit,

Digitized by Google

petiit, à rea palam conſcientia circumcinctus. Eas interim Pontifex indulſit, mandans ut ſuæ Romanæ, ad proximi Aprilis medium celebrandæ, Synodo adeſſet, atque iſtic ſe plenè emundaret. Et haud dubiè Guido Romæ comparuit: Quid autem illic ab ipſo vel de ipſo actum ſit, ignoramus. Rediit reſtitutus in integrum, & Remenſem Eccleſiam uſque ad currentis tunc ſæculi annum quinquageſimum quintum, mortuus menſe Martio, adminiſtravit. Erat Gervaſii Remenſis Vice-domini, & Milonis Caſtellionenſis Domini germanus frater, ideoque crediderim Leonem Pontificem diſpenſatoria in ipſum gratia fuiſſe uſum.

Ex inde *ſuper Abbatia Dervenſi Dominus Papa conqueſtus eſt, quæ à Tullenſi fuerat ſubtracta Epiſcopo, & hanc ad ipſius pertinere Eccleſiæ poſſeſſionem, per privilegiorum, quæ inde habebat, demonſtravit recitationem. E contra Remenſis Archiepiſcopus Abbatiam reſpondit ſui potius juris eſſe, & hoc antiquioribus privilegiis Eccleſiæ ſuæ ſe teſtificari valere. Papa verò, quia in præſenti non erant eadem ſcripta, ex quorum lectione valeret hac controverſia definiri, juſſit ea interim in Archivis Remenſis Eccleſiæ perquiſita in craſtino in medium adferri.* Deruenſe Monaſterium eſt antiquiſſimum, à ſancto Bercario, qui ad ſeptimi ſæculi medium floruit, Altivillarienſis in Remenſi Parochia Cœnobii fundatore ac primo Abbate, ſanctiſſimoque item Martyre, ſub Childerico Francorum Rege erectum ad titulum ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum ſub Regula ſanctorum Benedicti & Columbani. Deficiente diſciplinâ; regularibus Clericis fuit poſteà traditum, & ad Hautonis Abbatis preces denuo ereptum, & per Imperatorem Ludovicum Pium repoſita Monaſtica diſciplina. Eſt Diœceſis Catalaunenſis. Et hinc oritur quæſtio, quomodo ipſum ad Tullenſem, cujus nuper fuerat Antiſtes, Leo Pontifex, Guido autem Archiepiſcopus dixerit ad ſuam Remenſem Eccleſiam pertinere? Reſpondeo quædam olim Monaſteria, imò & Cathedrales Eccleſias ſpectaſſe ad allodium & proprietatem aliorum Monaſteriorum aut Eccleſiarum. Etenim quod hic ipſe Leo Pontifex in proprio fundo, ac ex propria hæreditate fundatum ſanctæ Crucis Monaſterium Romanæ, cui præſidebat, Eccleſiæ in proprium jus donaverit, affirmat Gregorius ſeptimus in litteris ad Warnerium Argentinenſem & Burchardum Epiſcopum Baſileenſem. Suum item Monaſterium ex fundatoris dono ad Romanæ Eccleſiæ allodium ſpectare, frequenter ſcribit & gloriatur Goffredus Abbas Vindocinenſis. Et de Drogone Metenſi Epiſcopo, quod in ſuo Epiſcopatu quaſdam poſſideret & regeret Abbatias, graviter olim queſtus eſt, & uti abuſum Canonibus adverſum corrigi poſtulavit Frotarius Epiſcopus

Lib. 2. Epiſt. 14.

Epiſt. 10. pus Tullenſis. Errat eſſe contra Canones. Quod enim primævus Patrum Canon Monaſteriis eligendi, cui ſubſint, Epiſcopi libertatem permiſerit, inſigniter patet ex Africana Bonifacii Carthaginenſis Archiëpiſcopi Synodo, quam ab illuſtriſſimo Luca Holſtenio ex Vaticana Bibliotheca deſcriptam publicavit Lucas Dacherius. Ex hac ergo, latius per opportunitatem exponenda, libertate proceſſit præſens quæſtio, an Deruenſe Monaſterium ſpectaret ad proprietatem, adeoque & ad curam Tullenſis Eccleſiæ, an Remenſis.

Exinde *Turonenſis Eccleſiæ Clerici per Lugdunenſem Archiëpiſcopum querelam intulerunt ſuper Dolenſi Epiſcopo Britanniæ, qui ſecum ſeptem Suffraganeis à Turonenſi Archiëpiſcopo ſubtraxerat, ſibiq; Archipræſulis nomen contra fas vindicarat.* Difficilis quæſtionis exordium exponit Rogerus Hovedenſis: Fol. 798. *Eſt ſciendum, quod poſtquam beatus Dubritius, urbis Legionum Archiëpiſcopus, eremum eligens, beato David ſuæ dignitatis ceſſit honorem, beatus David ex tunc ſedem Archiëpiſcopalem uſque Meneviam tranſtulit, & ibidem Archiëpiſcopus factus eſt, & poſt illum viginti quatuor ibidem Pallio uſi ſunt, & plena Metropolitica dignitate, quorum ultimus fuit ſanctus Sampſon, qui propter ictericiam paſſionem, qua peſte catervatim homines in Wallia tunc temporis occubuerunt, navigio in Armoricam Britanniam tranſiens, in Eccleſia Dolenſi, tunc fortè vacante, Præfectus eſt, & Pallio ſancti David, quod ſecum aſportaverat, ibidem uſus. Qua occaſione Dolenſis illa Eccleſia continuè Turonenſi Eccleſiæ, Pallium affectando, rebellis extitit. Menevenſis autem Eccleſia eadem occaſione vel propter ignaviam, vel paupertatem Pallio ſemper hactenus caruit. Omnes tamen Epiſcopi Menevenſis Eccleſiæ, ſcilicet novemdecim Epiſcopi à deceſſu Sampſonis, uſque ad tempus Henrici Regis Angliæ primi, omni dignitate Archiëpiſcopali uſi ſunt, excepto Pallio, & habuerunt Suffraganeos ſeptem, ſcilicet Landavenſem, & de ſancto Paterno in Kerdikam, quæ ſedes, quia Parochiani ſuum Paſtorem interfecerunt, olim obſolevit, & Menevenſi Diœceſi eſt adunata. Et Pangorenſem, & de ſancto Aſaph, Ceſtrenſem, Herefordenſem, & Vigornenſem.* Lucius Britannorum Rex ſub ſancti Eleutheri Papatu factus Chriſtianus, gentilium Druidas, Bardos, Flamines & Archiflamines ejecit ex Inſula, ſinguloſque Metropolitas impoſuit ſingulis Romanarum Provinciarum Metropolibus, quarum una in Cambria ſeu Wallia fuit urbs Legionum, ſeu civitas Caſtrenſis, ita dicta quod Romanæ Legiones illic ex more hiemarent. Poſteà dicta fuit etiam Carleopolis. Ita fuit uſque ad illud Chriſti Domini ſæculum, in quo David, ex ſanctiſſimo Monacho ſanctior Archiëpiſcopus, à fratrum ſuorum conſortio & diſciplina ſeparari nolens, ſedem Metropoliticam poſuit in ſuo Monaſterio,

Digitized by Google

rio, atque ita peperit Archiëpiſcopatum Menevenſem. Eadem Monachorum Eccleſia, quæ ſemper ſanctum Andream Apoſtolum habuerat, laudatum David, miraculis clariſſimum, poſteà accepit Patronum, atque ita Menevenſis Archiëpiſcopus dici cœpit etiam ſancti David. Inter hunc & ſanctum Sampſonem mediarunt viginti duo Epiſcopi, quorum nomina exprimit Nicolaus Harpsfeldius Archidiaconus Cantuarienſis. Sampſonem non peſtilentiæ, ſed Anglicæ Barbariei fugiendæ cauſa fugiſſe ad Armoricos, ſcribit Matthæus Pariſienſis; & adjungit: *Quo cum perveniſſet, & à ſuis Concivibus honorificè ſuſceptus eſſet, ad Dolenſis Eccleſiæ Præſulatum, quæ nuper fuerat Paſtore viduata, Epiſcopus electus eſt. In illa autem Eccleſia, quo advixit, Pallio, quod ab Eboracenſi Monaſterio detulerat, uſus eſt; & Succeſſores ejus multi poſt eum. Deinde verò Reges illius Provinciæ, cum in Regno ſuo proprio Archiëpiſcopum haberent, non permiſerunt Epiſcopos ſuos, qui antea ſemper Suffraganei fuerant Turonenſis Eccleſiæ, præfato Turonenſi Archiëpiſcopo debitam impendere obedientiam, ſtatuentes ut deinceps minoris Britanniæ Præſules alium Metropolitanum quam Dolenſem Archiëpiſcopum non haberent.* Et majoris & minoris Britanniæ homines erant tunc ejuſdem gentis & linguæ; ideoque laudatus Matthæus ait Sampſonem fuiſſe à Concivibus honorificè ſuſceptum. Eum non ſolum, ſed cum ſeptem ſuis Suffraganeis, idque Chriſti Domini anno ſexageſimo ſexto poſt quingenteſimum tranſiiſſe, ſcribit Sigebertus Monachus Gemblacenſis. Et hæc eſt forſan cauſa, ex qua ſeptem etiam Suffraganeos Turonenſi Eccleſiæ ſubtraxerit Epiſcopus Dolenſis. Subtraxit ſolos quatuor, nempe Venetenſem, Aletenſem, Carioſopitenſem, & Oſſimenſem, verum quos Nomenoius Britanniæ Dux poſteà diviſit in ſeptem. Rei ſeriem habes apud Jacobum Sirmondum in Analectis ad capitula Caroli Calvi Regis Francorum. Matthæus Pariſienſis & Sigebertus Gemblacenſis errant Sampſonem fuiſſe Eboracenſem Archiëpiſcopum: Certum eſt fuiſſe Menevenſem. Ejus adventum & natam indè dignitatem tanti æſtimarunt Britones, ut Cathedralem Dolenſium Baſilicam poſteà titularint ſancti Sampſonis.

Lib. 1. Cap. 17.

A. 1199.

Verùm tantam Turonenſis Eccleſiæ injuriam peſſimè ſemper tulerunt, & reparare conati ſunt Epiſcopi Gallicani. Etenim ſecunda Turonenſis Synodus ſtatuit: *Ne quis Britannum aut Romanum in Armorico ſine Metropolitani aut Comprovincialium voluntate vel litteris ordinare Epiſcopum præſumat.* Aliud attentantes ſua uſque ad majorem Synodum communione privat, & fraterna charitate. Chriſti Domini anno poſt quingenteſimum ſexageſimo ſeptimo, primo poſt Sampſonis & Collegarum adventum, celebrata eſt iſta Synodus, atque ita lucet ipſum ſtatim à ſuo

Cap 9.

 in

in Armoricum ingreſſu Metropoliticum illic jus attentaſſe. Etiam lucet adventaſſe eum cum Suffraganeis: Etenim Romani Turonicæ Eccleſiæ Suffraganei ſine Metropolitæ ſui venia aſſiſtere ejus conſecrationibus noluiſſent. Ab hiſce potiſſimum prodiit præſens Canon. Et ad Salomonem Britanniæ Principem ſcribit Nicolaus primus Pontifex: *Hæc ſunt præcepta Dei Patris tui, & hæc eſt lex Eccleſiæ Matris tuæ, ut omnes Regni tui Epiſcopos ad Turonenſem Archiepiſcopum mittere non detractes, ejuſq; judicium poſtulare non dedigneris. Ipſe enim eſt Metropolitanus, omneſq; Epiſcopi Regni tui ſunt ejus Suffraganei, ſicut conſcriptiones Prædeceſſorum meorum evidenter oſtendunt, qui Prædeceſſores tuos, quia illos ab ipſius cura ſubtraxerant, forti invectione corripere ſtuduerunt. Quamvis nec noſtra ſcripta ſuper hac re miſſa deeſſe videantur.* Poſtquam ſanctus Apoſtolus noſter Bonifacius in avitam Hierarchiam ac diſciplinam reparavit Gallicanam Eccleſiam, ejuſque ſanctiſſimas conſtitutiones plenè executi ſunt Imperatores, Carolus Magnus & Ludovicus Pius, etiam Turonenſem Metropolim reſtaurare conati ſingulariter fuerunt Gallicani Epiſcopi: Præſertim ubi Nomenoius Britonum Tyrannus ſemetipſum ex Duce aut Comite curavit ungi in Regem, & Metropolitanam ſeptem Eccleſiarum Cathedram firmavit in Monaſterio Oppidi Dolenſis. Etenim Matthæus Pariſienſis, Rogerus Hovedenſis, & Nicolaus Harpsfeldius, qui Dolenſem Epiſcopatum ſancto Sampſone exiſtimant vetuſtiorem, manifeſtè falluntur. Nequaquam in Dolenſis Eccleſiæ Epiſcopum, ſed in iſtius Cœnobii Abbatem electus fuit Sampſon, cæpitque iſtic Anglicano more, ubi Cathedrales Eccleſiæ paſſim ſunt Monachales, non ſolum Abbatem, ſed & Epiſcopum agere, & quidem Metropolitam.

Notanda ſunt verba Synodalis Epiſtolæ, quam ad laudatum Nicolaum Pontificem ſcripſit tertium Concilium Sueſſionenſe: *Veſtram non latere Beatitudinis Excellentiam novimus, Diœceſim Turonicam auſteritate Britonum omninò à ſua Metropoli divulſam, penituſq; diſciſſam, ità ut jam vicenus adſit annus, quo Tyrannica feritate reſumpta, nec Comprovincialia cum Turonico Metropolitano celebrent Concilia, nec in Epiſcoporum conſecrationibus ad eundem quidquam reſpiciant, illi quoque ſedi nullo pacto ſe ſubdant.* Celebrata eſt hæc Synodus noni ſæculi anno ſexageſimo ſexto, ideoque palam ſcribit in Nomenoium, qui circa ejuſdem ſæculi annum quadrageſimum ſextum jam memoratas inſolentias attentarat. Hinc ejus audaciam Leo ſtatim quartus, anno iſtius ſæculi quadrageſimo ſeptimo promotus Papa, ejuſque ſucceſſor Benedictus tertius, ad Gallicanorum Epiſcoporum preces, compeſcuerunt. Hi ſunt Prædeceſſores à Nicolao primo laudati. Eoſdem Pontifices, ipſorumque de eodem articulo ad Nomenoium Du-
cem

Digitized by Google

item ſcripta laudat Tullenſis apud Saponarias Synodus, addens ab illis omnes Apoſtolicæ auctoritati refragantes fuiſſe excommunicatos. Et hinc notanda ſuaſi hæc tertiæ Sueſſionenſis Synodi verba: *Jam vicenus adſit annus.* Item hæc: *Tyrannica feritate reſumpta.* Evincunt beatum Sampſonem ſecundę Turonenſis Synodi Decreto acquieviſſe, iſtamque requiem uſque ad Nomenoium Ducem perſeveraſſe. At verò neque Nomenoius Leoni quarto aut Benedicto tertio, neque ejus filius Salomon Nicolao primo obedierunt. Erant enim barbari & ſemi-Chriſtiani. Et hinc de ſancto Actardo Namnetenſi Epiſcopo, ſuo & Tricaſſinæ Synodi Legato, ad Adrianum ſecundum Pontificem ſcripſit Francorum Rex Carolus Calvus: *Romæ deſtinavit aliquas facere moras, ut adventantibus Britonibus poſſit coram poſitus eos convincens, ſua Eccleſiarumque vicinarum ab eis perpetrata pandere detrimenta.* Nempe Britonum Epiſcopos, quod & anteà Nicolaus primus fecerat, Romam ad reddendas ſuarum præſumptionum rationes Adrianus evocarat. Et rei ſucceſſum reſcribit ad Herardum Archiëpiſcopum Turonenſem: *De his, quæ de Eccleſia tua vel Diœceſios privilegiis venerabilis Actardus præcipuè ſuggeſſit, Salomoni Duci & Britannorum Populo ſufficienter deſcripſimus, quod etiam in exemplari, quod ſecum idem Antiſtes deferet, Experientia tua quibit agnoſcere.* Addit ipſos Romæ necdum comparuiſſe, eorumque iniquas præſumptiones ſpondet non probandas. In aliis ad laudatum Regem litteris ſancti Martini Metropolim, utpotè Lugdunenſis Galliæ ſecundam vel tertiam, ſcribit ab antiquo ſemper fuiſſe honorabilem, ideoque hortatur ut ipſam non permittat decolorari. Regii, quod non ſolius ſuę Turonenſis Provincię truncationem, ſed & Regiam Nomenoii unctionem ſemper fuerat averſatum, brachii auxilium adverſus Britonum contumaciam implorat. Epiſt. 5.

Eandem quęſtionem coram Joanne VIII. Pontifice, ejuſque Trecenſi Synodo movit Adalardus Turonenſis Archiëpiſcopus, obtinuitque Apoſtolicas litteras, quibus Mahen Dolenſis, & ejus in Britannia Ep. 46. Coëpiſcopi ad plenam ejus obedientiam ſunt ſub excommunicationis pœna juſſi redire. Quod ipſum mandatum ad Arduini Turonenſis Archiëpiſcopi preces innovavit Joannes decimus tertius, Romam evocans omnes iſtos Epiſcopos ſub pœna ſuſpenſionis, & de ipſorum Duce ac aliis Proceribus adjungens: *Si contra juſtitiam inobedientes fuerint huic noſtræ juſſioni*, ſeu hanc Romanam evocationem impedierint, *& contrarii ſeu rebelles exſtiterint fratri noſtro Turonenſi Epiſcopo, ſint & excommunicati & noſtrâ Apoſtolicâ benedictione privati.* Verùm homines barbari neque tunc obedierunt. Hinc Leonem nonum in hac rurſum Synodo Clerici Turonenſes interpellarunt. Dolenſi Eccleſię pręſidebat tunc Johovæus, homo

Digitized by Google

mo variè criminoſus: Hincillum, Anteceſſores ſuos imitatus, Romam evocavit Pontifex ad proximam ſuam Synodum; *Ut ibi rationis hujus agitaretur judicium.* Ex quibus omnibus interim lucet Novellum Gallicanę Eccleſiæ Martyrologium in hiſce verbis multum falli: *Sampſon divino judicio atque indicio declaratus Antiſtes primus Dolenſis, & cum Metropolitani dignitate, à Comprovincialibus Armoricæ Epiſcopis conſecratus eſt. Atque à Pelagio Pontifice, pro meritorum præſtantia, Pallium recepit.* Quomodo enim Pelagii judicium Turonica Synodus exeſſlaſſet? Quomodo Britonum Epiſcopi & Duces ad ipſum numquam provocaſſent? Et ſub Pelagii Pontificatu nullus in Gallia Metropolitanus habebat Pallium, niſi ſolùs ob Apoſtolicas vices Arelatenſis.

Poſt hæc Hugonem Lingonenſem Epiſcopum, de invaſo per Simoniam Epiſcopatu, de venditis ſacris Ordinibus, de patratis in bello homicidiis, de exercita in Clerum tyrannide, de adulterio & peccato Sodomitico accuſatum, Petrus Cardinalis Diaconus evocavit ad judicium, & ſingulorum teſtes produxit. Hinc cum Hugone Veſontionenſi, & Halinardo Lugdunenſi Archiëpiſcopo cauſæ ſuæ myſterium Hugo contulit, iſtumque induxit ad ſibi Synodali peroratione patrocinandum. Eloquio & multa virtute clarebat Hugo Veſontionenſis, ſed malæ cauſæ malum eſt patrocinium: Hinc in media Apologia à Deo turbatus obmutuit, ideoque ſolemnem confuſionem fucare ſtudens, tranſtulit patrocinandi vices in Collegam Lugdunenſem. Hujus Suffraganeus erat Lingonenſis Epiſcopus, proindeque officium denegare ille non valens, Hugonis crimina tegere conatus eſt, verùm venditos ab illo ſacros Ordines nullo orationis pigmento potuit incruſtare. Et hinc ſecundum in ejuſmodi nundinatores Chalcedonenſem Canonem recitari juſſit Leo Pontifex, poſtero die juxta illum de Hugone judicaturus. Ita ſeſſio eſt ſoluta. Quæ omnia cum rea ſua conſcientia conferens, & graviora ſibi metuens Hugo, à Remenſi civitate clanculò aufugit.

## SESSIO TERTIA.

Die proximo ſequente celebrata eſt tertia Seſſio, in qua per Petrum Cardinalem Diaconum tertio proclamatus ad dicendam cauſam Hugo Lingonenſis non comparuit, ideoque ad ejus ædes directi ſunt Frotlandus Sylvanectenſis, & Euſebius Andegavenſis Epiſcopus, ipſum ad Synodale judicium deducturi. Quod dum fit, Epiſcopos qui ſe legitimè citra Simoniam promotos necdum oſtenderant, proclamavit Petrus Cardinalis, & primo Hugonem Nivernenſem, de quo Acta Synodalia: *Niver-*

*Nivernenſis Epiſcopus ſurgens, pro Epiſcopio plurimum pecuniæ confeſſus eſt à parentibus datum fuiſſe, ſe tamen ignorante, eoq; adepto nonnulla Eccleſiaſtica Religioni contraria commiſiſſe, unde ſe aſſerebat Divinæ ultionis vindictam pertimeſcere, ideoq; ſi Domino Papæ & præſenti conventui videretur, idem officium velle potius dimittere, quam in ejus retentione animam ſuam peſſumdare. Quæ ubi dixit, Paſtorale pedum ante pedes ipſius Apoſtolici poſuit.* Ex quo vides commiſſam à parentibus Simoniam ignorantibus etiam filiis nocere plurimum, & ad taliter accepti ordinis aut beneficii depoſitionem obligare. Pluribus hoc oſtendendum eſt ad Synodos Urbani ſecundi. Pergunt acta Synodalia: *Apoſtolicus tanti viri flexus devotione, favente Synodo, eundem, quod abſq; ſuo conſenſu pecunia data fuerit, Sacramento comprobare fecit, ſicq; illi per aliud pedum miniſterium Epiſcopale reddidit.* Hugo erat reverà vir magnus: Variis in Synodis, etiam in Vercellenſi adverſus Berengarium Hæreticum, ſtrenuè ſe geſſit. Porrò per ipſum ſuæ Eccleſiæ pedum ſolebant olim inveſtiri Antiſtites. Hinc enim uti rem ſingularem, quod Wigbertum Electum Merſeburgenſem per Magdeburgenſis Eccleſiæ baculum inveſtiverit ſanctus Imperator Henricus, ſcribit Ditmarus Wigberti ſucceſſor. Nempe Merſeburgenſem Epiſ- Lib. 6. copatum Magdeburgenſis Eccleſia tunc abſorbuerat, & ejus reſtaurationem jam fieri facto iſto Princeps ſignificavit. Etiam ſingulare fuit, quod Taginonem Electum Magdeburgenſem inveſtierit per baculum Arnulphi Epiſcopi Halberſtadienſis. Leproſa Simoniaci Regis manus Paſtorali Nivernenſis Eccleſiæ baculo ſuam ſcabiem quaſi adfricuerat: Hinc Hugonem Epiſcopum per aliud de Epiſcopatu Leo Pontifex reveſtivit.

Exindè *allatum eſt coram privilegium Remenſis Eccleſiæ de Abbatia Dervenſi, ex cujus lectione comprobatum eſt eam pertinere ad jus Remenſis Archiepiſcopi.* Nempe ſanctus Bercharius hocce Monaſterium ſanxerat eſſe ejuſdem moris & legis cum altero ſuæ item fundationis Altivillarienſi, de quo in Remenſis Eccleſiæ Hiſtoria Flodoardus: *Sanctus Rivardus, Remenſis Archiepiſcopus, poſcente Abbate Berchario, privilegium contulit iſti Monaſterio, ut ipſe illud in ſui juris dominatione, dum adviveret, conſervaret, & ut poſt ſuum deceſſum Remenſis Epiſcopus ipſum gubernet, & ejus* Lib. 2. cap. 7. *Monachos contra omnes defendat.* Vetus Dervenſium Abbatum Catalogus aſſerit hujus Monaſterii Baſilicam à Pardulo Remenſis Eccleſiæ Vice-Domino ſeu Oeconomo, Laudunenſi poſteà Epiſcopo, fuiſſe reſtauratam ac multis impartitam muneribus: Quod nempe Remenſis Eccleſia eſſet ejus domina & protectrix. Cur autem ſanctus Bercharius dicatur Martyr, edicit in Hiſtoriali ſpeculo Vincentius Epiſcopus Belluacenſis, affirmans illum à neſcio quo profano Daguino, quem de ſacro Fonte ſuſce-



Digitized by Google

perat & Monachum fecerat, in paternæ correptionis mercedem fuiſſe percuſſum ferro & occiſum. Quam mortem quia ſibi eſſe pretioſam demonſtravit vario miraculo Divina Majeſtas, Martyrum numero Romana in ſuis Sanctorum tabulis Eccleſia Bercharium adſcripſit. Et ob iſtam cædem exiſtimo Cœnobium à Monachis ad Clericos pro tempore tranſiiſſe. A vita enim Eccleſiæ lex ob trucidatum etiam ab uno ſolo nebulone Antiſtitem civitatis Jure & Pontificali Cathedra exuere populum, Monaſterium ad meliores alterius profeſſionis homines conſuevit transferre. Ob unum non ità pridem nebulonem, qui in ſanctum Carolum Borromæum, Cardinalem Protectorem, laxarat ſclopum, exſtinctus fuit, quem Jacobus de Vitriaco laudat plurimum, totus ordo Fratrum Humiliatorum.

Redeunt interea Sylvanectenſis & Andegavenſis Epiſcopi, referuntque Hugonem Lingonenſem, dum criminum ſuorum diſcuſſionem & conſcientiam timuit, aufugiſſe. *Tunc ex ipſius Papæ præſcripto lectæ ſunt ſententiæ ſuper hujuſmodi re promulgatæ ab orthodoxis Patribus, ſicq; ab univerſi Concilii judicio excommunicationis & degradationis eſt pœnâ damnatus.* Etiam à propriis Advocatis Hugone Veſontionenſi & Halinardo Metropolita Lugdunenſi. Et quidem Hugo tunc palam confeſſus eſt ſeſe, dum cæptam heri Apologiam in Halinardum tranſtulit, à Divina vindicta fuiſſe compulſum ad ſilentium, ſuamque à præſentibus ſancti Remigii Reliquiis linguam alligatam. Et de celato huc uſque miraculo veniam ſupplicavit. Ad quæ compunctus in lacrymas Leo Pontifex: *Adhuc vivit beatus Remigius.* Nempe qui adhuc mortalis blaſphemum diſputatorem Arianum obmutire juſſerat, Chriſto Domino ſociatus eadem pœna percuſſit iniquæ cauſæ defenſorem.

Cauſæ hujus ſucceſſum habemus in Chronico ſancti Benigni Divionenſis: *Robertus Francorum Rex in Lamberti Lingonenſis Epiſcopi defuncti locum ſubſtituit Richardum, Clericum litteris optimè eruditum, & bonis moribus ornatum, tamen contra voluntatem totius Cleri & Populi. Quapropter poſt quinq; menſes adepti Epiſcopatus, captus, ac pulſus civitate, non multis poſt diebus veneno vitam finivit. Rex autem conſiliis Reginæ ad iram animatus, iterum dedit Epiſcopatum cuidam Clerico Carnutenſis Eccleſiæ. Hugo hic erat dictus, fuiſſetq; utile vas in domo Dei, ſi juvenilia deſideria evitare, & ſuperbiam calcare curaſſet. Sed is adjecta crudelitate, eundo per fas & nefas, ad ultimum poſtquam decem & octo per annos Lingonicum tribulavit Clerum & populum, pulſus à ſede eſt judicio Domini Leonis noni Papæ in Concilio habito Remis.* Hugo igitur Simoniaca Regis nominatione fuerat intruſus in Epiſcopatum, cæterorumque à Petro Cardinali memoratorum

A. 1031.

crimi-

criminum omninò reus. Pergit laudatum Chronicon: *Leo Papa*, Re-
mis in Italiam regreſſus, *habuit Concilium in urbe Roma, in quo ad-* A.1046.
*fuit Halinardus Lugdunenſis Archiepiſcopus, indeq́ iterum Galliam*
*properanti comes individuus exſtitit. Veniens verò ad civitatem Lingonas*
*ordinavit ibi in præſentia Papæ Dominum Arduinum pro Hugone, qui fue-*
*rat ejectus.* Et Halinardus & Dominus Papa erant Monachi Benedictini,
ideoque hic illum apud ſe continuò detinuit, præſertim poſt Petri Car-
dinalis mortem, de qua Chronicon ſancti Petri vivi: *Papa Leo venit*
*Lingonas civitatem, ubi ordinavit Frotmondum Trecorum Pontificem, ibi-*
*que obiit Petrus Diaconus ejus, ſepultuſq́ eſt in Capitulo ſancti Mammetis.*
Factum id eſt in reditu ex Remenſi Synodo ad urbem. Proſequitur ſan-
cti Benigni Chronicon: *Dominus Apoſtolicus, è Calabria regreſſus, quo-*
*niam ad colloquium Imperatoris, qui tum fortè erat in finibus Hungariæ, pro-*
*perabat, juſſit Halinardum Romæ reſidere, donec ipſe rediret. Erat in ejus*
*comitatu dictus Lingonenſis Epiſcopus Hugo. Is pœnitens eorum, quæ haud*
*cæcus egerat, Dominum expetiit Papam, ut de commiſſis modum pœnitentiæ*
*& abſolutionem delictorum imploraret. Ipſe verò Apoſtolicus, ſicut erat miſe-*
*ricors & benignus animo, ut vidit eum verè pœnitentem & afflictum, condo-*
*lens ei ſtatim indulſit, dicens ad pœnitentiam ſufficere ea quæ paſſus fuerat.*
*Abeuntem quoque poſt abſolutionem delictorum muneravit ampliſſimè, dans*
*inſuper licentiam recipiendi Epiſcopatus.* Ejuſdem Hugonis meminit in
Virdunenſi Chronico Hugo Abbas Flaviniacenſis: *Hugo Gilduini,*
*Britilii in Belluacenſi agro Comitis, filius erat, qui poſteà à Leone nono in Re-*
*menſi Concilio eſt depoſitus. Frater fuit Valeramni, qui in bello apud Bar ca-*
*ſtrum in geniculo vulneratus, poſteà Monachus fuit in Monaſterio ſancti Vi-*
*toni, & Abbas poſt Richardum.* Et hinc à Leone Pontifice abſolutus, &
in integrum reſtitutus Hugo deinceps non cogitavit de Epiſcopatu, ſed
Virdunum ad Fratrem Valeramnum abiit, ſub ipſo Abbate profeſſus eſt
Monachum, contra Berengarium edidit inſigne opuſculum, jejuniis &
aliis vitæ Monaſticæ auſteritatibus diluit peccata ſua, & tandem ſeptima
die Februarii abiit ad Chriſtum Dominum, publicis Sanctorum tabulis
apud quaſdam Eccleſias adſcriptus.

Exindè Joſfridus, Conſtantienſis in Normandia Epiſcopus, *confeſ-*
*ſus eſt, ſe ignorante, à quodam fratre ſuo emptum ſibi fuiſſe Epiſcopatum,*
*quod cum reſciſſet, ne contra fas ordinationem illam ſuſciperet, voluiſſe au-*
*fugere, ſed ab eodem violenter captum, Epiſcopali contra ſuam voluntatem*
*dignitate eſſe donatum. Quod Sacramento comprobare juſſus, nec renuens,*
*ſic judicatus eſt Simoniacæ Hæreſis non incurriſſe facinus.* Commiſſa enim per
Conſanguineos Simonia, licet ignorantem ac diſſimulantem gravet, ne-

quaquam tamen gravare poſſit invitum ac viriliter repugnantem. Josfridum hunc malè omittunt, & cum Gaufredo confundunt in Conſtantienſium Epiſcoporum Catalogo fratres Sammartani.

Poſt hæc Pudicus Namnetenſis Epiſcopus *Confeſſus eſt genitorem ſuum fuiſſe Epiſcopum civitatis, & in ejus vita donum Epiſcopii ſe percepiſſe, illoq; mortuo ſubrogatum per largitionem pecuniæ. Quapropter judicio Synodi, ſublato annulo & Paſtorali Pedo, privatus eſt Pontificali Miniſterio, condonato ei, intervenientibus Epiſcopis, tantummodo Presbyteratus officio.* Quod enim degradato ob crimen Epiſcopo non niſi per diſpenſatricem contra Canones gratiam relinqui poſſit Presbyteratus, pluribus oſtenſum eſt ad Canones Chalcedonenſes. Degradato item Epiſcopo rectè eripiuntur baculus & annulus: Hic enim ſpirituale Epiſcopi cum Eccleſia conjugium, ille Paſtoralem ſignificat poteſtatem, quæ omnia per degradationem ſolvuntur. Intruſus per Simoniam Epiſcopus à ſacris Canonibus, præſertim poſt Synodalem degradationem, judicatur numquam fuiſſe Epiſcopus: Hinc Pudicus in Namnetenſium Epiſcoporum Catalogo non reperitur ſcriptus. Quæſtio eſt, Quomodo acta Synodalia hunc Pudicum appellent Epiſcopum Anglorum? Reſpondeo cum Nicolao Spelmanno & Michaële Alfoldo acta eſſe mutila. Omiſſum eſt nomen Anglicani Epiſcopi, qui fuit Duduc ſeu Dudocus Epiſcopus Wellenſis. Etenim Rameſienſis Monaſterii fundatio laudat præſentem Synodum, & adjungit: *Ad Remenſe Concilium miſſi fuerunt honorabiliter à Rege Eduardo Duduc Epiſcopus Wellenſis, & Alfuvinus Rameſiæ, & Wulfricus de ſancto Auguſtino Abbates, Decreta Chriſtianitatis, quæ ibi à ſanctis Patribus ſtatuebantur, relaturi.*

A. 1049. Præſentes Metropolitas percunctatus eſt tunc Pontifex, An nullus ipſis alius Suffraganeus eſſet de Simoniaca intruſione ſuſpectus? Et cuncti reſponderunt non eſſe. Ita ad Epiſcopos & Abbates, qui malæ conſcientiæ timoribus preſſi Regem ad bellum ſequi & pugnare, quam Eccleſiaſticæ diſciplinæ cauſas tractare cum Pontifice & promovere, ſuarumque actionum rationes reddere maluerant, proceſſum eſt, & ipſorum quidam ſunt excommunicati, nominatim Archiëpiſcopus Senonenſis, de quo in ſancti Petri vivi Chronico Clarius Monachus: *Obiit Leothericus Archiëpiſcopus, & Gelduinus in ſede ſublimatur, non electione Cleri & Populi, ſed muneribus. Dominum verò Mainardum, Clericum prudentiſſimum, ipſius Eccleſiæ Theſaurarium, virum nobiliſſimum, in ipſa urbe majorem & primum, omnis Populus à minimo uſque ad majorem quærebant in Epiſcopum, ſed vicit potentia Regis. Qui Gelduinus apud Pariſium ſuſcepta benedictione Pontificatus, nullo modò Senonas civitatem intrare potuit, reſiſten-*

Digitized by Google

*reſiſtentibus Odone Comite, Daimberto Vice-Comite, & patre ejus Mai-*
*nardo, & cæteris Proceribus. Eodem igitur anno Rex copioſum exercitum ap-*
*plicuit Senonis.* Senonenſes crudele bellum pati, quam Canonica electio-
ne privari & Simoniacum ſuſtinere Epiſcopum maluerunt. Pergit Chro- A.1032.
nicon: *Wirpivit Odo Comes Regi Henrico medietatem urbis Senonicæ, &*
*Gelduinus receptus eſt in Sede, in qua nondum fuerat, reſiſtentibus pluribus.*
Biennio duravit bellum, tandemque majori Regis potentia fracti Seno-
nenſes, improbum Eccleſiarum ac Monaſteriorum laceratorem Epiſco- A.1034.
pum recipere, & Carnutenſium Comes Odo mediam civitatem Wirpi-
re in factæ injuriæ redemptionem, ſeu læſo Regi dimittere ſunt coacti.
Verùm iniquam juſti Populi afflictionem ſolatus eſt Leo nonus, de quo
laudatum Chronicon: *Poſt hæc Gelduinus, peractis in Epiſcopatu decem*
*& octo annis, projectus eſt de Pontificatu, à Leone Papa & Henrico Rege, gau-*
*dentibus Clericis, & lætante Populo. Cui ſucceſſit Mainardus Trecacenſis*
*Epiſcopus. Poſteà ipſo Gelduino reclamante ſe injuſtè depoſitum, & Mainar-* A.1046.
*dum intronizatum, authoritate Papæ Leonis convocati, & in Concilio dijudi-*
*cati, amiſit uterque donum curæ Paſtoralis. Poſteà verò propter utilitatem*
*tam Eccleſiæ Senonenſis, quam totius Patriæ circumjacentis, totius Concilii con-*
*cordante conſenſu, Mainardus eſt reſtitutus. Gelduinus autem pro ſua mi-*
*ſerabili vita dejectus, omni honore eſt privatus. Reverſus namque a Roma*
*Rudolphum Comitem adiit, & Caſtella, quæ ex paterno jure contingebant,*
*ut adjuvaret, dedit, ſicq; ſe ab omni honore expulit.* Mainardus ergo,
Daimberti Senonenſis Vice-Comitis Germanus, poſt intruſum Geldui-
num, factus fuerat Epiſcopus Trecenſis. Gelduinus autem, & adver-
ſus ſuam degradationem, & adverſus Mainardi promotionem iterato
audiri voluit, auditus fuit Romæ, & uterque Synodaliter dejectus. At-
tamen ob publicas rationes eadem Synodus Mainardum diſpenſatoriè re-
paravit. Porrò Gelduini, anno poſt milleſimum trigeſimo ſecundo per
Henricum primum Regem facta, promotio ſuadet Robertum Regem,
Henrici Patrem, anno trigeſimo primo obiiſſe. Quod ipſum affirmant
breve Chronicon ſancti Dionyſii Pariſienſis, & Chronicon ſancti Me-
dardi Sueſſionenſis. Obſtat tamen ſancti Benigni Divionenſis Chroni-
con, affirmans Henricum, quem anno vigeſimo octavo ejuſdem ſæculi
fuiſſe à Guidone Remenſi Archiepiſcopo coronatum fatetur laudatum
ſancti Dionyſii Chronicon, patri Roberto ad ſex annos conregnaſſe.
Hinc aliqui volunt Robertum vixiſſe uſque ad annum trigeſimum ter-
tium. Res non eſt hujus loci.

Eadem ſententia fuit lata in Drogonem Belluacenſem Epiſcopum, cujus ſingulatim exceſſus necdum inveni. Latam fuiſſe etiam in Fulco-



Digitized by Google

nem Ambianenſem Epiſcopum aſſerunt Acta Synodalia; ſed aliud affir-
mat Ariulphus Monachus in Chronico ſancti Richarii Centulenſis:
Lib. 4. c. 36. *Fulco Ambianenſis Epiſcopus in Remenſi Concilio à beato Papa Leone nono ex-
communicatus fuiſſet, niſi Reverendiſſimus vir Gerninus Centulenſis Abbas
accuratè & prudenter pro illo intervenire ſtuduiſſet.* Intentatæ autem ex-
communicationis cauſa fuit non ſola abſentia à Synodo, ſed & indigna
Epiſcopo vanitas, ex qua *Fulco non animarum ſaluti, ſed volucrum captio-
ni ſtudebat, & venatui ferarum.* Eam quippè vanitatem non ſolùm in
Epiſcopo, ſed & in inferiori Clerico eſſe intolerabilem abominationem
Lib. 6. dixit etiam apud Ditmarum Merſeburgenſem Epiſcopum Arnulphus
Epiſcopus Halberſtadienſis. Et hinc de hac noſtra Synodo ſcribit Siffri-
A. 1049. dus Presbyter Miſnenſis: *Leo Papa conſtituit, ne Sacerdotes aut Mona-
chi canes aut aves ad venandum ſequerentur, neve turpia lucra ſectarentur.*
Et certè vitium iſtud tunc in Galliæ, Germaniæ atque Italiæ Epiſcopis
fuiſſe acriter graſſatum, poſſit facilè oſtendi. Et quia laudati Decreti
prior pars non reperitur in noſtris Canonibus aut. Synodalibus Actis, lu-
cet ipſa eſſe decurtata.

Eadem hæc Seſſio ob factam à Synodo fugam excommunicavit, &
Romam ad ipſius cauſas diſcutiendas evocavit Renoldum ſancti Medar-
A. 1049. di Sueſſionenſis Abbatem, de quo Chronicon ejuſdem Monaſterii: *Re-
noldus Abbas Eccleſiæ beati Medardi, quia abſque voluntate & licentia Regis
Henrici Roma vocatus abiit, Abbas eſſe deſiit.* Francorum, aliorumque,
licet jam Chriſtianorum, Barbarorum Regum mala & pavida conſcien-
tia Romano, quod lacerarant, Imperio intulit cum pluribus aliis &
hanc calamitatem, de qua ad Marim Perſarum Epiſcopum, Eccleſiaſti-
cas Cyrilli Alexandrini & Joannis Patriarchæ Antiocheni lites deplo-
rans, olim ſcripſit Ibas Metropolita Edeſſenus: *Non audebat aliquis de
civitate ad civitatem, aut ad Provinciam de Provincia proficiſci, ſed tan-
quam inimicum ſuum unuſquiſque proximum ſuum perſequebatur.* Quod
dicti Reges etiam Sedem Apoſtolicam ac ejus Patriarchales Synodos ac-
cedi ſine ſua licentia vetuerint, affirmat ſanctus Avitus Viennenſis Ar-
chiëpiſcopus, & multa exempla docuerunt. Quomodo Iſraëliticas tri-
bus, quas à Regio Davidis Throno lacerarat, etiam à Hieroſolymitani
Templi acceſſu prohibuit Rex Hieroboam, metuens ne hoc illas le-
gitimo ſuo Domino tandem redderet, ita iſtud ipſum ſibi ac ſuis Populis
Barbari Reges à Romana Eccleſia timuerunt. Eſt miſeranda Eccleſiaſti-
cæ Hierarchiæ ſervitus, quam nonniſi cæcus error inter Eccleſiæ aut
Regni libertates poſſit numerare. Eſt una ex his Eccleſiaſticæ libertatis
injuriis, & Barbarorum conſuetudinibus, pro quibus exſtirpandis ſan-
guinem

Digitized by Google

guinem ſuum fudit glorioſus Martyr Thomas, Archiëpiſcopus Cantuarienſis. Eandem ob cauſam Renoldus, ab Henrico primo Francorum Rege extruſus dignitate, eſſe Abbas deſiit, atque ita omnia ſua Abbatis priora delicta per ſolidam, uti ſperamus, pœnitentiam expurgavit.

Ab hac item Seſſione *excommunicatus eſt ſancti Jacobi Archiëpiſcopus Gallicienſis, quia contra fas ſibi vindicaret culmen Apoſtolici nominis.* Antiqua Romani Imperii notitia Hiſpaniæ aſſignat ſeptem Provincias: Bæticam, Luſitaniam, Gallæciam, Tarraconenſem, Carthaginenſem, Tingitanam, ac Inſulas Baleares. Solæ quinque priores erant intra Hiſpaniam. Hinc quædam Romanorum Pontificum ad Hiſpaniarum Eccleſias ac Antiſtites Epiſtolæ ipſis ſolis inſcribuntur. Luſitaniæ Metropolis fuit Brachara, ſeu Auguſta Bracharorum, inter cujus Suffraganeas civitates fuit Iria, quæ inter ſua oppida & caſtra habebat hodiernam civitatem Compoſtellanam. Ita fuit uſque ad Carolum Magnum Imperatorem, & Alphonſum Caſtum Hiſpaniarum Regem, de quibus in ſuo Chronico Lucas Tudenſis: *Limina beati Jacobi cum per devia Alava* An.823.
*veniens Chriſtianiſſimus Carolus, gratia viſitaret orandi, ſaniori ejus conſilio Rex Aldephonſus Iriam civitatem deſtruxit, & ſancti Jacobi Apoſtoli Eccleſiam, quam ipſe conſtruxerat, reverendi Patris Leonis tertii Romani Pontificis aſſenſu, Metropolitano ſublimavit honore.* Et infrà: *Carolus cum Rege Aldephonſo amicitiam fecit, orationis etiam gratia Eccleſias ſancti Salvatoris & ſancti Jacobi viſitavit, & à glorioſo Papa Joanne obtinuit, ut utraque Eccleſia Metropolitano privilegio frueretur.* Sancti Salvatoris Eccleſia eſt Eccleſia civitatis Ovetenſis. Joannes ille eſt Joannes Papa octavus, à quo utramque Eccleſiam rectè ſcribit factam Metropoliticam, verùm circa Carolum Magnum, Carolum Calvum, & Carolum Martellum, nec non & coëtaneos ipſis Pontifices miſerè hallucinatur: Carolum Martellum facit Caroli Calvi Succeſſorem. *Corpus ſancti Jacobi, Zebedei filii,* An.837.
inquit Luitprando adſcriptum Chronicon, *quod ubinam tumulatum jaceret, multos annos penitùs ignorabatur, à Theodomiro Irienſi Pontifice divinitùs pateſit.* Ei ſolemnem Eccleſiam extruxit Rex Alphonſus, ipſamque cum plurimis Epiſcopis Turpinus Archiëpiſcopus Remenſis, Caroli Magni comes conſecravit, hæc ſcribens de ſemetipſo: *Ego Turpinus Remen-* Ep.19.
*ſis Archiëpiſcopus beati Jacobi Baſilicam & Altare cum quadraginta Epiſcopis, Caroli rogatu, Calendis Junii, honorificè dedicavi. Et ſubjugavit Rex eidem Eccleſiæ totam terram Hiſpanicam & Gallacianam, deditq́; ei in dote præcipiens, ut unuſquiſque Poſſeſſor domus totius Hiſpaniæ & Gallæciæ quatuor nummos annuatim ex debito daret, & ab omni ſervitute, Rege præcipiente, liberi eſſent.*

Digitized by Google

*ſent. Et conſtituitur die illo, ut Eccleſia illa amplius vocitetur Sedes Apoſtolica, eo quod ibi Jacobus Apoſtolus requieſcat, & in ea Epiſcoporum totius Hiſpaniæ crebrò Concilia teneantur, & Epiſcopales virgæ & Regales Coronæ per manus Epiſcopi ejuſdem urbis ad decus Apoſtoli Domini præbeantur. Et ſi fides in aliis urbibus, peccatis populorum exigentibus, vel Dominica præcepta defecerint, ibi Concilio ejuſdem Epiſcopi reconcilientur. Et meritò in illa Eccleſia venerabili fides reconciliari & ſtabiliri decernitur. Et ſicut per beatum Joannem Evangeliſtam, beati Jacobi fratrem, in Orientali parte apud Epheſum Chriſti fides & Apoſtolica ſedes inſtituitur, ſic per beatum Jacobum Apoſtolum in Occidentali parte Regni Dei apud Galliciam fides eadem & Apoſtolica ſedes conſtituitur. Hæ ſunt procul dubio ſedes, Epheſus ſcilicet, quæ eſt ad dexteram in Regno terreno Chriſti, & Compoſtella quæ eſt ad ſiniſtram. Quæ videlicet ſedes his duobus fratribus, filiis Zebedei, in diviſione Provinciarum contigerunt, quia ipſi petierant à Domino, ut unus ad dexteram in Regno ejus ſederet, & alius ad lævam. Tres Apoſtolicas ſedes principales præ omnibus ſedibus in orbe meritò Religio Chriſtiana venerari præcipuè conſuevit: Romanam ſcilicet, & Gallicianam, & Epheſinam.* Jacobum Apoſtolum fratre ſuo Joanne aſſeverat majorem, ideoque & Compoſtellanam Eccleſiam eſſe Epheſina eminentiorem. Etiam de Conſtantienſi ſeu Salaminenſi apud Cyprios, quam Antiocheno Patriarchatui per Apoſtolicos & Nicenos Canones ſemper ſubfuiſſe conſtat, Metropoli ſcribit in Collectaneis Theodorus Lector: *Reliquiæ Barnabæ Apoſtoli inventæ ſunt in Cypro ſub arbore ceraſca, habentes ſub pectore Evangelium Matthei, manu propria ipſius Barnabæ ſcriptum, qua occaſione Cyprii victores evaſerunt, ut Metropolis ipſorum liberum habeat Epiſcopatum, nec Antiocheni Epiſcopi juriſdictioni ſubſit.* Rebellem ſuam, ex Arianarum contentionum occaſione cæptam, à Patriarchico Antiochenæ Eccleſiæ jugo exemptionem conati quidem ſunt acerrimè in Epheſina Synodo defendere Cypriorum Epiſcopi, verùm non potuerunt evincere. Plenas eis vires ſubminiſtravit repertum ſancti Barnabæ Corpus. Exindè clamarunt non minus ſibi quam Antiochenis eſſe Apoſtolicam Eccleſiam, ideoque ab omni Patriarchico jure ſe palam immunes. Licet non Apoſtolicæ ſedis dignitatem ac titulum, plenam tamen Autocephaliam exindè obtinuerunt. Ex quo ſancti Andreæ Apoſtoli Reliquias Conſtantinopolim ex Achaia tranſtulit Imperator Conſtantius, etiam iſtius civitatis Epiſcopus de Patriarchali gloria & Apoſtolica ſede cogitare cæpit, multoque fuco nugas iſtas armare. Hieroſolymæ Epiſcopus, ob inſeſſam ſuam à ſancto Jacobo Apoſtolo ſedem, non ſolummodo plenam à Patriarchica Antiochenæ Eccleſiæ poteſtate libertatem extorſit à Chalcedonenſi Synodo, ſed & varias Provincias.

Lib. 2.

vincias, nomenque & rem Throni Apoſtolici ac veri Patriarchæ. Proprium item Metropolitam Cæſareenſem ſibi ſubjecit. Et ad Venetorum urbem, ſancti Marci corpus habentem, exclamat ſanctus Petrus Damiani: *Gaude, & exultans in Domino plaude Venetia, quia per illud pretioſi Theſauri talentum facta es ſuperni Regis Ærarium, & dum in tuo gremio virum Apoſtolicæ gratiæ ſuſcepiſti, & ipſa quodammodò Sedes Apoſtolica fieri meruiſti.* Eodem fuco Theodomirus Irienſis Epiſcopus ſedem ſuam Iria Compoſtellam tranſtulit, Bracharenſis Metropoliticam, ac Toletanæ Eccleſiæ Primatialem dignitatem, Regumque coronandorum & omnium per Hiſpaniam Epiſcoporum conſecrandorum auctoritatem invadere conatus, ſeſeque oſtentare ſecundæ Apoſtolicæ Sedis Patriarcham. Ridenda eſt hæc fabula: Iſtius interim ſæculi ignorantia ejuſmodi fabulas dilexit. Verùm longè aliter ſcribit in Hiſpaniæ Chronico vir eruditus Joannes Vazæus: *Compoſtella primum villa, deindè municipium, poſtremò civitas Epiſcopali ſede nobilis, ut ait Paſchalis Pontifex in diplomate, quo illam Eccleſiam Pallii honore donat. Compoſtellanus Epiſcopus, Irienſi mutata ſede, ſed retentò nomine dictus eſt Irienſis à tempore Alphonſi Caſti, quo tempore ſanctiſſimum beati Apoſtoli Corpus Theodomiro Irienſi Epiſcopo, ſanctiſſimæ vitæ viro, revelatum eſt, uſque ad Alphonſum ſextum. Cujus tempore Urbanus Papa ſecundus precibus Dalmachii, ex Cluniacenſi Monacho Irienſis Epiſcopi, & ſedem & omnia quæcumque Irienſis Eccleſiæ fuerant, Compoſtellam tranſtulit, & Compoſtellanum deinceps appellari, non Irenſem Epiſcopum juſſit. Præterea Compoſtellanam Eccleſiam hac prærogativa donavit, ut quæ ad illud uſque tempus Bracharenſem Archiepiſcopum agnoverat, nulli in poſterum, præterquam Romano Pontifici, Metropolitano ſubeſſet Epiſcopo. Quæ omnia ſucceſſor ipſius Paſchalis, qui Cardinalis adhuc fuerat Legatus in Hiſpania, paulò poſt confirmavit, ſimulque illud adjecit, ut Cardinales in Eccleſia Compoſtellana crearentur. Poſteà quoque Præſulem Compoſtellanum Pallii honore cumulavit. Poſtremò Calixtus ſecundus Compoſtellanam Eccleſiam Metropolitana dignitate ſublimavit, & in eam omnia Emeritenſis Eccleſiæ jura tranſtulit, omneſque illius Suffraganeos Compoſtellano Archiepiſcopo parere juſſit. Id quod fecit adductus tum ſingulari ſua in beatum Jacobum & Compoſtellanam Eccleſiam pietate, præſertim quod in ea frater ipſius Raymondus Toloſæ Comes, Alphonſi ſeptimi Pater, ſepultus eſſet; tum precibus ipſius Alphonſi Hiſpaniæ Imperatoris, cujus ipſe patruus erat, & olim puerum in ea Eccleſia ſacro Baptiſmi lavacro tinxerat, atque in Regem unxerat. Nec his contentus, Domino Didaco Compoſtellano Archiepiſcopo vices ſuas in Bracharenſi & Emeritenſi Provincia commiſit. Hæc eo accuratius ex Hiſtoria Compoſtellana collegi, in qua & Apoſtolicæ de iis rebus*

Scr. 16.

Fol. 500

*bus litteræ deſcriptæ ſunt , quod quæ hactenus ſuper hac re vulgò prodita leguntur , non ſatis mihi videantur auctoritatis habere.* Eadem inferius repetit & confirmat, aſſerens Irienſem dumtaxat Provincialem Cathedram à Leone tertio ad Caroli Magni preces tranſlatam fuiſſe Compoſtellam, ita tamen ut ejus Antiſtes Irienſis Epiſcopi titulum retineret. Quæ omnia etiam firmat gravis Hiſpanicarum rerum ſcriptor Joannes Mariana. Quare quidquid Turpinus deprædicat, vel fabula eſt, vel humana præſumptio ac laïcum attentatum. Uti ad ſuſpectos Aquitanos ſibi alligandos Primatum Bituricenſem nuper erexerat Carolus Magnus, ita ex ejus nunc conſilio ad molliter à Saracenis alienandos & ſibi conciliandos Hiſpaniæ populos ſtatuere novum hunc Primatum & Apoſtolicam Sedem conatus videtur Rex Alphonſus. Fidelium enim animarum ſub uno Primate Epiſcopo unionem ad continendos in Officio populos eſſe cuncto ſui gladii metu vinculum potentius Reges ſemper judicarunt. Hinc etiam Cantuarienſem in Anglia Primatum induxit, aut certè firmavit Guilielmus Rex Conquæſtor. Verùm Eccleſiaſticas Primatiæ Metropoles aut Cathedras à Regibus inſtitui numquam permiſit Romana Eccleſia, ideoque omne iſtud Alphonſi & Caroli de Compoſtellano Primatu attentatum Leo nonus caſſavit. Quod nempe exſtinctas iſtas jam pridem nugas neſcio quis poſterior Rex aut Epiſcopus circa hujus Synodi tempora reſuſcitaſſet. Et meritò hæc caſſata ſunt. Quod enim non cujuſvis, ſed ſolius Petri Apoſtoli Epiſcopalis inſeſſio faciat ſedem veraciter Apoſtolicam, ideoque ſolas tres eſſe germanè Apoſtolicas Sedes, eſt alibi abundè oſtenſum. Longè minus defuncti Apoſtoli Reliquiæ habent iſtam virtutem. Adverſus ſancti Jacobi Epiſcopum ſtatuit Leo iſtud ipſum pro Eccleſia Toletana, quod adverſus Gummitanum in Byzacio Epiſcopum, ſimilia ex neſcio quo fuco prætendentem, poſteà ſtatuit pro Eccleſia Carthaginenſi: *Sine dubio poſt Romanum Pontificem primus Archiepiſcopus, & totius Africæ maximus Metropolitanus eſt Carthaginenſis Epiſcopus, nec pro aliquo Epiſcopo in tota Africa poteſt perdere privilegium ſemel ſuſceptum à ſancta Romana & Apoſtolica Sede, ſed obtinebit illud uſque in finem ſæculi, & donec in ipſa invocabitur nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſive deſerta jaceat Carthago, ſive reſurgat aliquando.* Quod iſtud ad Toletani Primatis preces ſtatuerit Leo, lucet ex Urbani ſecundi vita in libro Pontificali: *Urbanus Pontifex Eccleſiæ Toletanæ Primatum conceſſit.* Seu potiùs jam pridem à variis Hiſpaniæ Synodis erectum, ac à Leone nono adverſus Gallicienſis Epiſcopi attentata reſtitutum confirmavit. Quod nempe iſti reſtitutioni Gallicienſes Epiſcopi noluiſſent acquieſcere. Confirmatum fuiſſe ad Regias preces ſcribit Bertholdus Conſtantienſis, ipſumque Urbani

Epiſt. 4.

A. 1093.

bani diploma exſtat apud Rodericum Archiëpiſcopum Toletanum. Et hinc ad haſce de prioratu ambitioſas quæſtiones extinguendas, Compoſtellanam Eccleſiam à ſui Metropolitæ poteſtate exemit idem Urbanus, Pallio donavit Paſchalis ſecundus, ac plenè tandem Metropoliticam fecit Calixtus ſecundus. Emerita Auguſta, ab emeritis Auguſti Imperatoris militibus ſic dicta, eſt antiqua Romanæ Luſitaniæ Metropolis, olim habens duodecim civitates Suffraganeas, verùm tunc per Saracenos, uti etiamnum hodiè, redacta in ruinas: Hinc ejus Metropoliticam dignitatem fuiſſe à Calixto ſecundo plenè tranſcriptam in Eccleſiam Compoſtellanam, teſtatur etiam Innocentius tertius in famoſis de hac re litteris ad Petrum hujus Metropolitam. Hocce honore eſſe deinceps contenti, Primatuſque rapinam & ambitum deponere juſſi ſunt Epiſcopi Jacobenſes. Solas tres, quod aliæ ſub Saracenis gemerent, Suffraganeas civitates, videlicet Conimbricenſem, Salamanticenſem, & Abulenſem expreſſit in ſuo diplomate Calixtus, atque ita de aliis tribus, Lamecenſi, Vicenſi, & Egitanienſi, quæ tandem à Saraceno jugo liberatæ receperunt Epiſcopos, quæſtionem reliquit, ſtatimque de illis Bracharenſis Archiëpiſcopus cæpit adverſus Compoſtellanum, eas invadentem, acriter digladiari. Prætendit & civitatem Conimbricenſem, affirmans ipſam olim non fuiſſe in Luſitania, & ſibi nuper adſcriptam à Paſchali ſecundo. Fuit lis longa & dura, ideoque plurimarum ejuſmodi contentionum eruditus ac fœlix diremptor Innocentius tertius, Martinum Bracharenſem & Petrum Compoſtellanum Archiëpiſcopum evocavit Romam, audivit utriuſque rationes, controverſas civitates diviſit, Compoſtellanæ Lamecenſem ac Egitanienſem, ſedi autem Bracharenſi adſcribens Epiſcopatum Vicenſem & Conimbricenſem, atque ita compoſuit pacem. Conimbricenſis ſemper palam ſpectarat ad Emeritenſem, verùm quod Irienſis Epiſcopatus fuiſſet Bracharenſi ſubtractus, prudentiſſimus Pontifex judicavit civitatem civitate compenſandam. Et huic quidem ſententiæ Petrus omninò acquievit, verùm de retinendo aut recuperando totius Hiſpaniæ Primatu ſpem videtur non depoſuiſſe. Hinc enim ſtatim in ipſo ſuæ promotionis exordio Rodericus Toletanus Archiëpiſcopus eundem Primatum ſibi ac ſuæ Eccleſiæ ſupplicavit confirmari, confirmavitque laudatus Innocentius, & quidem ad exemplar Urbani ſecundi, Gelaſii ſecundi, Calixti ſecundi, Honorii ſecundi, Eugenii tertii, Adriani quarti, Alexandri primi, ſecundi, & tertii, Urbani tertii & Cœleſtini tertii. Quę toties iterata confirmatio oſtendit Toletanum ſibi aſſiduè timuiſſe à Compoſtellano, & forſan cum ipſo dimicaſſe. Alexandri ſecundi, ac præſertim Alexandri Lib. 1. Ep. 5.



Digitized by Google

primi nomen in hoc diploma irrepſerunt. Etenim Toletana Eccleſia, per Gotthorum Reges primum exaltata, adeò olim non fuit Primatialis, ut nequidem Metropolitana fuerit, ſed Suffraganea dumtaxat Parochia Metropolios Carthaginenſis. Quomodo igitur Doctiſſimus Pontifex ejus Primatum dicat eſſe ab Alexandro primo? Et ipſum poſt Saracenorum tempora primus confirmavit Urbanus ſecundus. Exſtat & alia laudati Innocentii ad laudatum Rodericum Epiſtola: *Quod petitiones, quas obtuliſti nobis ſuper negotio Primatiæ, necdum admiſimus, non ex duritia, ſed ex providentia noveris proceſſiſſe, cum & in his & in aliis opportuno tempore te velimus, quantum in Domino poſſumus, exaudire. Sed cum ex Saracenorum incurſu grave nunc timeatur Hiſpaniæ diſpendium imminere, non oportet occaſione hujuſmodi Primatiæ aliud in Hiſpania ſcandalum modo ſuſcitare.*
Lib. 2. Promittit ſuo tempore juſtitiam judicare. Nempe Primatias omnes
Ep 57. odiſſe tunc meritò cæperat Romana Eccleſia, ſuaviterque, uti & paulatim factum, malebat exſtinctas. Earum hodiè ſoli tituli reſtant Eccleſiis. Ex iſtis interim vides Compoſtellanum Epiſcopum Toletano dudum recalcitraſſe.

## CAPUT IV.

*Exponuntur alia Synodi Acta.*

REm memorabilem ſcribit in ſui ad ſanctum Richarium Centulenſis Cœnobii Chronico Monachus Ariulphus: *Gervino Abbati erat in convertendis atque ſalvandis peccatorum animabus tanta cura inſtantia, ut peccaminum faſce oppreſſis mirabiliter compatiens & concurrens, videretur illius ſpiritu gubernari qui dixit*, FILIOLI MEI QUOS ITERUM PARTURIO. *Non ſolum verò hujus noſtratis Patriæ, ſi quos cognoviſſet, homines ſceleſtos corrigebat, ſed etiam Neuſtriam & Flandriam, Galliam quoque & Aquitaniam, nec non Hungariam, pia gyrans ſedulitate, criminoſorumque confeſſiones acceptans, & ſaluberrimis monitis eorum vitam in melius commutans, Evangeliſtæ & Apoſtoli opus abſque nomine perexplebat. Illud Dominicum in ſe cunctis pertendens Edictum*: POSUI TE IN LUCEM GENTIUM, UT SIS IN SALUTEM. *Vidimus perſæpè, cum eſſet in Centulo apud glorioſum Confeſſorem Richarium, totius diei ſpatium in conclavi abſque omni corporali edulio illum peregiſſe, dum aliis recedentibus, aliis ſuccedenti-*
Lib. 4. *bus, qui anima curâ indigebant, & quorum ſalutem quærebat, delectaba-*
cap. 27. *tur ut cœleſtis Archiater infirmis eorum animabus mederi. Erat enim ſuper hoc officio deputata ei cellula, quam fratres Confeſſionem vocabant, in qua*

Digitized by Google

qua per Dei gratiam in ſe habitantem idem vir beatus multorum hominum enormitate ſcelerum devias per confeſſionis humilitatem, & ſuæ precis interventionem Divinæ miſericordiæ reſtituit animas, ſicq; revera effici meruit, cui Divinus ſermo competenter diceret: SI FECERIS DIGNUM EX INDIGNO, QUASI OS MEUM ERIS.

Sed quod unquam bonum non ſecuta eſt, ac æmulata invidia? Nam Clerici multi, quorum proh dolor ſtudium exiſtebat melioribus invidere, non conſiderantes, quia lege non ſtringitur ſancti Spiritus donum, noſtrum Equitium verbis venenatis carpebant, cur abſq; Apoſtolica licentia homo non Epiſcopus prædicare auderet, & peccatorum confeſſiones ſeu converſiones cur præſumptor non ſui officii inquireret, oblatrantes. Hoc nequam rumore aliquorum animos corrumpentes, id tandem peregerunt, ut Papæ Romani auribus hæc hominis Dei geſta inſonarent. Qui cum bonitatis ejus ignarus voces detrahentium dijudicare nequiret, dedit ſuæ auctoritatis præcepto mandatum, ut homo, quem temerarium fama ferebat, ad Sedem Apoſtolicam vocaretur, ſuæ præſumptionis, ut dicebant, rationem Papæ daturus.

Gervinus itaq; Edicto Papæ accitus, orans expetit Romam, ſupernum ſibi non defuturum juvamen confiſus. Et ubi à Papa potuit conſpici, illico Reverendiſſimæ vitæ virum ipsâ vultûs habitudine contuens ipſe Papa ipſam quæ in illo habitabat, magnificè veneratus eſt Divinitatis præſentiam. Deniq; venienti aſſurgit, ſatisq; humiliter pacis oſculum ei præbuit, dein jubet ſecum reſidere, & ut ei ſolitum erat, cæleſtia coram eo verba tractare. Sanè cum ei relationem prælibatæ detractionis intimaſſet, Gervinus proponit ſcripturarum exempla, quæ præcipiebant eos qui ducuntur ad mortem, liberare ne ceſſes. Item Jacobus Apoſtolus dicit: Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi. Quoniam quidem ergo, ait, Domine mi Papa, meæ humilitati boni ſcientiam præſtitit miſericors Deus, jubet iſne ut commiſſam verbi ſcientiam ſubtrahens cum pigritante ſervo damnationem incurram pro non diſpenſata pecunia? Simul & conſiderari decet quod Jacobus item Apoſtolus ait: Si quis converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Si igitur peccatores convertens, non tantùm illorum animas ſalvo, ſed & pro impenſa charitate mea quoque peccata diluo, videatur an talis operatio ſit cohibenda à ſummo Paſtore, ut ſcilicet non ſit copia cuilibet devoto charitatis exequendæ. Ille igitur verè Apoſtolicus Pontifex Leo, qui bona non arcere, ſed ſemper augmentare cuperet, tam utilem & tam proficuam intentionis rationem audiens, lætior efficitur. Et quia Ambianorum Præſulem tunc temporis Fulconem, non animarum ſaluti, ſed volucrum captioni & ferarum venatui ſtudere compererat, tali authoritate roborat venerandum Abbatem, his verbis eum confirmans: Nequaquam, aman-

*tiſſime frater, ob invidorum ſuſurria vel detractiones tantam pereuntium animarum conſolationem deinceps refugies operari, quo & Dominicæ vineæ fructus te cultore accreſcat, & te pro impenſis laboribus Christi Domini gratia comitetur, abſque dubio æterna mercede quandoq; munerandum. Ecce authoritate Domini noſtri, & beati Petri Apoſtoli, ac noſtrâ non ſolùm authoritate, ſed etiam deprecatione concedimus & imperamus, te in recipiendis ſceleſtorum confeſſionibus, & tradenda pœnitentia, noſtri officii participium tenere, ut quæ ligaveris Domini Chriſti authoritate, ligata, & quæ ſolveris ejuſdem Domini miſeratione, ſint ſoluta. Hæc dicens ſanctus Papa, ſimul & ſandalia offert, jubens ut his Gervinus utatur, ut qui prædicationis exercebat ſtudium, Prædicatoris inſignibus ornaretur. Venerabilis tamen Abbas, cuſtos veræ humilitatis, eadem ornamenta recuſavit, dicens ſibi ſufficere ſolam Apoſtolicæ licentiæ authoritatem ad exercendam circa infirmas animas divini Verbi ſtipem. Multimodo igitur Pontificis favore auctus regreditur, & cæptum Domini opus, quo liberius, eo melius ac latius reincipit exercere.* Hæc quidem Romæ ſunt acta, ſed ſunt & confirmata in præſenti Synodo. Quod enim ſanctus Gervinus hic ſancti Remigii corpus unà cum Pontifice ſolemniter deportarit, & quod ad ejus preces Fulco Ambianenſis Epiſcopus damnationem evaſerit, ſuprà nobis dixit laudatus Monachus Hariulphus.

Rectè item Gervinum vocat novum ſui temporis Equitium. Etenim & ſanctus Equitius, Valeriæ Provinciæ Monachus & Abbas, per Eccleſias, caſtra, vicos, & domos diſcurrebat Evangelizans, multoſque perducens ad pœnitentiam: Etiam ab æmulis Clericis fuit uſurpati officii accuſatus apud Pelagium ſecundum Pontificem, Romam ab ipſo evocatus, abſolutus per miracula, & in officio confirmatus. Rei ſeriem
Cap. 4. latè exponit in primo Dialogorum libro ſanctus Gregorius magnus. Quod Evangelicum verbi ac Sacramenti miniſterium Monachis frequenter inviderint Clerici, multo conſtat exemplo, verùm utroque hoc in caſu ſeu invidia ſeu zelus non caruit fundamento. Quis enim ferat Epiſcopali delegatione deſtitutum Monachum vagari per Provincias & urbes, ubique Evangelizare, ac adminiſtrare etiam Pœnitentiæ Sacramentum, quæ omnia ſine Epiſcopali authoritate nunquam vel Presbyteris licuiſſe, clamant omnes antiqui Canones & novi, perpetuaque traditio omnium Eccleſiarum? Fateor etiam in novo Teſtamento quem poſſe mitti immediatè à Deo: Verùm periculoſa eſt iſta porta & ſuſpecta, tritumque jampridem pallium omnium Hæreſiarcharum. Quare venerabilis Gervini & ſancti Equitii Acta, quoniam probata per Sedem Apoſtolicam, veneranda à nobis ſunt & admiranda, ſed nullatenùs imitanda.

Aliam hac in Synodo tractatam cauſam adducit in opere de Normandiæ Ducibus Guilielmus Monachus Gemeticenſis: *In illo tempore ſanctus Leo Papa Gallias expetiit, Eccleſiam ſancti Remigii Remenſis Archiepiſcopi conſecravit, ejuſq; corpus in Eccleſiam nuper dedicatam tranſtulit. Tunc Remis idem Papa grande Concilium tenuit, & deſides Epiſcopos vel Abbates acriter redarguit, inter quos, ut dicunt, propter combuſtionem Eccleſiæ Ivoni dixit: Qua lege damnari debes, qui Matrem tuam cremare auſus es? Eloquens Ivo palam confeſſus eſt ſe quidem malum feciſſe, ne deteriora fierent a ſceleroſis ſuper filios Eccleſiæ: Denique pœnitentiam ſecundùm ſagacis Papæ juſſum accepit, ac de reſtituenda ſancti Gervaſii Eccleſia operam adhibuit. Igitur Apuliam & inde Conſtantinopolim perrexit, & à divitibus cognatis & amicis ſuis ſimul multum pecuniæ congeſſit, denique Imperatoris de ligno Dominicæ Crucis carum munus deportavit. Reverſus autem Sagium, Eccleſiam cœpit tam magnam ædificare, ut Succeſſores ejus, Robertus, Gerardus, ac Serlo nequiverint eam per quadraginta annos conſummare.* Lib. 6. c. 15. Azo ad decimi Chriſtiani ſæculi finem vigeſimus octavus Sagienſis Epiſcopus civitatis ſuæ muros deſtruxit, ac ex eorum lapidibus Cathedralem ſancto Gervaſio Martyri Eccleſiam extra civitatis limites ædificavit. Quartus ejus ſucceſſor Ivo, Guilielmi Belliſmenſis, & Alenzonii Comitis, nec non Sagienſis Domini filius, & patrui ſui Arnulphi, nequiter à ſceleratis interfecti, in eadem dominia ſucceſſor, ab eiſdem ſceleratis & ipſorum complicibus ſuſtinuit dura bella privata, duraſque calamitates. Etenim invaſam laudatam Baſilicam, ut ex ipſa civitatem vexarent, incaſtellarunt, *Et ſic de Domo orationis ſpeluncam latronum, ſtabulumq; fecerunt equorum.* Cap. 13. Hinc Ivo armatâ manu tentavit incaſtellatam Eccleſiam, captamque exuſſit. Videbat alia via civitatem ſuam à ſceleratis prædonibus non poſſe liberari. Eum nihilominùs de cremata Matre redarguit Leo Pontifex, compulitque ad pœnitentiam & reſtaurationem.

Matrimoniales variorum Comitum cauſas decidit eadem Synodus, adducoque unam, quæ tangit Balduinum Inſulenſem, cognomento Pium, Comitem Flandrenſem. *Papa Leo*, inquiunt Acta Synodalia, *interdixit Balduino Comiti Flandrenſi, ne filiam ſuam Guilielmo Nortmanno nuptum daret, & illi ne eam acciperet.* Hic eſt ille Guilielmus, qui poſteà factus eſt Rex Anglorum. Verùm neuter obedivit. Scribit enim Guilielmus Monachus Gemeticenſis: *Jam Duce Guilielmo, juvenili robore vigente, tranſcenſis annis adoleſcentiæ, cœperunt Optimates ejus de ſucceſſione prolis cum eo attentius tractare. Audiens autem Balduinum Flandriæ Comitem habere quamdam filiam, Regali ex genere deſcendentem, Mathildim,* Lib. 6 c. 21.

Digitized by Google

*thildim, corpore valdè elegantem, animoq; liberalem, hanc ſuorum conſultu miſſis Legatis à patre petiit uxorem. Ex cujus propoſito animi Balduinus Satrapa admodùm gaviſus, non modo petitam dare decrevit, verùm etiam cum muneribus innumeris eam ad uſque Oucenſe Caſtrum adduxit. Ubi Dux militum ſtipatus catervis advenit, illamq; ſibi jure conjugali deſpondit. Genuit autem ex ea filios quatuor, Robertum qui poſt eum Ducatum Nortmandiæ aliquamdiu tenuit, & Guilielmum qui Regno Angliæ tredecim annis præfuit, & Richardum qui juvenis deceſſit, & Henricum qui fratribus tam Regi quàm Duci ſucceſſit.* Genuit & quatuor filias. Omninò poſt præſentem Synodum fuit initum iſtud matrimonium, ideoque in Flandrorum Annalibus labitur Jacobus Mejerus factum fuiſſe anno poſt milleſimum quadrageſimo ſeptimo. Errorem continent & hæc verba: *Tum Duci ab Malgero Rothomagenſi Archiëpiſcopo, per iram & invidiam puto, ſacris interdictum propter neſcio quam inter ipſum & Mathildim conſanguinitatem, quam quidem conſanguinitatem nuſquam reperis. Tametſi Robertus Ganguinus, eumq; ſecutus Polydorus Virgilius, Leonoram filiam Richardi ſecundi Nortmannorum Ducis, Comiti Flandriæ nupſiſſe tradant.* Guilielmus erat nepos Richardi ſecundi ex patre Roberto. Quod autem Juditham, ſuam ex Goisfredi Britannorum Comitis filia legitimam filiam, Balduino Barbato, Inſulenſis patri, tradiderit Richardus, adeoque præſens Mathildis cum Guilielmo Conquæſtore fuerit in tertio gradu cognata, teſtatur teſtis Authenticus, Guilielmus Gemeticenſis. Addit Mathildis matrem fuiſſe Roberti Francorum Regis filiam, cui nomen fuiſſe Alam, ſeu Adelam, ſcribit Radulphus de Diceto. Pergit Gemeticenſis: *Guilielmus Dux, dum à quibuſdam Religioſis ſæpius redargueretur, eo quod cognatam ſuam ſibi in matrimonio copulaſſet, miſſis Legatis Romanum Papam ſuper hac re conſuluit. At ille ſagaciter conſiderans, quod ſi divortium fieri juberet, fortè inter Flandrenſes & Nortmannos grave bellum exurgeret, maritum & conjugem à reatu abſolvit, eiſq; pœnitentiam injunxit. Mandavit enim, ut ab eis duo Cœnobia conderentur, in quibus pro ipſis ab utroque ſexu Deo ſedulò preces offerrentur. Quod illi gratanter opere compleverunt.* Inter viros iſtos Religioſos ſanctum Lamfrancum adhuc Monachum, iſtum autem Pontificem fuiſſe Nicolaum ſecundum, ſuprà audivimus à Milone Criſpino & Chronico Monaſterii Beccenſis. Porrò apud Cadomum Guilielmus Monachorum, Mathildis fundavit Monialium Monaſterium. Conſonat Guilielmus Monachus Malmesberienſis. Malgerium Rhotomagenſem Archiëpiſcopum, Guilielmi Conquæſtoris Patruum, ait fuiſſe litteratum, ſed pro illuſtrium natalium conſcientia Epiſcopalis profeſſionis oblitum, deditum

Lib. 4. c. 13.

A. 1027.

Lib. 6. c. 26.

tum venationibus, & Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ profuſorem, ideoque per Romanam Eccleſiam fuiſſe ab Archiëpiſcopali Palliò ſemper ſuſpenſum, atque agente proprio nepote Duce tandem degradatum, & adjungit: *Ferunt quidam arcanam fuiſſe depoſitionis cauſam. Mathildim, quam Guilielmus acceperat, proximam ſibi ſanguine fuiſſe. Id Chriſtianæ fidei Zelo Malgerium non tuliſſe, ſed in Nepotem & Comparem excommunicationis jaculum intentaſſe. Ita cum iræ adoleſcentis uxoriæ querelæ accederent, excogitatas occaſiones, quibus peccati perſecutor ſede pelleretur. Sed poſtmodum provectioribus annis pro expiatione ſceleris illum ſancto Stephano Cadomis ædificaſſe Monaſterium, illam beatæ Trinitati in eodem vico idem feciſſe, utroque pro ſexu ſuo perſonas inhabitantium eligente.* Iſtud ſub Alexandri ſecundi, hoc ſub Gregorii ſeptimi Papatu fuiſſe plenè dotatum, docent dotationis diplomata, publicata per Lucam Dacherium in notis ad vitam ſancti Lanfranci. Fol. 129.

Scitu dignum eſt, quod de Cadomenſi ad ſanctum Stephanum Monaſterio ſcribit Joannes Bromptonus Abbas Jornalenſis: *Guilielmus Rex in Monaſterio Cadomenſi, quod ipſe in honore beati Proto-martyris Stephani à fundamentis exſtruxerat, & multis bonis ditaverat, eſt ſepultus. In cujus ſepultura quoddam memorabile fertur contigiſſe. Cum enim expletâ exequiarum ſolennitate, corpus ejus in loco ad hoc præparato eſſet condendum, quidam terribiliter accedens, Omnipotentis Dei nomine prætento, eum ibidem ſepeliri prohibuit, dicens: Terra iſta antiquo jure mihi competit, quam idem Rex, dum Monaſterium conſtrueret, violenter mihi abſtulit, nec unquam pro ea ſatisfecit. Obſtupuerunt omnes qui aderant, actum tranſitoriæ dominationis conſiderantes, ut Princeps potentiſſimus, qui tam latè dominatus fuerat vivus, locum corporis ſui capacem ſine querela & calumnia mortuus non haberet. Denique illa querela adeò omnes movit, ut priùs vivo conquerenti pro voto ſatisfacerent, ac deindè exequias mortuo adimplerent.* Et jure merito. Etenim Juſtinianum Imperatorem, quod in conſtruenda ſanctæ Sophiæ Conſtantinopolitana Patriarchali Baſilica proceſſerit longè aliter, in opere de iſta ſtructura rectè laudat Auctor incognitus, Latinè redditus per fratrem Franciſcum Combeſis Ordinis Prædicatorum, ac nuper publicatus per Leonem Allatium: *Juſtinianus cæpit vicinas ædes coëmere, ac primam viduæ cujuſdam mulieris, Annæ nomine. Æſtimatæ ædes pretio librarum octoginta quinque. Cumq; illa Imperatori nollet vendere, ac ne ſi quingentas libras præberet, illi ſe daturam obfirmaret, iſque adeò multis ex Proceribus miſſis, qui blanditiis mulierem demulcerent, nihil impetraſſet, accedens ipſe ad impetrandum ſupplicis ſpecie renitentem mulieris animum, obſecrabat ut ædes pretio venderet. Quem mulier, cum ſic precabundum vidiſſet,* A. 1077.

*aiſſet, ad ejus procidit pedes, rogans ac dicens: Mearum pretium ædium a te, Domine Rex, nullum debeo accipere. Templi verò extruendi rogo ut ipſa quoque in die Judicii mercedem nanciſcar, ac ſepeliar in ædibus propè, ingiſq; donatarum a me ædium habeatur memoria. Imperator ſanctè policetur, abſolutâ Templi ædificatione, mulierem illic ſepulturâ donandam ubi poſſeſſionem fundumq; conceſſerit, ejuſq; ritu perpetuo habendam memoriam.* Plura iſtiuſmodi exempla ibidem refert laudatus Auctor. Ex quibus lucet nec ad conſtruendam Patriarchalem, populo neceſſariam, Baſilicam, longè minùs ad Parochialem aut Monaſticam Eccleſiam, privatorum ædes poſſe taxari à Principe, & dato etiam duplicato pretio eripi Dominis invitis. Alieno in fundo ædificare Deo Eccleſiam eſt quaſi filium immolare in conſpectu Patris.

Pergunt Acta Synodalia: *Leo Papa vocavit & Gozfredum Andegavenſem uſque ad Synodum futuram Moguntiæ, ibi excommunicandum, niſi relaxaret, quem captum tenebat, Dominum Gervaſium, qui tunc erat Præſul ſedis Cenomannicæ, poſteà verò ab ejuſdem Tyranni poteſtate exemptus, Guidone Archiepiſcopo defuncto, à Rege Francorum Henrico ſubrogatus eſt ad regimen Remenſis Eccleſiæ.* Comes ille Andegavenſis fuit Gaufredus
A.1040. Martellus, de quo Radulphus de Diceto: *Guilielmus Dux Nortmannorum Heribertum Cenomannicum Conſulem nimis impugnabat, cui Martellus auxiliator & tutator fuit, & idcircò Dux Nortmannorum, qui Angliam acquiſivit, multa perpeſſus eſt a Martello.* Belli cauſam edicit idem Radulphus, Homagium & Ligantiam, quam Gaufredus Henrici ſecundi Anglorum Regis filius, per initum cum Conſtantia Conani Britonum Principis hærede filia conjugium eorundem Britonum Dux præſtitit fratri ſuo Henrico Regi juniori tanquam Nortmandiæ Duci, laudans & adjungens: *Hoc vinculo debitæ ſubjectionis exhibitorio de liberalitate Regum Franciæ Comites Britanniæ Ducibus Nortmannorum ab antiquis tem-*
A.1183. *poribus tenentur adſtricti.* Nortmandiæ Ducibus id fuiſſe datum à Rudolpho Francorum Rege, multiſque iſtorum in Britones triumphis confir-
An.937. matum aſſeverat in Chronico Flodoardus. Porrò Nomenoius Britonum
939. Comes, uti ex Fontanellenſis Monaſterii apud Franciſcum du Cheſne Chronico, & Caroli Calvi Regis Capitulari conſtat, olim Namnetum, Redonas, Cenomaniam, ac etiam Andegavum poſſederat, ideoque etiam ab Heriberto Cenomanenſi Comite Guilielmus Dux prætendebat hominium: Et ejuſdem ſortis ſe eſſe ſciens Gaufredus Martellus Heribertum ſtrenuè adjuvabat, ſed fruſtra. Factus enim Rex Guilielmus reſumpſit bellum, & non ſolùm hominium, ſed ipſam quoque Ce-
A.1088. nomaniam armis acquiſivit. Ita ſcribit laudatus Radulphus. Et hinc intel-

Digitized by Google

intelliges ſcœdam antiquam & manu ſcriptam, quam ſuis ad ſancti Ivonis Epiſtolas notis inſeruit Franciſcus Juretus: *Bellum graviſſimum exortum eſt inter Henricum primum Anglorum Regem & Heliam Comitem Cenomanenſem, eo quod idem Rex Epiſcopatum calumniabatur, ideoq; ordinationi Hildeberti Epiſcopi moliebatur obſiſtere. Cum autem audiſſet ordinatum eſſe, manifeſtis bellorum incurſibus patefecit.* Non ſolùm Comitis hominium, ſed etiam Epiſcopi nominationem privativè ad majeſtatem ſuam ſpectare prætendebat Henricus, ideoque Heliæ ſuperbiam vi armatâ fregit, & ſuâ exuit civitate. In tali igitur bello Gervaſium Epiſcopum, quod Guilielmo Conquæſtori faveret aut favere ſuſpectus eſſet, captivavit Gaufredus Martellus, & vinculis mancipavit. Ejus per Fulconem Hieroſolymæ Regem nepos Gaufredus Plantegaſt Sagienſem Epiſcopum etiam caſtravit. Et ſanctum Hildebertum, quod dicto Heliæ patrocinari crederetur, ad vulgarem igniti ferri purgationem poſtulavit dictus Rex Henricus primus. Barbara hæc in Epiſcopos & Clericos ſævitia admodum tunc graſſabatur. Eam igitur hic compeſcit & damnat noſter Papa Leo. Et quidem Gaufredum Martellum non declaravit excommunicatum, ſed dumtaxat excommunicandum citavit. Quod nempe Epiſcopi aut Clerici iniquum percuſſorem aut captivatorem excommunicans Canon nondum eſſet, utpotè latus ab Innocentio ſecundo. Ep. 74.

Rurſus Acta Synodalia: *Papa denique excommunicavit illos, de quibus proclamationem fecerant Compendienſes Clerici, propter quorum injuſtitiam illuc detulerant corpus ſancti Martyris Cornelii.* Injuſtitiam hanc exponit in litteris ad Alexandrum ſecundum Pontificem ſanctus Petrus Damiani: *Tam immanis preſſura calamitas incumbit Eccleſiis, ut tamquam Babylonicæ legionis acies circumfuſa, & Hieruſalem cum ſuis civibus videatur obſeſſa. Sæculares enim quilibet Eccleſiaſtica jura corradunt, ſalaria ſubtrahunt, poſſeſſiones invadunt, & ſic ſtipendia pauperum velut hoſtium ſe reportare manubias gloriantur.* Ex iſto igitur, tunc etiam per Gallias graſſante, peſſimo more quidam facinoroſi invaſerant bona Eccleſiæ Compendienſis. Ejus porrò Clerici fecerunt apud Leonem Papam, quod à Stabulenſis Cœnobii Monachis, Malmendienſe Cœnobium à Colonienſis Archiepiſcopi Commenda & ſervitute liberare ſatagentibus, factum fuiſſe apud Henricum quartum Imperatorem refert ac laudat Lambertus Schafnaburgenſis: *Fratres de Monaſterio Stabulaus, inito conſilio, & divinâ, ut fertur, revelatione, oſſa beati Remacli levant, Leodium deferunt, & Rege in celebri loco convivium agente, ſuper menſam ipſam apponunt, obſecrantes per Deum, ut ſi minùs filiorum, ſaltem tanti Patris miſe-* Lib. 1. Ep. 15. A 1071.

 *reretur,*

Digitized by Google

*reretur, jam cum Chriſto regnantis, & de injuriis ſuis quotidiè ad tribunal æterni Judicis proclamationem facientis, cui niſi ſua reſtitueret, ultra ei propter penuriam rerum neceſſariarum militaturi non eſſent.* Et quidem Monachos ac ſanctum etiam Remaclum ſprevit profanus Imperator: *Sed ecce menſa, cui ſuperpoſita erant ſacræ Reliquiæ, divinâ virtute confracta corruit, Miniſtroq; Regis, haud obſcuri nominis viro, crura & pedes contrivit, qui paulò poſt exoratâ per interceſſionem beati Remacli pietate divinâ, ita priſtinæ reſtitutus eſt ſoſpitati, ut ne cicatrix quidem in argumentum læſionis abolitæ relinqueretur.* Tot illic & tanta miracula patravit ſanctus Remaclus, ut concuſſus Rex plenè concederet poſtulata. Et de Alberone ſecundo Leodienſi Epiſcopo, à Rainaldo Barri Comite detentum Bullonienſe oppidum repetente, ſcribit magnum Belgii Chro-
Fol. 161. nicon: *Albero caſtrum obſedit cum multa Equitum & peditum multitudine, plus tamen de divino quàm humano confidens auxilio, & corpus ſancti Lamberti ad obſidionis locum juſſit deferri, ſic ſperans quod inchoarat proſperari poſſe & accelerari.* Etiam Rainaldus, cui tamen & Innocentius ſecundus Pontifex, & Lotharius II. Imperator favebant, miraculis compulſus fuit
A. 1098. oppidum Epiſcopo reſignare. Eodem modo Schafnaburgenſes Monachos adverſum Adelberti Comitis injurias pugnaſſe habes apud Bertholdum Presbyterum Conſtantienſem. Plura ſunt iſtiuſmodi exempla. Et ex iſto more ſanctum ſuum Patronum Cornelium, uti potentiſſimum Advocatum, ſecum ad Synodum detulerunt etiam Clerici Compendienſes.

Hac item in Synodo decretum eſt, quod ſcribit Guilielmus Thorne, Cantuarienſis apud ſanctum Auguſtinum Monachus: *Anno milleſimo quinquageſimo ſexto Leo Papa Simoniacam hæreſim in Francia debellabat. Mittitur ad eum conſenſu Regis & Regni Wulfricus Abbas, pro negotiis Regni & Eccleſiæ Anglicanæ reſponſurus. Cujus reſponſo Papa intelligens Anglos cæteris innocentiores, & Anglicanæ Eccleſiæ profectui congratulans, inter alia multa confirmabat, ut Archiëpiſcopus Cantuarienſis in Conciliis vel Synodis celebrandis aſſidere debeat Pontifici ſanctæ Ruffinæ; Abbas verò Auguſtinenſis Abbati Montis Caſſini. Ipſe quoque Abbati Wulfrico de Eccleſiæ ſuæ dilatatione & Sanctorum ibidem quieſcentium honore memoriam facienti, dictus Apoſtolicus quod petebat libenter annuit & benedixit.* Errat hæc Acta anno poſt milleſimum quinquageſimo ſexto; lucidè enim ſpectant ad præſentem Synodum. Inter alia, quæ Wulfrico Abbati conceſſit Pontifex, poſtulata fuit exemptionis & plenæ libertatis confirmatio, de qua poſt ſancti Lanfranci Epiſcopatum fuerunt quæſtiones interminabiles. Anglia, quod circa Simoniam fuerit cæteris Europæ gentibus innocentior, debet

Digitized by Google

debet piiſſimo ſuo Regi Eduardo, cujus ſanctitas & ſtrumas ſanavit, & multis coruſcavit miraculis.

Quo autem tempore Abbates in generalibus aut Provincialibus Synodis cœperint ſedem habere & ſuffragium, eſt involuta quæſtio, nec hujus loci. Simile interim cum Auguſtinienſi Abbate privilegium à Gregorio IV. datum fuiſſe etiam Fuldenſi Monaſterio, lucet ex ejus ad Rabanum Maurum tunc Abbatem Diplomate: *Concedimus ut tam vos, quàm Succeſſores veſtri, ante omnes Abbates totius Galliæ ſeu Germaniæ Primatum ſedendi in omni loco, Conventuq́, ſive judiciali ſententiâ, ſeu in omnibus Conciliis ac ordinibus, noſtrâ Apoſtolicâ authoritate obtineatis.* Exſtat apud Jacobum Gretzerum. Addit Lambertus Schafnaburgenſis: *Rex natalem Domini Goſlariæ celebravit. Ubi ipſa die, dum ad veſperam ſellæ Epiſcoporum locarentur, inter Camerarios Hecelonis Hildeshemenſis Epiſcopi, & Camerarios Wideradi Fuldenſis Abbatis, gravis concertatio oborta eſt. Et primo jurgiis, deinde pugnis res geſta eſt, citoq́, ad gladios prorupiſſent, niſi Ottonis Ducis Boiariorum, qui cauſam Abbatis tuebatur, auctoritas interceſſiſſet. Cauſa verò talis erat. Conſuetudo erat in Regno per multos retro Majores obſervata, ut ſemper in Conventu Epiſcoporum Abbas Fuldenſis Archiepiſcopo Moguntino proximus aſſideret. Sed Epiſcopus cauſabatur neminem ſibi intra Diœceſim ſuam poſt Archiëpiſcopum debere præferri.* Quod ipſum pluribus refert in libro de conſervanda Eccleſiæ unitate Venericus Epiſcopus Vercellenſis. Et de Sewino Senonenſi Archiëpiſcopo ſcribit in ſancti Petri vivi Chronico Clarius Monachus: *Sewinus decrevit, ut ſancti Petri Abbas in Conventu Abbatum vel Clericorum poſt Epiſcopum primus ſedeat, & inter cæteros ejuſdem Epiſcopatus Abbates Primatum teneat. Ipſe autem talem ſe exhibeat, ut dignus ſit tali honore.* Et breve ſancti Dionyſii propè Pariſios Chronicon: *Conceſſus eſt uſus mitræ, & annuli, & ſandaliorum, Gulielmo Abbati ſancti Dionyſii, & Succeſſoribus ejus, & prima ſedes in dextero latere ante omnes Archimandritas, & prima vox in ſententiis.* Et de Notgero Leodienſi Epiſcopo habet Lobienſis Monaſtêrii Chronicon: *Per Notgerum Epiſcopum nobis conceſſum, & à Joanne Papa confirmatum eſt, ut Lobienſem Eccleſiam inter omnes totius Epiſcopatus Eccleſias poſt Matricem primæ ſedis Eccleſiam Primatum habere concederent.* Etiam Abbati ſancti Albani fuiſſe ab Adriano quarto datum primum antè quoſvis Abbates in generali Synodo locum, ipſumq́ue in Turonenſi Alexandri tertii Synodo aſſignatum Roberto Abbati per Hyacinthum ſanctæ Mariæ in Coſmedin Cardinalem Diaconum affirmat, & graves inde lites exponit in dicti Roberti vita Matthæus Pariſienſis. Et quidem non S. Auguſtini, ſed S. Edmundi Abbas præſertim ſe oppoſuit, ideoq́ue iſtius privilegium videtur

Fol. 513. A. 1063. An. 999. A. 1179. An. 990.



Digitized by Google

non tranſiviſſe in uſum. Habemus plura ejuſmodi privilegia, quæ ob natas ex ipſis turbas longa jam Eccleſiæ conſuetudo abolevit meritò & circumſcripſit. Porrò Caſſinenſis Abbas erat tunc caput totius in Europa Monachiſmi, ideoque primum locum Leo Pontifex illi meritò confirmavit.

## CAPUT V.

### *Exponuntur aliquot circa hanc Synodum quæſtiones.*

QUæſtio prima eſt, quot ſeſſiones habuerit præſens Synodus? Simeon Monachus Dunelmenſis affirmat fuiſſe ſex: *Leo Papa Synodum ſex diebus celebravit.* Quod ipſum ſcribit in Chronicorum abbreviationibus Radulphus de Diceto: *Leo Papa magnam Synodum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Abbatum Remis in Francia ſex diebus celebravit.* At verò Synodalium Actorum Digeſtor tres dumtaxat ſeſſiones adducit, diſerteque affirmat ſola *trium dierum continuatione* Synodum fuiſſe celebratam. Reſpondeo tamen eos duci poſſe in concordiam. Digeſtor de ſolius Synodi, Simeon ac Radulphus etiam de ſancti Remigii tranſlationis tempore poſſint loqui. Mutila interim ſunt Acta. Etenim de jam expoſito Cantuarienſis Eccleſiæ & Auguſtinienſis Abbatis privilegio, nec non & de quibuſdam aliis jam adductis nullam faciunt mentionem.

A. 1049.

Secunda quæſtio eſt, quanta ſit hujus Synodi & ejus Canonum authoritas? Reſpondeo eſſe magnam. Scribit enim laudatus Digeſtor: *Leo Pontifex plurima ad Eccleſiaſticam diſciplinam, quæ in præfata Synodo tractaverat, juſſit capitulatim digeri & inter orthodoxos Canones numerari.* Et in ſua, qua ſancti Remigii feſtum erexit, ad omnes Francigenas Epiſtola ipſe Papa Leo: *Plurima ad utilitatem Chriſtianæ Religionis neceſſaria ſtatuendo confirmavimus; quæ omnia Capitulis digeſta inter Canones haberi præcipimus, & poſtea in omnibus Synodis, quas habuimus, id ipſum confirmavimus.* Alias etenim in Germania atque Italia Synodos celebravit idem Pontifex, adeoque in iſtis omnibus confirmati Canones, non ſolius Gallicanæ, ſed totius Latinæ Eccleſiæ habent authoritatem. Hinc dicuntur Orthodoxi, & totius mundi reverentia conſecrati. Nec eis defuit divinum teſtimonium. Etenim Gebuinum Laudunenſem Epiſcopum, & Hugonem de Baina Caſtello, qui in Henrico Rege à Synodo ad bellum ſeducendo fuerant ſigniferi, ipſo Synodi anno infeliciter periiſſe affirmat Actorum Digeſtor, addens Hugonem à Synodo fuiſſe



Digitized by Google

excommunicatum, quod dimiſſæ legitimæ uxori pellicem ſuperduxiſſet. Fuit unus ex illis, adverſum quos prodiit Canon duodecimus. Etiam Gebuinum fuiſſe hic degradatum aſſerit in ſancti Petri vivi Chronico Clarius Monachus: *Leothericus Præcentor* Senonenſis *ordinatus eſt Antiſtes Eccleſiæ Laudunenſis.* Utique à præſenti Synodo. Et hinc Synodalium Actorum Digeſtor ſcribit Gebuinum fuiſſe vagum ſuper terram, defunctumque in terra aliena. Sic enim ſolent Epiſcopi degradati. A. 1046.

Quæſtio tertia eſt, an ſuprà adducti & expoſiti Canones ſint pleni & integri? Reſpondeo non eſſe. Sunt ſola Canonum per Digeſtorem fabricata compendia. Lucet ex decimo quarto: *Pari modo damnavit & Sodomitas.* Uti Acta, ita & Canones Digeſtor redegit in ſynopſim. Et quidem in mutilam. Deeſt enim Canon, aut certè pars Canonis adverſum Epiſcopos & Clericos venatores. Eum quidam exiſtimant prævalere non potuiſſe in Gallia, ideoque uti inutilem à Digeſtore omiſſum. Verùm Guilielmus Normandiæ Dux, dum Patruum ſuum Malgerium Rothomagenſem Archiëpiſcopum, uti venatorem degradari poſteà curavit, haud dubiè uſus fuit hocce Canone, atque ita veriùs ſit illius à Digeſtore omiſſi cauſam à nobis ignorari. Quidquid ſit, eum in Moguntina Synodo fuiſſe à ſancto Leone innovatum teſtatur antiqua per Auctorem incognitum Hiſtorica Compilatio: *Leo Papa nonus, & cum eo Henricus Imperator tertius, cum quadraginta duobus Epiſcopis Concilium magnum Moguntiæ celebravit, conſtituens ne Miniſtri Altaris vel Monachi canes aut aves ad venandum ſequantur, & ne temporalia lucra ſectentur.* A. 1050. Ipſum cum edito adverſum uſurarios Canone conjungit etiam Syffridus Presbyter, ideoque omninò videntur fuiſſe conjuncti. Hinc item vides Remenſes hoſce Canones in aliis hujus Papæ Synodis fuiſſe omninò confirmatos.

Quæſtio quarta eſt, an hac etiam in Synodo ſanctus Leo inſtituerit feſtum ſancti Remigii? Reſpondeo ita paſſim putari. Putatur id feciſſe poſt Synodum: Ita ſancto Remigio egiſſe gratias de fœlici ſucceſſu, & in perpetuam beneficii memoriam erexiſſe annuam feſtivitatem. *Epiſtolam*, inquit de diſcedente Remis Pontifice Digeſtor, *ſancti Remigii laude refertam direxit ſanctæ Eccleſiæ filiis in Francia conſtitutis, quâ decrevit apud eos haberi celebrem ipſius feſtivitatem, quæ recolitur Calendis Octobris.* Hæc ſunt verba Epiſtolæ: *Veſtram admonere volumus Dilectionem, ut ſicut nos in ſancti Remigii obſequiis perpenditis gratulari, ita & vos cauſa noſtri amoris, maximeq; ex debito paterni honoris, ſolemnitatem ejus, quæ eſt Calendis Octobris, celebrem habeatis. Quia etſi aliis non eſt Apoſtolus, tamen vobis*

*vobis eſt: Nam primitiæ Apoſtolatus ejus vos eſtis in Domino.* Civitatem, in qua celebrata Synodus, honorare eſt antiquus Patrum mos: Hinc & Remos iſta gratia Leo Pontifex noluit privare. Reſpondeo tamen feſtum hoc, & in Eccleſiæ Breviario, & in publico populi cultu eſſe apud Francos longè antiquius, ideoque hic non inſtitutum. Etenim inter dies feſtos, quos ſolemniter etiam à populo celebrari mandat habita ſub Carolo magno Moguntina Synodus, etiam eſt feſtum ſancti Remigii. Ipſum interim in ſuo Aquiſgranenſi, habito ſub Ludovici Pii Imperio, Cap. 61. Conventu Francorum Abbates, ac in ſuo Capitulari Herardus Archiëpiſcopus Turonenſis omittunt. Nempe Moguntinum de populari feſto Decretum non admiſerat omnis Francia, ideoque hic reſtituit Leo nonus. An tunc receptum fuerit, ignoro. Certè antiquam, quam in litteris ad Lugdunenſem Eccleſiam laudat & ſervandam ſuadet ſanctus Ep. 174. Bernardus, de paucis ſolemnitatibus regulam ſemper venerata eſt omnis Eccleſia Gallicana.

Quæſtio quinta eſt, an Leo nonus aliam Synodum non celebraverit in Gallia? Reſpondeo illum poſteà in Gallias omninò fuiſſe reverſum. Lucidè id affirmat Chronicon ſancti Benigni Divionenſis: *Leone Papa ordinato, evocatus eſt ab ipſo Romæ ad Concilium Domnus Lugdunenſis Archiëpiſcopus Halynardus. Ipſo anno ipſe Domnus Papa perrexit Franciam, & Remis habuit Concilium, ibiq; fuit prædictus Pater noſter. Tertiò prædictus Papa habuit Concilium in urbe Roma, quo adfuit præfatus Præſul, indeq; iterum Gallias properanti comes individuus extitit. Veniens verò ad civitatem Lingonas ordinavit ibi in præſentia Papæ Domnum Arduinum Epiſcopum pro Hugone, qui fuerat ejectus.* Et ad quinquageſimum iſtius ſæculi annum poſt laudatam priori anno noſtram Remenſem Synodum ſcribit Hermannus Contractus: *Ipſo autumno Domnus Papa Synodum Vercellis collegit, indeq; Gallias & Epiſcopatum ſuum Leucorum civitatem reviſit.* Et in ſancti Petri vivi Chronico Clarius Monachus: *In hoc tempore Papa Leo venit Lingonas civitatem, ubi ordinavit Frotmondum Trecorum Pontificem, ibiq; obiit Petrus Diaconus ejus; ſepultuſq; eſt in Capitulo ſancti Mammetis.* Hic fuit Frotmondus ſecundus, proximus Succeſſor Mainardi, anno elapſo confirmati in Archiëpiſcopum Senonenſem. Illum, quod Senonenſis ejus Metropolita abeſſet, eſſetque extra ſuam Provinciam, Papa conſecravit propriis manibus, Arduinum verò Lingonenſem, jus Metropoliticum contriſtare nolens, permiſit præſentibus manibus Halynardi Lugdunenſis. Hæc anno præſentis ſæculi quadrageſimo nono in primo Pontificis adventu fuiſſe facta labuntur in Trecenſium Epiſcoporum Catalogo fratres Sammartani. Quis enim neſciat Petrum Cardinalem

lem in ſecundo dumtaxat adventu fuiſſe defunctum? Primus item adventus non fuit per civitatem Lingonenſem. Illum anno quinquageſimo adſcribit Hermannus Contractus, rectius anno quinquageſimo primo breve ſancti Dionyſii Chronicon. Cur in Gallias Pontifex redierit, diſtinctè neſcio: Nullam ſcio tunc ab illo factam Synodum. Tullenſis Eccleſiæ Præfecturam factus Papa non depoſuit, ſed ejus proprius & Cardinalis permanſit Epiſcopus, ideoque ob ejus præſertim neceſſitates videtur in Galliam fuiſſe reverſus. Et hoc inſinuat Chronicon ſancti Benigni: *Domnus Papa Gallias, & Epiſcopatum ſuum Leucorum civitatem reviſit.*

# SANCTI
# LEONIS NONI
## PRIMUM ROMANUM
## CONCILIUM.

EXpoſita jam Remenſis non eſt prima ſancti Leonis Synodus. Duas priores edicit Hermannus Contractus: *Leo Papa in hebdomada poſt Albas Synodum cum Epiſcopis Italiæ Romæ celebravit. Idem in hebdomada Pentecoſtes aliam Synodum Papiæ congregavit, indeq; per montem Jovis cum plurimis Romanorum in Ciſalpinas partes devenit.* Facta hæc dicit anno iſtius ſæculi quadrageſimo nono. Romanam Synodum laudat etiam ſancti Benigni Chronicon, dicens ad ipſam convocatos fuiſſe & Gallicanos Epiſcopos, *ad pertractandum ibi de ſtatu & correctione ſanctæ Eccleſiæ.* Palmaria ejus Decreta & Acta edicit ſanctus Petrus Damiani in libro gratiſſimo ad Henricum Archiëpiſcopum Ravennatem: *Quis neſciat uſque ad Henrici* tertii *clementiſſimi Regis Imperium, Præſulatumq; reverendæ memoriæ Clementis Papæ* ſecundi, *Iſtinſq; beatiſſimi Leonis* noni *Apoſtolici, quo nunc videlicet Præſule ſancta ſe gubernari gratulatur Eccleſia, per Occidentalia* Cap. 27. A. 1446.

Ppp *Regna*

Cap. 29. *Regna virus Simoniacæ Hæreſios lethaliter ebulliiſſe, ita ut quod paſſim fiebat licenter admiſſum, ultoriæ animadverſioni nequaquam duceretur obnoxium, & quod erat omnibus conſentaneum, pro regula tenebatur tanquam legali ſanctione decretum.* Et infrà: *Otioſum eſſe non credimus, ſi quid ſuper hoc negotio venerabilis Leo Papa ſtatuerit, exponamus. Nam cum omnes Simoniacorum ordinationes Synodalis vigoris auctoritate caſſaſſet, protinùs à Romanorum multitudine Sacerdotum magna ſeditionis tumultus exortus eſt, ita ut non ſolùm ab ipſis, ſed à pleriſque diceretur Epiſcopis, omnes penè Baſilicas Sacerdotalibus Officiis deſtitutas, & præcipuè Miſſarum ſolemnia ad ſubverſionem Chriſtianæ Religionis, & deſperationem omnium circumquaque Fidelium funditus omittenda. Quid plura? Poſt longa ſanè hinc inde diſceptationum volumina tandem ſuggeſtum eſt, reverendæ memoriæ nuper ejuſdem ſedis Epiſcopum decreviſſe Clementem, ut quicumque à Simoniaco conſecratus eſſet, in ipſo ordinationis ſuæ tempore non ignorans Simoniacum, cui ſe obtulerat conſecrandum, quadraginta dierum pœnitentiam ageret, & ſic in accepti ordinis officio miniſtraret. Quam nimirum ſententiam protinus venerabilis Leo ratam percenſuit, & ſub hujuſmodi pœnitentia omnes in acceptis officiis de cætero perſeverare mandavit. Nam & nonnullos hodiè conſpicitis, qui dum à talibus per diverſos gradus fuerant ordinati, ab eodem Summo Pontifice ad Epiſcopatùs apicem ſunt provecti.* Et in operis præfatione: *De iis, qui gratis ſunt à Simoniacis conſecrati, quanta jam per triennium in tribus Romanis Conciliis fuerit diſceptatio, quamq; perplexa & confuſa dubitatio, & in iis partibus quotidiè ventiletur, Sanctitatem veſtram latuiſſe non arbitror, præſertim cum, creſcente fluctuationis ambiguo, eatenùs ſit proceſſum, ut nonnullos conſtet Epiſcopos ab illis ordinatos Clericos denuò conſecraſſe.* Ait ſe à multis Epiſcopis aliquos de iſto dubio Commentarios fuiſſe rogatum, & proſequitur: *Cum mihi recurreret in memoriam, quia venerabilis Papa Leo in poſtrema Synodo omnes Epiſcopos ex divina obteſtatione rogaverit, quatenùs Dei miſericordiam in commune depoſcerent, ut quid ſuper hoc ſcrupuloſo negotio decernendum eſſet, nutantibus revelaret; ejus me arbitratus ſum obſecundare prorſus imperio, ſi vel orando vel ſcribendo tam difficilem nodum de Eccleſia ſolvere, supernâ illuceſcente gratiâ, potuiſſem.* Scriptum eſt hoc opuſculum anno poſt milleſimum quinquageſimo ſecundo, ideoque tres Romanæ per ipſum laudatæ Synodi ſunt omninò Leonis noni.

Simoniacam, etiam quo ad ſacros Ordines, Hæreſim uſque ad Henrici tertii Imperatoris tempora fuiſſe graſſatam in Latina Eccleſia, & paucos hinc indè dumtaxat Clericos & Monachos ab ipſa manſiſſe mundos, eſt ſupra oſtenſum. Idololatris, aliiſque cunctis in perſecutione

lapſis

lapſis Chriſtianæ reconciliationis ſacramentalem pacem, etiam in vitæ extremo, negavit olim Eccleſia, verùm ob nimiam ſub Gallo, Voluſiano, ac Decio Imperatoribus lapſorum multitudinem, ne quaſi plenè viduaretur Eccleſia, varias ipſorum claſſes diſtinguere cæpit ſanctus Cyprianus, & mitioribus dare ſub certis conditionibus gratiam pacis. Ex eodem principio ob plenum, quos omnes à Clero ad Laïcos quaſi indiſpenſabiliter proſcripſerat, Simoniacis Occidentem, ne ubique clauderentur Eccleſiæ, triplicem ipſorum ſpeciem diſtinxit in ſua Synodo Clemens ſecundus: Simoniacos Simoniacè à Simoniacis ordinatos, Simoniacos Simoniacè à non Simoniacis ordinatos, & non Simoniacos non Simoniacè ordinatos à Simoniacis. Et hæc tertia ſpecies etiam eſt duplex. Quandoque enim quis mundus per ignorantiam, quandoque vitii conſcius permittit ſe à Simoniaco conſecrari. Præcipua difficultas fuit de hiſce poſterioribus. Laudatus Clemens utrorumque probavit & ratum habuit, ac diſpenſatoriè ad executionem admiſit ordinem, poſterioribus tamen, qui ſcientes ſe permiſerant conſecrari à Simoniaco, imponens pœnitentiam quadraginta dierum. Erat non modica gratia, ideoque tamquam antiquæ diſciplinæ diſſipatoria patuit multorum oblocutionibus. Eam aliqui Epiſcopi fuerunt adeò averſati, ut quaſlibet Simoniacas etiam tertiæ claſſis ordinationes ducerent ſubſtantialiter irritas, exufflarent, atque iterarent. Ex ipſis fuiſſe videtur etiam noſter Papa Leo, utpote de quo in opuſculo de ſua apud Mediolanum Legatione ſcribat laudatus Petrus Damiani: *Noſtra memoria nonus Leo Papa pleroſq; Simoniacos & malè promotos tamquam noviter ordinavit.* Notandæ tamen ſunt voces, *Pleroſq; Simoniacos*: Vox enim, *Pleroſq;* importat diſcretionem. Et tertiæ Claſſis ordinati non ſunt veraciter Simoniaci, ſed Simoniacorum dumtaxat communione maculati. Hinc ſolas duas priores Claſſes videtur Leo reordinaſſe. Quidquid ſit, in tertiæ etiam Claſſis reordinationem propendit in præſenti Synodo, recedendum duxit à facta per Clementem ſecundum gratia, & penitus omnes Simoniacorum ordinationes caſſandas. Verùm Domini Cardinales, & plures Epiſcopi interceſſerunt, aſſerentes hâc viâ omnes cuncto ſuo clero viduandas, adeoque & claudendas Eccleſias, & provocantes ad laudatum Decretum Clementis ſecundi, Prædeceſſoris auctoritatem defendendo coëgerunt reſilire Leonem, de Simoniacorum ordinationibus liberas diſputationes admittere, & idem cum Clemente tandem definire.

Imò non definivit, ſed eſt dumtaxat interlocutus. Reordinatores enim adeò bene coloratis argumentis fucabant errorem, ut quaſi inter malleum & incudem hæreret Pontifex, ideoque publicas toti Eccle-

ſiæ preces indiceret, divini in tanto obſcuro ac perplexo luminis expoſtulatrices. Erat quæſtio de ſola tertia Simoniacorum claſſe: De ſolis non Simoniacis, licet ſcienter, gratis tamen, ſeu non Simoniacè per Simoniacos Epiſcopos ordinatis. Eos utraque pars conſentiebat in gradu ſuo diſpenſatoriè ſuſtinendos: Verùm una per ſolam pœnitentiam, altera per reordinationem. De duabus prioribus ac fœdioribus Simoniacorum claſſibus erant concordes: Utraque pars ipſos cenſuit perpetuò rejiciendos ad ſortem Laïcam, ideoque de ſubſtantiali ſimilium ordinationum valore non fuit ſcrupuloſius diſquirendum. Et nulla tunc Synodus, nullus Pontifex hoc vel iſtud definivit. Eas quidem ordinationes dixerunt caſſas, irritas, nullas: Verùm voces iſtæ ſunt æquivocæ, & tam ſolius executionis quàm ſubſtantiæ vacuitatem important. Et quo in ſenſu acciperentur à Synodis tunc aut Pontificibus, nullibi ſcio deciſum. Et quoniam non ſoli communes Epiſcopi, ſed & ipſi Romani Pontifices ac ipſorum Legati dictas Simoniacorum ordinationes exufflarunt & iterarunt, dudum unicuique permiſſum fuit in ſuo ſenſu abundare.

Et hinc ſolùm præſens Clementis ſecundi ac Leonis noni Decretum defendit ſanctus Petrus Damiani: Acriter & meritò. Etenim Arianos, Novatianenſes, Apollinariſtas, Eunomianos, Donatiſtas, Neſtorianos, alioſque Schiſmaticos atque Hæreticos in ſuis etiam Hæreticè ibidem ſuſceptis gradibus ſemper ſuſcepit Eccleſia, ideoque non Simoniacos, licet ſcienter, tamen non Simoniacè à Simoniacis ordinatos cenſuit iſta gratia eſſe longè digniores. Simoniacam lepram uſque ad Leonis noni tempora ait fuiſſe univerſale crimen, imò pro crimine non reputatam in Latina Eccleſia, & adjungit: *Quid ergo commeruit, quid pec-*
Cap. 27. *cavit, qui Matrem ſuam Eccleſiam, in qua ex aqua & Spiritu ſancto renatus eſt, ſimpliciter adiit, atque ubi Baptiſmum, illic etiam gratiam conſecrationis accepit? Suum quippe non erat, ut de conſecraturi ſe perſona diſputare debuerit, propterea quem apud Eccleſiam ſuam præſidere in Epiſcopali Cathedra reperit, ab eo ad ordinem promoveri integrum duxit. Quid enim faceret, cui & nomen dare in profeſſione ſacra militiæ neceſſitas imminebat, & migrare tamen ad aliena Diœceſis Epiſcopum non licebat?* Simoniacas tertiæ claſſis ordinationes affirmat non in Schiſmate aut Hæreſi, ſed in Catholica Eccleſia acceptas, & quidem ab Epiſcopo, cujus uti Baptiſma, ita conſecratrix manus judicari non poterat aut refutari. Gregorii enim ſeptimi, qui Simoniaci Epiſcopi aut Presbyteri divina Officia recipi vetuit, Canon necdum exſtabat. Iſtas ordinationes aſſerit acceptas per cæcam & ſimplicem obedientiam, in ipſis nullum eſſe ſuſcipientis crimen, ideo-

Digitized by Google

ideoque nullatenùs caſſandas. Quod ipſum inſigniter confirmat per trigeſimum Apoſtolicum Canonem: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur & ipſe, & Ordinator ejus.* Damnantur ſolæ prima & ſecunda Simoniacæ ordinationis claſſes, ideoque affirmat Canonem non debere ad tertiam extendi. Cap. 35.

Urget & varias reordinationum ac reordinantium exceſſus atque abſurditates: *Ut omnia illis conſtet provenire confuſa, hoc etiam adverſus Canones agunt, quia cunctos ſimul gradus in reconſecratione ſuſcipiunt. Unde cum de quodam mihi noto, quia nuper conſecratus fuerit, comperiſſem, fateor, exhorrui facinus. Quid plura? Tandem conveni hominem. Numquid, inquam, jam in te erat aliquid ex his gradibus, quos nuper ab Epiſcopo ſuſcepiſti? Nihil prorſus, ait: Ut quid enim acciperem, ſi me habere conſtaret? Et adjeci: Ergo à Laïco nihil diſtabas, imò Laïcus prorſus eras. Etiam, inquit, purus profectò Laïcus, ut puta qui de Clerico nihil habuerim. Sed ſi Laïcus, inquam, ipſo die, quo Laïcus eſt, ad Sacerdotii jura proruperit, tuo quoque judicio ſit Neophytus, ac proindè procul dubio deponendus. Ad hæc ille confuſus obmutuit, & concluſionis neceſſitatem, quia labefactare non potuit, tacendo firmavit. Illud quoque non levioris videtur eſſe veſaniæ, quia Reconſecratores novi non præfixa Canonibus jejunia curant, non Sabbatha conferendis ſacris Officiis dedicata conſervant, ſed quocumque menſe vel feriâ munus inordinatæ ordinationis indifferenter uſurpant, tamquam prima conſecratio hanc ſecundæ conſecrationi licentiam præbeat, ut confuſis ordinibus, utpote ſimul datis, etiam temporum ſtatuta confundat, & hoc in reconſecratione ſit licitum, quod ipſi etiam in conſecratione omnimodis teſtantur abſurdum.* Ex hiſce manifeſtis prævaricationibus Reordinatores non duci divino Spiritu, ideoque reordinationes eſſe ſacrilega Attentata non malè credidit ſanctus Petrus Damiani. Cap. 33.

Aliud hujus Synodi Decretum laudat idem Petrus in litteris ad Cunibertum Epiſcopum Taurinenſem: *In plenaria planè Synodo ſanctæ memoriæ Leo Papa conſtituit, ut quæcumque damnabiles fœminæ intra Romana mœnia reperirentur Presbyteris proſtitutæ, ex tunc & deinceps Lateranenſi Palatio adjudicarentur Ancillæ. Quod videlicet ſalutare ſtatutum, æquitatis juſtitiæq; pleniſſimum, nos etiam per omnes Eccleſias propagandum eſſe decernimus, quatenùs percepto priùs Apoſtolicæ Sedis Edicto, unuſquiſque Epiſcopus Eccleſiæ ſuæ vindicet famulas, quas in ſua Parochia deprehenderit ſacrilegâ Presbyteris conjunctione proſtratas. Æquitatis ſcilicet jure, ut quæ ſacris Altaribus rapuiſſe ſervorum Dei convincuntur obſequium, ipſæ hoc ſaltem Epiſcopo per diminuti ſui capitis ſuppleant famulatum.* Decreta hæc fuiſſe anno poſt milleſimum quadrageſimo nono, adeoque in prima Lib. 4. Ep. 3.

Leonis Romana Synodo, diſertè teſtatur Hermannus Contractus.

Eadem igitur in Synodo ſtatutum videtur, quod laudat antiqua incogniti Auctoris Hiſtorica compilatio: *Leo Papa conſtituit, ut juxta Eccleſias fiant Clauſtra ad diſciplinam ſervandam.* Suo loco laudatum ſancti Rigoberti Remenſis Archiëpiſcopi inſtitutum homo Gallus è Gallia traduxit, aut potius reduxit in Italiam, per ipſum conatus reparare Clericalem continentiam, ac deinceps cuſtodire. Hujus vigore Decreti ſanctus Petrus Damiani regularem Clauſtri vitam multis impoſuit Cathedralibus Italiæ Eccleſiis, conditam olim ab Aquiſgranenſi per Ludovicum Pium Imperatorem Synodo regulam ceſſare fecit ob enumeratos ſuo loco nœvos, & cunctis regularibus Clericis tradidit Regulam ſancti Auguſtini. Ex eodem Decreto Alexander ſecundus Regulares Clericos Baſilicæ Lateranenſi præfecit, atque inſtituit ſanctiſſimam ac doctiſſimam Lateranenſem Congregationem, è cujus ſolo principali Monaſterio Romana Eccleſia accepit Honorium ſecundum, Innocentium ſecundum, Lucium ſecundum, Alexandrum tertium, Honorium tertium, plurimoſque Cardinales. Quod quomodo poſt variam fortunam ad ſæculares Clericos tandem redierit, videre poſſis apud Onuphrium Panuinum in opere de ſeptem Baſilicis Romanæ urbis.

Porrò Leonis noni de Romanorum Clericorum uxoribus in Lateranenſis Eccleſiæ ſervitutem tradendis Decretum fuiſſe poſteà ad omnes Eccleſias extenſum non lego. Petrus Damiani nequiit extenſionem impetrare. Omittere tamen nolim Stephani noni Pontificis de iſta re ſtatutum: *Cum Papa Stephanus, qui zeli Phinees æmulabatur ardorem, omnes Clericos Romæ, qui poſt interdictum Papæ Leonis incontinentes exſtiterant, de Conventu Clericorum & Choro Eccleſiæ præcepiſſet exire, ut quamquam relictis fœminis per pœnitentiæ lamenta ſe corrigerent, tamen quia ſancto viro inobedientes fuerant, & de Sacrario ad tempus exirent, & celebrandæ Miſſæ licentiam de cætero non ſperarent, juxta Canonicam beatæ Ceciliæ Transtyberim conſtitutam Presbyter habitabat, qui nec fœminam ullo modo acquieſcebat abjicere, nec unquam poterat hæc ſtatuta niſi vana prorſus & frivola judicare. Quadam itaq; die, dum incolumis, vegetus & robuſtus exiſteret, veſpertinis horis ad quieſcendum in lecto ſe compoſuit.* Ait ipſum fuiſſe ſubitò exſtinctum, & ſepultura aſini ex ſuo juſſu ſepultum. Proindè & Leonis & Stephani Decreta erant pro ſolis Clericis Romanis.

Lib. 4. Epiſt. 3.

SAN-

Digitized by Google

# S. LEONIS NONI

## CONCILIUM

## PAPIENSE.

QUid in Papienſi Synodo decretum fuerit, ignoramus. Eam enim laudari lego à ſolo Hermanno Contracto. Haud dubiè Romana decreta fuerint illic innovata, & ad Lombardiæ ac vicinarum Regionum Epiſcopos & Clericos extenſa. Præſertim ad Mediolanenſes, quos non ſolum Simonia & incontinentia, ſed & Schiſmatica adverſus Apoſtolicam Sedem contumacia laboraſſe, expertus etiam poſteà fuit ſanctus Petrus Damiani, Nicolai ſecundi Pontificis Legatus, adverſus quem, quod ſeſe in medio, Collegam ſuum Anſelmum Lucenſem Epiſcopum à dextris, Guidonem Archiëpiſcopum collocaret à ſiniſtris, *factione Clericorum repente in populo murmur exortum fuit, non debere Ambroſianam Eccleſiam Romanis legibus ſubjacere, nullumq; judicandi vel diſponendi jus Romano Pontifici in illa ſede competere. Nimis indignum, inquiebant, ut quæ ſub progenitoribus noſtris ſemper exſtitit libera, ad noſtræ confuſionis opprobrium nunc alteri, quod abſit, Eccleſia ſit ſubjecta.* Eandem Mediolanenſis Eccleſiæ contumaciam notant etiam in litteris ad Guilielmum Papienſem Epiſcopum Gregorius ſeptimus, & in litteris ad ipſos Mediolanenſes ſanctus Bernardus. Lib. 1. Ep. 12. Italia olim & quoad Civilem & quo ad Eccleſiaſticam adminiſtrationem diviſa fuit in duas Diœceſes, Urbicariam & Italicam: Illius Dominus Papa, hujus caput & Metropolita erat Epiſcopus Mediolanenſis. Et hinc in litteris ad Solitarios ſcribit ſanctus Athanaſius: *Dionyſius Epiſcopus Mediolani, quod eſt Italiæ Metropolis.* Hinc item alia Romæ, alia erat Italiæ Synodus, aliique hinc inde ritus & mores, adeò ut quibuſdam, quempiam Romanum in Baptiſmo ritum ſuæ Eccleſiæ imponere volentibus, reſponderit in libris de Sacramentis ſanctus Ambroſius: *In omnibus cupio ſequi Romanam Eccleſiam, ſed tamen & nos homines* L.3. c.1. *ſenſum habemus, ideoq; quod alibi rectius ſervatur, & nos rectè cuſtodimus.* Ex his ergo principiis Mediolanenſes Clerici prætendebant exemptricem à Romana Synodo & Patriarchico jugo Antocephaliam, ideoque ejus nova adverſus Simoniam & Clericales nuptias decreta blaterabant ad

ſe

Digitized by Google

ſe non pertinere. Eadem forſan de cauſa Romanam Leonis Synodum accedere detrectarant Longobardorum Epiſcopi, ideoque ad ipſos deſcendere compulſus fuit Pontifex, & quidem non in Mediolanenſi Metropoli, ſed in Papienſi Civitate agere Synodum, utpote à perduellibus metuens iſtas contumelias, quas poſtmodum pertulit Nicolai ſecundi Legatus Petrus Damiani. Papienſis civitas, licet intra Italiam ac Longobardiam, ſemper tamen ſpectavit immediatè ad curam & Synodum Metropolitæ Romani. Quidquid ſit, parum apud Mediolanenſes profecit hæc Synodus. Lucet ex laudata legatione Petri Damiani.

---

# S. LEONIS NONI

## CONCILIUM

# MOGUNTINUM.

TErtia ſancti Leonis Synodus fuit jam expoſita Remenſis, quarta fuit Moguntina. Ita lucidè affirmant ſancti Benigni Chronicon, Hermannus Contractus, & Chronicon Eccleſiæ Auguſtenſis. Eam affirmant celebratam anno iſtius ſæculi quadrageſimo nono, adeoque omnes jam dictæ quatuor ſunt ejuſdem anni. Eandem Synodum laudat Chronicon Monaſterii Lauriſhamenſis: *Leo Papa Moguntiæ Synodo habita, multa de Eccleſiaſticis ſanctionibus diſpoſuit.* Confirmavit enim illic Canones Remenſes. Et Lambertus Schafnaburgenſis: *Leo Papa propter componendum ſtatum Eccleſiarum, & pacem Galliis reddendam, Romà egreſſus, Moguntiæ Synodum celebravit, præſidente Imperatore cum quadraginta duobus Epiſcopis.*
A.1050. *Ubi Sibecho Spirenſis Epiſcopus de criminibus, quibus accuſabatur, ſacrà communione ſe purgavit. Et Dux Godefridus, interventu Papæ & Principum, gratiam Imperatoris obtinuit.* Et in Hirgauzienſis Monaſterii Chronico Abbas Trithemius: *Beatiſſimus Papa Leo ad Moguntiam cum ſuis tandem pervenit, ubi Synodum præſente Imperatore cum quadraginta duobus Epiſcopis, & multis Abbatibus & Clericis celebravit, & multa pro utilitate Eccleſiaſtica conſtituit. In hac Synodo Sibicho Spirenſis Epiſcopus de criminibus quibus accuſabatur, ſacrâ ſe communione purgavit. Hinc ſanctiſſimus Papa,*

*acta*

*acta Synodo Aquiſgranum deſcendit, ibi Imperatorem expeditionem agentem contra Balduinum Comitem Flandriæ, quo uſque verteretur, exſpectavit. Iſte ſanctiſſimus Papa Leo nonus multa in Germania bona fecit; Eccleſias, Capellas, & Altaria in diverſis locis abſque numero propria in perſona conſecravit, & quod Pontificuli plures hodie facere erubeſcunt, ad quod tamen obligati ſunt ratione officii, ſummus Pontifex non obligatus facere non deſpexit.* Notat Germaniæ Epiſcopos, qui laïcis ſuorum temporalium Principatuum curis implicati omne Pontificale officium agunt per Vicarium Epiſcopum, adeoque de ipſo quaſi erubeſcunt. Et Romano Epiſcopo comparati quid ſunt niſi Pontificuli? Et Adamus Bremenſis: *Habita eſt generalis Synodus apud Moguntiam, præſidente Domino Apoſtolico Leone, &* Lib. 3. c.
*Imperatore Henrico, cum Epiſcopis Bardone Moguntinenſi, Eborardo* 21.
*Trevirenſi, Hermanno Colonienſi, Adelberto Hamburgenſi, Engilhardo Magdeburgenſi, cæteriſq; Provinciarum Sacerdotibus. Eo in Concilio quidam Spirenſis Epiſcopus Sibicho, cui crimen adulterii intendebatur, examinatione ſacrificii purgatus eſt. Præterea multa ibidem ſancita ſunt ad utilitatem Eccleſiæ, præ quibus Simoniaca Hæreſis, & nefanda Sacerdotum conjugia holographa Synodi manu perpetuò damnata ſunt. Quod videns Dominus noſter Archiepiſcopus non tacuiſſe probatur. De mulieribus ſtatuit eandem ſententiam, quam deceſſor ejus memorabilis Alebrandus, & anteà Libentius inchoaverunt, ut ſcilicet fierent extra Synagogam & civitatem, ne maleſuada pellicum vicinia caſtos violaret obtutus.* Libentius ille eſt Libentius ſecundus, Libentii primi ex fratre nepos, homo Italus, Bremenſis ſimul & Hamburgenſis Eccleſiæ decimus Archiepiſcopus, de quo in Eccleſiaſtica Saxoniæ Hiſtoria Albertus Crantzius: *Vir ſimplex ac rectus, &* Lib. 4. c.
*timens Deum, qui incontinentiam Cleri, jam paulò ſerpentem liberius,* 11.
*acriter caſtigavit. Nam mulieres, quæ ſe aperto jam ſcelere fratribus conjunxerant, juſſit foras ejici, & in villis cuſtodiæ mancipari. Ceſſavitq; hic morbus uſque ad incenſionem Clauſtri Bremenſis ſub Bezelino Succeſſore ejus.* Bezelinus eſt idem qui Alebrandus, Libentii poſt Hermannum ſucceſſor, ſub quo Clericale clauſtrum à peſſimo Clerico Edone fuiſſe incenſum oſtendit idem Crantzius, & adjungit: *Sanè ex illo tempore fratribus,* Cap. 27.
*qui anteà Canones evixerant, extra clauſtrum vagantibus, Regula ſanctorum Patrum per multa priùs ſecula ſtudioſè conſervata, primò negligentius cæpit haberi, deinde funditus abjecta conſenuit.* Hinc Alebrandi ſeu Bezelini proximus Succeſſor Adelbertus ipſam unà cum Clauſtro reſtitui gaviſus eſt, & cooperatus in præſenti Synodo, ejuſque Decretum fuit ſtrenuè executus. Nec caruit mercede. *Adelbertus* enim, inquit in Sclavorum Chronico Presbyter Hemboldus, *vir magnificus & præpotens in* Lib. 1. c.
*Regno,* 22.

*Regno, cum fortiſſimum Henricum Cæſarem, nec non & Papam Leonem haberet propitios, atque voluntati ſuæ per omnia conſentaneos, in omnibus Borealibus Regnis, Daciæ ſcilicet, Suediæ & Nortwegiæ, functus eſt authoritate Archiepiſcopali, & Legationis Apoſtolicæ Miniſterio. Nec his contentus, Patriarchatûs honorem aſſequi voluit, eo ſcilicet ordine, ut intra terminos ſuæ Parochiæ, duodecim ſtatueret Epiſcopatus.* Plures ſibi ſubjici Archiëpiſcopos, & ipſorum eſſe Primas voluit: Rei ſucceſſum ediſſerunt memorati Crantzius & Hemboldus. Ex his interim vides primos, qui graſſantem tunc Clericorum incontinentiam cæperunt compeſcere & perſequi, non fuiſſe Pontifices Romanos. Item vides Leonis noſtri pro ſola Romana Eccleſia adverſus eandem ſcabiem Decreta, non ſolùm à Gregorio ſeptimo, ſed & ab ipſo Leone ad alias Eccleſias omninò fuiſſe extenſa. Verùm quaſi ſine fructu. Adeò enim apud Mediolanenſem Eccleſiam non profecit laudata Papienſis Synodus, ut etiam Nicolai ſecundi Legatus ſanctus Petrus Damiani ſolam illic Simoniam abjurari exegerit, incontinentiam verò culparit quidem, ſed à vindicta diſſimularit. Gregorio ſeptimo ſervabatur hic triumphus.

Porrò reos per Sacro-ſanctam Euchariſtiam aut Sacrificium purgari eſt Eccleſiæ mos admodum antiquus. Etenim de Epiſcopis in Ariminenſi Synodo per Arianos circumſcriptis in voces doloſas, & de ipſarum Hæreſi ſeſe expurgantibus, ſcribit in libro adverſum Luciferianos ſan-
Cap. 7. ctus Hieronymus: *Conteſtabantur Corpus Domini, & quidquid in Eccleſia ſanctum eſt, ſe nihil mali in ſua fide ſuſpicatos.* Et de Eulalio Comite, trucidatæ Matris ſuſpecto, & inauditum ſe excommunicari lamentante, ſcribit in Francorum Hiſtoria ſanctus Gregorius Epiſcopus Turonenſis:
L. 10. c. 8. *Cauſtinus Alvernenſis civitatis Epiſcopus permiſit eum cum cæteris Miſſarum ſpectare ſolemnia. Verùm ubi ad communicandum ventum eſt, & Eulalius ad Altarium acceſſiſſet, ait Epiſcopus: Rumor Populi parricidam te eſſe proclamat. Ego verò, utrum perpetraveris hoc ſcelus, an non, ignoro. Idcircò in Dei hoc ſtatuo judicio. Tu verò, ſi idoneus es, ut aſſeris, accede propiùs, & ſume tibi Euchariſtiæ particulam, atque impone ori tuo: Erit enim Deus inſpector tuæ conſcientiæ. At ille acceptâ Euchariſtiâ, communicans abſeſſit.* Et Lotharium Lotharingiæ Regem, quod de adulterino cum Waldrada pellice concubitu per ſumptam de Adriani ſecundi Pontificis manu Euchariſtiam mendaciter ſe purgaſſet, malè periiſſe cum omni ſuo exer-
An. 869. citu ſcribunt Regino Abbas, Marianus Scotus, & Sigebertus Gemblacenſis. Et de Frederico Moguntino Archiëpiſcopo, læſæ Majeſtatis apud Ottonem primum Imperatorem ſuſpecto, laudatus Regino pergit:
An. 941. *Fredericus Archiëpiſcopus, quia conſpirationis particeps videbatur, publicâ*

*ſe*

*ſe examinatione, perceptione Corporis & Sanguinis Domini, coram Populo in Eccleſia purgavit.* Et ſub Adriano ſecundo celebrata Wormatienſis Synodus ſtatuit: *Si Epiſcopo aut Presbytero cauſa criminalis, hoc eſt, homicidium, adulterium, furtum, & maleficium imputatum fuerit, in ſingulis Miſſam celebrare, & Secretam publicè dicere, & communicare debet, & de ſingulis ſibi imputatis innocentem reddere. Quod ſi nòn fecerit, quinquennio à liminibus Eccleſiæ extraneus habeatur, ſicut antiqui Canones inſtituerunt.* Cap. 10. Et infrà: *Sæpè contingit, ut in Monaſteriis furta perpetrentur, & qui hæc committunt ignorentur. Idcircò ſtatuimus, ut quando fratres ipſi de talibus ſe expurgare debeant, Miſſa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo cui ipſe Abbas præceperit, præſentibus fratribus, & ſic in ultima Miſſa celebratione pro expurgatione ſua Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti percipiant, quatenùs ita inde innocentes ſe eſſe oſtendant.* Cap. 15. Et Canuti Anglorum Regis apud Joannem Bromptonum lex: *Si contingat Sacerdotem regulariter viventem aliquâ criminum compellatione pulſari, Miſſam celebret, ac ſanctâ communione ſe purget. Solus ſolum, ſi compellatio ſimplex ſit, in triplici calumnia cum duobus ſui Ordinis.* Cap. 3. Duriorem probationem imponit Regularibus Diaconis, ac etiam Plebæis, ſeu Sæcularibus extra Clauſtrum Sacerdotibus. Et pergit: *Si quis Altari Miniſtrantium accuſetur, & amicis deſtitutus ſit, cum Sacramentales non habeat, vadat ad judicium, quod Anglicè dicitur Corſned, & fiat ſicut Deus velit, niſi per ſanctum Domini Corpus permittatur ut ſe purget.* Cap. 6. Quid porrò ſit Corſned, exponit in ſuo Gloſſario Gulielmus Somnerus: *Anglo-Saxonibus erat in more poſitum, panem certis quibuſdam diſtinctis ſententiis conſecratum reo guſtandum offerre. Habebant enim penitùs inſitam opinionem, non poſſe quemquam mali conſcium hoc modo dedicatum panem glutire. Offam judicialem dixere.* Earundem legum ex Anglico in Latinum tranſlator Guilielmus Lombardus vertit: *Panem execratione devotum, panem certis verbis devotum, panem conjuratum.* Erat vulgaris purgationis ſpecies, quarum omnium Elementa, uti apud Hebræos aqua Zelotypiæ, conſueſſe olim partim benedictionibus, partim exorciſmis parari, ſcribit in libris de Lotharii Regis divortio Hincmarus Metropolita Remenſis. Euchariſtiâ igitur purgari ſolas, de quarum firma in tantum Sacramentum fide ac reverentia nullus eſſet metus aut periculum, eminentes & notas perſonas permittebat tunc Anglicana Eccleſia, reliquos adſtringebat ad Dei judicium per Panem conjuratum. Eccleſiæ enim precibus & exorciſmis cooperatur divina Majeſtas, panemque iſtum mendaciter ſumentes ſolebant diſrumpi. Ejuſdem mentis fuit Robertus Francorum Rex in Epitome Helgaldi Monachi Floriacenſis: *Præſuli cuidam,*

Leoterico Senonenſi Archiëpiſcopo, *quærenti pro quibuſdam cauſis probationem in Corpore Domini noſtri Jeſu Chriſti*, *indignè tulit Rex amator bonitatis, & ſcripſit plenam indignationis Epiſtolam in hæc verba*: *Cum ſit tibi nomen ſcientiæ, & non luceat in te lumen ſapientiæ, miror qua ratione quæſieris pro tuis iniquiſſimis Imperiis, & pro infeſtato odio, quod erga Dei ſervos habes, examinationem in Corpore & Sanguine Domini. Et cum hoc ſit, quod à Sacerdote dicitur, Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tibi ſalus animæ & corporis, cur tu temerario & polluto ore dicas, Si dignus es accipe, cum ſit nullus qui habeatur dignus?* Videtur Rex ſupremum Eccleſiæ Sacramentum vario indignæ ſumptionis periculo noluiſſe exponi. Forſan tamen corripuerit ſolos Leotherici exceſſus. Quomodò damnaſſet morem vetuſtiſſimum Gallicanæ Eccleſiæ?

Aliud enim hujus probationis inſigne exemplum habemus in Gerfredo Monacho ac Diacono Monaſterii Flaviniacenſis. Adalgarium Auguſtodunenſem Epiſcopum ferebatur veneno occidiſſe: Verùm nullus erat firmus accuſator, peſſima interim fama omnem Regionem affligebat. Quare Lugdunenſis Metropolita Aurelianus illum diſcuſſum priùs Synodaliter, & de tanti Sacramenti reverentia horrendè adjuratum, tandem admiſit & ad Euchariſticam coëgit in plena ſuæ Provinciæ Synodo expurgationem: *Quod omnibus uſquequaque ſatis fuit.* Gualo Auguſtodunenſis Epiſcopus coram omni Populo celebravit Miſſarum ſolemnia, *Et tunc ſuprafatum præmonuit virum, ut ſicut ſibi ipſi conſcientia dictaret, ad Sacra ſumenda, aut etiam refugienda, quoquo vellet modo, ſe ipſum præfigeret. Qui in nullo hæſitans, Deum ſibi, & ipſum, quod percepturus erat, redemptionis pretium in teſtimonium & judicium invocans, fidiſſimè omnibus in proſpectu poſitis, quæ ſuprà fuerant præfixa votis omnibus peregit.* Ita fuit omni ſuſpicione liberatus. Exſtant Acta apud Ja-
Fol 532. cobum Sirmondum in tertia parte Gallicarum Synodorum. Et in Hiſtoria ſua ſcribit Glaber Rudolphus: *Exſtitit quidam noſtro tempore in*
L. 5. c. 1. *Clericali habitu, dum jure culparetur quodam crimine, contigit ut ſumeret audacter judicio examinationis donum Euchariſtiæ, Calicis videlicet Sanguinis Chriſti. Cui protinus per medium umbilici egredi viſa eſt pars candidiſſima, quam ſumpſerat, ejuſdem ſacrificii, dans procul dubio evidens indicium reatûs ſe indignè percipientis. Illicò verò confitens quod priùs negaverat, dignè pœnituit.* Et de Juditha Bavariæ Duciſſa, & Abrahamo Friſingenſi Epiſcopo ſcribit Ditmarus Epiſcopus Merſeburgenſis: *Juditha in ſua viduitate continenter vivens, cum Abraham Epiſcopum præ cæteris diligeret, invido vulgari dente dilaniabatur. Quæ cum de hac luce migraret, in die depoſitionis ſuæ ab eodem Antiſtite Miſſam cantante ſic expurgatur. Ante*

com-

*communionem is verſus ad Populum, quæ merita ejus fuerint, circumſtantibus indixit. Hoc, inquit, delictum, quo defamata fuit, ſi hæc unquam commiſit, faciat omnipotens Pater Filii ſuimet Corporis & Sanguinis ſalutare* Lib. 2.
*remedium mihi provenire ad judicium, & ad debitam damnationem, animæq; ejus ad perpetuam ſalvationem. Et tunc cum corporis & mentis innocentia ſumpſit unicum cunctis fidelibus remedium. Creditiq; Populus, quamvis ſerò, & cum detractione injuſta plus ei profuit, quam nocere ſtatuerit.* Et de Gregorio ſeptimo Pontifice, ac Henrico quarto Imperatore, invicem variè accuſantibus, ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis: *Papa* A.1077.
*Miſſarum ſolemnia celebravit, confectaq; ſacra oblatione, Regem cum cætera, quæ frequens aderat, multitudine ad Altare evocavit, præferenſq; manu Corpus Dominicum, Ego, inquit, jampridem à te, tuiſq; fautoribus litteras accepi, quibus me inſimulabas Sedem Apoſtolicam per Simoniacam Hæreſim occupaſſe, & aliis quibuſdam tam ante quàm poſt acceptum Epiſcopatum criminibus vitam maculaſſe, quæ mihi ſecundùm ſcita Canonum omnem ad ſacros Ordines acceſſum obſtruxerint. Et licet multorum idoneorum certè teſtium adſtipulatione crimen refellere queam, eorum ſcilicet qui omnem vitæ meæ ab ineunte ætate inſtitutionem integerrimè noverunt, & eorum qui meæ ad Epiſcopatum promotionis Auctores fuerunt, ego tamen, ne humano potiùs quam divino videar niti teſtimonio, ut ſatisfactionis compendio omnem omnibus ſcandali ſcrupulum de medio auferam, ecce Corpus Dominicum, quod ſumpturus ero, in experimentum mihi hodiè fiat innocentiæ meæ, ut omnipotens Deus ſuo me hodie judicio vel abſolvat objecti criminis ſuſpicione, ſi innocens ſim, vel ſubitanea interimat morte, ſi reus. Hæc & alia, ut ſolemne eſt, præfatus verba terribilia, quibus Deum cauſæ ſuæ æquiſſimum Judicem, & innocentiæ aſſertorem adeſſe precabatur, partem Dominici Corporis accepit & comedit. Qua liberrimè abſumpta, cum Populus in Dei laudes, innocentiæ ejus congratulatus, aliquamdiu acclamaſſet, tandem impetrato ſilentio converſus ad Regem; Fac ergo, inquit, Fili, ſi placet, quod me facere vidiſti.* Verùm rea conſcientia torquebat Regem, ideoque tremendam hujus purgationis viam admittere non fuit auſus. Notanda ſunt verba, *Ut ſolemne eſt*: Exprimunt conſuetos iſtius purgationis ritus. Et iſtiuſmodi exempla ſunt apud antiquos longè plura. Porrò in ſolum humanarum probationum defectum adhibita ſemper fuit tremenda hæc purgatio, ideoque Gregorii ſeptimi, ipſa uſi etiam in iſtorum argumentorum copia, exemplum eſt ſingulare ob ſingulares rationes, nec facilè imitandum.

Nati inter Godefridum, Gozelonis Lotharingorum Moſellanorum Ducis filium, & Henricum tertium Imperatorem belli, ſeu potiùs rebel-

A. 1044. bellionis originem prodit Lambertus Schafnaburgenſis: *Gozelo Lotharingorum Dux obiit, cujus filius Godefridus nobiliſſimæ indolis juvenis, atque in re militari admodùm exercitatus, quia Ducatum Patris ſui non potuit obtinere, arma contra Rempublicam corripuit, Adelbertum Ducem, quem Rex Patri ejus ſubrogaverat, prœlio victum occidit, cædes hominum & depopulationes agrorum quàm maximas fecit, loca omnia uſque ad Rhenum, præter ea quæ vel murorum præſidio hoſtilem impetum ſubterfugiebant, vel ſe data pecunia redemerant, in cinerem redegit.* Exponit hæc in ſuis ad

Lib. 2. Witichindum Monachum notis Henricus Meibomius: *Carolorum & Ottonum temporibus in Romano Imperio Ducatus non erant hæreditarii, ſed à Ducibus tamquam Præſidibus & Legatis adminiſtrabantur.* Antiqua Francorum Reſpublica conſtabat Rege, Ducibus & Comitibus: Duces Provinciarum, Comites erant Rectores civitatum ad nutum & arbitrium Regis. Dux duodecim paſſim Comites, Comes varios Vicecomites, Centenarios, alioſque Oppidorum aut Pagorum Præfectos ſub ſe habebat. Quæ regiminis forma & in Galliæ Regno, & in Germanico Imperio rectè dicitur viguiſſe temporibus Carolorum & Ottonum. Quomodò enim Giſlibertum, ex paterna ſucceſſione prætenſum Lotharingiæ Ducem, humiliarit atque expulerit, Ducatumque tandem fratri ſuo Brunoni Colonienſi Archiëpiſcopo dederit Otto primus,

Lib. 2. habes in Annalibus laudati Witichindi. Ita igitur & Godefridus Paternam adminiſtrationem tentavit in hæreditatem vertere, pergitque Mo-

A. 1045. nachus Lambertus: *Dux Godefridus à Rege in deditionem acceptus, in Gibekenſtein miſſus eſt cuſtodiendus, ſicq; Regnum brevi tempore quietum & pacatum manſit.* Uſque ad ſequentem annum. Tunc enim *Godefridus Dux cuſtodiâ abſolutus, dum videret nec interceſſionem Principum, nec deditionem, quam ſpontè ſubierat, ſibi aliquid profuiſſe, & rei indignitate ac inopiæ familiaris tœdio permotus, bellum rurſus de integro ſumpſit. Inter alias, quas Reipublicæ intulit clades, Neomagum domum Regiam, miri & incomparabilis operis, incendit, civitatem Virdunenſem capit, majorem in ea Eccleſiam concremavit. Sed poſt modicum facti eum in tantùm pœnituit, ut publicè ſe verberari faceret, & capillos ſuos, ne tonderentur, multa pecunia rêdimeret, ſumptus ad reædificandam Eccleſiam daret, & in opere cæmentario per ſemetipſum plerumque vilis mancipii miniſterio functus deſerviret.* Graviorum facinorum reos Reges ac Principes olim Epiſcopi in Clericos, Monachos, aut Pœnitentes detondebant: Et uti ſolemnis pœnitentiæ manus Epiſcopum, Presbyterum aut Diaconum, ita hæc Tonſura Regem, ipſumque etiam Auguſtum Principem exuebat dignitate, ejuſque recuperandæ faciebat incapacem, ac indiſpenſabiliter irregularem.

Digitized by Google

rem. Plurima habemus & Græcæ & Latinæ, & in primis & in mediis
ſæculis, Eccleſiæ exempla. Adeò labuntur qui exiſtimant Reges ab Ec-
cleſia non poſſe exauctorari. Et hinc Dux Godefridus magis Virdunen-
ſem timuit Epiſcopum, quàm Henricum Imperatorem: Iſtius manum
noverat omni hujus exercitu ad degradandum eſſe longè potentiorem.
Hinc ejus tonſuram, imò ſolum tonſuræ metum tanta & pecunia & hu-
militate redemit, ſecurè deinceps adverſus Henricum cum aſſumpto in
rebellionis conſortium & auxilium Balduino Flandrenſium Comite mili-
taturus. Eis adhæſit & Theodoricus Hollandiæ Comes, totaque è Lotha-
ringia Henricum excluſerunt. Rebelles ſacris interdixit Leo Pontifex,
verùm quod Eccleſiæ gladium contemnerent, ad mitiora pacis conſilia
converſus eſt, ſcribitque de ipſo Sigebertus Gemblacenſis: *Leo Papa
Godefridum Imperatori reconciliavit, Balduino pertinacius agente, contra
eum Imperator exercitum duxit, ſed tandem Balduinus flexus condicto die
Aquis Imperatori ſatisfecit.* Et Hermannus Contractus: *Godefridus Aquiſ-* A.1049.
*granum venit, & opitulante Papa gratiam Imperatoris promeruit. Balduinus
verò utrumque contemnens, vaſtata ab exercitu magna ex parte Provincia ſua,
tandem obſides dedit, & pactum cum Imperatore fecit.* Bellum iſtud, cui
ipſe Leo Pontifex adfuerit, & Eduardus Anglorum Rex ſuppetias de-
derit, fuiſſe in Flandros duriſſimum ſcribit Simeon Dunelmenſis. Ja- A.1049.
cobus Meierus affirmat Henrico Cameracum & Antverpiam fuiſſe à Bal-
duino reſtituta. Acta hæc ſunt Aquiſgrani poſt præſentem Synodum, ve-
rum pax non fuit firma. Quod enim & Godefridus & Balduinus rebel-
lionem reſumpſerint poſt obitum Pontificis, & uſque ad Henrici tertii
obitum durè vexaverint Lotharingiam, oſtendit laudatus Sigebertus, &
adjungit: *Coloniæ generali Conventu habito, Balduinus & Godefridus, me-
diante Papa Victore ſecundo, ad gratiam Regis*, Henrici quarti adhuc pue-
ri, *& pacem reducuntur, & omnes bellorum motus ſedantur.* Quod nem-
pe puer Rex Moſellanam Lotharingiam Godefrido daret in perpetuam
proprietatem.

Aliud hujus Synodi decretum, habemus in magno Belgii Chronico:
*Synodus Moguntiæ generalis celebratur in præſentia ſancti Leonis Papæ &
Henrici Imperatoris, in qua inter alia inſtituitur feſtum Conceptionis beatæ
Mariæ Virginis.* Chronicon quod ſub Flavii Dextri nomine publicavit F. 172.
Franciſcus Biverus, affirmat feſtum hoc in Hiſpania à ſancto Jacobo
Apoſtolo inſtitutum: Quod ipſum aſſeverat adſcriptum Luitprando A. 308.
Cremonenſi Epiſcopo Chronicon. Verùm de iſto articulo memoratus
Biverus adeò erubuit, ut agi dicat non de paſſivæ, ſed de activæ Con-
ceptionis, ſeu Dominicæ intra Immaculatum Virginis uterum Incarna-
tionis

tionis feſto. Sergii primi Pontificis vita, antiquus Ordo Romanus, &
Amalarius Fortunatus ſola Annunciationis, Nativitatis, Purificationis,
Fol. 24. ac dormitionis feſta adſcribunt Deiparæ Virgini, ideoque Conceptio-
Lib 3. nis feſtivitas necdum erat apud Latinos. Apud Græcos eſt antiquiſſima.
cap. 43. Etenim novella, quam ſuis ad Photii Nomocanonem ſcholiis inſeruit
Theodorus Balſamon, Manuelis Comneni Imperatoris de publicis in
Tit. 7. c. populo feſtis, lex habet: *Nonus dies Decembris, quia tunc Genitricis Dei*
1. *noſtri Conceptio celebratur.* Feſtum iſtud nequaquam inſtituit, ſed juxta
vetuſtum Imperii morem ſancit etiam in populo eſſe feriatum. Etenim
Georgius ſub Heraclii Imperio Nicomedienſis Epiſcopus affirmat ipſum
eſſe *non noviſſimè inſtitutum.* Et atteſtantur plures Græcorum Patrum de
eodem Homiliæ. Et de Armeniorum Archiëpiſcopo, qui decimi tertii
ſæculi anno vigeſimo octavo venit in Angliam, & ad ſancti illic Albani
Monaſterium, ſcribit Matthæus Pariſienſis: *Interrogatus inter loquen-*
*dum ab uno, qui fuit ei aſſidens collateralis, Monacho, ſi in partibus ſuis Concep-*
*tio beatæ Mariæ celebraretur, reſpondit, Celebratur. Et hæc eſt ratio: Quia An-*
*gelo nuntiante Joachim dolenti & deſertum tunc inhabitanti, ipſa Conceptio fa-*
*cta eſt. Similiter & Conceptio beati Joannis Baptiſtæ, ſimili ratione. De Concep-*
*tione autem Domini, quæ facta eſt Angelo annuntiante Mariæ, quæ concepit ex*
*Spiritu ſancto, nulli fidelium venit in dubium.* Armenii ergò ab antiquo co-
luerunt tres Conceptiones.

Quo tempore Conceptæ Deiparæ feſtum cœperit apud Latinos, non
plenè conſtat. Exſtat ſancti Anſelmi Epiſtola cum hoc Proëmio: *Concep-*
*tio venerandæ Dei Genitricis, quemadmodum per multa ſignorum experimen-*
*ta in Anglia & in Francia, cæteriſq; climatibus mundi celebranda ſit declarata,*
*me narrantem audiat Dilectio veſtra.* Factum in Anglia miraculum eveniſ-
ſe ait Rameſienſi Abbati Hellino, Conquæſtoris Regis Guilielmi ad
Danos Legato, ideoque tunc Conceptæ Deiparæ feſtum ex divino juſſu
fuiſſe in Anglia inſtitutum. Refert & alias, ob quas in Francia & Aqui-
leienſi Patriarchatu ſit inſtitutum idem feſtum, revelationes factas
*tempore Caroli Francorum Regis illuſtriſſimi.* Earumdem vigore idem ipſe
feſtum innovat per univerſam Angliam. Et quidem iſtum Franciæ Re-
gem non fuiſſe magnum Carolum evincit adducta Romani Ordinis &
Amalarii Fortunati auctoritas. Etiam Adonis Viennenſis, & Uſuardi,
& Wandalberti Martyrologia, & Moguntina iſtius temporis Synodus,
& Aquenſis Abbatum Conventus, & Herardi Turonenſis Archiëpiſcopi
Capitula, licet omnia ſui temporis feſta enumerent, de Conceptionis
feſto non meminerunt. Et de adducta ſancti Anſelmi Epiſtola rectè ſcri-
bit in ſuis ad Romanum Martyrologium notis Cardinalis Baronius: *An*

*Anſel-*

Digitized by Google

*Anſelmi ſit, à multis merito ducitur in controverſiam, cùm habeat multa* Dec. 8.
*quæ eidem auctori repugnent.* Quidquid ſit, apud Anglos antiquum eſt hoc feſtum. Etenim de ſexto decimo, qui ſub Henrici primi Regno floruit, ſui ad ſanctum Albanum Monaſterii Abbate Gaufredo ſcribit Matthæus Pariſienſis: *Statuit Conceptionem beatæ Mariæ Virginis in Cappis feſtivè celebrari.* Non ipſum feſtum inſtituit, ſed jam pridem inſtituto hanc ſolam addidit ſolemnitatem. Et ex hoc ſtatuto omninò prodiit ſupra laudatum colloquium Albanenſis Monachi cum Archiëpiſcopo Armeniorum. Quare & veri ſpeciem habent hæc laudati Cardinalis Baronii verba: *Ex quibus omnibus ſatis compertum habetur, ejuſmodi celebritatem in Anglia primum celebrari captam.* Attamen ut vera ſint, iſta feſtivitas apud ipſos debet acquiſito per Guilielmum Nortmannum Regno eſſe vetuſtior: Hæc enim noſtra Synodus eſt longè vetuſtior, atque ita laudem hanc transferet in Germanos. Ut ut ſit, certum eſt feſtum hoc apud utramque gentem conſtanter & dudum viguiſſe. De Germanis id non obſcurè docet Chronicon Eccleſiæ Auguſtanæ. Et in ſua Oxonienſi ſub A.1188.
Honorio tertio celebrata Synodo ſtatuit Stephanus Cantuarienſis Archiëpiſcopus: *Omnia feſta beatæ Mariæ ſub omni veneratione ſerventur, præter feſtum Conceptionis, cujus celebrationi non imponitur neceſſitas.* Eſſe voluit liberum in populo feſtum, uti in hac Diæceſi eſt feſtum S. Joſephi. At verò de ejus ad quarti decimi ſæculi annum vigeſimum octavum ſucceſſore Simone ſcribit Thomas Monachus Walſinghamenſis: *Simon Archiëpiſcopus ſtatuit de conſenſu Concilii, ut feſtum Conceptionis beatæ Mariæ ſolemniter celebretur.* Ex Anglia traductum eſt ad eidem Domino ſubjectam Normandiam: Ad duodecimi ſæculi finem fuiſſe iſtic univerſale, apud Philippum Labbe oſtendit Chronicon Eccleſiæ Rothomagenſis. A.1197.
Ex Normandia in Franciam venit, etiam in Primatialem Lugdunenſem Eccleſiam, inductam variis rationibus, nec non & revelationibus, quæ an ſint iſtæ ipſæ, quas refert adſcripta ſancto Anſelmo Epiſtola, non poſſum affirmare. Quidquid ſit, graviter hæc improbavit ſanctus Bernardus, dictaſque rationes ac revelationes acriter invaſit per haſce ad Lugdunenſem Eccleſiam litteras: *Inter Eccleſias Galliæ conſtat profectò Lugdu-* Ep.174.
*nenſem hactenus præeminuiſſe, ſicut dignitate ſedis, ſic honeſtis ſtudiis, & laudabilibus inſtitutis. Ubi enim æquè viguit diſciplina cenſura, morum gravitas, maturitas conſiliorum, auctoritatis pondus, antiquitatis inſigne? Præſertim in officiis Eccleſiaſticis haud facile unquam repentinis viſa eſt novitatibus acquieſcere, nec ſe aliquando juvenili paſſa eſt decolorari levitate, Eccleſia plena judicii. Unde miramur ſatis, quid viſum fuerit hoc tempore quibuſdam veſtrum voluiſſe mutare colorem optimum, novam inducendo*



Digitized by Google

*celebritatem, quam ritus Eccleſiæ neſcit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Numquid Patribus doctiores, aut devotiores ſumus? Periculosè præſumimus, quidquid ipſorum in talibus prudentia præterivit.* Et infrà: *Si ſic videbatur, conſulenda erat priùs Apoſtolicæ Sedis auctoritas, & non ita præcipitanter atque inconſultè paucorum ſequenda ſimplicitas imperitorum. Et antè quidem apud aliquos errorem compereram, ſed diſſimulabam, parcens devotioni, quæ de ſimplici corde & amore Virginis veniebat. Verùm apud ſapientes, atque in famoſa nobiliq; Eccleſia, & cujus ſpecialiter filius ſum, ſuperſtitione deprehenſa, neſcio an ſine gravi offenſa etiam veſtri omnium, diſſimulare potuerim. Quæ autem dixi, abſque præjudicio ſanè dicta ſint ſanius ſapientis. Romanæ præſertim Eccleſiæ auctoritati atque examini totum hoc, ſicut & cætera, quæ ejuſmodi ſunt, univerſa reſervo: Ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus judicio emendare.* Ex quo lucet feſtum hoc à Romana tunc Eccleſia necdum fuiſſe admiſſum. Quin imò tria dumtaxat Deiparæ feſta coli à Romana Eccleſia, dudum poſt ſub Urbani ſexti Pontificatu ſcripſit in libro de obſervantia Canonum Radulphus Tongrenſis. Quis Romanus Pontifex admiſerit, ignoro: Ipſum interim & in Romana & in aliis Eccleſiis, & quidem *ex antiqua conſuetudine*, ſuo tempore viguiſſe affirmat, ideoque ad omnes ſub præcepto extendit Eccleſias, & largis indulgentiis perpetuò ornat Synodus Baſileenſis. Longè amplius exaltavit Sixtus quartus, addens octavam, & iſtas ipſas indulgentias, quibus Dominici Corporis feſtivitatem honoravit Urbanus quartus. Attamen ſine præcepto. Quod tandem omnibus ad Catholicam Hiſpaniæ Monarchiam ſpectantibus populis ob devotas Philippi quarti Regis in ſacram Virginem preces impoſuit Alexander ſeptimus. Et ejus in Populo celebritatem, licet Innocentius decimus exſtinxerit ob cauſas, multæ Eccleſiæ conſtanter retinuerunt. Sancti Bernardi interceſſio adeò non fuit efficax. Nec tamen culpandus eſt ejus zelus. Nam quod etiam adverſus Dominicæ Nativitatis feſtum, dum ipſum quarto priùs ſæculo admiſit Antiochena Eccleſia, docti & graves viri interceſſerint, teſtatur ſanctus Joannes Chryſoſtomus. Pluranova feſta zelum iſtum ſuſtinuerunt. Porrò ad cujus preces, vel ob quas rationes Leo nonus hoc feſtum inſtituerit, ignoramus.

Cap. 12.

Seſſ. 36.

SAN-

Digitized by Google

# S. LEONIS NONI
## SECUNDUM CONCILIUM
## ROMANUM.

QUinta Leonis noſtri Synodus fuit Romana ſecunda, habita anno poſt milleſimum quinquageſimo, hebdomadâ poſt Dominicam in Albis. Hic iterum eſſe de Simoniacis tertiæ ſpeciei ordinationibus diſputatum, & contra ipſius Pontificis mentem ipſas diſpenſatoriè confirmatas, ſuprà audivimus ex opuſculo gratiſſimo Petri Damiani ad Henricum Ravennæ Archiëpiſcopum, & ex opuſculo de ipſius Legatione ad Eccleſiam Mediolanenſem. Laudata huc uſque adverſum conjugatos Clericos, reliquam Simoniam, alioſque iſtius ſæculi abuſus Decreta etiam hic fuerunt omninò confirmata. Palmarem actionem edicit in libro de ſacroſancta Euchariſtia ſanctus Lanfrancus Archiëpiſcopus Cantuarienſis: *Tempore ſancti Leonis Papæ delata eſt, Berengari, Hæreſis tua ad Apoſtolicam Sedem. Qui cum Synodo præſideret, ac reſideret cum illo non parva multitudo Epiſcoporum, Abbatum, diverſiq; ordinis à diverſis Regionibus Religioſarum perſonarum, juſſum eſt in omnium audientia recitari quas mihi de Corpore & Sanguine Domini litteras tranſmiſiſti. Portitor quippe earum, Legatus tuus, me in Normandia non reperto, tradidit eas quibuſdam Clericis. Quas cum legiſſent, & contra uſitatiſſimam Eccleſiæ fidem ſcriptas animadvertiſſent, Dei zelo accenſi, quibus ad legendum eas porrexerunt, plurimis earum ſententias verbis expoſuerunt. Itaq; factum eſt, ut deterior de te, quam de me fuerit orta ſuſpicio, ad quem videlicet tales litteras deſtinareris: Putantibus multis me favere ac fovere quæ à te dicerentur, vel gratia qua te diligerem, vel fide qua revera ita eſſe indubitanter tenerem. Igitur cum à quodam Remenſi Clerico Romam perlatas Recitator legeret, intellecto quod Joannem Scotum extolleres, Paſchaſium damnares, communi de Euchariſtia fidei adverſa ſentires, promulgata eſt in te damnationis ſententia, privans te communione ſanctæ Eccleſiæ, quam tu privare ſancta ejus Communione ſategebas. Poſt hæc præcepit Papa ut ego ſurgerem, pravi rumoris à te maculam abſtergerem, fidem meam exponerem, expoſitam plus ſacris auctoritatibus*

*bus quam argumentis probarem. Itaq; ſurrexi; quod ſenſi, dixi; quod dixi, probavi; quod probavi, omnibus placuit, nulli diſplicuit.* Et in libris de Euchariſtiæ veritate ſanctus Guitmondus Epiſcopus Averſanus: *Eccleſia per beatum Leonem Papam hac Berengariana figmenta mox in ſuo exortu*
Cap. 3. *damnavit.* Et in ſancti Lanfranci vita Milo Criſpinus: *Lanfrancus Romam petiit causâ cujuſdam Clerici nomine Berengarii, qui de Sacramento Altaris aliter dogmatizabat, quam Eccleſia tenet. Dicebat enim panem & vinum poſt conſecrationem Sacramentum tantum, non autem eſſe verum Chriſti Corpus & Sanguinem. Iſte Clericus Lanfranco quaſi familiari ſuo litteras miſerat errore ipſo reſperſas: Eas qui legerunt, Lanfrancum talia ſentire opinati ſunt, & ſocium erroris diffamaverunt. At tum fortè Lanfrancus ad urbem profectus fuerat Pontificante tunc Sedem beati Petri Leone octavo. Amici, qui infamiam ſibi conflatam audierunt, litteras ipſas poſt eum miſerunt Romam, ibiq; ſuſpicionem de Lanfranco quibuſdam pepererunt. Papa Berengarium ad ſe vocavit. Verùm ille timens venire, diſtulit, ſed Reſponſales pro ſe duos Clericos miſit, qui ante Papam venientes, & in cauſa deficientes, reprobati & capti ſunt. Lanfrancus juſſus ſurrexit, pravi rumoris à ſe maculam abſterſit, fidem ſuam expoſuit, expoſitam plus ſacris auctoritatibus, quam argumentis probavit. Quod dixit & probavit, omnibus placuit, nulli diſplicuit.*

## *Exponitur error Capharnaïtarum & Paganorum circa ſanctam Euchariſtiam.*

GEnuinum adverſus boni ac mali ſciendi pomum, commiſſamque in ipſo noſtram à Deo Apoſtaſiam Antidoton eſſe ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, rectè in primo adverſus Berengarium libro
Tom. 6. ſcripſit laudatus Guitmondus ex ſancti Joannis Chryſoſtomi Homilia
fol. 171. de librorum Sigillis. Sicut in illo miram plenæ, qua homo Deo æquari poſſet, libertatis adipiſcendæ vim latitare mentitus eſt Diabolus, & ſibi temerè credulos Protoplaſtos in originales iniquitates & miſerias ſeduxit; ita in hoc admirandam recuperandæ juſtitiæ ac fœlicitatis radicem, utique ſemetipſum, poſuit Dominus noſter JESUS Chriſtus, ſibique vera promittenti præberi voluit illam fidem, quam antè dederamus Diaboli mendaciis. Eſſe novo Teſtamento ſanxit novum vitæ lignum, per quod in pomo iſto perdita immortalitas cum fœnore redderetur. Hanc enim, & cunctas alias noſtri corporis in futuro Regno dotes eſſe proprium hujus Sacramenti effectum Dominus in Evangelio lucidè

cidè docuit, & omnis ſub cœlo Eccleſia ſemper ſenſit. Rem admirandam, & quaſi incredibilem, variis etiam in antiquo Teſtamento figuris, imò & planis atque apertis prædicationibus, divina providentia munivit. Primi ejus adverſarii fuerunt Judæi Capharnaitæ, & aliquot animales adhuc diſcipuli, exiſtimantes ſe à Domino invitari ad fruſtatim quaſi in macello conciſas ejus carnes vorandas, ejuſque in propria forma ſanguinem barbaricè hauriendum. Et certè ad primam tanti Arcani prædicationem carnalis animus poterat ſibi ſimilia imaginari. Longè gravior fuit Judæ proditoris iniquitas, de qua in Dominici apud Matthæum verbi, *Bibite omnes* expoſitione Bulgarorum Archiëpiſcopus Theophylactus: *Sunt qui dicant propter Judam hoc dictum. Judas enim panem accepit, & non comedit, ſed occultavit; ut monſtraret Judeis, quod panem Corpus ſuum vocaret* JESUS. *Poculum autem invitus bibit, cum non poſſet occultare. Propterea hoc loco dicebat*, BIBITE OMNES. Myſterium Judæis Judas enuntiavit, blaterans Dominum, qui panem diceret eſſe ſuum Corpus ab omnibus manducandum, neutiquam eſſe promiſſum à Lege Meſſiam, ſed ipſius manifeſtum ac morte dignum proditorem. Hauſit iſta Theophylactus ex ſancto Joanne Chryſoſtomo, itemque ex ſancto Baſilio, cujus in Lithurgia canit ad Chriſtum Dominum Sacerdos: *Non tuis inimicis dicam Myſterium, non dabo tibi oſculum, ſicut Judas.*

Capharnaitarum cæcitas tranſivit in Paganos, qui quoniam à Chriſtianorum antelucanis conventibus audiebant manducari Carnem Filii hominis & bibi ejus Sanguinem, crediderunt nobis eſſe Thyeſtæas trucidati infantis epulas, nos eſſe peſtem humani generis, ipſius naturæ hoſtes, Barbaras in humana forma belluas, exitium Imperii Romani. Hoc fuit unum è tribus famoſis ſceleribus, de quibus in ſua ad Romanos Imperatores Apologia queſtus fuit Philoſophus noſter Athenagoras: *Judices non tam quid commiſerit reus aliquis noſtrum inquirunt, quam ipſi nomini, tamquam certo ſceleri, illudunt.* Quiſquis deferebatur aut ſe fatebatur eſſe Chriſtianum, Thyeſtææ feritatis cenſebatur ſuſpectus aut convictus, & tanquam capta bellua trahebatur ad lanienam. Plurima Fidelium millia hoc modo fuerunt trucidata. Quiſquis trucidabat, exiſtimabatur Deo facere Sacrificium; dum pluvia deficeret, exundaret mare aut flumen, vel quævis calamitas affligeret Romanum Imperium, nos ferebamur cauſa, unanimique voce Amphitheatrum à Principe aut Proconſule expoſtulabat *Chriſtianos ad Leonem. Tot* Fidei & Religionis noſtræ *hoſtes*, inquit in libro Apologetico Tertullianus, *quot extranei. Et quidem propriè ex æmulatione Judæi, ex concuſſione milites, ex natura ipſi Domeſtici noſtri. Quotidiè obſidemur, quotidiè prodimur, in ipſis plurimum*



Digitized by Google

*mum cœtibus & congregationibus noſtris opprimimur.* Pater in Filium, Filius in Patrem, conjux in conjugem, ſervus in Dominum agebat Fru-
Cap. 9. mentarium: Ex curioſitate & odio *ſanguinei poculi & tragicorum ferculorum.* Verùm laudati Athenagoræ, Tertulliani, Juſtini Martyris, aliorumque noſtrorum Doctorum adverſum præjudicatas iſtas calumnias Apologiæ tandem obtinuerunt quod ſcribit idem Tertullianus: *Plinius ſecundus, cum* Bithyniæ *Provinciam regeret, damnatis quibuſdam Chriſtianis, quibuſdam gradu pulſis, ipſa tandem multitudine perturbatus, quid de cætero ageret conſulit tunc Trajanum Imperatorem, allegans præter obſtinationem non ſacrificandi nihil aliud ſe de Sacramentis eorum compeꝛiſſe, quam cœtus antelucanos ad canendum Chriſto ut Deo, & ad conferendam diſciplinam; homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera ſcelera prohibentes.* Scribit ſe ex duabus Chriſtianis ancillis per tormenta de antelucanis ſectæ conventiculis inquiſiſſe, & nihil reperiſſe criminis, niſi quod illic Chriſtum carminibus honorarent, & Deum profiterentur: A nefandis epulis, perfidia in Romanum Imperium, aliiſque facinoribus ac flagitiis eſſe penitùs alienos. Hinc mitius in nos pedetentim eſſe cœpit laudatum Imperium, manſit tamen, imò & crevit ejus curioſitas, quem & qualem hominis filium Deo noſtro immolaremus, immolatique carne & ſanguine veſceremur. Quiſnam eſſet ſecretus ille panis, quale vinum. Hinc de ſancto Tharſitio Romanæ Eccleſiæ Acolytho legimus in Romanis Martyrum tabulis: *Quem Pagani cum inveniſſent Corporis Chriſti Sacramenta portantem, diſquirere cœperunt quid gereret. At ille indignum judicans porcis prodere Margaritas, tamdiu ab illis mactatus eſt fuſtibus ac*
Aug. 15. *lapidibus, donec exhalaret ſpiritum. Et revoluto ejus corpore ſacrilegi diſcuſſores nihil Sacramentorum Chriſti in manibus aut in veſtibus invenerunt.* Eadem curioſitate captus Imperator Numerianus, à ſancto Babyla Patriarcha Antiocheno ad ſpectandum in Eccleſia Chriſtianum ſacrificium admitti, tandemque vi intrare voluit: Ob repulſam ex amico factus eſt hoſtis noſter & perſecutor, Babylamque in Martyrem promovit. Quæ omnia lucidè convincunt ipſos etiam Paganos primis Eccleſiæ ſæculis de Chriſtianorum circa Euchariſtiæ veritatem fide non dubitaſſe. Hinc etiam adverſus Fauſtum Manichæum, nos de exhibita erga panem &
Lib. 2. c. 13. vinum latria accuſantem, reſpondit ſanctus Auguſtinus: *Pejus deſipis quam nonnulli, qui nos propter panem & calicem, Cererem ac Liberum colere exiſtimant.* Nempe Gentilium aliqui, quod circa panem & vinum nos adorare cernerent, adorari crediderunt Cererem & Bacchum. Adeò tunc nullus dubitavit hîc Hæreticus, ut & Marcus Ægyptius, impudiciſſimorum Gnoſticorum longè impudiciſſimus, paſſim conficeret in vino

vino albo, arte magicâ tranſire in rubrum faceret ad verba myſticæ invocationis, ſeductiſque aut ſeducendis mulieribus ſuaderet etiam in ſuum ſanguinem eſſe transelementatum. Videatur ſanctus Irenæus Archiëpiſcopus Lugdunenſis. Lib. 1. c. 9.

## *Exponitur error Pauli Samoſatenſis.*

PRimus adverſum ſacroſanctam Euchariſtiam Erro fuit Paulus Samoſatenſis, Patriarcha Antiochenus, inter cujus decem ſancto Dionyſio Patriarchæ Alexandrino propoſitas quæſtiones hæc fuit quarta: *Scriptum eſt in Evangelio, Et accepto calice gratias egit, & dixit, Accipite & dividite inter vos. Hic Calix eſt novum Teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis funditur. Quomodo igitur eſt ſanguis incorruptibilis, ſi dividitur & funditur?* Exponit in ſuâ reſponſione laudatus Dionyſius: *Surgunt quidam loquentes perverſa, ut abducant Diſcipulos poſt ſe. Surrexit itaq; primum Samoſatenſis loquens iniqua, qui diceret eſſe corruptibilem Sanguinem JESU, qui eſt Deus Iſraël, & qui omnem corruptionem, & paſſionem, & mortem ſolvit, qui redemit nos à ſervitute corruptionis. Sanguinem mortalis & patibilis hominis dicit, ut placeat Sathanæ, qui eum delegit; ſurrexit contra Sanguinem vivificum, & contra Spiritum Sanctum, conculcans ea. Si enim Sanguis ſanctus corruptibilis eſt, quia dividitur & effunditur, ſic erit Spiritus Sanctus, ſicut Sanguis.* Nam & Spiritus Sanctus effunditur in plures. Paulus iſte fuit Antichriſtus JESUM ſolvens: Diviſit hominem à verbo, unicumque Dominum noſtrum partitus eſt in duos filios, affirmans eſſe purum corruptibilis carnis & ſanguinis hominem. Ideoque & talem deliravit exiſtere in Euchariſtia. Non circa tranſelementationem erravit, ſed circa Sacramenti contenta. Hujus errorem expugnat ſanctus Dionyſius, additque vivificum, qui hodie in nos effunditur & frangitur, Sanguinem eſſe etiam incorruptibilem, quia nempe *fracto Sacramento nulla rei fit ſciſſura, ſigni tantum fit fractura, quæ nec ſtatus nec ſtatura ſignati minuitur.* Hunc benedictum JESU Chriſti Sanguinem, non minus quam ejus Spiritum ſanctum, affirmat in nos citra diviſionem effundi.

Conſequenter ad ſuum palmarem errorem Paulus eſt locutus. Quiſquis Chriſtum Dominum affirmat purum hominem, etiam in Euchariſtia aliud quam purum hominem non poteſt affirmare: Qualis Dominus in propria forma, talis eſt & in Euchariſtia. Hinc in litteris ad Clerum & Populum Conſtantinopolitanum, & in litteris ad Anatolium ipſorum Epiſcopum ſcribit ſanctus Leo Magnus Hæreſiarcham Euty- Epiſt. 23. Epiſt. 40.

chetem

chetem eſſe virum nimis imperitum, ut qui ſenex neſciat Chriſtum Dominum eſſe in propria forma, quod ipſi etiam infantes illum eſſe norunt in Euchariſtia: Utique plenum hominem & plenum DEUM. Sic enim omnes communicantes profitentur. Quod etiam Thimotheani, Julianiſtæ, & cuncta Apollinarii atque Eutychetis fœda fæx Domino, uti in propria forma, ita & in Euchariſtia, negarint veram carnem, demonſtrat per Jacobum Gretzerum publicatus Anaſtaſius Sinaita. Et Haimerico Aquiſcinctini Monaſterii Prælato, roganti *utrum Dominus noſter* JESUS *Chriſtus in Cœna, quam fecit cum Diſcipulis ante Paſſionem, dederit eis Corpus ſuum paſſibile, cum nos illud in Menſa Altaris accipiamus impaſſibile*, reſpondit ſanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis: *Si tibi reſpondeatur Diſcipulos Chriſti Corpus tale accepiſſe, quale tunc erat, nos verò tale accipere, quale nunc eſt, non video quæ authoritas contradicat, non video quæ rationis violentia me urgeat.*
Cap. 38. *Imò ſi aliter dicerem, repugnantem mihi viderem rationem & auctoritatem.* Etenim quorundam contrarium aſſerentium Doctorum unicum fundamentum prodit in Occidentalis Eccleſiæ Hiſtoria Jacobus Cardinalis de Vitriaco: *Fuerunt ex Magiſtris noſtris nonnulli, qui dixerunt quod Chriſtus in Cœna Corpus ſuum dederit Diſcipulis impaſſibile. Licet enim eſſet paſſibile ſub ſpecie carnis, ad tempus aſſumpſit impaſſibilitatem & immortalitatem, ut eſſet impaſſibile ſub ſpecie Sacramenti.* Ipſos & ratione & auctoritate deſtitui oſtendit, noſtram adverſum Albigenſes Hæreticos aſſertionem inſigniter confirmat, & adjungit: *Sed adhuc objicit Hæreticus. Sit ita quod aliquis Sacerdos in Dominica ſepultura Sabbatho conſecraret panem & vinum, numquid Chriſtus mortuus jaceret in ſepulchro, & viveret ſub Sacramento? Reſpondemus Hæretico, quod tempore, quo Chriſtus mortuus fuit, nullus poſſet conſecrare Sacramenta. Hoc enim eſſet contra Chriſti inſtitutionem, qui panem in Corpus animatum tranſubſtantiavit, & tranſubſtantiandum inſtituit. Poſſet tamen, ſi vellet, talem vim verbis contuliſſe, ut ad eorum prolationem panis tranſubſtantiaretur in Corpus inanimatum, & ſecundùm hoc in triduo illo poſſet confici hujuſmodi Sacramentum.* Quod hanc vim verbis Dominus omninò contulerit, eſt concors hodiè ſenſus Doctorum. Quin & hunc articulum, *Facta non fuiſſet tranſubſtantiatio Panis virtute verborum Sacramentalium, ſi in triduo mortis facta fuiſſet conſecratio* eſſe abſurdiſſimum, imò & Hæreticum, cenſuit in ſua apud Henricum Cnyghtonum Synodo Joannes Archiëpiſcopus Cantuarien-
A. 1286. ſis. Quæ omnia in ſuis ſententiarum libris confirmat & Cardinalis Ro-
L. 7. c. 4. bertus Pullus. Quales tamen quæſtiones eſſe curioſas, & ſilentio potius ac ſimplici fide, quam ſubtili diſputatione honorandas, rectè cenſuit in litteris ad Lambertum Monachum, exſtantibus apud Lucam Dache-
Tom. 2. rium, Ernulphus Epiſcopus Roffenſis.



Digitized by Google

## *Exponitur error Neſtorii.*

EX eodem principio Hæreſiarcham Neſtorium eadem cum Paulo Samoſatenſi ſenſiſſe, rectè in libro de Sacramento Altaris docet ſanctus Anſelmus: *Inter omnes Hæreſium diverſitates, quæ ſingula ſuo tempore impugnaverunt Petram ædificatam ſuprà Petram, hujus de Euchariſtiæ veritate quæſtionis nec mentio facta eſt, niſi in Neſtoriana Hæreſi ſola, in qua aſſertores ejus in perſona Chriſti divina ab humanis ſeparantes, Mariam Dei Genitricem penitùs negantes, ſed ſolius hominis Matrem eſſe affirmantes, cum requirerentur, Corpus quod de menſa Domini ſumimus, cujus eſſe profiterentur, Hæretica pravitate vel temeritate ad ſuum errorem detorquebant verba Domini*; NISI MANDUCAVERITIS CARNEM FILII HOMINIS. *Quod ibi ſumimus eſſe tantum Carnem Filii hominis, ne ſi iſtud Corpus Domini eſſe confiterentur, contra ſe loquerentur, conſentientes in Chriſto Deo & homine eſſe unitatem perſonæ. Dicebant ergo Carnem illam eſſe viri ſanctificati & verbo conjuncti ſecundum dignitatis unitatem, aut ſicut divinam poſſidentis habitationem.* Ex Epheſinæ Synodi Decretis inſigniter hæc confirmat. Et certè in undecimo ſuo famoſo Capitulo, in ipſius largiori declaratione, ac in ejuſdem adverſus Theodoretum Cyri Epiſcopum Apologia errorem hunc Cyrillus manifeſtè Neſtorio imponit. Et ipſi carnalem Capharnaïtarum errorem exponenti: *Verborum ſublimitatem qui aderant non tulerunt, putabant ex inſcitia Dominum Antropophagiam ſuadere.* Ad hunc, inquam, Neſtorii Commentarium repoſuit in quarto adverſus illum libro Cyrillus: *Atqui ea res quomodo non certa ſit Antropophagia? Quo verò modo ſublime adhuc erit illud Myſterium, ſi non ipſum ex Deo Patre Verbum eſſe miſſum dixerimus, & miſſionis modum confeſſi fuerimus eſſe ipſam humanationem? Tunc enim videbimus vivificandi vim habere unitam ipſi carnem, & non alterius carnem, ſed factam illius propriam, qui omnia vivificare poteſt.* Clarè demonſtrat meram ac nudam Antropophagiam etiam à Neſtorio doceri. Quod ipſum oſtendi in Scholiis ad Epheſinam Synodum. Et confirmat per Jacobum Gretzerum publicatus Anaſtaſius Sinaïta: *Neſtorius Dei corpus & Dei Sanguinem negat, quem percipimus.* Non Corpus & Sanguinem, ſed negat eſſe Dei, ſeu Deo hypoſtaticè unita. Eruditus eſt iſte Anaſtaſius Sinaïta, videtur tamen non eſſe magnus ille Antiochiæ Patriarcha, ſed quis illo poſterior. Neſtorium circa hoc Sacramentum fuiſſe primum Erronem, primamque ſimilis erroris damnatricem fuiſſe Epheſinam Synodum labitur ſanctus Anſelmus. Lucet ex dictis de Paulo Samoſateno & ſancto

Cap. 13.

Cap. 5.



Digitized by Google

Dionyſio Alexandrino. Lege hujus adverſus iſtum litteras, & laudatum Cyrilli librum adverſus Neſtorium, & videbis ambos locutos eodem ſpiritu ex iiſdem principiis, & Cyrillum à Dionyſio pleraque mutuatum.

Prima quæſtio eſt, An Neſtorius etiam errarit ſolam Domini Carnem ſub Panis, ſolum ſine ipſa Sanguinem ſub vini ſpecie contineri? In habita ad Baſileenſem Synodum adverſum Huſſitas oratione affirmat Joannes Raguſinus, Ordinis Prædicatorum tunc Procurator Generalis, poſteà Baſileenſis Epiſcopus, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis. Plures inductæ Laïcalis ſub unica panis ſpecie communionis adducit cauſas, & tertiam exponit his verbis: *Tertium, propter vitare errores, ne videlicet Populus communis, qui tantum judicat ſecundùm ſenſum, credat Chriſtum non eſſe totum ſub una ſpecie, ſicut multi Hæreticorum, ut Neſtorius & Pelagius, & eos ſequentes, adſtruxerunt. Neſtorius enim ſic ſub utraq; ſpecie miniſtravit, exiſtimans quod ſub ſpecie panis eſſet tantummodo Corpus Chriſti ſine Sanguine, & ſub ſpecie vini Sanguis ſine corpore. Pelagius verò & ipſius ſequaces, dictis Salvatoris innitentes,* NISI MANDUCAVERITIS CARNEM FILII HOMINIS, *&c. Dederunt laïcis ſub utraq; ſpecie, & etiam parvulis ſtatim poſt Baptiſmum. Et ſi ſpeciem panis Sacramentalem non poſſent ſumere, dicebant quod debebat conteri cum ſanguine, & ſic infundi in ora puerorum. Datur ergò non conficientibus ſub una ſpecie, ut evitentur prædicti errores.* Eundem Neſtorio imponit errorem, eandemque iſtius communionis cauſam adducit eruditus tractatus de Bohemorum vocatione ad Baſileenſem Synodum, & ipſorum ibidem Actis: *Præterea dicunt Doctores, quod conſuetudo communicandi populum ſub ſpecie panis tantum, ab Eccleſia & ſanctis Patribus fuit rationabiliter introducta propter rationabiles cauſas. Specialiter propter periculum erroris. Fuit enim error Neſtorii credentis quod ſub ſpecie Panis ſit ſola Caro Chriſti, & ſub ſpecie vini ſolus Sanguis Chriſti. Ut igitur huic errori obviaretur & magis imprimeretur fidelium mentibus, quod ſub qualibet ſpecie eſt totus Chriſtus, dum non ſolum verbo, ſed etiam ipſo ſigno indicaretur, viſum fuit utile eſſe ſub una tantum ſpecie miniſtrari. Efficacius enim imprimitur, quando cum Doctrina verbali ſenſuale aliud ſignum concurrit.* Eadem in Dialogo de utriuſque ſpeciei Communione confirmat Eruditiſſimus Cardinalis Staniſlaus Hoſius, & cum ipſo in Catholicæ fidei confeſſione omnis Synodus Petricovienſis. Addunt errorem hunc fuiſſe cauſam, ex qua ſacri Calicis uſum populo ſubtraxit Epheſina Synodus, ob novos poſtea errores redditum à ſanctis Pontificibus Leone atque Gelaſio, & denuò præceptum. *Inter Epheſinum Concilium*, inquit laudatus Dialogus, *& Leonem Papam interceſſerunt anni prope triginta,*

*ta, totidem verò inter Leonem & Gelaſium. Atque non ſolum ad Leonis, verùm ad ipſa etiam uſque Gelaſii tempora ſic increbuerat uſus alterius tantum ſpeciei, ut ipſi quoque Sacerdotes ſacris operantes à Calice abſtinerent. Quamobrem & populum Leo Pontifex, & Sacerdotes Gelaſius admonere neceſſe habuit, ut ad calicis uſum redirent. A quo quod abſtinuerint multi totis ferè ſexaginta annis, quam aliam cauſam ejus rei fuiſſe putabimus, quam Epheſini Concilii, quod poſtea ſublatum fuit, interdictum?*

Reſpondeo tamen hæc omnia deviare. Etenim Pelagius nec utramque nec alteram ſacroſancti Sacramenti ſpeciem docuit parvulis neceſſariam, multo minus ipſas inter ſe conterendas, & miſcendas. Quin imo ejus de originali peccato errorem per univerſalem ſumendæ Euchariſtiæ ex Divina lege neceſſitatem impugnarunt S. Auguſtinus, Africana Concilia, & ſanctus Innocentius primus Pontifex, atque ex obſcurioribus ipſorum dictis nata eſt alia contentio, an non ſolum Spiritualis per fidem, ſed etiam Sacramentalis Euchariſtiæ perceptio eſſet neceſſaria parvulis? Adverſum cujus contentionis exordia ſanctus Fulgentius ad Ferrandi Carthaginenſis Diaconi preces ſcripſit librum de Baptiſmo Æthiopis. Et infantes de ſolo ſanguine communicare eſt Apoſtolica, ac ab omnibus ſub cælo Eccleſiis probata & admiſſa traditio, à qua certum eſt Pelagium non deviaſſe. Longè minus in expoſitum de Euchariſtiæ contento errorem deviavit. A nullo antiquo ſcriptore fuit de ipſo accuſatus, nec eo tendunt devia ipſius dogmata. Ex quo fonte dicta ſua hauſerit Joannes Raguſinus, ipſe viderit. Eadem eſt ratio Neſtorii. Quis ſimilia commenta ſparſerit per Eccleſiam, non poſſim divinare. Abſit ut Epheſina Synodus populum proſcripſerit à ſacro Calice. Certè proſcriptum reſtituere non magis tentaſſet magnus Leo, aut ſanctus Gelaſius, quam Leo tertius ob ejuſdem Synodi reverentiam tentavit ad Conſtantinopolitani Symboli de Spiritu ſancto articulum addere vocem, *Filioq̃*. Generalium Synodorum Canones eſſe Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, adverſus Græcorum in Chalcedonenſi Synodo pro Conſtantinopolitana Eccleſia auſus conſtantiſſimè clamavit Leo, proteſtatus iſtos nec velle ſe, nec poſſe mutare. Utique ob ſolemnem tunc Romani Pontificis de ipſis profeſſionem. Et Romanos aut quoſvis Italicos Sacerdotes tunc ſacrificaſſe, aut ſacrificantes communicaſſe de ſolo panis elemento, quis patienter audiat? Leonis decretum periit aut latet; ejus tamen ſubſtantiam retinemus in quarto Sermone de Quadrageſima: *Nulla vos Manichaa contagionis adſpergat impietas.* Varias ſectæ ſuperſtitiones adducit, & proſequitur: *Abdicant ſe Sacramento ſalutis humanæ, & Chriſtum Dominum noſtrum, ſicut in veritate carnis noſtra* Cap. 5.

 *dene-*

*denegant natum, ita verè mortuum & reſurrexiſſe non credunt. Cumq; ad tegendam infidelitatem ſuam noſtris audeant intereſſe Myſteriis, ita in Sacramentorum communione ſe temperant, ut interdum tutius lateant. Ore indigno Corpus Chriſti accipiunt, ſanguinem autem redemptionis noſtra haurire omninò declinant. Quod ideò veſtram volumus ſcire Sanctitatem, ut vobis hujuſcemodi homines & his manifeſtentur indiciis, & quorum deprehenſa fuerit ſacrilega ſimulatio, notati & proditi, à Sanctorum ſocietate, Sacerdotali auctoritate pellantur.* Fidem ſuam non ſolum tegere, ſed & negare eſt probata apud Manichæos lex, eratque illis grande de ſacrilegis ſuis ſacris Privilegium: *Jura, perjura, ſecretum prodere noli.* Et vinum abhorrebant, blaterantes eſſe mali Principii opus, vel Principum tenebrarum. Avita Romanæ Eccleſiæ conſuetudo publicam populi in Eccleſia communionem ad utrumque non adſtrinxit elementum: Vel utrumque vel dumtaxat alterum ſumi reliquit liberum, permiſit unumquemque in ſuo ſenſu abundare. Hoc more abuſi, quos ſanctus Leo inſectabatur, Romani ac alii per Italiam Manichæi, quo Apoſtolicum deluderent oculum, miſcuerunt ſe ſolam panis ſpeciem communicanti populo, atque ita multi & Papalem manum, & impetratas ab ipſa Imperiales leges circumſcripſerunt. Et adverſum haſce technas prodiit laudatum Decretum. Sancit omnem, qui deinceps ſolum panis elementum in Eccleſia ſumpſerit, fore ſuſpectum de Manichæo, immo quaſi confeſſum aut convictum. Verſutia vix poterat alia via conſtringi. Quare nullum, quod revera nullum eſt, Epheſinæ Synodi Statutum hic circumducit Pontifex, ſed evertit Manichæos. Eadem arte Hiſpanos Epiſcopos eodem tempore circumveniebant Priſcillianiſtæ: Erant Manichæi Ramus. Hinc eodem ipſos modo tractari juſſit Pontifex datis litteris ad Thuribium Epiſcopum Aſturicenſem. Longa ſunt hæc omnia, ideoque ſuo loco plenius elucidanda. Interim lucet Neſtorium de hoc errore nec cogitaſſe.

Altera quæſtio eſt, An Neſtorius etiam circa Euchariſtiæ veritatem, aut tranſelementationem errarit, aut certè ceſpitarit? In libris adverſum Neſtorianos ac Euthychianos affirmare videtur Leontius Byzantinus. Ait Neſtorianos, more Manichæo, fuiſſe doloſæ & promiſcuæ communionis, utpotè qui dilectum ſuum Neſtorium anathematizarent coram nobis, & noſtris ita perſonis ac Sacramentis communicarent. Et de quodam noſtro, facinoroſam iſtam confuſionem deinceps abhorrente, ſeducto Clerico adjungit: *Hic cum diceret fieri non poſſe, ut cum ipſis & cum Eccleſia communia haberet, Non oportet, inquiunt, te moleſtè ferre hanc œconomiam. Panis enim in Typum Corporis Chriſti propoſitus plus bene-*

Lib. 3. cap. 6.

Digitized by Google

*benedictionis participavit, quam panis qui in foro venditur, & quam panis quos Philomarianitæ offerunt in nomine Mariæ.* Apud Philomarianitas ſeu Collyridianos Hæreticos fœminæ Deiparæ Virgini ſacrificabant & ſanctificabant panem, quem cultus exceſſum fuiſſe omnis benedictionis vacuum, quin & omnis Idololatricæ maledictionis plenum Attentatum affirmat ſanctus Epiphanius, ac inſigniter demonſtrat. Et hinc quidam Leontii textum conjecturant vitiatum, atque legendum: *Non plus benedictionis participavit.* Nec ſine fundamento. Etenim in percipienda promiſcuè ſeu apud Catholicos, ſeu apud ſeſe Euchariſtia, non eſſe plus quam in percipiendo communi pane diſcernendum voluerunt Neſtoriani, quod Euchariſticus, non plus quam in foro venalis, aut per Collyridianas mulieres ſanctificatus panis haberet benedictionis aut tranſubſtantiationis: Quod ſit Dominici Corporis non veritas, ſed merus typus ac figura. Quidquid ſit de Leontii, in quem graſſari ego non auſim, textu, certè videtur ille fuiſſe ſenſus Neſtorianorum. Et hinc de ipſorum Magiſtro & Primate Theodoro Mopſueſtienſi Epiſcopo pergit Leontius: *Theodorus audet & aliud malum. Aliam enim Miſſam effutivit præter illam, quæ à Patribus tradita eſt Eccleſiis, nec reveritus illam Apoſtolorum, nec illam magni Baſilii in eodem ſpiritu conſcriptam. In qua Miſſa blaſphemiis, non precationibus* την τελετὴν, id eſt, *Myſterium Euchariſtiæ opplevit. An ut alius Antichriſtus adhuc exſpectetur, par eſt, qui ſic Chriſtum oderit, & quæ Chriſti ſunt mutare nitatur? Non equidem puto. Satis, inquam, eſt hic ut in omnibus loco & vice illius ſit.* Iſtæ Antichriſto dignæ blaſphemiæ videntur non fuiſſe aliæ, quam Euchariſticæ veritatis & tranſubſtantiationis abnegatio: Hanc enim inter futura Antichriſti facinora numerat etiam ſanctus Hyppolitus Epiſcopus & Martyr Portuenſis. Quæ omnia confirmari videntur & à ſancto Cyrillo, Palmari Neſtorianæ Hæreſios everſore, graviter arguente quod *hujus Myſterii vim imminueret* error, garriens *nihil egregii habere incruentam illam victimam, & exiguam admodum utilitatem adferre, & utilitatis vim continere eo uſque dumtaxat, ut annuntiemus mortem hominis, & unius è noſtro numero commemorationem faciamus.* Quæ omnia videntur Euchariſtiam in ſola figura ponere, atque ita Chriſtum Dominum, *dum ipſam dicit eſſe vivificam*, argui de mendacio. Eum Cyrillus damnat *quod omnia confunderet, impudenterq; miſceret, & panem illum de cœlo, & vitam mundo dantem, propemodum decideret.* Cap. 12. Lib 4 c. 5. 6. 7.

Reſpondeo Neſtorium ac ejus Magiſtrum Theodorum à poſterioribus Neſtorianis eſſe diſtinguendos. Quod Neſtorium Cyrillus non de negata Euchariſtiæ veritate ſeu tranſelementatione, ſed de ſola conten-

torum negata plenitudine arguat, cui vis Cyrilli adverſus illum libros legenti eſt manifeſtum. Eum dumtaxat arguit quod Sacramentalia elementa non in Dei hominis, ſed in puri ſolùm & vulgaris hominis carnem & ſanguinem tranſmutari blateraret, atque ita Myſterii vim inſigniter diminueret, ipſum penè diceret inutile, ac decideret. Chriſtus enim nobis eſſe debet Mediator, Redemptor, reddendæque juſtitiæ origo & radix: Quæ omnia uti longè ſuperant purum hominem in propria forma, ita & exiſtentem ſub ſpeciebus Sacramenti. Hinc Cyrillus aſſiduè clamat *id quod in ſanctis Eccleſiarum menſis proponitur*, non eſſe qualecumque Corpus, *ſed *proprium verbi ex Patre geniti, quod ex natura & verè eſt Deus.* Aliud ergo Neſtorius non ſenſit, quam quod Paulus Samoſatenſis. Et hæ ſunt item blaſphemiæ, quas Miſſæ ſeu Lithurgiæ ſuæ indidit Theodorus Mopſueſtenus. Aliùd non fecit, quam quod de Eugenio, Hildephonſo, ac Juliano, ſuis Anteceſſoribus, in erroris ſui defenſionem ſcripſit Elipandus Archiepiſcopus Toletanus: *Prade-*
Epiſt. 3. *ceſſores noſtri Eugenius, Hildephonſus, Julianus, Toletanæ ſedis Antiſtites, in ſuis dogmatibus ita dixerunt in Miſſa de Cœna Domini*, QUI PER ADOPTIVI HOMINIS PASSIONEM SUO NON INDULSIT CORPORI. *Item in Miſſa de Aſcenſione Domini*: HODIE SALVATOR NOSTER POST ADOPTIONEM CARNIS REPETIVIT SEDEM DEITATIS. Per hujuſmodi blaſphemias hi reſuſcitarunt, quam Theodorus ſuſcitaverat, Hæreſim Neſtorianam, ideoque & iſtas Miſſas meritò damnavit Synodus Francofordienſis. Alium Theodori de Euchariſtia errorem hucuſque non legi. An Leontio Byzantino, qui cum ſancto Gregorio magno vixit, coëvi poſteriores Neſtoriani in Euchariſticæ veritatis abnegationem tandem profecerint, non auſim firmiter aſſeverare. Certè aſſeverare videtur Leontius. Et Hæreticis omninò ſolet eſſe ſimilis profectus. Quod ſi verum ſit, ab hiſce fontibus poſſit error, aut certè ſuſpectus de errore loquendi modus manaſſe ad Iconoclaſtas. Hos enim potiùs fuiſſe malè locutos quàm malè ſenſiſſe, & pravi ſenſûs dumtaxat ſuſpicione laboraſſe, in ſeptimi Concilii Actis & Scholiis eſt abundè oſtenſum. Quod ipſum in Dominicæ Cœnæ expoſitione ſenſiſſe videtur Paſchaſius Radbertus: *Uſque ad præſens nemo deerraſſe legitur, niſi & qui de Chriſto erraverunt.* Viſibilis enim in propria ſpecie, & in Sacramento inviſibilis Chriſtus ſunt unus & idem, ideoque omnis de iſto errans non poteſt non etiam de hoc errare.

Ex-

Digitized by Google

## *Exponitur Error Archonticorum, Bogomilorum ac Paulicianorum.*

ARchontici, ſeptemplicis Divinitatis fabulones, fuerunt etiam Sacramentarii Hæretici, ac inter ipſorum errores ſanctus Epiphanius numerat & hos: *Baptiſmum damnant, tametſi inter eos ſint, qui baptiſmo anteà initiati fuerint. Myſteriorum communionem ac bonitatem repudiant, tanquam alienam, & in nomine Sabbaoth repertam. Hunc enim in ſeptimo orbe verſari, ac Tyrannidem exercere prædicant, cæteroſq; violenter opprimere.* Lib. 40. cap. 2. Eos in Paleſtina atque Armenia præſertim graſſatos dicit ſub Conſtantii Imperio, ideoque & ipſos notare poſſit in Oratione de Pœnitentia Sanctus Amphilochius, Lycaoniæ Metropolita, adducens varias Diaboli tentationes, & adjungens: *Diabolus quoſdam inducit, ut immortali & vivificæ communioni non credant, & animo offendantur & cunctentur, eam dicens ſimplicem panem, ſimplexq; vinum, nec præterea aliud quidquam.* Orat. 8. Verùm etiam Iconoclaſtas impugnat hæc oratio, ideoque numquam credidero eſſe magni Amphilochii. Eſt alterius ad ſæcula junioris. Et quidem Iconoclaſtas de ſancta Euchariſtia malè fuiſſe locutos, ac de pravo ſenſu ſuſpectos, jam ſuprà dixi. Et magni Amphilochii tempore nulla adversùs Sacramenti hujus veritatem hæreſis fuit publicè graſſata. Dico, *Publicè.* Etenim neſcio quem circa hæc tempora in Ægypto Monachum de hujus *Myſterii dono dubitaſſe, dicentem, Numquid me accedentem ſanctificavit*, ideoque per ſanctum Eulogium Presbyterum fuiſſe ab illo ſuſpenſum, ſcribit in Lauſiaca hiſtoria Palladius Epiſcopus Helenopolitanus. Verùm humana fuit iſta tentatio, neque tranſiit in pertinaciam, longè minùs ſerpſit in dogma. Cap. 75. Et quidem hujuſmodi tentationes in antiquis legimus pauciſſimas: Adeò firma fuit tunc fides hujus Sacramenti.

Ad Flaviani Patriarchæ Antiocheni tempora ſcribit Georgius Cedrenus: *His temporibus Meſſalianorum hæreſis exordium habuit, qui & Euchetæ à precibus, & à Numinis inſtinctu Enthuſiaſtæ, ac præterea Lampetiani ac Bogomili nuncupantur.* F. 294. Verùm hæ omnes Sectæ, licet ejuſdem originis, non tamen ſunt ejuſdem temporis, aut ejuſdem per omnia erroris. Bogomili ſunt appendix longè recentior, de quibus in Sectarum Catalogo Conſtantinus Harmenopulus: *Reverentiâ dignum illud Sacrum Dominici Corporis atque Sanguinis afficiunt ignominia, quod quidem inhabitantium templis Dæmonum ſacrificium appellant. Nam in omnibus ſacris ædibus* Cap. 19. *habi-*

*habitare Dæmonas aiunt.* Exponit in libro de Hæreſibus ſanctus Joannes Damaſcenus. *Bogomili Eccleſiarum & Altarium contemptum induxerunt, tamquam oporteat Aſcetas in Eccleſiaſticis congregationibus non manere; ſed contentos eſſe precibus quæ fiunt in oratorio. Tantas enim dicebant eſſe eorum orationis vires, ut & ſibi & Diſcipulis ſuis ſanctus Spiritus ſenſibiliter appareret. Prodigioſè jactitant, quod oportet eos qui volunt ſervari, orare & nihil penitus agere, donec ſenſerint peccatum, tamquam fumum aliquem, vel ignem, vel draconem, vel aliquod ejuſmodi animal per orationem expulſum, & ſenſibiliter per preces egrediens, Spiritus autem ſancti ingreſſum rurſus ſenſibiliter accipiant, & apertum in anima ſenſum habeant introeuntis Spiritus. Et hanc eſſe veram Chriſtianorum Communionem.* Meſſaliani igitur fuerunt Euſtatii Sebaſtenſis & aliorum Erronum mixta progenies, & fons noſtrorum Suencfeldianorum, ſeu cæleſtium Prophetarum. Non ſolius Euchariſtiæ, ſed & Baptiſmatis negarunt neceſſitatem. Euchariſtiæ veritatem videntur non negaſſe: Quam tamen poſteà omninò negarunt Bogomili.

Eundem errorem ſectati ſunt Pauliciani, de quibus laudatus Cedrenus: *Impiè de Divinis Myſteriis ſanctæ communionis pretioſi Corporis & San-* Fol.434. *guinis Domini noſtri* JESU *Chriſti garriunt, dicentes Dominum verba ſuis Apoſtolis dediſſe, eaque juſſiſſe accipere, edere & bibere, non panem & vinum, quæ quidem etiam adhibenda negant.* Garriunt Chriſtum Dominum non in panis ac vini Elementis, ſed ſola à Myſticis verbis excitatâ fide eſſe à nobis manducandum. Plura habent dogmata, quæ Luthero placent & Calvino, aliiſque Sacramentariis. Ipſorum originem exponit in Eccleſiaſtica hiſtoria Anaſtaſius Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius. Germaniciam, Euphrateſiæ Provinciæ Civitatem, quam non ità pridem Saraceni occuparant, ſcribit recuperatam à Conſtantino Caballino, ac pergit: *Conſtantinus aſſumpſit Cognatos ſuos ex materna linea deſcendentes, & Byzantii collocavit una cum multis Syris Monophyſitis Hæreticis, ex quibus* An.737. *plures in Thracia uſque nunc habitant, & juxta Petrum Cnaphea Trinitatem in Triſagio crucifigunt.* Et infrà: *Conſtantinus Syros, & Armenios quos à Theodoſiopoli & Melitina duxerat, in Thracen emigrat, ex quibus etiam Paulicianorum hæreſis eſt dilatata.* Et rurſùm: *Imperator Nicephorus Manichæo-* An.747. *rum, qui nunc Pauliciani & Athingani dicuntur, quiq; in Phrygia & Lycaonia conſtituti habebantur ejus confines & vicini, amicus ferventiſſimus erat, Reſponſis eorum ſemper & immolationibus congratulatus.* Quæ omnia iiſdem verbis ſcribit Martyr Theophanes. Peſſimis Nicephori ſceleribus ambo adnumerarunt, quod Paulicianis fuerit familiaris, nimiamque indulſerit libertatem. Etiam de Michaële Balbo Imperatore, apud Phry-

Digitized by Google

Phrygiæ Amorium nato, ſcribit laudatus Cedrenus. *Amorii ſuperioris Phrygiæ urbe, ab antiquis temporibus Judæorum, Athinganorum, aliorumq; impiorum multitudo habitabat, & quædam ibi Hæreſis ex iſtorum diuturna atque continenti inter ſe conflata conſuetudine enata erat, nova prorſus & inuſitatis conſtans opinionibus.* Eidem Sectæ ait adhæſiſſe Michaëlem, ideoque nullatenus fuiſſe Chriſtianum. Et addit primam Sectæ originem: *Manichæi ſibi Paulicianorum nomen ſumpſerunt à quodam Paulo Samoſateno, Manichææ cujuſdam mulieris, Callinices nomine, filio. Ea cum haberet duos filios, Paulum ſcilicet hunc, & alium Joannem, Manichæa eos Hæreſi inſtituit, Samoſatiſq; in Armeniam emiſit, ut ibi iſtam hæreſim promulgarent. Quod illi fecerunt in vico quodam Phanarroea. Exindè vico Epiſparidis. Sectatoribus factum eſt nomen Paulicianorum.* Quo circa hic Samoſatenſis Paulus eſt longè alius à cognomine Antiochiæ Patriarcha, per quem Neſtoriana ſcabies accepit prima exordia. Unde & hujus ſequaces conſuêrunt dici, non Pauliciani, ſed Paulianiſtæ. Quo tempore vixerit Paulicianorum Auctor, Cedrenus non exprimit: Eorum interim ſcelêrata enumerat dogmata, inter quæ eſt jam dictum monſtrum de Venerabili Euchariſtia. Fol 496 Fol.434

Aliud ipſorum facinus exponit laudatus Theophanes, dicens primam ſeptimæ Synodi Seſſionem fuiſſe celebratam Conſtantinopoli in Eccleſia ſanctorum Apoſtolorum, & adjungens: *Scholariorum & Excubitorum copiæ, perverſi ſui Magiſtri doctrina imbutæ & à propriis Rectoribus incitatæ, nudatis gladiis impetum fecerunt in Synodum, mortemq; tam ipſi Patriarchæ, quam Orthodoxis Epiſcopis, & Monaſteriorum Præpoſitis inferre minati ſunt.* Et hæc eſt cauſa, cur Synodus fuerit Nicæam tranſlata. Turbulentos iſtos fuiſſe Paulicianos, quos ex Syria in Thraciam adduxerat Conſtantinus Caballinus, diſertè aſſerit Anaſtaſius Bibliothecarius. Et ſanè conſtat hos cum Iconoclaſtis, uti Herodem ac Pilatum, adverſus Dominum ſemper conſpiraſſe. Quomodo adverſus piiſſimum Imperatorem Michaëlem Rangaben neſcio quæ turbida Plebs tumultuata, Conſtantini Caballini ſepulchrum acceſſerit, illum uti magnum Sanctum ad reparandam Iconoclaſtiam invocarit, ipſumque à mortuis ſurrexiſſe finxerit, refert idem Anaſtaſius & adjungit: *Multi eorum, qui in his blaſphemabant, erant habitu tantùm Chriſtiani, veritate verò Pauliciani.* Michaëlis tertii auguſta mater Theodora omnes aut converti aut capitali ſupplicio eradicari ſanxit, quam ſententiam executus tandem eſt dicti Michaëlis ſucceſſor Baſilius. Denuò rebellantes Reliquias in Philippopolitanam Thraciam deportavit Joannes Ztemiſcas, & exindè erumpens poſteà neſcio quis factioſus Lecas Nicephoro Botoniatæ novas mo- Fol.389. Fol.161. Fol.180.

vit turbas, ſacris indutum veſtibus Sardicenſem Epiſcopum occidit ad Altare, aliiſque facinoribus ſe reddidit famoſum. Quæ omnia latiùs ſcribunt Martyr Theophanes, Georgius Cedrenus, ac Joannes Scylitza Curopalátes. Compendio huc tranſtuli, ut Lutherani & Calviniſtæ ſuæ in ſacras Imagines, ſacroſanctam Euchariſtiam, ac quoſvis ſuos Superiores rebellionis agnoſcant Duces, Magiſtros atque Auctores.

## *Exponitur Error Joannis Erigenæ.*

INter Latinos Sacroſanctam Euchariſtiam primus nono Chriſti ſæculo impugnavit & abnegavit Joannes Erigena, homo Scotus ſeu Hiber-
An.883. nus, quem multis encomiis onerat Matthæus Weſtmonaſterienſis, affirmans ejus opera à Magiſtro Floro, Lugdunenſis Eccleſiæ Diacono, fuiſſe corrupta, ideoque per Eccleſiam damnata. Loquitur de novemdecim Capitum opere, quod adverſus Godeſcalcum Monachum miſerabilem, & ab ipſo aſſertam duplicem Dei prędeſtinationem conflâvit ad juſſum aut preces Hincmari Metropolitæ Remenſis, & Parduli Epiſcopi Laudunenſis. Et quod tertia Valentina ac Lingonenſis Synodus tanquam Diaboli commentum damnaverunt. Ipſum fuiſſe Lernæum monſtrum, erroris & mendacii ſeminatorem, novumque Pelagianæ factiônis Julianum ſanctus Prudentius Tricaſſinus Epiſcopus, & alii iſtorum temporum Patres non ſine fundamento dixerunt. Eun-
An.884. dem, utpotè gentis ſuæ Monachum, ipſiuſque cum Carolo Calvo Francorum Rege, à quo honorificè ſuſceptus in Gallia, familiaritatem, & multam Latinæ & Grecæ eruditionis varietatem deprędicat Simeon Dunelmenſis, & de aliis ejus libris adjungit: *Caroli rogatu Hierarchiam Dionyſii Areopagita in Latinum de Græco, verbum è verbo tranſtulit. Quo fit ut vix intelligatur Latina littera, quæ volubilitate magis Græca, quam poſitione conſtruitur noſtra. Compoſuit etiam librum, quem* περὶ φύσεων μερισμὸν, *id eſt, de natura diviſione titulavit, propter perplexitatem quarundam quæſtionum ſolvendarum benè utilem, ſi tamen ignoſcatur ei in quibuſdam, quibus à Latinorum tramite deviavit, dum in Græcos acriter oculos intendit. Quare & Hæreticus putatus eſt, ſcripſitq; contra eum quidam Florus. Sunt enim in libro de natura diviſione quamplurima, quæ niſi diligenter diſcutiantur, à fide Catholicorum abhorrentia videantur. Hujus opinionis particeps fuiſſe cognoſcitur Nicolaus Papa, qui ait in Epiſtola ad Carolum:* Relatum eſt Apoſtolatui noſtro, quod opus beati Dionyſii Areopagitæ, quod de divinis nominibus vel cœleſtibus Ordinibus Græco deſcripſit eloquio, quidam veſter Joannes, genere Scotus, nuper in Latinum tran-

tranſtulerit. Quod juxta morem nobis mitti, & noſtro judicio debuit approbari, præſertim cùm idem Joannes, licet multæ ſcientiæ eſſe prædicetur, olim non ſanè ſapere in quibuſdam frequenti rumore dicatur. *Propter hanc ergo infamiam tæduit eum Franciæ, venitq; ad Anglorum Regem Elfredum, cujus munificentia illectus Melduni reſedit.* Quæ omnia iiſdem ferè verbis ſcribunt Rogerus Hovedenſis & Guilielmus Malmeſberienſis. Laudatam Nicolai Pontificis Epiſtolam Decreto ſuo integram inſeruit ſanctus Ivo Carnutenſis. Simeon quippe omiſit hæc verba: *Itaque* Lib. 4. *quod hactenùs omiſſum eſt, veſtra induſtria ſuppleat, & nobis præfatum* c. 104. *opus ſine ulla cunctatione mittat, quatenùs dum à noſtri Apoſtolatus judicio fuerit approbatum, ab omnibus incunctanter noſtrâ auctoritate acceptius habeatur.* Notanda ſunt hæc Pontificis de Joanne verba: *Olim non ſanè ſapere dicatur.* Evincunt de naturæ diviſione librum eſſe primum Joannis in Gallia opus, quo vanus homo ob Barbaras Danorum in Angliam irruptiones transfuga facundi ingenii opes oſtentavit, atque ita Caroli Regis captavit gratiam. Huc enim reſpiciunt verba Simeonis Dunelmenſis: *A Carolo Calvo Joannes magna dignatione ſuſceptus, familiarium partium habebatur, tranſigebatq; cum eo tam ſeria quam joca, individuuſq; comes & menſæ & cubiculi erat.* Regi fuit adeò familiaris in accubitu, ut roganti, Quid inter Sotum ſeu ſtultum, ac inter Scotum intereſſet, impunè reſponderit intereſſe ſolam menſam, jocosè affirmans Regem eſſe ſtultum.

Porrò per oſtentationem lucubrata opera non diriguntur à Spiritu ſancto, ideoque non ſolum vanis ſubtilitatibus, ſed & erroribus ſolent ſubjacere. Adeò ſubjacuit hocce Joannis opus, ut turbarit non dumtaxat univerſam Galliam, ſed & Nicolai Pontificis Apoſtolicas aures inquietarit. Quare ipſum nequaquam fuit opus à Magiſtro Floro Lugdunenſis Eccleſiæ Diacono impugnatum. Labitur, Simeon Dunelmenſis. Florus enim, Ratramnus Corbeienſis Monachus, ſanctus Prudentius Trecenſis Epiſcopus, aliique iſtius ſæculi Patres ſolum novemdecim Capitum de unica prædeſtinatione librum impugnarunt, curaruntque damnari à Valentina Synodo, & Lingonenſi. Aliud Joannis opus periit aut latet, ideoque licitum hîc eſt conjecturare. Adeò in ipſo Joannes ſuam famam prodegit, ut Hincmarum Remenſem Metropolitam, ac ipſius Cariſiacis Capitulis adhærentes Epiſcopos, qui ipſum ad ſcribendum & ſuas cogitationes defendendas adhibuerant, ignominiæ & opprobrii notet in Libello de tribus Epiſtolis ſanctus Remigius Archiëpiſcopus Lugdunenſis, & Scotum appellet *Joannem illum*, Erronem vulgò notum, *qui & verbis & libris ſuis, mendaciis & erroribus, & phan-*

 *taſticis*

*taſticis ac hæreticis diſputationibus plenis, omnes penè apud Franciam Eccleſias & nonnullas etiam aliarum Regionum, quantùm in ſe fuit, infecit atque corrupit, ut non tam ipſe de fide interrogari, quam omnia ſcripta ejus ſaltem poſt mortem ipſius debuerint igne conſumi, ne ſimpliciores quique, qui ea multum diligere & legendo frequentare dicuntur, eorum lectione & inaniter occupentur, & perniciosè fallantur ac decipiantur.* Eum cum ſuis libris & ſcriptis ait eſſe omni irriſione ac deſpectu dignum, adeò ut, niſi corrigere & emendare feſtinet, *vel ſicut demens ſit miſerandus, vel ſicut Hæreticus anathematizandus.* Quapropter in ipſo etiam de naturarum tranſmutationibus, adeoque & de Euchariſtica tranſelementatione diſputavit Erigena, Græcos Iconoclaſtas, quibus tunc alia in parte adhuc favebant quidam Gallicani Epiſcopi, nimium æmulatus eſt, Euchariſtiam eſſe Dominici Corporis & Sanguinis figuram cum illis dixit, atque ità Hæreticus audiit in Gallicana Eccleſia, ad Sedem Apoſtolicam delatus eſt, & tamquam Hæreticus per Paſchaſii Ratberti Corbeienſis Abbatis, Iconoclaſtis inimiciſſimi, ſcripta impugnatus. Ejus tamen nomen ex avito fraternæ charitatis more Paſchaſius in exordio ſuppreſſit. Quod librum de naturarum diviſione impugnet, lucidè patet ex primo capite libri ad Placidum Abbatem.

Infœlix Apologus Ludovicus Cellotius errat ipſum à ſolo *poſt duo ſæcula* ſancto Lanfranco fuiſſe hæreſios accuſatum. Accuſatus fuit etiam à ſummo ſuo amico & Patrono Remenſium Metropolita Hincmaro, ſcribente in libro de Prædeſtinatione: *Sunt & alia, quæ vocum novitatibus delectantes, undè ſibi inanes comparant rumuſculos, contra fidei Catholicæ veritatem dicunt, videlicet quòd Trina ſit Deitas, quòd Sacramenta Altaris non verum Corpus & Sanguis ſint Domini, ſed tantùm memoria veri Corporis & Sanguinis ejus.* Sancto Prudentio, qui pro vocibus, *Trina Deitas*, librum ſcripſerat, errorem primum, ſecundum Joanni Scoto diſertè adſcribit. Hujus errorem Ratbertus lucidè exponit in litteris ad Fredegardum, ac præſertim in annexo illis Commentario Dominicæ Cœnæ apud ſanctum Matthæum. Adducit Domini verba, *Hoc eſt Corpus meum*, & adjungit: *Audiant qui volunt extenuare hoc verbum Corporis, quòd non ſit vera Caro Chriſti, quæ nunc in Sacramento celebratur in Eccleſia Chriſti, neque verus ſanguis ejus, neſcio quid volentes plaudere aut fingere, quaſi quædam virtus ſit carnis & ſanguinis in eo tantummodò Sacramento, ut Dominus mentiatur, dicens, Hoc eſt Corpus meum.* Et infrà. *Miror quid velint nunc quidam dicere non in re eſſe veritatem Carnis Chriſti vel Sanguinis, ſed in Sacramento virtutem quandam carnis, & non carnem; virtutem Sanguinis, & non ſanguinem; figuram & non veritatem;*

*um-*

*umbram, & non corpus.* Et rursùm: *Quidam loquaciſſimi magis quàm docti, dum hæc credere refugiunt, quæcumque poſſunt, ne credant quæ veritas repromittit, opponunt, & dicunt nullum corpus eſſe quòd non ſit palpabile & viſibile. Hæc autem, inquiunt, quia Myſteria ſunt, videri nequeunt nec palpari, & ideò corpus non ſunt. Et ſi corpus non ſunt, in figura carnis & ſanguinis hæc dicuntur, & non in proprietate naturæ Carnis & Sanguinis, quæ caro paſſa eſt in cruce, & nata de Maria Virgine.* Aſſiduè hæc Paſchaſius inculcat atque impugnat, uniuſque ipſius in cunctis hiſce ſcriptis ſcopus eſt Euchariſtiam eſſe ſubſtantialiter ipſam Domini noſtri Carnem, quæ nata eſt de Maria Virgine, & à Judæis crucifixa: Eſſe ipſum Sanguinem, qui fuſus fuit in remiſſionem noſtrorum peccatorum. Quod ipſum in laudato libro facit Hincmarus, itemque in alio opere laudato per Flodoardum in hiſtoria Remenſis Eccleſiæ: *Hincmarus ad Carolum* Lib. 3. *Regem ſcripſit opus quoddam egregium metricè de Sacramentis Corporis &* c. 15. *Sanguinis Chriſti, quod appellavit ferculum Salomonis.* Licèt verſatilis, quoad multa Hincmarus fuit inſignis Epiſcopus, ideoque ubi peſſimam hanc lepram advertit ſerpere, dilectum Scotum etiam ſtrenuè invaſit.

Scotum hunc ex nimia Græcorum, utique Iconoclaſtarum, imitatione lapſum, ex Græcis etiam ipſis, utique ſeptimi Concilii Patribus, revincere & ad mentem reducere conatus eſt Græci etiam ſermonis peritiſſimus Ratbertus. Porrò Patres hi in Iconoclaſticæ Synodi ac definitionis refutatione ſcripſerunt: *Nullus aliquando tubarum Spiritûs ſancti, Sanctorum* L. 6. *videlicet Apoſtolorum, aut Illuſtrium Patrum noſtrorum, incruentum Sacrificium noſtrum, quod in commemorationem Chriſti Dei noſtri ac omnis diſpenſationis ejus efficitur, dixit imaginem Corporis ejus.* Affirmant ſemper dictum & creditum fuiſſe Corporis veritatem ſeu verum Corpus, ità omninò cogentibus Dominicis verbis: *Hoc eſt Corpus meum.* Et pergunt: *Liquidò demonſtratum eſt, quòd nuſquam Dominus, vel Apoſtoli, aut Patres imaginem dixerint Sacrificium, ſed ipſum Corpus & ipſum Sanguinem. Et ante ſanctificationis quidem celebrationem typos quibuſdam ſanctorum Patrum hæc piè viſum eſt nominare, poſt ſanctificationem autem Corpus propriè & Sanguis Chriſti dicuntur, ſunt & creduntur.* Et apud nos & apud Græcos duplex eſt Elementorum ſanctificatio: Altera verbalis in Offertorio, realis altera per Conſecrationem. Per iſtam in figuras & typos elevari, per hanc in Dominici Corporis & Sanguinis veritatem tranſmutari Elementa affirmant iſti Patres, probantque ex magno Baſilio, & ſancto Euſtatio Patriarcha Antiocheno. Quæ omnia in ſuo ad Gallorum Epiſcoporum circa ſeptimam Synodum dubitationes Reſponſo firmavit Pontifex Adrianus primus. Eodem modo adversùs Græculum iſtum Scotum

tum locutus eſt Paſchaſius. Hocce in Sacramento videtur nihil aſſerere, quàm Domini Carnem & Sanguinem: Nihil iſtic eſſe niſi incorruptibile ac ſpirituale. Sacramenti eſſentiam non deſtruxit: Lucidè profitetur præter occultam Domini Carnem eſſe in ipſo etiam tranſmutatorum Elementorum ſpecies ac figuras. Verùm an reſidua ipſorum accidentia, an circumfuſi aëris, an ipſius Dominici Corporis miraculoſæ affectiones eſſent, manifeſtè non diſtinxit. Videtur ipſas voluiſſe ſimiles illis, per quas in Agni aut puelli ſpecie Dominus quibuſdam piis fidelibus ſe ſubindè monſtravit. Ipſum Domini Sanguinem dixit in nos effundi ac dividi,
C. 13. ipſamque ejus Carnem à nobis tangi, edi & *dentibus vorari.* Quin
C. 14. imò Sacramenti ſpeciem ſcripſit eſſe *colorem fucatum*, atque ità reſidua Elementorum accidentia denegaſſe eſt viſus, & adſtruere carnalem opinionem, quam Dominus damnavit in Capharnaitis. *Hæc*, inquit in Dominicæ Cœnæ Commentario, *prolixiùs dixerim & expreſſiùs, quia audivi quoſdam me reprehendere, quaſi ego in eo Libro, quem de Sacramentis Chriſti edideram, aliquid his dictu plus tribuere voluerim, aut aliud quàm ipſa veritas repromittit, timentes fortè hoc quod ipſi timuerunt, quibus tunc loquebatur Dominus, quòd partes facere voluerim, & ejus per ſingulos membra dividere conciſa vel diſpenſare, ſicut tunc illi putarunt, qui ſcandalizati dicuntur, & abierunt retrorſum.* Plus aut aliud, quàm ipſa repromittat veritas, in Euchariſtia aſſerere eſt aſſerere illic non Elementorum ſpecies, ſed ipſam Dominici Corporis & Sanguinis ſubſtantiam à nobis immediatè ſumi, dividi ac tangi. Hoc putatus eſt ſentire Paſchaſius, adeoque labi carnaliter cum Capharnaitis. Laudatum de Sacramentis librum memorat etiam in litteris ad Fredegardum, affirmatque cuilibet puero, id eſt, vulgari Plebi, ac ipſis etiam pueris dedicatum. Et Anonymus per Ludovicum Cellotium ex Jacobi Sirmondi Muſæo vulgatus Apologus ſcribit: *Paſchaſius Ratbertus, rogatus incertum an provocatus, ſcripſit de eadem re*, utique de Sacramentis, *libellum ad centum ferè capitula, ſatis utilem.* Cellotius exiſtimat fuiſſe Antidotum ſeu libellum Catechiſticum pro ſimplici populo. Hodiè exſtans de Dominici Corporis & Sanguinis Myſterio liber eſt ſolorum duorum & viginti Capitum, eſt dedicatus Placido Abbati, & ſcriptus ad ejus preces, ideoque quidquid dicat David Blondellus homo Calviniſta, videntur libri hi omninò eſſe diverſi. Prior ille periit aut latet, & mentem ſuam diſtinctiùs in ipſo expoſuit Paſchaſius, ideoque circa illam nos grandi lumine deſtituti non poſſumus non hæſitare.

Quæ omnia in ſua ad Carolum Calvum Francorum Regem Epiſtola inſigniter confirmat famoſus Bertramnus, ſeu Bertramni nomine circum-

cumtectus Joannes Scotus: *Dum quidam fidelium Corporis Sanguiniſque Sacramentum, quod in Eccleſia quotidie celebratur, dicunt quod nulla ſub figura, nulla ſub obvelatione fiat, ſed ipſius veritatis manifeſtatione peragatur, quidam verò teſtantur quod hæc ſub Myſterii figura contineantur, & aliud ſit quod corporis ſenſibus appareat, aliud autem quod fides adſpiciat, non parva diverſitas inter eos eſſe dignoſcitur.* Priorem calumnioſè Paſchaſio Ratberto, poſteriorem ſententiam veraciter adſcribit Rabano Mauro. Notanda enim ſunt hæc verba: *Quod hæc ſub Myſterii figura contineantur.* Clarè affirmant Rabanum de Euchariſtia rectum per omnia ſenſiſſe. Quam de Paſchaſio pravam opinionem habuit in litteris ad Magiſtrum Aſcelinum etiam Berengarius: *Paſchaſius ſolus ſibi confingit Sacramento Dominici Corporis decedere panis omninò ſubſtantiam.* Hoc eſt, ſubſtantiam cum omnibus ſuis etiam accidentibus.

## *Exponitur opinio Stercoraniſtarum.*

OPtimi Paſchaſii Adverſarios prodit item publicatus per Ludovicum Cellotium Auctor Anonymus: *De Myſterio Corporis & Sanguinis Domini quidam dicunt idem eſſe quod ſumitur de Altari, quod & illud quod natum eſt ex Virgine: Alii autem negant, & dicunt aliud eſſe. Quidam etiam Diabolicâ inſpiratione blaſphemant ſeceſſui obnoxium fore.* Hoſce poſteriores graviſſimè increpat & notat, atque adjungit: *Et his quidem, qui dixerunt ſeceſſui obnoxium, quod numquam antea eſt auditum, id eſt, Heribaldo Autiſiodorenſi Epiſcopo, qui turpiter propoſuit, & Rabano Moguntino, qui turpiùs aſſumpſit, turpiſſimè verò concluſit, ſuus ad reſpondendum locus ſervetur.* Paſchaſii adverſus Erigenam liber omnem mox perambulavit Galliam, varia variorum ſubiit judicia, atque ita apud Heribaldum ex ſancti Germani Monacho Autiſiodorenſem Epiſcopum de negatis Sacramentalium Elementorum reſiduis accidentibus, adeoque & de reſuſcitato Capharnaïtarum carnali errore reatum incurrit, aut gravem certè ſuſpicionem, ideòque fuit ad Rabani Mauri, ex Fuldenſi Monacho Moguntini Archiepiſcopi, ſummi in Germania ac omni Eccleſia Doctoris, judicium tranſmiſſus. Et Rabanus fuit ejuſdem cum Heribaldo mentis. In hocce Myſterio non ſolum Domini Corpus & Sanguinem eſſe docuit, ſed inſuper tranſmutatorum Elementorum reſidua ſine ſubjecto accidentia, accuratè hæc diſtinguenda, Domini Carnem & Sanguinem ſub illis omninò contineri ſubſtantialiter, ipſum tamen ſpirituali dumtaxat modo à nobis ſumi & tangi, corporaliter

Digitized by Google

liter tangi & ſumi ſola iſta accidentia: Tangi & ſumi aliorum ciborum more, ideoque & *ſeceſſui eſſe obnoxia.* Addidit id Rabanus, quo iſtorum accidentium à ſuo contento diſcrimen exprimeret apertiùs atque efficaciùs. Ita ſcripſit ad Egilonem Abbatem, forſan Flaviniacenſem, Senonenſem poſteà Archiëpiſcopum. Periit aut latet Epiſtola. Hanc tamen ejus fuiſſe ſententiam memoratus Anonymus Scriptor diſertè teſtatur. Et certè eandem tradit Rabanus in libris de inſtitutione Clericorum: *Maluit Dominus Corporis & Sanguinis ſui Sacramentum fidelium ore percipi, & in paſtum eorum redigi, ut per viſibile opus inviſibili, oſtenderetur effectus.* Et infrà: *Aliud eſt Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Sacramentum enim ore percipitur, virtute Sacramenti interior homo ſatiatur. Sacramentum in alimentum Corporis redigitur, virtute autem Sacramenti æterna vita adipiſcitur.* Sacramentum ſunt tranſmutatorum Elementorum reſidua accidentia: Ea dicit in corporis alimentum redigi, adeoque & in ſeceſſum. Ab hocce tamen verbo abſtinuit, quod partium contentio tunc ipſum reddidiſſet odioſum & ſcandaloſum.

Lib. 1. c. 30.

Ejuſdem ſententiæ fuiſſe Amalarium affirmat manuſcripta Guilielmi Malmesbérienſis Epitome, & ſuo ad ſanctorum Patrum Bibliothecam indici addit Mangarinus la Bigne: *Magiſtrum Florum in manuſcripto codice perantiquo legi adfuiſſe Concilio Cariſiacenſi, temporibus Caroli Calvi, & ſcripſiſſe contra Amalarium Lugdunenſem.* Ab Amalario Fortunato, librorum de divinis Officiis Auctore, quem ait fuiſſe Germanum, & ex Lexovienſi Monacho Archiëpiſcopum Trevirenſem, hunc Amalarium patenter diſtinguit, videturque omninò diſtinguendus, de qua re videantur quæ ad ſeptimum Spicilegii ſui tomum præfatur Lucas Dacherius. In Godeſcalchi Monachi Hiſtoria Jacobus Uſſerius, apud Anglicanum Schiſma Archiëpiſcopus Armachanus, noſtrum Amalarium cum ſancto Amulo ſeu Amulone Lugdunenſi Archiëpiſcopo confundit, quem eſſe viro docto indignum errorem rectè advertit in ejuſdem Monachi Hiſtoria Gilbertus Manguinus, errans tamen & ipſe in hiſce verbis: *Prior Bertramno ſcripſiſſe notatur Paſchaſius ab anno octingenteſimo decimo octavo ſub Imperatore Ludovico Pio, & uterque Stercoraniſtarum Hæreſim, quæ illo tempore exorta eſt, confutavit.* Stercoraniſtarum Hæreſis ex Paſchaſii adverſus Joannem Erigenam, qui priùs ſub Carolo Calvo, ad annum octingenteſimum trigeſimum nonum regnare exorſo, venit in Gallias, pugna prodiit, & Paſchaſius Ratbertus primùm iſtius ſæculi anno quadrageſimo quarto eſt factus Abbas, & anno quinquageſimo defunctus, decimo octavo ejuſdem ſæculi anno erat adhuc juvenis, ideoque tunc non potuit ſcripſiſſe. Hæc tamen contentio

Cap. 18.

Cap. 17.

tio Godeſcalci de gratia & prædeſtinatione lites, anno iſtius ſæculi quadrageſimo ſeptimo cæptas, omninò præceſſit.

Itaque adverſus Heriboldum, Rabanum, & Amalarium defendit ſeſe atque purgavit Paſchaſius per litteras ad Fredegardum, demonſtrans ſe à Capharnaïtarum errore remotiſſimum, & tranſmutatorum Elementorum accidentia à ſe omninò agnoſci, ſub quibus Domini Corpus & Sanguis exiſtant ſpiritali modo, tota ſub totis & tota ſub ſingulis particulis, & illa ſub his à nobis ſumi, in nos effundi ac dividi ad modum ipſius ſancti Spiritus, qui in nos effunditur ac dividitur ſine ſui diviſione. Nempe uti hic mediantibus creatis ac diviſibilibus ſuis donis, ita Domini Corpus & Sanguis mediantibus diviſibilibus accidentibus effunduntur, ſumuntur ac dividuntur. A noſtris dentibus aut manibus ſola Sacramentalia accidentia, Domini Corpus & Sanguinem ſola noſtra fide tangi conſtanter docuit Ratbertus. Et huc omninò in opere de Euchariſtia adverſus Berengarium reſpicit ſanctus Lanfrancus: *Prior ſententia, per quam dicitur, Panis & Vinum Altaris ſolummodò Sacramenta ſunt, tua eſt, tuorumq; ſequacium. Poſterior verò, quæ enuntiat, Panis & Vinum Altaris ſolummodò ſunt verum Chriſti Corpus & Sanguis, nullius eſt hominum.* Omninò purgat Paſchaſium Ratbertum, qui hujus Sacramenti eſſentiam in ſolo Dominico Corpore & Sanguine, & non in reſiduis tranſmutatorum Elementorum accidentibus poſuiſſe, ideoque Sacramentum deſtruxiſſe, fuerat olim accuſatus, & etiam tunc à Berengario accuſabatur. Et hinc ad poſteriorem iſtorum verborum periodum miſerè in ſeptimo ad Godeſcalci Hiſtoriam appendice Opuſculo labitur Ludovicus Cellotius: *Imò verò Stercoraniſtarum erat iſta ſententia, qui realia omnia, Sacramentale nihil in Euchariſtia agnoſcebant.* Fol. 565. Abſit ut Heriboldus, Amalarius, ac præſertim Rabanus, viri longè doctiſſimi, dixerint in Euchariſtia nihil eſſe Sacramentale. Abſit ut blaſphemarint ipſum Domini Corpus & Sanguinem nobis verti partim in alimentum, partim in ſeceſſum. Dixerunt id de ſolis Sacramentalibus accidentibus, ideoque hæc ſola fuerunt unicum Stercoreæ, ut putabatur, Hæreſios fundamentum.

Dico, *Ut putabatur.* Neque enim Doctores iſtos de Hæreſi unquam accuſavit ſanctus Paſchaſius, apud quem nulla Stercoris mentio, niſi in libro ad Placidum Abbatem: *Nec obſervandum, ſicut Apocryphorum* Cap. 20. *monumenta decernunt, donec ea*, utique Sacramentalia accidentia, *digerantur in corpore, ne communis cibus accipiatur.* Et rurſus in eodem Capite: *Frivolum eſt, ſicut in eodem Apocrypho libro legitur, in hoc Myſterio cogitare de Stercore, ne commiſceatur in alterius cibi digeſtionem.* Eſ-

cam hanc ait eſſe planè ſpiritualem, ideoque cum vulgaribus alimentis nihil ipſi eſſe communionis. An adverſus ſolum Erigenam, an etiam adverſus Heriboldum, adeoque & poſt Rabani ad Egilonem litteras, tamquam Apologeticus ſit ſcriptus hic liber, ignoro: Si prior ſit, memorandi Stercoris occaſionem Rabano dedit Ratbertus. Quidquid ſit, Hæreſios illum non notat, dumtaxat aſſerit de ſordibus iſtis in tanto Myſterio tacendum. Dogmaticæ lites ambulando paſſim creſcunt: Hinc utriuſque partis Diſcipuli cæperunt Magiſtris eſſe calidiores, atque ita Heriboldus & Rabanus tandem à quibuſdam cæperunt de Hæreſi infamari.

Diſtingui oportet duplices Stercoraniſtas: Alios qui ipſam Dominici Corporis & Sanguinis ſubſtantiam, alios qui ſola Sacramentalia accidentia crediderunt à ſtomacho noſtro digeri, & ſecerni in ſeceſſum. Ex priori claſſe non fuerunt, ſed ipſum cum ſuis diſcipulis Chriſtum Dominum eſſe talem crediderunt Capharnaïtæ: Crediderunt quod carnes ſuas, tanquam Lanio in macello, in fruſta concidere vellet, aut concidi juberet, & iſtud ſuis prædicaret ſacrificium, quod ſumptum, aliarum eſcarum more, abiret in ventrem & ſeceſſum. Hinc prædicationem iſtam uti barbaram, carnivoram, & à Deo alienam, ſunt averſati. A quo calumnioſo phantaſmate non multum abſuit etiam Berengarius, Dominicum in Euchariſtia Corpus comparans altiſſimæ turri *Andegavenſi*, affirmanſque etiam tantum Chriſtiano Populo *non poſſe ſufficere*. Putabat ergo illud in Sacramento quaſi in macello concidendum, & tale à nobis dogmatizari. Et ad Georgii Xiphilini ac ejus ſucceſſoris Joannis Camateri ſub Alexii Comneni Imperio Conſtantinopolitanum Patriarchatum ſcribit Nicetas Choniates: *Mota eſt*
L. 3. c. 3. *quæſtio, utrum Chriſti Corpus poſt perceptionem incorruptibile ſit, quale poſt Paſſionem ac Reſurrectionem fuit, an corruptibile, ut ante Paſſionem? Alii dicebant eſſe incorruptibile, quod divinorum Myſteriorum perceptio ſit confeſſio & recordatio quædam Domini propter nos mortui ac redivivi.* Hanc ſententiam Nicetas conſtantiſſimè probat, confirmat variis Grecorum Patrum teſtimoniis, demonſtrat Dominicum Corpus ſpiritali ac impartibili modo eſſe totum & ſub totis accidentibus & ſub qualibet ipſorum portiuncula, aſſeverat hunc eſſe fidei articulum, & proſequitur: *Alii dixerunt id Myſterium non confeſſionem Reſurrectionis, ſed ſacrificium dumtaxat eſſe, ac proindè corruptibile, & amens, & inanime, ad quod qui accedit, non totum Chriſtum percipiat, ſed partem. Nam ſi, inquiunt, incorruptibile eſſet, etiam mentis eſſet particeps, & animatum, & intactile, & inadſpectabile, neque dentibus ſcinderetur & moleretur, & in ſcindendo nullam omninò moleſtiam ſentiret.* Quæſtionis & erroris Auctor fuit

fuit *nequam Monachus Sicidites, homo ſeditioſus ac Hereſiarcha.* Solum ſine anima corpus ſub panis, ſub vini ſpecie contineri dixit ſolum ſine corpore ſanguinem: Ambo eſſe corruptibilia ac partibilia, ideoque à communicantibus ſumi, non tota, ſed quampiam ſolummodò partem. Ea blateravit à nobis proximè videri, tangi, ſcindi dentibus ac moli, in ſcindendo pati dolorem ac moleſtiam, adeoque & per ſtomachum mitti in ſeceſſum. Etenim paſſibile, quod comeſtum ſcinditur & moleſtiam patitur à comedentium dentibus, omninò etiam digeritur à ſtomacho, ac in ſolemnes digeritur exitus. Dixit iſtam eſſe immobilem Corporis & Sanguinis eſſentiam, ideoque & glorioſas reſuſcitati Corporis dotes improbavit, dicens de nobis: *Ipſi viderint, quomodo nos poſt Reſurrectionem nullo modo ſub tactum & figuram humanam caſuros affirment, ſed ut incorporeas umbras volaturos.* Addidit plura ejuſmodi impia atque blaſphema. Blaſphemum hominem editis libris invaſit præfatus Patriarcha Joannes; verum quod non divinis Scripturarum & Patrum teſtimoniis, ſed humanis rationibus ipſos munierit, item quod Patriarchali auctoritate hominem non plenè compeſcuerit, meritò culpat laudatus Nicetas, addens hæc Myſteria eſſe omni veneratione ac ſilentio digna, ideoque hujuſmodi quæſtiones eſſe ſimplici Populo ſcandaloſas & ſtatim præcidendas. Ex his interim vides de ſolo ſine anima corpore, & ſolo ſine carne ſanguine ſub panis ac vini ſpecie errorem, quem Neſtorio ac Pelagio quidam attribuerunt, ab hoc impuro Monacho fuiſſe omninò receptum. Item vides plenè Hæreticos Stercoraniſtas quandoque omninò fuiſſe. Eundem errorem in præfato opere Ludovicus Cellotius adſcribit Paulo Samoſatenſi, à quo Dominicum in Euchariſtia ſanguinem dogmatizatum fuiſſe corruptibilem ac diviſibilem ſuprà audivimus à ſancto Dionyſio Alexandrino. Verum ſine fundamento. Per corruptibilem enim ac diviſibilem Paulus intellexit puri & vulgaris hominis ſanguinem, ex communi naturæ lege obnoxium corruptioni ac diviſioni. De quo an etiam in Sacramento pateretur, non video tunc fuiſſe diſputatum. Suo tempore fuiſſe à quodam ſuo amico diſputatum atque aſſertum teſtatur ac damnat in libris de ſacris Pignoribus Guibertus Abbas Novigenti. De hiſce Stercoraniſtis hic non agimus, ſed de ſolis poſterioribus. Lib. 3.

Orthodoxi omnes convenerunt Sacramentales ſpecies eſſe idem quod reſidua tranſmutatorum Elementorum accidentia, verum an aliorum ciborum more partim in noſtram ſubſtantiam, partim in ſeceſſum abirent, acriter & durè ab illis diſceptatum eſt, occaſione acceptâ ex unica Rabani voce, cui Heriboldus, Amalarius, aliique plures adſtipulati ſunt,

 & plu-

& plurimi adverſati, adverſariis ſuis inſigentes fœdum nomen Stercoraniſtarum. Iſtius ad firmius aſſertæ veritatis robur emiſſæ periculoſæ ſeu nimiùm curioſæ vocis videtur Rabanum omninò pœnituiſſe. Eam enim poſteà non amplius aſſumpſit in calamum aut linguam. Et ſuas ad Egilonem Abbatem jampridem perditas litteras ipſe forſan ex eadem pœnitentia ſuppreſſit. Et hinc ejus ſententiam ſequentes fuerunt vocati, non Rabaniſtæ, ſed Stercoraniſtæ. Quidquid ſit, de ipſorum opinione
Cap. 1. errat per Ludovicum Cellotium publicatus Scriptor Anonymus: *Quod nunquam anteà eſt auditum.* Etenim quæſtionem hanc ab Apocrypho ante ſe Scriptore fuiſſe motam, disertè jam audivimus ab ipſo Paſchaſio Ratberto. Taxat ab Iſidoro Mercatore in Franciam adductas ficti Clementis Romani Pontificis ad Jacobum Domini Fratrem litteras: *Qui reſidua Corporis Domini, quæ in Sacrario relicta ſunt, conſumunt, non ſtatim ad communes accipiendos cibos conveniant, ne putent ſanctæ portioni*
Epiſt. 2. *commiſceri cibum, qui per Aqualiculos digeſtus in ſeceſſum funditur.* Adfirmare videtur Sacramentalia Euchariſtiæ accidentia per Aqualiculos non digeri, adeoque non fundi in ſeceſſum. Et huic ejus ſenſui omninò adſtipulatur Paſchaſius, additque commendatam ab illo cautelam eſſe frivolam, quoniam etiam aliis cibis admixta iſta accidentia ſint ab omni degeſtionis aut ſeceſſus periculo ſecura. Quin & longè adhuc antiquior eſt iſta quæſtio. Nam in Sermone de Pœnitentia ſcribit ſanctus Joannes Chryſoſtomus: *Num vides panem? Num vinum? Num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum vadunt? Abſit. Ne ſic cogites. Quemadmodum enim ſi cera*
Tom. 5. *igni adhibita illi aſſimilatur, nihil ſubſtantiæ remanet, nihil ſuperfluit; Sic &*
Ser. 39. *hic puta Myſteria conſumi Corporis ſubſtantia.* Et in quinta Myſtagogica Catecheſi ſanctus Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus: *Panis hic non in ventrem deſcendit, & in ſeceſſum emittitur, ſed per te totum, ad corporis & animæ utilitatem, diſtribuitur.* Uterque videtur palam loqui de ſacramentalibus accidentibus. At verò Origenes vel alius quivis ſcribit in fragmento Commentariorum ſuper Matthæum: *Hic ipſe cibus ſanctificatus, ſecundum materiale quod continet, in ventrem vadit, inde in ſeceſſum, ut Dominus dixit*, OMNE QUOD INTRAT IN OS, IN VENTREM VADIT, ET INDE IN SECESSUM EMITTITUR. Paſchaſius Chryſoſtomum, Origenem ſecuti ſunt Heriboldus, Rabanus & Amalarius, quibus ſui non defuerunt ſequaces. Etenim de Harigero, Lobienſis, quod olim dicebatur ſcientiæ vallis, Monaſterii Abbate ſcribit Continuator Folcuini ibidem Abbatis & Chronologi: *Harigerus congeſſit contra Ratbertum multa Catholicorum Patrum ſcripta de corpore & ſanguine Domini.*

An. 990. Verùm Ratberto adhæſerunt longè plures, de quorum tamen diſcordiis

Digitized by Google

cordiis ſcribit in Occidentalis Eccleſiæ Hiſtoria Cardinalis Jacobus de Vitriaco: *Reſpondemus Hæreticis, quod poſtquam facta eſt tranſubſtantiatio, formæ, ſeu accidentia Panis & vini remanent contra conſuetum naturæ curſum ſine ſubjecto. Non enim ſunt in Chriſti corpore, neq; in aëre, tamquam in ſubjecto, ſed Chriſti corpori aſſiſtunt, & circumfunduntur aëre. Cum enim Chriſti corpus glorificatum oculis mortalibus non ſit viſibile, vel manibus tractabile, non niſi ſub formis ſenſibilibus poſſet percipi. Videtur igitur ibi vera albedo, & ſapor in veritate ſentitur, quia nihil ibi phantaſticè agitur, non tamen album videtur vel tangitur, dividitur & frangitur, putreſcit & corrumpitur, concrematur & corroditur, corpore Chriſti integro & incommutabili permanente, in quo nihil incurrit coinquinatum, ſicut ſolis radius abſque ſui coinquinatione per locum tranſit immundum.* Scio Jacobum Cardinalem loqui adverſum Albigenſes ſui temporis Hæreticos: Reſpicit tamen & ad lites antiquas. Quo circa inter Paſchaſii diſcipulos quidam Sacramentalia accidentia, ut adſtruerent incorruptibilia & à ſeceſſus periculo ſecura, dixerunt phantaſtica, alii in ipſo incoruptibili Domini Corpore ſubjectarunt. Quem utrumque errorem expugnat etiam ſanctus Anſelmus in præfatione libri de Sacramento Altaris. Catholica veritas ſemper aſſeruit illa ſubſiſtere ſine ſubjecto. Quidam poſuerunt etiam in circumfuſo aëre: Qui errarunt accidens non poſſe per Deum omnipotentem poni extra ſubjectum. Hoſce inter fuit Petrus Abaelardus, de quo in litteris ad Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſanctus Bernardus: *Petrus de Sacramento Altaris malè ſentit.* Ep. 188. Et in litteris ad Innocentium ſecundum Pontificem: *Poſt Conſecrationem Panis & Calicis priora accidentia, quæ remanent, dicit pendere in aëre.* Non hærere, ſed pendere: Ut- Ep. 190. pote non accidentia, ſed Corpuſcula Democriti aut Epicuri. Cartheſiani Fabulones, uſi eodem effugio, ſuum Magiſtrum agnoſcant. Certè iſtud Cartheſianorum Phantaſmatum palmare principium eſt etiam Herculea clava Joannis Wicleffi, Joannis Calvini, & ſimilium Erronum. Et hinc Sacramentalium accidentium incorruptibilitatem ex alio fonte hauriendam cenſuit ſanctus Guitmundus, Averſanus Epiſcopus, huic Berengarii argumento, *Caro Chriſti eſt incorruptibilis, Sacramenta verò Altaris, ſi diutiùs ſerventur, poſſunt corrumpi, videntur enim putreſieri,* reſpondens quibuſdam quidem videri corrumpi, re vera autem non corrumpi, probanſque ex ſancto Ambroſio, in libris de Sacramentis ſcribente de utriuſque teſtamenti Manna: *Illud corruptioni obnoxium, ſiniſdum alterum ſervaretur, hoc alienum ab omni corruptione.* De Chriſto Domino, Diſcipulis in Emaus euntibus apparente ut Peregrino, ſcribit ſanctus Gregorius Magnus: *Talem ſe eis exhibuit in corpore, qualis apud illos*



Digitized by Google

*illos erat in mente.* Eodem modo ſanctus Guitmundus vult agi à ſacroſan-
H. 23 cta Euchariſtia: Ab illorum dumtaxat, *apud quorum mentem jam corrupta eſt, oculis exiſtimat videri corruptam. Probat exemplo ſancti Tharſitii Martyris, in cujus revoluto cadavere ac veſte curioſi Pagani non repererunt Sacramenta: Quod nempe illa ab iſtorum, quorum mente non videbantur, etiam oculis videri nollent. Etiam à muribus
Lib. 2. vult non poſſe rodi, imò nec ignibus abſumi. *Si tamen ſacra*, inquit, *Myſteria ignibus imponantur, non traduntur equidem ignibus cremanda, ſed mundiſſimo elemento fideliter committuntur, nobis occultanda, & ſupernis ſedibus illico reponenda.* Et infrà: *Corpus Domini nullomodo in ſeceſſum mitti & nos credimus. Sicut cibus corruptibilis, cum ab immortalibus*, nempe ſanctis Angelis apparentibus, aut Chriſto Domino poſt Reſurrectionem verſante cum Diſcipulis, *ſumitur, hac ſeceſſus lege congruè creditur non teneri, ita cibum incorruptibilem, quod eſt Corpus Domini, cum à mortalibus editur, ſeceſſus neceſſitatem pati nefas eſt arbitrari. Abſit ut inhoneſtam corporis egeſtionem cibus ille ſuſtineat, qui corpus & animam ad æternam honeſtatem parat.* Hujuſmodi plura Berengarii argumenta & ineptas curioſitates eodem in libro conformiter diſſoluit. Ex Dominici Corporis conjunctione, vel certè ex ſpeciali Dei protectione vult ſacras ſpecies eſſe incorruptibiles, in hoc tamen ſibi ipſi non plenè conſentiens, quod ipſarum eſu & potu fateatur hominem longo etiam tempore poſſe nutriri & ſuſtentari: Nutriens quippe & ſuſtentans alimentum nequit non partim in alimenti ſubſtantiam, partim in excrementa ſecerni.

Et hinc nonnihil ab illo diſſentit in libro de Corpore & Sanguine Chriſti Durandus Abbas Troarnenſis, ſcribens de Berengario & ejus Sectatoribus: *Dicunt ea, quæ ad Altare deferuntur, panis & vini munera*
Part. 1. *poſt conſecrationem etiam quod fuerant permanere, & ſic quodammodo Corpus Chriſti & Sanguinem verum, non naturaliter, ſed figuraliter eſſe. Ipſas quoque ſubſtantias Divinæ oblationis adeò corruptibiles & corrumpentes delirant eſſe, quatenus & in digeſtione communium ciborum perire, & amplius æquo ſumentes in crapulam & ebrietatis furorem queant vertere. Sed & alia graviora ſatis, multoq; his turpiora ſentiunt, & conſciis minuſq; ſuſpectis inſuſurrare non deſiſtunt, quæ ne dicam proferre, verùm etiam nefas eſt vel tenuiter cogitare.* Iſta turpiora tandem ſubjungit eſſe *turpem Sacramentorum corruptelam*, qua perire dicit *totam profeſſionis Chriſtianæ diſciplinam.*
Part. 2. Et infrà: *Verè inter manus Miniſtrorum ad inviſibilem ſpeciem cæleſti commercio perduci ter Sacramenti etiam viſibilis forma, videlicet ut tantum fiat Sacramentum, id eſt, ex toto Sanctitas ac vita animarum. Nec ut pravi quiq; audent delirando confingere in digeſtionis corruptionem reſolvitur, ſed*

*magis*

Digitized by Google

*magis in mentibus utentium vitam ſalutemq́, efficaciter operatur.* Et iterum: *Res tam Divina, tumq́, ſalutaris, tanta deniq́, virtutis plena & Majeſtatis, ut in digeſtione pereat, cuilibet vel extremo fidelium nullatenus debet perſuaderi, ſed ſemel perceptam potius ſub ſpe futuræ, quæ exſpectatur, glorificationis in præſentiarum nos conſolari, & ad promerendum id poſtmodum, quod pollicetur, potenti præparare effectu, oportet credi. Nimis autem videtur abſurdum, & à re ipſa decernitur alienum, ut ubi Chriſtus percipitur, de Stercore cogitetur.* Sacramentales ſpecies affirmat eſſe adeò incorruptibiles, ut homo per immoderatam ipſarum ſumptionem turbari nequeat aut inebriari. Hanc incorruptibilitatem vult eſſe unum è Chriſtianæ profeſſionis fundamentis, ideoque Berengarii, quæ cum illa cohærere non poſſit, Doctrinam vel ex hoc ſolo capite eſſe Hæreſim manifeſtam. Part. 3.

Eandem incorruptibilitatem docet etiam per Ludovicum Cellotium publicatus Scriptor Anonymus: *Sacramenti excellentiam non reveretur, qui ſeceſſui dicit obnoxium, ſicut cæteras eſcas. Sed tamen eodem modo, quantum ad comeſtionem & hauſtum pertinet, percipitur: Videlicet trajiciendo per os; & in ventrem mittendo, ubi quid Dominus de Myſterio ſuo agere voluerit, ſuæ ſcimus tantum cognitum voluntati. Scimus enim conſumi poſſe ſpirituali virtute, ſcimus & ſervari poſſe inconſumptibili perennitate, quia quæcumq́, Chriſtus ex his elegerit, de ſuo Sacramento perficit. Abſit tamen ut tantum Myſterium ſeceſſui fiat obnoxium, in quo ſi forte ordo naturæ ſervatur, Myſterium, quod ſola fide conſpicitur, humiliatur.* An ex extrinſeca Dei protectione, an intrinſeca aliqua virtute ſpecies fiant incorruptibiles, hæret, nec audet definire. Hæret an non diffundantur per ſingula membra noſtra, parentque & aptent ad futuram Reſurrectionem ac immortalitatem. Palàm reſpicit ad ſuperiùs laudata ſancti Cyrilli Hieroſolymitani verba: *Panis hic per te totum ad corporis & animæ utilitatem diſtribuitur.* Cap. 7.

Ejuſdem ſenſûs fuit Glaber Rudolphus Monachus Cluniacenſis: *Illud præcipuè commonendum, quòd Corporis & Sanguinis Domini* JESU *Chriſti vivificans Myſterium exiſtimetur nullatenus in ſe pati diſpendium, aut caſu aliquo incurrere periculum. Si quando videtur collabi ſeu deperire per negligentiam ſibi tractantium, reſtat eiſdem, ſi non alacriter pœnituerint, damnationis judicium.* Nicetam Pectoratum, Studienſis apud Conſtantinoplim Cœnobii Monachum, quod Euchariſtiæ ſumptione garriret ſolvi Eccleſiaſtica jejunia, ipſamque per Aqualiculi digeſtionem dimitti in ſeceſſum, Stercoraniſtam appellavit etiam Cardinalis Humbertus, Leonis noni ad Conſtantinum Monomachum Legatus, & adjungit: *Planè ſentis cum Ario, qui cùm pro aliis blaſphemiis in Filium Dei, tum*

*etiam*

Digitized by Google

*etiam pro iſta foveam delapſus in atram, viſceribus fuſis vacuuſq; ventre remanſit.* A quibuſdam enim Arius ex neſcio quo S. Joannis Chryſoſtomi loco dicitur fuiſſe Stercoraniſta. Eundem Nicetam, quod poſt Euchariſtiam aſſereret ſtatim poſſe ſumi alios cibos, ex ſuperiùs adducta ſancti Clementis ficta epiſtola arguit inſuper Humbertus, recedens à Paſchaſii judicio, qui Epiſtolas iſtas ad Apocrypha meritò proſcripſit. Quod ipſum in libris adverſus Berengarium fecit Algerus Leodienſis Eccleſiæ Canonicus, & adjunxit: *Licèt ſimili modo, quantùm ad comeſtionem, per os in ventrem mittatur, abſit tamen ut tantum Sacramentum ſeceſſui credatur obnoxium, in quo ſi hujuſmodi naturæ ordo compleatur,*
L.2.C.1. *Myſterium fidei nimiâ ſuâ indignitate humiliatur.* Quæ verba palàm deſumpta ſunt ex iſto Anonymo Scriptore. Et infrà: *Non ſunt obſervanda Græcorum Hæreticorum, qui meritò Stercoraniſtæ vocantur, deliramenta, qui dicunt participatione Corporis & ſanguinis Chriſti ſolvi Eccleſiaſtica jejunia uſque ad crapulam & ebrietatem, ventriſq; diſtenſionem, putantes cæleſtem eſcam velut terrenam indifferenter accipi, & in ſordidum ventris ſeceſſum immitti.* Græcorum morem exponit in Reſponſo contra dictum Nicetam Laudatus Cardinalis Humbertus: *Reliquias oblationis, velut communes panes, nonnunquam uſque ad faſtidium ſumunt. Et ſi ſumere non ſufficiunt, ſubterrant, aut in puteum projiciunt.* Et antiquus Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores repertus Tractatus. *Diebus Paſchalibus cùm populus communicaturus eſt, abundantiam conficiunt in Dominicum Corpus, & poſt diſtributionem reliquiarum acervos, quia durabile non eſt, ſepeliunt.* Ex hiſce reliquiis quidam Clerici ſe ingurgitabant. Etiam ex reliquiis conſecrati vini. Videtur eſſe illorum mos antiquus. Quod enim Dorotheus Theſſalonicenſis Archiëpiſcopus ad Apoſtolicorum Legatorum adventum plurima, uti in Paſchate aut imminente perſecutione ſolet, Euchariſtiæ Sacramenta conſecrarit, ſinguliſque plena caniſtra dederit,
Relat. 5. laudati Legati teſtantur in litteris ad Pontificem Hormiſdam. Superfluas
Epiſt. reliquias etiam iſto tempore voraſſe poſſint, aut etiam ſubterraſſe. Quod
67. non ſolum nobis Latinis, ſed etiam Armeniis graviter diſplicuit. Etenim ab Imperatore Manuële Comneno ad Eccleſiaſticam unionem conventi, inter cætera poſtularunt hunc articulum: *Ut penitus tollatur*
Fol.344. *ille abuſus reliquias Sacrificii ſub terra aſſervandi.* Exſtat apud Clementem Galanum. Ex iſto igitur Græcorum more hominem longo etiam tempore poſſe ex Euchariſtia ali & vivere, imò & inebriari, adeoque ipſam eſſe rem ſeceſſui obnoxiam, & nequaquam verùm Chriſti Domini Corpus concluſit Berengarius, reſpondit autem Algerus accidentia iſta eſſe plene incorruptibilia, non tantum ab humano ſtomacho, ſed etiam à pu-

Digitized by Google

à putredine, muribus, aquâ, aut flammis, licet quandoque videatur corrumpi, quomodo ſuprà dixit ſanctus Guitmundus. Cunctas aſſertioni ſuæ adverſantes experientias ſolvit ex iiſdem ſancti Guitmundi principiis, faſſus & ipſe hominem ex Euchariſtia longo tempore poſſe vivere & ali. Cujus mentis, ſi quidem Euchariſtiæ veritatem credidiſſet, omninò fuiſſet & ipſe Berengarius. Nam cum ſpecierum corruptibilitate dictam veritatem credidit non poſſe combinari. Et Godefridus Coloniæ apud ſanctum Pantaleonem Monachus ſcribit in ſuis Annalibus: *Per idem tempus Atrebati contigit res digna memoriâ. Miles quidam admodum litteratus de Corpore Dominico benè ſenſit, ſcilicet quòd nec per vomitum ſeu egeſtionem corrumpatur. A quo quidam Clericus, Robertus nomine, ſubtiliter quidem, ſed inutiliter litteratus, contraria huic, & ideò hæretica ſentiens, inter conferendum diſſenſit. Et ità quæſtio ad Epiſcopum delata eſt. Qui Archiepiſcopum Remenſem cum multitudine Cleri advocavit. Et dum hæc quæſtio diſcuteretur, prædictus Clericus, quòd non ſolùm foret Hæreticus*, utique Stercoraniſta, *ſed & alios foveret ac defenderet Hæreticos, à multis eſt accuſatus. Purgare ergò famam ſuam de objecta hæreſi judicio candentis ferri fruſtrà proponens, tam manifeſtè Deo operante cecidit, ut non ſolùm in dextra, in qua ferrum geſtabat, ſed & in ſiniſtra manu, & in utriſque pedibus, in ambobus lateribus, in pectore ſimul & ventre, uſtura mirabiliter apparuerit.* Sacramentalium accidentium incorruptibilitatem aſſerens opinio pompaticè ambulavit dudum in Eccleſia, ejuſque adverſarii fuerunt notati tamquam Hæretici Stercoraniſtæ. A. 1127

An ipſam directè impugnarit Lobienſium Abbas Harigerus, neſcio. Ab ipſa palàm diſceſſit Magiſter Aſcelinus, de cujus neſcio quo compatriota ad Richardum ſcripſit Berengarius: *Apud Pictavum non eſt confuſus inferre, Propheta dicit tranſitorium Sacramentum, quod per fauces tranſiret in ventrem.* Et in præfatione libri de Altaris Sacramento ſanctus Anſelmus reſidua tranſmutatorum elementorum accidentia à Domini Corpore & Sanguine eleganter ac nervosè diſtinguit, affirmatque illa *eſſe corruptibilia, obnoxia corruptioni, & in accipiendo Sacramento conſumi.* Quod ipſum, licèt non diſertis verbis, tradidit Petrus Lombardus. Et ſub Honorii tertii Pontificatu Cardinalis Jacobus de Vitriaco: *Formis*, utique Sacramentalibus accidentibus, *aliquem ſatiari & ſuſtentari, vel etiam inebriari non negamus. Forma guſtatur, ſentitur, dentibus atteritur, Corpus autem non in ventrem deſcendit, ſed ab ore ad cor tranſit.* Formas omninò fatetur in ventrem deſcendere, adeoque & in ſeceſſum. Quod ipſum ſenſit Doctor Angelicus. Docet Sacramentales ſpecies agere & pati omnia panis & vini ſolennia, tacet tamen de ſeceſſu. Nempè

curioſa, ſcandaloſa, & piarum aurium offenſiva eſt iſta quæſtio ac locutio, ideoque ſervanda etiam hîc eſt ſancti Auguſtini Regula: *Tene ſententiam, ſed corrige linguam.* Heriboldus & Rabanus fuerunt viri doctiſſimi ac inſigniter Sancti, glorioſa & benedicta eſt ipſorum apud omnes Eccleſias memoria, docueruntque cum antiquis, licèt incertorum auctorum, Canonibus, mandantibus Euchariſtiam firmè cuſtodiri, ne forſan à muribus aut aliis injuriis lædatur, proindè ſolo ſcandaloſo, nequaquam Hæretico verbo peccarunt. Paſchaſii tamen Ratberti ſententia Petri Lombardi & ſancti Thomæ temporibus adhuc vixit, affirmans ſpecies, licèt ità videretur, nec frangi nec corrumpi, & inſuper nihil falſi aut præſtigioſi hîc intercedere: Quia nempè dumtaxat *falleretur viſus, & non falleret, quod eſſet, ſi crederetur ità frangi, ut videtur.* Hanc propoſitionem uterque quidem improbat, neuter tamen damnat. Verùm omnes Chriſtianæ Scholæ Heriboldo & Rabano jam dudum acceſſerunt.

## *Reditur ad Errorem Ioannis Erigenæ.*

HIſce quæſtionibus in Gallia graſſantibus, factum eſt quod ad neſcio quem Richardum ſcribit Hæreſiarcha Berengarius: *Noverit Rex, quæ ſcribit Joannes Scotus, monitu illum ſcripſiſſe precarioq; Caroli Magni, Anteceſſoris ſui, qui quantum circa res gerendas perſtrenuus, tantum circa Religionem devotus, ne ineruditorum Carnaliumq; illius temporis prævaleret ineptia, erudito viro Joanni illi impoſuit colligere de ſcripturis quæ ineptiam illam converterent.* Et ſanctum Lanfrancum, à quo Erigenæ de Euchariſtia ſententias Hæreſios damnari retulerat Ingelramnus Carnutenſis, per litteras ſeriò monuit, & concluſit: *Si hæreticum habes Joannem, cujus de Euchariſtia ſententias probamus, habendus tibi eſt Hereticus Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, ut de cæteris taceam.* Quæ omnia confirmat in priori Epiſtola ad Magiſtrum Aſcelinum. Neſcio quem Guilielmum, jactitantem quod à ſe convictus *nequiiſſet Joannem Scotum negare Hæreticum*, admodum inſectatur in eadem Epiſtola, proteſtatus eſſe manifeſtum mendacium. Quo in errore durus perſtitit etiam poſt Vercellenſem Synodum, ubi noſter Papa Leo Scotum de Hæreſi damnavit. Ex quo lucet Hæreticorum librorum lectionem ac detentionem fundatiſſimo jure damnari ab Eccleſia, & ipſos non niſi cum ſummo periculo à doctis etiam viris legi. Etenim de Berengario, quem licet Durandus Troarnenſium Abbas dicat abjectum & ſpurcum nullius
Par. 3. ſcientiæ hominem, Hugo tamen Lingonenſis Epiſcopus titulat *virorum acu-*

*acutiſſimum*: Quod ipſum de illo etiam ſanctus Hildebertus Turonenſis,
Frotlandus Sylvanectenſis Epiſcopus, & alii plures ſunt teſtati. De
hoc, inquam, Berengario ſcribit magnum Belgii Chronicon: *Berengarius* F. 119.
*à Joanne Scoto fuit infectus.* Et Floriacenſe Franciæ Hiſtoriæ fragmen-
tum. *Berengarius Joannis Scoti lectione ad hanc nefariam devolutus eſt. Se-*
*ctam.* Et hinc in Regula ſua Monaſtica ſtatuit ſanctus Iſidorus Archiëpiſ- A. 1044.
copus Hiſpalenſis: *Gentilium libros vel Hæreticorum volumina Monachus*
*legere caveat. Melius eſt enim eorum pernicioſa dogmata ignorare, quam per*
*experientiam in aliquem erroris laqueum incurrere.* Sanè ex ſimili lectione
fuit Origenes corruptus. Etiam ſanctum Dionyſium Alexandriæ Pa- Cap. 8.
triarcham, licèt virum undequaque doctiſſimum, ea de cauſa fuiſſe à
quibuſdam reprehenſum & monitum, habes apud Euſebium Cæſareen-
ſem. Marcus item Antonius de Dominis, eruditus Spalatenſis Archiëpiſ-
copus, hanc ſibi fuiſſe primam Apoſtatandi cauſam profitetur in libro- Lib. 7.
rum ſuorum præfatione, & mente privatus gloriatur. Hæreticos libros cap. 6.
eſſe Dei hoſtes, ideoque non detinendos, ſed ſtatim igne cremandos,
inſigniter oſtendit in Prato ſpirituali ſanctus Sophronius Patriarcha Hie-
roſolymitanus. Et hinc ipſos ſolenniter exurere eſt antiquiſſimus mos, Cap. 48
non ſolius Catholicæ Eccleſiæ, ſed etiam adhuc gentilis Reipublicæ
Romanæ.

Porrò Joannes Erigena Carolum Calvum Regem per adulationem
paſſim vocarat Carolum Magnum, & iſtud peccatoris oleum reſumit
etiam ad ſeducendum Regem Henricum Berengarius. Erigena, inquam,
per librum de naturarum diviſione, ipſique infartas de Euchariſtica
veritate blaſphemias, turbavit omnem Galliam & Germaniam; ideoque
ipſas aut palinodia ſanari, aut ſanctorum Patrum auctoritatibus purga-
ri juſſit Rex Carolus atque firmari. Quaſi inter malleum & incudem
hæſit Erro: Videns ſe à Primatibus ubique Epiſcopis ac Doctoribus lace-
rari & damnari uti Hæreticum, fuit certi conſilii expers, ipſumque
cum ſuis aſſeclis vulgatus per Ludovicum Cellotium Scriptor appellat
*impiè dubitantes & hæſitantes.* Librum ergo edidit, in quo Euchariſtiæ Cap. 4.
veritatem & defendit & impugnat per quaſi contraria ſanctorum Pa-
trum teſtimonia, immobile fidei Dogma in Scholaſticam quæſtionem
demutare, atque ità utramque contendentium partem ſibi conciliare,
aut potiùs circumſcribere conatus, tandemque concludens pro Sacra-
mentaria hæreſi, ac Euchariſticam veritatem definiens adverſari ſanctis
Ambroſio præſertim & Auguſtino. Liber latere aut periiſſe exiſtimatur
à multis, verùm in erudita ad Eruditum Lucam Dacherium Epiſtola
Illuſtriſſimus Dominus Petrus de Marca, Pariſienſis Archiëpiſcopus,

 affir-

affirmat & demonſtrat ipſum eſſe fœdum librum, neſcio cujus Bertramni nomine titulatum ac nuper vulgatum in Germania à Lutheranis. Ratramnum, Corbeienſis in Picardia Cœnobii Monachum, oſtendit à Sigeberto Gemblacenſi in Eccleſiaſticorum Scriptorum Catalogo, à publicato per Ludovicum Cellotium Scriptore, & aliis non paucis, malè in unum cum hocce Bertramno confundi, utpote perſonato Hiſtrione, ficto per Joannem Erigenam non auſum revelata facie impugnare Orthodoxam veritatem, ejuſque defenſores Primates Doctores ac Epiſcopos Gallicanæ Eccleſiæ. Homo impurus imitatus eſt Joannem Caſſianum, Illuſtrium Monachorum mutuatum nomina ad ſancti Auguſtini de victrice Dei gratia doctrinam impugnandam. Sunt antiquiſſimæ Erronum artes. Et quidem memoratus Ludovici Cellotii Scriptor videtur nobis favere: *Ratramnus quidam libro compoſito ad Carolum Regem.* Hominem obſcurum important hæc verba: At verò Ratramnus Corbeiæ Monachus tantæ fuit famæ & ſcientiæ, ut univerſa Galliæ Synodus ipſum elegerit ad ſuo nomine ſcribendum adverſus calumnias & errores Photii Patriarchæ Conſtantinopolitani. Abſit ut tanta provincia Sacramentario Hæretico à tantis Epiſcopis crederetur. Perperam tamen iſte Scriptor Ratramno illi adjungit Rabanum Maurum: Hunc enim rectè de Euchariſtica veritate ſenſiſſe nemo umquam eſt inficiatus. Verus Ratramnus Carolum Calvum Regem in ſuis de duplici prædeſtinatione libris, quos ejus juſſu ſcripſit ac ipſi inſcripſit, more conſueto titulat *Glorioſum & Præcellentiſſimum Principem*, at verò iſte Bertramnus in operis ſui dedicatione adulatoriè appellat Carolum Magnum. Quod ipſum fecit in ſuperiùs adducta Epiſtola Hæreſiarcha Berengarius, qui ad nullum unquam Ratramnum aut Bertramnum provocavit, ſed ſemper ad Joannem Scotum, ut pote verum iſtius, à quo corruptus fuit, libri Auctorem. Et hinc liber, quem abjurare, & propriis manibus in flammas conjicere compulſus fuit à pluribus Synodis, omninò etiam erat liber Joannis Scoti. Liber ille ſcriptus fuit ex juſſu Caroli Magni ſeu Calvi, fuit illi inſcriptus, plura adducebat, torquebat & truncabat ſancti Auguſtini, Ambroſii, Hieronymi, ac Gregorii teſtimonia, uti lucet ex ſancti Lanfranci libro adverſus Berengarium, & Magiſtri Aſcelini ad eundem Berengarium Epiſtola: *Joannem Scotum nec inconſideratè, nec impiè, nec indignè Sacerdotio meo Hæreticum habeo, quem toto niſu, totaq; intentione ad hoc ſolum tendere video, ut mihi perſuadeat, hoc videlicet quod in Altari conſecratur, neque verè corpus, neque verè ſanguinem eſſe Chriſti. Hoc tamen adſtruere nititur ex ſanctorum Patrum opuſculis, quæ pravè exponit. Quorum illam beati Gregorii*

*gorii orationem hic annotari ſufficiat: Perficiant in nobis tua, Domine quæſumus, Sacramenta quod continent, ut quæ nunc ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus. Quam exponendo prædictus Joannes inter cætera noſtræ fidei contraria inquit: Specie geruntur, non veritate.* Quæ omnia eiſdem verbis hodiè ſunt in iſto Bertramno, ideoque lucet ipſum eſſe Scotum perſonatum. Etiam illud Ambroſii teſtimonium, quod Ambroſii non eſſe, ſed à Scoto & Berengario fuiſſe confictum advertit laudatus Lanfrancus, in Bertramno exſtare notavit Xiſtus Senenſis. Item Paſchaſium Ratbertum, qui Bertramni librum & impugnavit in litteris ad Fredegardum, & per ipſum fuit impugnatus, Joanni Scoto idem Berengarius ſemper oppoſuit. Et nullum Bertramnum, ſed ſolum Scotum damnarunt Synodi Vercellenſis, Turonenſis, Romanæ plures, ſanctus Lanfrancus, & alii antiqui Scriptores. Quod nempe Bertramni verum nomen ſcirent eſſe Joannem Scotum. Imitati ſunt Gelaſium primum Pontificem, qui Pelagianas Collationes, non ſub perſonato Ægyptiorum Monachorum, ſed ſub vero Joannis Caſſiani nomine Synodaliter damnavit.

Nobis conſentit laudatus Xiſtus Senenſis, fædum librum non Bertramno aut Ratramno adſcribens, ſed ipſi aut alteri ſub ejus nomine. In opere de Euchariſtia etiam vir Doctiſſimus Claudius Eſpencæus perſonatum Bertramnum diſcernit à vero, & pergit: *Verus Bertramnus totos annos ſeptingentos nec à quoquam hæreſios fuit inſimulatus, aut reprehenſus quaſi malè ſcripſerit; ſed in Catalogum Scriptorum Eccleſiaſticorum relatus, ut vir non minus vitâ quam doctrinâ, ingenio & eloquio inſignis.* Lib. 4. cap. 19. Suis de duplici Prædeſtinatione, ac de Trina Deitate libris Hincmarum Metropolitam ſuum graviter offendit: Ejus ergò de ſacroſancta Euchariſtia errantis ac hæreticè ſcribentis nomini memoratus, qui amiciſſimo Erigenæ non pepercit, Archiëpiſcopus quomodo pepercisſet? Eum de Erigenæ patrocinio aut complicitate nemo antiquus notavit. At verò perſonatum Bertramnum paſſim haberi callidum & impudentem Hæreticum, ejuſque librum ut falſo Catholici Authoris nomine titulatum proſcribi, laudatus Claudius adjungit. Quæ omnia eiſdem penè verbis ſcribit in opere de Euchariſtiæ controverſiis Claudius de Sainctes Epiſcopus Ebroicenſis. Quocirca Bertramnum hunc & ſcabioſum ejus librum, Reſp. 2. cap. 14. quem Sigebertus Gemblacenſis & cum aliis Abbas Trithemius crediderunt eſſe Ratramni, ideoque laudarunt aut purgare ſunt conati, meritò ac rigidiſſimè damnavit nuper, & damnatorum catalogo inſeruit Clemens octavus. Videatur apparatus Antonii Poſſevini. Bertramnum ac Ratramnum confundere primus cæpit Sigebertus Gemblacenſis, aut



Digitized by Google

certè publicatus per Ludovicum Cellotium Auctor. Sunt omninò diſtinguendi.

Et hinc à Paſchaſio Ratberto, Hincmaro Remenſi, Floro Lugdunenſi Diacono, ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopo Remigio, Lingonenſi ac Valentina Synodo, Nicolao primo Pontifice, ac omni Gallicana Eccleſia, damnatus non de varia ſolum Hæreſi, ſed de imperitia etiam ac ſcribendi ineptia, ideoque & à Carolo Rege deſertus ille Scotus fecit quod ſuprà audire cæpimus à Simeone Dunelmenſi: *Propter hanc infamiam puduit eum Franciæ, venitq; ad* Anglorum *Regem Elfredum, cujus munificentia illectus & magiſterio ejus, ut ex ſcriptis Regis intelligitur,*
A. 884. *Melduni reſedit. Ubi poſt aliquot annos à pueris, quos docebat, graphiis foratus animam exuit, tormento gravi & acerbo, ut dum iniquitas valida & manus infirma ſæpè fruſtraretur, & ſæpè impeteret, amaram mortem obiret. Jacuit aliquamdiu inhonora ſepultura in beati Laurentii Eccleſia, quæ fuerat nefandæ necis conſcia, ſed ubi divinus favor multis noctibus ſuper eum indulſit lucem igneam, admoniti Monachi in majorem tranſtulerunt Eccleſiam, & ad ſiniſtram altaris poſuerunt.* Eſſe Martyrem, & uti talem ſolemni Epitaphio fuiſſe honoratum ſcribunt Guilielmus Malmesburienſis, Rogerus Hovedenſis, & Matthæus Weſtmonaſterienſis. Latere martyrii cauſam rectè affirmat Cardinalis Baronius: Ob Sacramentariam Hæreſim fuiſſe à pueris trucidatum ſcribit ad ſancti Dionyſii liturgiam Gilbertus Genebrardus. Res incerta eſt. Sancti Laurentii Monachos, quos audis fuiſſe conſcios, numquam crediderim in tantum puerorum facinus ſine fundamentis conniviſſe. Quidquid ſit, Euchariſtiæ veritatem fuiſſe tunc, non immobile fidei dogma, ſed Eccleſiaſticam inter Catholicos Theologos ultro citroque ventilatam quæſtionem, gra-
F. 588. viter errat Ludovicus Cellotius. In libris de ſanctiſſima Trinitate longè aliter ſcribit ſanctus Hilarius Epiſcopus Pictavienſis: *De veritate Corporis & Sanguinis non relictus eſt ambigendi locus.* Et ad Fredegardum Paſchaſius Ratbertus: *Nemo in aperto adhuc contradixit ei, quod totus orbis credit & confitetur.* Et hinc cum ejecto litigatore exivit jurgium: Poſt Erigenæ abitum mox ad mentem redivit omnis Gallia, & cuncta de hoc dogmate dubia, etiam citra Synodale judicium, plenè quieverunt. Erigenam cum alio Joanne Scoto, qui ſub Carolo Magno orthodoxus floruit, perperam aliqui confundunt.

Reſtat quæſtio, Quinam ſint illi Patres Græci, quos imitatus Paſchaſius Ratbertus eſt viſus docuiſſe nulla in hoc Sacramento remanere panis & vini accidentia, ſed & ipſa cum ſibi ſubjectis ſubſtantiis deſinere ac tranſelementari, ideoque *nulla ſub figura, vel obvelatione, ſed ipſius veri-*

Digitized by Google

*veritatis manifeſtatione* Myſterium hoc celebrari? Reſpondeo eorum ducem eſſe ſanctum Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum, in Myſtagogica Eccleſiaſticarum rerum contemplatione ſcribentem: *Paracletus* in hoc Sacramento *inconſpicuus adeſt, quia ipſe corpus non geſtavit, Dominus verò conſpicitur, & tangi ſe patitur per tremenda & ſacra Myſteria, ut qui noſtram naturam acceperit, eamque geſtet in ſecula. Propterea fidelibus nulla de ſanctificatione donorum dubitatio ſupereſt.* Ex ipſo authenticus Iconoclaſticæ ſub Conſtantino Caballino Pſeudoſynodi Confutator ſcripſit Euchariſtiam nullo modo eſſe Dominici Corporis & Sanguinis imaginem aut typum, ſed ſolam veritatem, addens hanc eſſe mentem ſanctorum etiam Baſilii ac Euſtatii Patriarchæ Antiocheni, typum & imaginem non agnoſcentium, niſi in elementis verbali quidem oblatione benedictis, ſed reali conſecratione necdum tranſmutatis. Quæ omnia in ſeptimo Concilio fuerunt lecta & probata. Sancti Germani verba in ſuam Liturgiæ expoſitionem tranſcripſit etiam Nicolaus Cabaſilas, & adjungit: *Panis*, arcana ſanctificatione conſecratus, *non ampliùs figura Dominici Corporis, neque donum ferens imaginem veri doni, neque ferens aliquam deſcriptionem ipſius Servatoris Paſſionum, tanquam in tabula, ſed ipſum verum donum, ipſum ſanctiſſimum Corpus Domini, quod omnia illa vera ſuſcepit, probra, contumelias, vibices.* Eandem dicit eſſe Cap. 27.
vini rationem: Confirmans illa dumtaxat uſque ad tranſubſtantiationem eſſe imagines & typos. Conſonat in diſputatione cum Achimet Saraceno beatus Samonas Epiſcopus Gazenſis: *Abſit quod nos appellemus exemplar Corporis Chriſti ſanctam Communionem, aut panem nudum, aut figuram, aut imaginem. Quinimò Corpus ipſum revera & Sanguinem Dei noſtri in Deum converſum aſſumimus, qui incarnatus & genitus eſt ex ſancta Dei Genitrice, ſemperq; Virgine* MARIA. Probat id ex Dominicis verbis, *Hoc eſt Corpus meum*, quorum nullo modo poſſit eſſe ſenſus, *Hoc eſt exemplar mei Corporis aut Imago.* Laudatis verbis ad tranſmutanda elementa non minùs quam hiſce, *Germinet terra herbam virentem*, ad extrahendum ex humo ſuum opus, affirmat eſſe ſtabilem ac perpetuam virtutem. Evangelicam hujus Myſterii doctrinam inſigniter ac nervosè confirmat. 28.

Verum abſit ut neget reſidua ſine ſubjectis accidentia. Huic nobilis Saraceni quæſtioni, *Sacrificium Corporis & Sanguinis Chriſti, quod offertis Sacerdotes, verumne eſt Chriſti Corpus & Sanguis verus, an exemplar Corporis ejus, perinde atque ſacrificium hirci quod Judæi offerunt?* Huic quæſtioni reſpondet ſacrificium noſtrum non tantum eſſe exemplar, imaginem, typum aut Sacramentum, ſed inſuper veritatem.

tem. Hinc enim perrexit Saracenus: *Sed quare Chriſtus ſub Panis & Vini ſpecie abditum ſuum Corpus & Sanguinem potiùs tradidit, quam ſub alia materia?* Rurſumque reſpondet Samonas panem & cum aqua vinum eſſe familiariora humani corporis alimenta, ideoque elementa aptiſſima huic Sacramento. Ipſa tranſelementari conſtanter affirmat, ita tamen ut ipſorum remaneant ſpecies, additque cauſam: *Prudenti diſpenſatione ac gratuita demiſſione ſui ad captum noſtrum Chriſtus Dominus tollit nobis horrorem atque metum, quo deterriti ab eo reſiliiſſemus, ſi carnem ſuam in ſua propria ſpecie & ſanguinem juſſiſſet nos aſſumere. Ad hæc extera quoque nationes condemnaſſent nos voracitatis carnis humanæ, dicentes nos more ferarum ſanguinem bibere, & crudam carnem vorare.* Quod per panis & vini ſpecies intelligat reſidua tranſmutatorum ſubjectorum accidentia, lucet ex Reſponſo ad hanc Saraceni replicam: *Non dubium eſt, quin omnibus modis rectè prædices & recenſeas myſteria fidei Chriſtianæ Verum de hac re ambigere quis poſſit, Quo pacto, cum ſit unus Deus & unum Chriſti Corpus, in infinita corpora & partes dividatur Multi ſunt ergo Chriſti ea quæ dividuntur, an unus? Aut in ſingulis partibus unus idem ſalvus ac integer?* Ad hanc quæſtionem Samonas reponit: *Cum panis ſanctificatus in partes dividitur, qui Sacroſanctum Chriſti Corpus eſt, ne exiſtimes quod particulatim diducatur aut avellatur, aut more membrorum à ſe avulſorum dividatur incontaminatum illud Corpus, nam immortale eſt & incorruptibile, quodque nunquam exhauriri & conſumi poteſt, ſed quod partitio ea eſt accidentium, quæ ſub ſenſum cadunt, dumtaxat poſt ſanctificationem ad fidei robur & exhibitionem ſigni viſibilis rerum quæ permanent, ſimul & in Arrhabonem & in viaticum parandæ nobis vitæ æternæ.* Immortale Domini Corpus eſſe illic modo ſpirituali totum ſub toto, & totum ſub quolibet elementi puncto, inſignibus ſancto etiam Auguſtino uſitatis exemplis demonſtrat. Eandemque fuiſſe ſancti Germani, ſeptimæ Synodi, cunctorumque Græcorum Patrum unanimem ſenſum, certum eſt, ac lucidè poſſit oſtendi. Iconoclaſtici Conciliabuli Refutator loquitur ex ſancto

Lib. 4. c. 14. Joanne Damaſceno: *Quod ſi nonnulli panem ac vinum Corporis ac Sanguinis Domini figuram eſſe dixerunt, quemadmodum ille divinitus afflatus Baſilius, non hoc poſt conſecrationem dixerunt, ſed antequam oblatio ea conſecraretur, hoc vocabulum uſurparunt.* Quod tamen non plenè ſubſiſtit. Etenim in ſua, de cujus auctoritate Orientalis Eccleſia nunquam dubitavit, Liturgia ſanctus Baſilius conſecrata panis & vini elementa disertè appellat *Antitypa Corporis & Sanguinis Domini noſtri* JESU *Chriſti*. Quod ipſum in ſororis ſuæ Gorgoniæ funebri encomio fecit ſanctus Gregorius Nazianzenus. Sub typo ſeu ſpecie panis nobis Corpus Domini & San-

Digitized by Google

Sanguinem dari affirmat in quarta Myſtagogica Catecheſi etiam ſanctus Cyrillus Hieroſolymitanus. Et in oratione de Palmarum ramis Andreas Cretenſis: *Chriſtus ſub Antitypis Symbolis immolatur & ſacrificatur.* Et magnus Euthymius: *Sub Antitypis eſt incluſus.* Ubi per Antitypa intelligi figuras ſeu ſigna, rectè in ſuis ad Græcorum Euchologion Notis oſtendit eruditus Joannes Goar. Hinc vocem, *Symbola*, adjunxit Andreas Cretenſis. In factis à Samona Epiſcopo interrogationibus voce *Antitypon* uſus fuit etiam ſuprà memoratus Saracenus. Et hinc in marginali ad laudatam Iconoclaſtici Conciliabuli confutationem Scholio rectè ſcripſit Anaſtaſius Bibliothecarius: *Græci Patres jam ſanctificata non rarò vocant Antitypa.*

## *Exponitur error Berengarii.*

PSeudomartyr Erigena videtur in Anglia reliquiſſe diſcipulos, de quibus in Cantuarienſium Epiſcoporum vita ſcribit Gervaſius ibidem Cathedralis Monachus: *Odo Cantuarienſis Epiſcopus inter Miſſarum ſolemnia de Euchariſtia, quam manu tenebat, precibus devotis ſanguinem manare fecit, ut vel ſic incredulos ibidem adſtantes ad rectam fidem revocaret.* Et Guilielmus Monachus Malmesberienſis: *Odo plurimos de veritate Dominici Corporis dubitantes ita roboravit, ut panem Altaris verſum in carnem, & vinum Calicis in ſanguinem propalam oſtenderet, & denuò in genuinam ſpeciem retorta uſui humano conducibilia faceret.* Fol 201. Nam & Joannes Erigena dubitans hujus veritatis inveſtigator videri magis voluit, quàm manifeſtus & pertinax negator. Etiam à neſcio quo nobili Friſone Euchariſtiam ſub Albaldo Trajectenſi Epiſcopo fuiſſe blaſphematam, ſeductamque ruſticanam plebem ſcribit in Cameracenſis Eccleſiæ Chronico Baldricus Epiſcopus Tornacenſis. Verùm cum divinitùs percuſſo blaſphemo ceſſavit & blaſphemia, nec profecit in Sectam. Lib. 3. c. 22. Cardinalis Cæſar Baronius notat & Leothericum Senonenſem Archiëpiſcopum, quem de exactis per Euchariſtiam examinationibus fuiſſe à Roberto Francorum Rege graviter redargutum, ſuprà audivimus ab Helgaldo Monacho Floriacenſi. Examinationes iſtas exiſtimat fuiſſe dubitationes de Sacramenti veritate. Verum fuiſſe judiciales, quæ veritatis iſtius plenam fidem ſupponunt, examinationes eſt manifeſtum. Interim Leothericus fuit homo vanus, ac etiam in fide & dogmate laboraſſe evincunt hæc Roberti Regis verba: *Cur Divinitati attribuis ærumnas corporis, & infirmum doloris humani Divinæ connectis naturæ?* Videtur cum Apollinario aut Eutychete divinam in Chriſto Domino naturam huma-



Digitized by Google

nis paſſionibus ac infirmitatibus ſubjeciſſe. Quidquid ſit, Euchariſtiæ veritatem hic error non tangit. Licet Coëtanei fuerint Leothericus ac Berengarius, nullibi hic ex illius dictis, ſed ex ſolis Joannis Erigenæ ſcriptis legitur ac fertur fuiſſe perverſus. Leothericum, Metropolitam ſuum, de variis arguit in variis Epiſtolis ſanctus Fulbertus Carnutenſis Epiſcopus, ſed nunquam de iſto errore. Non item ſedulus rerum ad Senonenſem Eccleſiam ſpectantium Adnotator Clarius Monachus in Chronico ſancti Petri vivi.

Primus ergo Scoticæ Hæreſios reſuſcitator fuit Berengarius, de quo A. 1057. Matthæus Pariſienſis: *Eodem tempore Berengarius Turonenſis Archiëpiſcopus prolabitur in Hereticam pravitatem. Hic panem & vinum in Altari poſita poſt Conſecrationem Sacerdotis eſſe verum & ſubſtantiale Corpus Domini, ſicut ſancta & univerſalis prædicat Eccleſia, denegabat.* Addit ipſum à Leone nono, qui Victori ſecundo ſucceſſit, Vercellis fuiſſe damnatum. Paucis in verbis multi errores. Etenim diu ante hunc annum Berengarius inſaniit, non fuit Turonenſis Archiëpiſcopus, & Victor ſecundus Leoni nono ſucceſſit. Guilielmus Malmesberienſis rectiùs ſcribit Berengarium fuiſſe Hæreſiarcham Turonenſem. Fuit enim natus Turonibus, & poſteà Archidiaconus Andegavenſis, habetque magnum Belgii Chronicon: *De iſto Berengario vulgò narratur fuiſſe in adoleſcentia Nigromanticum. Primò, quia Turonis uſque Romam diabolus eum unâ nocte detuliſſet. Secundò, quia puer Clericus, nobilis genere, ei commendatus, Magiſtro abſente, dum libros Nigromanticos legeret, eſſet à diabolo occiſus. Tertiò, quia idem diabolus, coactus à Berengario, corpus pueri mortui intrans, per aliquod tempus huc & illuc deambulare puerum, & cum cæteris cantare, & in Choro ſtare fecit, donec ab alio Nigromantico falſitate deprehensâ, puer ut erat mortuus videretur.* Iſtud ob facinus addit Berengarium extremo fuiſſe ſupplicio adjudicatum, & ſimulatâ pœnitentiâ evaſiſſe. Quod ipſum, licet hominis laudes admiſceat, non obſcurè fatetur Chronicon Eccleſiæ Turonenſis: *Clarebat Berengarius Grammaticus, Andegavenſis Archidiaconus & Theſaurarius, necnon Magiſter Scholarum, & Camerarius ſancti Martini, in Grammatica & Philoſophia clariſſimus, & in Neomantia peritiſſimus. A Roma decedens Turonis venit, ibique in Inſula, quæ ſancti Coſmæ dicitur, ſæculi pompis abrenuntians, fide per viginti octo annos aſſiduè Domino militavit, aliiq; plures Canonici ſancti Martini ſancto Spiritu, necnon ſalutari ejus admonitione mutatis veſtibus, ſeſe in illam Inſulam tranſtulerunt.* Floriacenſe Franciciæ Hiſtoriæ fragmentum affirmat illum inter divinæ Philoſophiæ Sectatores fuiſſe celeberrimum. Juvenem fuiſſe periculoſi ac petulantis ingenii oſtendunt *ſecreta & veſpertina*,

*tina*, per Adelmannum ex Leodienſi Clerico Brixienſem Epiſcopum, ejus olim collactaneum & cariſſimum condiſcipulum, laudata *Colloquia*, quibus illum diſcipulum ſuum magnus Fulbertus, ſacræ Theologiæ in Carnutenſi Schola Doctor celeberrimus, ac ejuſdem Eccleſiæ poſteà ſanctiſſimus Epiſcopus, cum lachrymis & ſingultibus admonebat & obteſtabatur, *ut viam Regiam directim graderetur, ſanctorum Patrum veſtigiis obſervantiſſimè inhæreret, nullum prorſus in diverticulum, nullam in novam & fallacem ſemitam deſiliret*, atque ita decideret in ſcandala & laqueos errorum. Laudatum quippe Fulbertum non litterarum ſolummodò, ſed & morum fuiſſe diſcipulis ſuis inſtructorem affirmat in Centulenſis Cœnobii Chronico Monachus Hariulphus. Hæc quarto poſt milleſimum anno facta ſcribit Cardinalis Baronius. Ex tunc à Berengario futurum prævidit Fulbertus, quod completum dolet in litteris ad Rainaldum Pictavienſem Abbatem ſanctus Lanfrancus: *Schiſmaticus ille Berengarius conſtanter aſſerit, quia beatus Hilarius, urbis veſtræ & gentis quondam Epiſcopus, in tractatu fidei perverſa ſenſerit, & in libro de Divinitatis Trinitate improbabiles ſententias de Domino* JESU *Chriſto protulerit.* Sanctum Hilarium, cujus libros probavit omnis Eccleſia, auſus ille eſt de Hæreſi damnare. Quod Patrum teſtimonia, ſolemni omnium Hæreticorum more, truncarit ac variè vitiarit, quòd item Sanctorum, exceptis tamen ſancti Gregorii Dialogis, vitas ſpreverit, teſtatur in opere de Euchariſtia laudatus Lanfrancus. Et hinc errorem iſtum non refutavit, ſed ipſum dumtaxat ad exhibendam ſanctis Patribus reverentiam & obedientiam adhortatus fuit in laudata ſuperius Epiſtola Adelmannus Brixienſis Epiſcopus. Porrò ſancti Hilarii culpata loca ſunt præſertim in decimo de ſanctiſſima Trinitate libro, ubi videtur Dominum noſtrum Redemptorem ab omni mortis ac paſſionis metu, dolore & ſenſu eximere, illi adſcribere corpus impaſſibile, & præcurrere Julianum Halicarnaſſi Epiſcopum, à quo cæptam eſſe iſtius impaſſibilitatis hæreſim ſcribit in Breviario Liberatus Carthaginenſis Eccleſię Archidiaconus. Hilarium purgare in laudata Epiſtola totus conatur ſanctus Lanfrancus: An rectè & validè, eſt alia quæſtio. Vide Joannem Gellotum in Commentario de ſancti Hilarii vita & ſcriptis. Certùm interim eſt Orthodoxè, etiam in iſto puncto, ſenſiſſe & ſcripſiſſe Hilarium, & Berengarii audaciam eſſe omninò calumnioſam atque intolerabilem. Quæ tamen hic non ſtetit. Pergit enim ad effrœnem linguam in libro de Euchariſtia laudatus Lanfrancus: *Traditus es in reprobum ſenſum, ſanctam Romanam Eccleſiam vocans Eccleſiam malignantium, Concilium vanitatis, ſedem Sathanæ. Et hoc impio ore garriſti, quod garriſſe nemo legitur:*

*Non Hæreticus, non Schiſmaticus, non falſus aliquis Chriſtianus. Quotquot enim à primordio Chriſtianæ Eccleſiæ Chriſtiani nominis dignitate gloriati ſunt, etſi aliqui, relicto veritatis tramite, per devia erroris incedere maluerint, ſedem tamen ſancti Petri Apoſtoli magnificè honorarunt, nullamq; adverſus eam hujuſmodi blaſphemiam vel dicere, vel ſcribere præſumpſerunt.* Reverà enim hæc blaſphemia eſt propria Hæreticis Sacramentariis.

Eandem ingenii petulantiam in Berengario notat ſanctus Guitmundus, ex ſancti Leofredi apud Normannos Monacho Epiſcopus Averſanus: *Berengarius, cum juveniles adhuc in ſcholis ageret annos, ut aiunt qui eum tunc noverunt, elatus ingenii levitate, ipſius Magiſtri ſenſum non adeò curabat, condiſcipulorum pro nihilo reputabat, libros inſuper artium contem-*
Lib. 1. *nebat.* Et hæc eſt cauſa, cur ipſum ad ſanctis Patribus & communi Eccleſiæ ſenſui exhibendam reverentiam ſanctus Fulbertus fuerit cum lachrymis, at ſine fructu, obteſtatus. Et hinc anno poſt milleſimum vigeſimo nono agonizans, ac inter plurimos viſitantes videns adſtantem & Berengarium, *Niſu quo valuit*, inquit Guilielmus Malmesberienſis, *expellendum cenſuit, proteſtatus immanem Draconem propè eum conſiſtere, multoſq; ad eum ſequendum blandiente manu & illice anhelitu corrumpere.* Agonizans prævidit de Berengario, quod in Martyrii ſui carcere prævidit de Clerico ſuo Ario ſanctus Petrus Patriarcha Alexandrinus. Et reverà blandientem ac illicientem linguam habuit Berengarius. Quomodo enim ſanctum Hildebertum, ex ſuo diſcipulo Turonenſem Archiepiſcopum, ſibi adſtrinxerit, lucet vel ex ſolo Epitaphio, quod ab illo poſt mortem conſecutus eſt, & in quo per nimias Hæretici laudes Hildebertus ſanctitatis regulas eſt omninò tranſgreſſus. Eum ut virum non dumtaxat doctiſſimum, ac potentibus amicis circumcinctum, ſed & inſigniter Sanctum reveretur in editis per Lucam Dacherium litteris Frotlandus, qui Leonis noni Remenſi Concilio adfuit, Epiſcopus
Tom. 2. Sylvanectenſis. Et in ſancti Petri vivi Chronico ſcribit Clarius Monachus: *Berengarius Turonenſis Magiſter, & admirabilis Philoſophus, amator pauperum effloruit. Hic compoſuit Orationem illam, quæ incipit: Juſtus Judex* JESU *Chriſte. Poſt hæc fidelis & verè Catholicus vitam finivit.*
A. 1083. Quod iſtam orationem ad evadendam capitalem de Nigromantia ſententiam compoſuerit in carcere, teſtatur magnum Belgii Chronicon. Euſebium Brunonem, Epiſcopum ſuum Andegavenſem, virum eruditione ac virtutibus clarum, ob nimium in ſe affectum traduxit in graviſſimam participati erroris ſuſpicionem: Quod nempè Bruno naſcenti veneno Epiſcopaliter non obſtitiſſet. Etiam à Turonenſis Eccleſiæ Chronico eximiè laudari Berengarium ſupra audivimus. Quin & Adelmannus

Digitized by Google

mannus Brixienſis Epiſcopus, dum hominem jam manifeſtè inſanum revocare ſtudet per litteras, non deſiit dulciſſimum condiſcipulum intitulare.

Poſt ſancti Fulberti, ac Roberti Francorum Regis, duri in Hæreticos flagelli, mortem priùs cœpit palam delirare. Occaſionem exponit ſanctus Guitmundus: *Berengarius, cum per ſe attingere Philoſophiæ altioris ſecreta non poſſet, neque enim homo ita acutus erat, ſed & tunc temporis liberales artes intra Gallias penè obſoleverant, novis ſaltem verborum interpretationibus, quibus etiam nunc nimium gaudet, ſingularis ſcientiæ laudem ſibi arrogare, & cujuſdam excellentiæ gloriam venari, qualitercumque poterat, affectabat. Factumq́ eſt ut pompatico inceſſu & ſublimi præ cæteris ſuggeſtu dignitatem Magiſtri potiùs ſimulans, quam rebus oſtendens, profundâ quoque concluſione intra cucullum, ac ſimulatione longa meditationis & vix tandem ſatis deſiderata diu vocis lentiſſimo quodam quaſi plangore incautos decipiens, Doctorem ſeſe artium penè inſcius profiteretur. Sed poſtquam à Divo Lanfranco in Dialectica in re ſatis parva turpiter eſt confuſus, cumque per ipſum Divum Lanfrancum, virum æque doctiſſimum, liberales artes Deus recaleſcere atque optimè reviviſcere feciſſet, deſertum ſe iſte à diſcipulis dolens, ad eructanda impudenter divinarum ſcripturarum Sacramenta, ubi ille adhuc adoleſcens, & aliis eatenus detentus ſtudiis nondum adeò intenderat, ſeſe convertit. Sed & ibi inſipiens, quippe in malevolam animam non intrabit ſapientia, & ea, quorum novitate omnium corda permoveret, atque ad ſe oculos traheret, ſtudiosè perquirens, maluit eſſe ſub aliqua hominum admiratione Hæreticus, quam ſub Dei oculis privatè vivere Catholicus.* Eminendi & hominibus placendi cupiditas, atque hinc procedens in ſanctum Lanfrancum invidia vanum hominem ex confuſo ac imperito Philoſopho demutavit in imperitiorem, ac tandem hæreticum Theologaſtrum. Lanfrancum adhuc ſæcularem, in Gallia docentem litteras & artes liberales, alteq́ue de ſanctiſſimæ Trinitatis Myſterio ſcrutantem, à puello totum Sequanam in parvulam ſcrobem cogere tentante fuiſſe retuſum ſcribit in Anglicanis Annalibus Henricus Cnygtonus, & adjungit: *Lanfrancus nolens amplius perſcrutari Majeſtatem, ne opprimeretur, ſtatim Beccenſe Monaſterium intravit in* Normandia *ſub Herluino Abbate. Et ſimulans ſe quaſi pauca aut nulla ſcire, pro fatuo quaſi & ſimplice habebatur. Eodem tempore quidam famoſus & improvidus, Berengarius nomine, qui antea tenuerat opiniones contra Eccleſiaſticam doctrinam, & per Lanfrancum ſæpius retuſus, eo tempore de Lanfranco nec audiens nec videns, credidit eum de medio ſublatum. Et ſic ſecurus per Galliam ſuam hæreſim ſeminavit, ſcilicet quod verum* Chriſti *Corpus non ſit ſuper Altare.* Quæ de continuata Lanfranci

Lib. 2.

Lib 2. cap. 5.

 uſque

uſque ad Romanam Nicolai ſecundi Synodum occultatione, ac ipſius illic cum Berengario diſputatione ſubnectit, non ſubſiſtunt, uti lucet ex illis, quæ de hac præſenti Synodo audituri ſumus ab ipſo Lanfranco. Lanfrancus Monachus ſtatim in ſuo Beccenſi Monaſterio litteras ac Philoſophiam publicè profiteri cæpit, atque ita ipſum ex pauperrimo reddidit opulentum. Etiam tunc per litteras pugnavit in Berengarium, ideoque tamdiu non poteſt latuiſſe. Ejus interim Monaſtica receſſio Berengarium omnino reddidit audaciorem.

Quòd Berengarius anno poſt milleſimum quinquageſimo primo palam inſanire ac latrare cæperit, affirmant Beccenſis Monaſterii Chronicon, & Sigebertus Gemblacenſis: Floriacenſe Francicæ hiſtoriæ fragmentum quadrageſimo quarto, magnum Belgii Chronicon adſcribit anno quadrageſimo nono. Et hoc videtur veriùs. Cardinalem Cæſarem Baronium, qui anno trigeſimo quinto adſcripſit, fefellit famoſa ac erudita contra Berengarium Epiſtola, dudum adſcripta Durando Leodienſi Epiſcopo, qui anno iſtius ſæculi vigeſimo primo factus Epiſcopus deceſſit ad vitam meliorem anno vigeſimo quinto, atque ita iſtius Epiſtolæ non poteſt eſſe Auctor. Epiſtola eſt Theoduini ex ſancti Donatiani Brugenſis Præpoſito Leodienſis Epiſcopi, qui ejuſdem ſæculi anno quadrageſimo ſeptimo promotus ſedit uſque ad annum ſeptuageſimum quintum. Non ſolum Berengarium, ſed & Euſebium Brunonem Andegavenſem Epiſcopum *de introductis in ſua tempora antiquis Hæreſibus* accuſat: Quòd adſtruerent Corpus Domini non tam Corpus eſſe quam umbram & figuram ejuſdem Corporis, & quod legitima conjugia deſtruerent, quod item quantùm in ipſis erat everterent Baptiſma parvulorum. Epiſtolam ſub Leodienſis Epiſcopi titulo laudat & exponit ſanctus Guitmundus, affirmans à Berengario dogmatizatum fuiſſe vagum concubitum, & Baptiſma differri juſſum ad majores annos, quò ſic carnales adoleſcentes per laxatæ libidinis licentiam ſibi conciliaret. Verùm quod fideles populorum aures nec audire ſuſtinerent hæc flagitioſa dogmata, ad ſolum de Euchariſtia errorem ſe plenè contulit, *Ubi & quodam velut teſtimonio ſenſuum niti videbatur, nec tam copioſiſſimè ab aliquo ſanctiſſimorum Patrum, quippè non indigente adeò temporibus illorum Eccleſia, cùm tamen quid inde tenerent, præcipuè & lucidiſſimè ſapientiſſimi ipſorum multi ſcripſerunt, contra hanc diſputatum ſentiebat. Aucupatis nonnullis velut ratiunculis, adhibitis quoq; paucis malè intellectis capitulis ſacræ ſcripturæ, per egenos Scholaſticos, jam per alimoniam quâ ſuſtentabat eos, & per ſuos dulces ſermones corruptos, quaquà verſum potuit clanculò hujus tanti mali nefandiſſimum virus effudit.* Quod & in Francia, & in Normandia pluri-

plurimos ſeduxerit, ſcribit Durandus Abbas Troarnenſis. Et iſtæ ſunt ejus eleëmoſynæ, quas in ſancti Petri vivi Chronico laudat Clarius Monachus.

Duorum priorum errorum vix quiſquam meminit præter Theoduinum & ſanctum Guitmundum. Quod nempè fidelis Populi zelum, ipſoſque Chriſtianarum civitatum lapides metuens Berengarius, ſtatim tacuerit, atque ita flagitioſa prædicatio paucos turbarit. Tertium errorem lucidè exponit in ſua ad Berengarium Epiſtola Adelmannus Epiſcopus Brixienſis: *Spargitur uſquequaque, quaſi te ab unitate ſanctæ Matris Eccleſiæ divulſeris, & de Corpore ac Sanguine Domini, quod quotidie in univerſa Eccleſia ſuper ſanctum Altare immolatur, aliter quàm fides Catholica teneat, ſentire videaris. Hoc eſt, ut illorum de te dictis utar, non eſſe verum Corpus Chriſti, neque verum Sanguinem, ſed figuram quandam & ſimilitudinem.* Et ſanctus Lanfrancus: *Sententiam quâ panem in veram Chriſti Carnem, & vinum in verum Chriſti Sanguinem converti credimus, vecordiam nominas.* Domini Corpus & Sanguinem dixit eſſe incorruptibilia, ideoque in Sacramento nec edi poſſe nec frangi. Varia ſacrarum litterarum, & ſanctorum Patrum, Auguſtini præſertim & Ambroſii, congeſſit loca, truncavit, & variè vitiata detorſit, eis ineptiſſimas ex carnalibus Capharnaïtarum de Domino ſuſpicionibus deſumptas ratiunculas adjunxit, atque ex illis Sacroſanctum Sacramentum eſſe ſolam, excluſâ etiam impanatione, Dominicæ ſubſtantiæ figuram cæcus ac infælix concluſit. Et hanc eſſe ſancti Fulberti ſententiam, & ita ſe ab ipſo didiciſſe, ſcribere non erubuit ad neſcio quem Richardum. Addit in eadem Epiſtola de Magiſtro Aſcelino: *Beati Auguſtini verba ad pravitatem ſui erroris detorquere non timuit, ſicut quidam Compatriota illius, qui apud Pictavium inter diſcutientes eandem beati Auguſtini ſententiam, hanc conjecturam non eſt confuſus inferre; Propheta dicit tranſitorium Sacramentum, quod per fauces tranſiret in ventrem.* Et in Epiſtola ad ipſum Aſcelinum: *Sapis contra omnes naturæ rationes, contra Evangelicam & Apoſtolicam ſententiam, ſi cum Paſchaſio ſapis in eo quod ſolus ſibi confingit Sacramento Dominici Corporis decedere omninò panis ſubſtantiam.* Ad quæ Aſcelinus reſpondit: *Cæterum cum Paſchaſio, aliiſq; Catholicis non ſolùm ſapio, ſed etiam veneror & amplector verum Corpus, verumq; Sanguinem Chriſti à fidelibus in Altari ſumi ſub ſpecie panis & vini. Sed neque hoc, ut dicis, contra naturæ rationes ago. Neque enim aliud naturam dixerim, quàm Dei voluntatem. Porrò voluntas Dei tam efficax eſt & omnipotens, ut ejus velle ſolum fieri ſit.* Tranſubſtantiationis poſſibilitatem ac veritatem nervoſè demonſtrat, & concludit: *Hæc tibi breviter reſponderim, oſtendens me*

*cum-*

*cum Paſchaſio neque contra naturæ rationes, neque contra Evangelicam & Apoſtolicam ſapere ſententiam.* Tota inter Berengarium & Aſcelinum quæſtio erat ea ipſa, quæ olim inter Joannem Erigenam & Venerabilem Paſchaſium Ratbertum fuerat agitata: An panis & vinum ſolâ verbali benedictione in ſolam Dominici Corporis & Sanguinis Sacramentalem figuram, an per realem & tranſelementativam conſecrationem in ipſorum ſubſtantialem veritatem ſanctificarentur? Et Erigenæ adeò pertinaciter adhæſit Berengarius, ut Euchariſticam veritatem eſſe ſolius Paſchaſii commentum garriret, eſſe contra Evangelicum dogma, contra Patrum doctrinam, ac omnem naturæ rationem. Aſcelinum, quòd Euchariſtiam eſſe verum Domini Corpus aſſereret, unaque tamquàm rem corruptibilem in ſeceſſum mitteret, deridet ut ſibi ipſi adverſantem: Nempe credebat accidentia à panis & vini ſubſtantia eſſe inſeparabilia. Quod poſteà fuit palmare principium etiam Joannis Wicleffi. Et hinc in libro de hocce admirabili Sacramento ſcribit ſanctus Anſelmus: *Rotunditas, albedo, ſimilitudo illa panis, quæ in Altari carnis ſe oculis ingerit, per ſe inſpecta, non eſt Corpus Domini. Sed cùm eſſet quiddam priori ſimile, id eſt, pani inhærens vel accidens, migrante in Dominicum Corpus ſubſtantiâ, cui inhærebat, remanſit ad peragendum ſacri inſtitutum Myſterii. Quod quidem eſt viſum contra rationem omnis mundanæ ſapientiæ, ut ſublatâ ſubſtantiâ accidens ſubſiſtat, ſed legi naturæ non ſubjacet Deus, imò ipſius legis lex eſt.* Inſigniter & multifariè veritatem hanc confirmat, diſertè aſſerens ſe agere adverſus mundanam ſapientiam Berengarii Turonenſis.

Verùm adjungit: *Panis ſubſtantiam poſt Dominici Corporis conſecrationem in Altari ſupereſſe ſemper abhorruit pietas Chriſtiana, nuperq; damnavit in Berengario ac ejus ſequacibus. Nam ſi hoc admitteretur, jam verbum non incarnatum tantùm, ſed etiam, ſi dici poteſt, impanatum diceretur, ſi ſicut illi dicebant, panis ſic in Corpus Dominicum tranſiret, ut tamen panis eſſe non deſineret.* Lucidè contra nos affirmat à Berengario dogmatizatam fuiſſe non ſolam figuram, ſed impanationem. Reſpondeo cum ſancto Guitmundo: *Non omnes qui de iſtis Sacramentis errant, unà incedunt viâ erroris.*
Lib. 3. *Nam Berengariani omnes quidem in hoc conveniunt, quia panis & vinum eſſentialiter non mutantur, ſed ut extorquere à quibuſdam potui, multùm in hoc differunt, quòd alii nihil omninò de Corpore & ſanguine Domini Sacramentis iſtis ineſſe, ſed tantummodò umbras hæc & figuras eſſe dicunt. Alii verò rectis Eccleſiæ rationibus cedentes, nec tamen à ſtultitia recedentes, ut quaſi aliquo modo nobiſcum eſſe videantur, dicunt ibi Corpus & ſanguinem Domini reverâ, ſed latenter contineri, & ut ſumi poſſit, quodammodo, ut*
*ita*

*ita dixerim, impanari. Et hanc ipſius Berengarii ſubtiliorem eſſe ſententiam aiunt. Alii verò non quidem jam Berengariani, ſed acerrimè Berengario repugnantes, argumentis tamen ejus, & quibuſdam verbis Domini pauliſper offenſi ſolebant olim putare, quod panis & vinum ex parte mutentur, & ex parte remaneant. Aliis verò irrationabilem iſtorum ſenſum longè abhorrentibus, ſed eadem verba Domini, quibus iſti moventur, non ſatis aptè intelligentibus, videbatur panem & vinum ex toto quidem mutari, ſed cum indigni accedunt ad communicandum Carnem Domini & Sanguinem, iterum in panem & vinum reverti.* Subtiliorem iſtam ſententiam medio inter ſuam de Euchariſtiæ veritate in Romana Nicolai ſecundi Pontificis Synodo ſolemnem profeſſionem, ac ejuſdem manifeſtam revelatâ facie prævaricationem tempore adinvenit Berengarius. Profeſſionem iſtam erubeſcens revomere, & accidentium à panis & vini ſubſtantia ſeparabilitatem nolens fateri poſſibilem, lapſus eſt in impanationem: *Ut per panem & vinum Caro Chriſti comedi & Sanguis poſſit potari.* Subtilitatem exponit in litteris ad ipſum Berengarium Hugo Lingonenſis Epiſcopus: *Dicis nimis extensè loquens, in hujuſmodi Sacramento Corpus Chriſti ſic eſſe, ut panis & vini natura & eſſentia non mutetur, corpuſq́; quod dixeras Crucifixum, intellectuale conſtituis. In quo evidentiſſimè patet, quòd incorporeum confiteris. Qua in re univerſalem Eccleſiam ſcandalizas, ipſumq́; tuum offendis auctorem, quia palpabile obtulit, quod incorporeum affirmas. Namque ſi panis & vini natura & eſſentia reali principalitate poſt conſecrationem perſiſtunt, tranſlatum nihil poteſt intelligi: Et ſi quod adjunctum eſt ſola ſit intellectus potentia, reverà non capitur, quomodo vel unde vel idem ſit quod adhuc non ſubſiſtit.* Non verum, ſed neſcio quòd incorporeum ac intellectuale Domini Corpus impanari admiſit à tota Euchariſticam veritatem profitente mundo compulſus & confuſus Berengarius, ideoque non veram impanationem, ſed doloſum hujus erroris monſtrum. Dolum exponit Durandus Abbas Troarnenſis: *At quia ſunt nonnulli aliquanto, ut ſibi videtur, prudentiores atque Religioſiores, qui Carnem quidem dicant eſſe Chriſti, non tamen illam, quam de Virgine ſancta Chriſtus ipſe ſuſcepit, in qua paſſus eſt, & à mortuis reſurrexit, quam ad Cœlos cum triumpho victoriæ vivus & verax devexit, ſed quandam novam, quam benedictio conſecravit.* Novam hanc Carnem non ſubſtantialem & veram, ſed incorpoream ac intellectualem garriebat Berengarius, ideoque varia, ipſam de Virgine natam ac in cruce paſſam Domini carnem in Sacramento adſtruentia, ſancti Ambroſii loca adducit laudatus Durandus, ac proſequitur: *Ex quibus omnibus luce clariùs conſtat Dominica Sacramenta verè eſſe Corpus ac Sanguinem Chriſti, non ſolum per virtutis efficaciam & ſpiritualem*

*lem potentiam, ſed etiam per proprietatem naturalis veritatis integerrimam, nec aliud omninò quam eandem Carnem, quam Virgo de Spiritu ſancto concepit.* Aſſeverat non neſcio quod imaginarium, ſed verum Domini corpus eſſe in Euchariſtia, ipſi non impanatione, ſed tranſubſtantiatione imponi, iſtamque eſſe immobilem Doctrinam totius Chriſtianitatis. Per Corpus intellectuale non aliud quàm ab intellectu apprehenſam Corporis figuram intellexit Berengarius, atque ita nec veram impanationem docuit, ſed doloſis verbis omnem Eccleſiam conatus eſt circumſcribere. Proindè diſtingue tempora, & omnia concordant. Duæ poſteriores Sectæ ſunt Diſcipulorum Schiſmata & conciſa fruſta, ſolemnia omni paſſim Hæreticæ factioni. Panem & vinum inadæquatè dumtaxat tranſubſtantiari docuerunt olim quidam etiam in Eccleſia Theologaſtri, adverſùm quos beatus Albertus Magnus: *Salvo meliori judicio, mihi videtur quod nihil remaneat de ſubſtantia panis & vini.* Cum Berengario nolebant accidens ſeparari poſſe à ſubjecto, ideoque Sacramentales Euchariſtiæ ſpecies opinabantur eſſe quid reſidui de tranſmutatis elementis. Quam ſententiam alii etiam antiqui Scholaſtici impugnant. Tertia Berengarianorum ſententia eſt plurimùm diverſa. Non idem individuum elementum, ſed eandem dumtaxat maſſam volebant partim tranſmutari, partim remanere: Remanere ab indignis ſumendas, & ſolis dignis dandas panis & vini portiunculas tranſmutari. Quod Phantaſma, quia plurimis obnoxium incommodis, meritò refutatum eſt, & ab ipſis Erronibus quartus potiùs error electus.

## *Reditur ad Romanum Concilium.*

A. 1050 HUjus Synodi Acta compendio exponit Hermannus Contractus: *Dominus Papa poſt Paſcha Synodum Romæ collegit, & ſubſecuto tempore ultra Romam progrediens, nonnullos ibi locorum Principes & civitates, tàm ſibi quàm Imperatori, jurejurando ſubjecit, Beneventanoſq; adhuc rebellantes excommunicavit. Nonnulli etiam exterarum Principes gentium, miſſis ad eum, utpotè Apoſtolicum virum, Legatis, ſubjectionem ei promittunt.* Hoſce inter Principes fuit Anglorum Rex Eduardus. Regno in ſervitutem abſque reſurgendi ſpe ejectus ſanctus Rex beato Petro Apoſtolo, ſi repararetur, Romana limina viſitare voverat, & reparatus jam ſe ad iter parabat; verùm quòd Danorum iterandus timeretur incurſus, & Epiſcopi & Proceres graviter interceſſerunt, dicentes Regni tutelam & adminiſtrationem eſſe omni ſacrâ peregrinatione opus longè meliùs, ideoque aut ceſſare votum, aut ſaltem eſſe ſuſpenſum.

Nec

Nec ſine fundamento. Etenim ad neſcio quem Galliæ, qui Compoſtellam ad ſanctum Jacobum ire voverat, Comitem rectè ſcripſit ſanctus Hildebertus Archiëpiſcopus Turonenſis : *Iter aſſumpſiſti, quòd nos bonum quidem non negamus, ſed quiſquis adminiſtrationem ſuſcipit, alligatur obedientiæ, quam, niſi ad majora vocetur & utiliora, ſi relinquit, delinquit. Unde te, fili cariſſime, culpa inexcuſabilis ſpectat, qui neceſſariis non neceſſaria, diſpenſationi otium, debitis indebita præponis.* Ep. 59. Multis oſtendit promiſſionem iſtam non fuiſſe de meliori bono, ideoque nec eſſe votum. Verum timorata optimi Eduardi Regis conſcientia cum nec ſic quietaretur, Ailredus Eboracenſis Archiëpiſcopus, Hermannus Epiſcopus Vintonienſis, & aliquot Abbates ſunt Romam legati, poſtulaturi Apoſtolicam diſpenſationem. Rei ſucceſſum edicit in laudati Regis vita Ailredus Abbas Rievallenſis: *Credendum Dei actum providentiâ, ut Regii Reſponſales congregatam Romæ Synodum maximam reperirent, in qua præſidente Papa Leone de negotiis Eccleſiaſticis tractabatur. Gaudet eorum in adventu illa Sanctorum præclara ſocietas, & quaſi ſibi miſſum de cœlo ſolatium, tantorum Patrum præſentiam ſuſceperunt, magnum Dei munus judicantes, quod à finibus terræ tales viri, tali tempore, tali conventui occurriſſent. Igitur Patre beatiſſimo præcipiente, Nuntii cauſam, pro qua venerant, dicturi procedunt in medium, Patribus qui aſſidebant præbentibus cum ſumma devotione ſilentium. Exponunt deſiderium Regis, & Regni periculum, diſpendium pacis, clamorem pauperum, lachrymas Orphanorum, obductam etiam necdum recentis plagæ cicatricem aſſerebant, quæ Danica rabie Anglis inflicta, ſi Rex diſcederet, acrior timebatur. Silentibus Nuntiis, ſonuit in ore omnium gratiarum actio & vox laudis. Prædicatur circa Deum Regis, circa Regem plebis devotio. Mirantur manſuetudinem David, prudentiam Joſeph, cum divitiis Salomonis in tali Principe conveniſſe. Tandem Summo Pontifice dictante ſententiam, omnes in commune decernunt pro pace Regni, pro utilitate Eccleſiæ, pro neceſſitate pauperum, & quiete Monaſteriorum, Regem auctoritate Dei, & beati Petri, præſentis etiam ſacratiſſimæ Synodi, à voti hujus vinculo ſolemniter abſolvendum, expenſas paratas itineri pauperibus erogandas. In voti recompenſatione conſtruendum in honore beati Petri Regiis copiis Monaſterium, vel aliquod à barbaris deſtructum reparandum.* In diſpenſandis aut commutandis etiam Regum votis olim Eccleſia fuit adeò difficilis & anxia. Papales ad Regem litteras ſuis ſcriptis inſeruit laudatus Abbas Ailredus.

Alter, qui hanc Synodum ſuis honoravit Legatis, fuit Guilielmus Dux Normandiæ. Remenſis Concilii, quo conſanguineam Flandrenſis Comitis Balduini filiam Mathildim ducere vetebatur, Decreto ille non parue-

paruerat, ſed ipſam contumax duxerat ac detinebat, ideoque omnem ejus terram Leo Pontifex ſuppoſuerat Eccleſiaſtico interdicto. Beccenſis in Normandia Cœnobii ſub beato Herluino Abbate Monachus, & Ducis Conſiliarius tunc erat Lanfrancus, ideoque factum eſt quod ſcribit laudati Monaſterii Chronicon: *Iratus Guilielmus contra Lanfrancum, eùm alienavit à Curia ſua, cujus Conſiliarius exſtiterat, quia contradicebat nuptias filiæ Comitis Flandriæ, quam ipſe ſibi Dux copulaverat matrimonio, quia proximitate carnis & conſanguinitate jungebantur. Unde auctoritate Romani Pontificis tota Neuſtria ſuppoſita erat interdicto. Quapropter Lanfrancus Romam adiit, quamvis iturus eſſet occaſione cujuſdam Heretici Berengarii, & tunc præſidebat Leo octavus, & etiam ut ageret pro Duce Nortmannorum, & uxore ejus.* Divina enim miſeratio Lanfrancum admirabili viâ reconciliavit Duci: Reconciliatus eſt mox cum Herluino Abbate & ſupplicibus omnium Procerum litteris Romam ablegatus. Rei ſeriem in ejus vita exponit Milo Criſpinus: *Hujus tam improvidæ juſſionis*, quâ utique proſcriptus fuit Lanfrancus, *cauſam ajunt, quod idem Lanfrancus contradicebat nuptiis filiæ Comitis Flandriæ, quam ipſe ſibi Dux copulaverat in matrimonio, quia proximâ carnis conſanguinitate jungebatur. Unde auctoritate Romani Papæ tota Neuſtria fuerat ab officio Chriſtianitatis ſuſpenſa & interdicta. Quapropter Lanfrancus iterum Romanum Papam adiit. Jam enim anteà Romam petierat causâ cujuſdam Clerici nomine Berengarii, qui de Sacramento Altaris aliter dogmatizabat, quàm Eccleſia tenet.* Cætera Milonis de Berengario verba adduxi ſuperius.

Cap. 3.

Novati dogmatis cauſæ ſemper, etiam in prima inſtantia, privativè ſpectarunt ad Sedem Apoſtolicam. Hinc delatum ſibi Berengarium Leo Pontifex evocavit ad præſentem Synodum. *Verùm ille timens venire diſtulit.* Quòd enim Romanam urbem pluſquam barbaricam obſidionem timeant paſſim Hæretici, ad Ruffinum verè ſcripſit ſanctus Hieronymus. Duos interim Reſponſales miſit Berengarius, Rex autem Henricus addidit ejus ad Lanfrancum litteras, atque ita hic venit in ſuſpicionem ejuſdem erroris. Litteras publicavit, ſuiſque ad ſancti Lanfranci vitam Notis indidit Lucas Dacherius, & ſcribit de ipſis in libro adverſus Berengarium ipſe Lanfrancus: *Cùm tuas ad me litteras*, in Romana Synodo, *Recitator legeret, intellecto quòd Joannem Scotum extolleres, Paſchaſium damnares, communi de Euchariſtia fidei adverſa ſentires, promulgata eſt in te damnationis ſententia, privans te communione ſanctæ Eccleſiæ, quam tu privare ſancta ejus communione ſatagebas.* Communi de Euchariſtia fidei adverſa omninò ſentit, Paſchaſium damnat, Joannem Scotum extollit, & ipſum nonniſi unà cum Auguſtino, Ambroſio, ac Hieronymo

ronymo damnari poſſe aſſerit memorata Epiſtola, ideoque videtur eſſe iſta ipſa. Quare Joannis Scoti nomen nullâ hic diſcuſſione opus habuit, ſed auditum ſtatim ſemetipſum de Hæreſi damnavit. Erat enim Scotus Paſchaſio Ratberto adverſus, ſeu Scotus perſonatus in Bertramnum. Fictæ perſonæ larvam detraxit Synodus, & Scotum ſub proprio nomine damnavit. Porrò non Rabanum Maurum, aut alium quem Orthodoxum de Euchariſtia Scriptorem, ſed præſertim Paſchaſium Ratbertum impugnandum aſſumpſit Berengarius, quòd is videatur nulla tranſmutatorum elementorum reſidua accidentia, ſed ſolum ac nudum Domini Corpus in Euchariſtia adſtruere, quòd illic, licet ſub aliena ſpecie, in propria tamen ſubſtantia tangatur, videatur, dentibus atteratur. Hinc enim uſus fuit etiam hoc quaſi palmari argumento: *Qui dicit, Panis & Vinum Altaris ſolummodò ſunt Sacramenta, vel Panis & Vinum Altaris ſolummodò ſunt verum Corpus Chriſti & Sanguis, modis omnibus panem & vinum ſupereſſe conſtituit.* Primam ſententiam Joannis Scoti, ſecundam vult eſſe Paſchaſii Ratberti, & omnium Romanæ Eccleſiæ adhærentium, ideoque repoſuit ſanctus Lanfrancus: *Poſterior ſententia nullius eſt hominum.* Mendax & contumax Hæreticorum ſpiritus ſemper accuſat Eccleſiam: Hinc & Berengarius affictum hunc Paſchaſio errorem blateravit eſſe totius Eccleſiæ dogma, atque ita ſimplicem plebem dolosè circumſcripſit. Hinc dixit Domini Corpus eſſe impaſſibile ac incorruptibile, mortalium dentibus aut oculis non poſſe tangi, & quamvis turrim Andegavenſem excederet, non ſufficere ad eſum omnis Populi Chriſtiani. Quæ omnia deliramenta palam procedunt ex phantaſmate Capharnaïtano. Quare eadem ſentientes ejus Reſponſales in carcerem conjecit, ipſum verò Berengarium Leo Pontifex à communione ſuſpendit, utique uſque ad proximè futuram, quo evocandus & perſonaliter audiendus, Synodum Vercellenſem. In inauditùm enim, ad ſolas præſertim familiares litteras, de Hæreſi definire juſtitia non patitur, nec avita Eccleſiæ conſuetudo. Et hæc fuit prima actio præſentis Synodi.

De altera ejus Actione pergit Lanfrancus: *Poſt hæc præcepit Papa, ut ego ſurgerem, pravi rumoris maculam à me abſtergerem, fidem meam exponerem, expoſitam plus ſacris auctoritatibus quàm argumentis probarem. Itaq; ſurrexi; quod ſenſi, dixi; quod dixi, probavi; quod probavi, omnibus placuit, nulli diſplicuit.* Quod ipſum iiſdem ferè verbis ſuprà audivimus à Milone Criſpino. Paſſus fuit Lanfrancus, quod in ſimili Origenis cauſa paſſum ſe ſcribit ad Pammachium & Oceanum ſanctus Hieronymus: *Audet quidam proferre litteras meas ad Didymum, quaſi ad Ma-* Epiſt. 65 cap. 1.



Digitized by Google

*Magiſtrum. Grande crimen diſcipuli, ſi hominem eruditum & ſenem Magiſtrum dixerim. Nihil præter honorem & ſalutationem continet Epiſtola.*
Cap.4.6. Mutuæ, quas tamen fictas demonſtrat in libro de Sectis Leontius Scholaſticus Byzantinus, Epiſtolæ de Neſtorio ſuſpectum reddiderunt Theodoretum. Omnis cum Hæreticis communio olim fuit odioſa.

Actio tertia audivit beati Herluini Abbatis & ſancti Lanfranci pro Guilielmo Duce legationem, ac ipſius poſtulata non admiſit. Quod enim Guilielmi Ducis & Mathildis Comitiſſæ incæſtuoſo conjugio Nicolaus ſecundus primam fecerit diſpenſationis gratiam, ſuprà dictum eſt, ac infrà latiùs oſtendetur. An Normandiæ interdictum relaxarit Leo Pontifex, ignoro. Et certè non ablata cauſa quomodo relaxaſſet? Non relaxaſſe ſuadent hæc Durandi Troarnenſis Abbatis verba. *Berengarius Dominicæ Incarnationis anno milleſimo quinquageſimo tertio Normannorum finibus irrepſit, & ad Cœnobium, quod Pratellis nuncupatur, appulit, Catholicoq; viro, qui idem ſtrenuè regebat Cœnobium, à quo & honeſtè ſatis exceptus fuerat, multa blaſphemus impiè delatravit. Quod ipſe quoque eodem Abbate Anſfredo referente, dum apud me ſuper tantâ impietate valde quereretur, non multò poſt agnovi. In multis itaque ſubtiliter ab eodem Abbate pertentatus, in multis perindè reprehenſibilis & perfidus eſt repertus. Qui indè digreſſus, Normannorum Principem feſtinus adiit, quem ſuâ quoq; irretire perfidiâ ſubtiliter attentavit. Verùm ille, licet ætate Adoleſcentiæ necdum excederet annos, tamen illum, quia Catholicæ fidei meritò præditus erat & gratiâ, callidè ſuſpendit, ſecumq; quoad Regni ſui ad Mediterraneam deveniret ſedem, Brionam vocabulo, detinuit, ubi undiq; coactis Catholicis ac ſapientibus viris, ſuper eâdem re diſponebat conflictum haberi. Eo ergo ventum eſt, & res ſequenti die ventilanda propoſita. Cùmq; multi ex tota Normandia Sapientes, qui plurimi & clari habebantur, conveniſſent, præfatum Hereſiarcham Berengarium cum alio quodam, quem ſecum adduxerat Clerico, in cujus eloquentia victoriæ ſpem ſibi poſuerat, ita coram omnibus confutaverunt, atque evidenti ratione ſuperaverunt, quatenus eis ſilentium imponerent, verborumq; quibus fidem Catholicam tuebantur, aſſenſum ab eis extorquerent.* A ſui damnatricibus Synodis ad Laïcum Principem provocare eſt vetuſta Hæreticorum audacia. Sic enim ab Antiochena ad Aurelianum Paulus Samoſatenſis, à Romana & Arelatenſi ad Conſtantinum factio Donatiſtica, à Romana & Hiſpanica Synodo ad Maximum Imperatorem appellavit Priſcillianus. Eodem jure ad Guilielmum Normandiæ Ducem, licet non ſuum Principem, provocavit etiam Berengarius. Quòd nempè noſſet Juvenem & calidum, atque offenſum à Leone Pontifice ob negatam diſpenſationis & relaxati interdicti gratiam, ac

ab

Digitized by Google

ab omni Romana Eccleſia alienum. Quidquid ſit, Divina gratia direxit Juvenem Principem, & Leonis de Hæreſiarcha judicium fecit per ipſum Synodaliter confirmari.

Reſtant duæ quæſtiones. Prima eſt, Quomodo Milo Criſpinus dicat de proficiſcente ad hanc Synodum ſancto Lanfranco: *Lanfrancus iterùm Romanum Papam adiit, jam enim antea Romam petierat causâ Berengarii?* Hic enim Romanus acceſſus fuit Lanfranco ex Beccenſi Monaſterio omninò primus. Altera quæſtio eſt, Quomodo Durandus Abbas dicat iſtam Berengarii provocationem, & Brionenſe de ipſo judicium eſſe facta anno poſt milleſimum quinquageſimo tertio? Hæc enim affirmat facta inter Romanam hanc & ejuſdem anni Vercellenſem Synodum, quam utramque Hermannus Contractus & alii meliores Hiſtorici celebratam aſſeverant anno quinquageſimo. Ad primum reſpondeo hæc Milonis verba, *Iterum Romanum Pontificem adiit*, intelligenda de profectione ad Nicolaum ſecundum, qui præfatum matrimonium tandem ratificavit. Varia enim Lanfranci itinera & Acta Milo illic in compendium agglomerat. Et ejus contextus innuit Normandiæ interdictum uſque ad Nicolai ſecundi gratiam omninò perduraſſe. Ad ſecundum reſpondeo de Leonini Papatus ac Berengariani erroris exordio & annis eſſe varias Hiſtoricorum ſententias, ideoque nos cum omnibus non poſſe concordare. Et varià illic conglomerat etiam Durandus, quæ omnia non ſunt ejuſdem anni.

---

# S. LEONIS NONI

## CONCILIUM

# VERCELLENSE.

SExta Leonis noni Synodus fuit Vercellenſis, anni milleſimi quinquageſimi menſe Septembri habita, de qua pergit ſanctus Lanfrancus: *Hinc declarata eſt Synodus Vercellenſis, quæ tunc proximo Septembri, eodem præſidente Pontifice, eſt celebrata Vercellis, ad quam vocatus non veniſti. Ego verò Præcepto ac precibus præfati Pontificis uſque ad ipſam Synodum ſecum remanſi. In qua*

in-

Cap. 4. *in audientia omnium, qui de diverſis hujus mundi partibus illuc convenerant,*
*Joannis Scoti liber de Euchariſtia lectus eſt ac damnatus, ſententia tua expo-*
*ſita ac damnata, fides ſanctæ Eccleſiæ, quam ego teneo ac tenendam adſtruo,*
*audita eſt concordi omnium aſſenſu confirmata. Duo Clerici, qui Legatos tuos*
*ſe eſſe dicebant, volentes te defendere, in primo ſtatim aditu defecerunt, &*
*capti ſunt.* Hæc verba, *Quam ego teneo ac tenendam adſtruo*, non conti-
nent propriam laudem: Aguntadverſus Berengarii impudentiam, bla-
terantis Romanæ Eccleſiæ ſententiam non eſſe aliud, quàm vecordiam
Paſchaſii, Humberti, Lanfranci, & Vulgi. Eandem Synodum lau-
dat in ſancti Lanfranci vita Milo Criſpinus: *Hæc eadem*, quæ in Roma-
na, *in Vercellenſi Synodo retractata ſunt, & ſententia Berengarii audita & re-*
*probata, fides verò Eccleſiæ, quam Lanfrancus tenebat & adſtruebat, ex-*
Cap. 3. *poſita & concordi omnium aſſenſu confirmata eſt.* Et in litteris ad Berenga-
rium Magiſter Aſcelinus: *Pudeat te patrocinari Joannis Scoti librum,*
*quem Vercellis in plenaria Synodo damnatum, teque propter eum Hæreſis ma-*
*cula notatum audivimus.* Et ſanctus Guitmundus: *Mox incipientibus his*
*erroribus palam audiri, Catholici viri graviter commoti, atque intolerabili-*
*ter ferentes, præſidente per ſemetipſum beatiſſimæ memoriæ Domino Papâ Leo-*
Lib. 1. *ne, Vercellis Concilium ponunt, in quo poſt diligentiſſimam de Corpore & San-*
*guine Domini rationem, Berengariùm, & omnes ejus in hac Hæreſi fautores*
*perpetuo Anathemate, niſi reſipiſcerent, damnaverunt.* Et Guilielmus
Malmesberienſis: *Soliditati Catholicæ timens ſanctiſſimæ memoriæ Leo Papa,*
*Vercellis contra Berengarium inſtituto Concilio tenebras nebuloſi erroris Evan-*
F. 113. *gelicorum teſtimoniorum fulgore depulit.* Eadem verba ſuis Annalibus inſe-
ruit Matthæus Pariſienſis. Hæc ergo Synodus per priorem Romanam,
A.1087. quod in ipſa non comparuiſſet Berengarius, ideoque cauſa videretur
non plenè finita, fuit indicta. Verùm neque hic ille comparuit, ſed
ſolos miſit Reſponſales. Et hinc ipſum eſſe plenè Hæreticum deinceps
non dubitavit Pontifex, ideoque cum Joannis Scoti libro iterum dam-
nato non tantùm à communione ſuſpendit ut ſuſpectum, ſed ut novum
Hæreſiarcham cum omnibus ſuis fautoribus & ſequacibus uſque ad reſi-
piſcentiam Anathematizavit. Ejus Reſponſales denuò conjecit in car-
cerem.

Synodi Acta Henrico Regi retulerunt, qui Synodo adfuerant à ſua Eccleſia Legati, duo Clerici Carnutenſes. Ita teſtatur ipſe Berengarius in litteris ad Comitem Richardum. Epiſcopi enim ſui ſancti Fulberti, qui moriens Berengarium ejecerat à ſua facie, judicio Carnutenſis Eccleſia ſemper conſtans adhæſit. Cur duos Clericos legarit Vercellas, prodit Durandus Troarnenſium Abbas, aiens damnatum in Romana Synodo

nodo Berengarium fuiſſe à Guilielmo Nortmandiæ Duce contemptum, ac ab illius Epiſcopis iteratò damnatum, ac pergens: *Berengarius autem tandem non ſine pudore evadens, Carnutum petiit, ubi poſitus de eadem quæ-* Cap. 9. *ſtione ſe conſulentibus, audita quippe jam longe lateq; acta res fuerat, Clericis ejuſdem urbis nulla reſpondit, cum verò ſibi opportunitas daretur, ſe reſponſurum promiſit. Unde non multò poſt literas, quas & ipſe legi, dictavit, in quibus multa abſurda, fideiq; Catholicæ aliena anhelus declamavit. Inter quæ Romanam Eccleſiam, caput videlicet totius Chriſtianitatis, multâ temeritate hæretico vocabulo denotavit, cum qua Rectorem ejus, Dominum ſcilicet Papam Leonem, cujus fides Catholica, ſpectabilis ſapientia, laudabilis habebatur induſtria, quem non excepit, pariter infamavit, ſeq; ad utrumq; convincendum, dum reſpondere differret, interrogantibus intendiſſe retulit. Tunc quippe inſtabat conſtituta dies Concilii poſtmodum Vercellis habiti. Has itaq; litteras puritatis, ut ſibi videbatur, plenas, ſed revera multâ vanitate refertas, Carnutenſibus, qui ſibi quæſtionem intentaverant, deſtinavit.* His ergo litteras, & Berengarii apud ſe Acta Carnutenſis Legatio Pontifici & Synodo retulit.

Aliam hujus Synodi actionem refert Henricus Huntindonienſis: *Eo tempore Leo Papa tenuit Synodum apud Vercellas, ubi Ulpho Dorceceſtriæ interfuit, & penè fractus eſt baculus ejus Epiſcopalis, niſi majus pretium dediſſet. Neſciebat enim officium ſuum, ſicut decet Epiſcopum.* Quid per majus pretium Henricus intelligat, & quæ fuerint Ulphonis crimina, ignoro. Etiam in acceſſionibus ad Sigebertum Gemblacenſem ſcribit A. 1049. Robertus Abbas Montenſis: *Leo Papa Synodum tenuit apud Vercellas, ubi Ulf Epiſcopus interfuit. Et penè fractus eſt ejus baculus Epiſcopalis, niſi manus accipientium ungerentur. Neſciebat enim officium, ſicut Epiſcopum deceret.* Exponit quid ſit majus pretium. At ſanctum Leonem, capitalem iſtius facinoris hoſtem, nemo unquam hìc vel ſuſpectum habuit.

# CONCILIUM
## PARISIENSE.

HÆc ſui ac Joannis Scoti iterata damnatio mirè contorſit Berengarium. Et præſertim quod ſuos Apocriſarios Leo Pontifex jam ſecundò conjeciſſet in carcerem. Hinc ſe convertit ad varios per varias Epiſtolas, quarum hanc ad Richardum Aureliæ Comitem nuper publicavit magno Eccleſiaſticæ erudi-



Digitized by Google

tionis incremento eruditus Lucas Dacherius: *Quia facilè vobis factum*
Tom. 2. *eſſe cum Rege loqui non neſcio, vellem, ſi videretur & vobis, verbum illi aliquod pro me faceretis, ſi fortè humanitatis, liberalitatis, dignitatiſq; Regiæ, atque Chriſtianitatis reputatione, aliquâ munificentiâ compenſaret damnum, quod in Clerico Eccleſiæ ſuæ injuſtiſſimè, ac Regiâ Majeſtate indigniſſimè tantum intulit. Quod ſi facit, ab immodica culpa, ſi modica expenſa, non modicum exſolvit. Si autem non facit, me tamen præſto nihilominus habet in eo uno ſervire Regiæ Majeſtati, ut ſatisfaciam ſecundùm Scripturas illi, & quibus velit, injuſtiſſimè damnatum Scotum Joannem, injuſtiſſimè nihilominus aſſertum Paſchaſium in Concilio Vercellenſi, perversè & Regio auditu indigniſſimè expoſuiſſe ibi Clericos Carnutenſes. Si ita res acta eſt, quomodo ad me pervenit, ſententia de Euchariſtia, quam in Scriptura habet glorioſa memoria Fulberti Epiſcopi, quam quidam ipſius Epiſcopi putant fuiſſe ſententiam, ſed eſt beati Auguſtini. Væ autem Prophetis, qui prophetant de corde ſuo, qui dicunt, Hæc dicit Dominus, cum Dominus non ſit locutus. Propter Aſcelinum dico, quod beati Auguſtini verba ad pravitatem ſui erroris detorquere non timuit. Quod ſi autem hoc minus fidelitatis meæ ſervitium Rex refugiat, noverit quæ ſcribit Joannes Scotus, monitu illum ſcripſiſſe, precarioque Caroli Magni Anteceſſoris ſui, qui quantum circa res gerendas perſtrenuus, tantum circa Religionem devotus, ne ineruditorum carnaliumque illius temporis prævaleret ineptia, erudito viro Joanni illi impoſuit colligere de ſcripturis, quæ ineptiam illam converterent. Unde ferat oportet defuncto patrocinium contra calumnias nunc viventium, ne ſe malit exhibere indignum ſucceſſione & ſede illius magnifici Anteceſſoris ſui, qui etiam circa negotium intelligendarum ſcripturarum ſolicitus, ab erudito vivo viro, non ad tenebrandum veritatis lumen, tale exegit obſequium.* Suam de Euchariſtia ſententiam affirmat eſſe non ſolum ſancti Fulberti, ſed etiam ſancti Auguſtini, illum à Carnutenſibus Clericis, hunc ab Aſcelino detorqueri in Paſchaſii Hæreſim, Joannis Scoti librum fuiſſe juſſu Caroli Calvi Regis editum, & ab omni tunc Gallicana Eccleſia probatum, atque ita Vercellenſem Synodum non ſolum in Catholicum dogma, & Catholicas perſonas, ſed etiam deliquiſſe in Regiam Majeſtatem. Adverſùm haſce violentias expoſtulat novum cauſæ examen, & ex Richardi Comitis interceſſione ac in Gallicanæ Eccleſiæ fidelem Clericum Patrocinio Regiam protectionem. Et poſtulatum officium, etiam cum effectu, Comes Richardus omninò impendit. Lucet ex Theoduini Leodienſis Epiſcopi ad Henricum Francorum Regem famoſa Epiſtola: *Fama ſupremos Galliæ fines prætergreſſa, totam Germaniam pervaſit, jamq; omnium noſtrum replevit aures, qualiter Bruno Andegavenſis Epiſcopus,*
*item*

*item Berengarius Turonenſis, antiquas hæreſes modernis temporibus introducendo adſtruant Corpus Domini non tam Corpus eſſe, quàm umbram & figuram. Quos ad revincendum & publicè confutandum, eo zelo, eoque fervore, quo erga ſanctam Eccleſiam divinâ inſpiratione plurimum ſemper ardetis, ajunt vos Concilium advocaſſe, ubi tandem illud totius nobiliſſimi veſtri Regni heu nimis turpe opprobrium de medio auferatis, & in æternum, ſi fieri poteſt, ab ipſa omnium hominum memoria deleatis. O pia voluntas, & vero Rege digniſſima. Quæ utinam effectum habere poſſit, ut in tanto ſacrilegio convictos, quod certè facillimum eſt, abſque ulla dilatione debita ultio conſequeretur. Sed deſperamus id fieri poſſe, cum Bruno exiſtat Epiſcopus: Epiſcopum autem non oportet damnationis ſubire ſententiam præter Apoſtolicam auctoritatem. Igitur omnes, quicumque ſumus filii Matris Eccleſiæ, in maximo dolore poſiti ſumus. Nam plurimùm veremur, ſi illis miſerrimis & perditiſſimis viris audientia ſancti Concilii, ſicut ipſi de pœna ſecuri poſtulant, permittatur, cum de tanta præſumptione revictos puniri minimè concedatur, graviſſima ſcandala in omnium fidelium populo generari. Certè quos videbunt impunitos, & nequaquam à ſui gradûs honore dejectos, eoſdem putabunt ab omni Concilio aut vinci non potuiſſe, aut juſtificatos eſſe: Eruntq;, ut ita dicam, noviſſima pejora prioribus. Ergo Majeſtatem tuam omnes exoratam vellemus, ut interim illorum impiam, ſacrilegam, & nefariam aſſertionem audire contemneretis, donec acceptâ Romanæ Sedis audientiâ damnandi poteſtatem haberetis. Quamquam hujuſmodi homines nequaquam oporteat audiri, neque tam eſt pro illis Concilium advocandum, quàm de illorum ſupplicio exquirendum. Tunc quippe Hæretici audiendi fuerunt, quando Hæreſes ipſæ, & hujuſmodi quæſtiones, utpote quæ nondum ad unguem diſcuſſæ fuiſſent, in dubium venire potuerunt, ut per congreſſum certaminis pateſceret, utra pars ſtaret pro defenſione veritatis.* Hanc hæreſim aſſerit eſſe manifeſtam, & omnium Patrum lucido judicio damnatam, & pergit: *Quamobrem Brunonem & Berengarium jam Anathematizatos arbitramur. Quod ſi ita eſt, verè illis Concilii audientia deneganda eſt, & cum veſtris, cumque noſtris Epiſcopis, ſi ita vobis videtur, cum amico veſtro Imperatore, cum ipſo Papa, quæ vindicta in eos ſtatuatur, deliberandum. Eſt enim juſtum, ut quorum manus ſunt contra omnes, omnium manus etiam contra ipſos excitentur.* A Comite Richardo perſuaſus Rex Pariſios convocavit Regni ſui Epiſcopalem Synodum, ipſoſque etiam Brunonem ac Berengarium, atque ipſorum cauſam juſſit retractari. Quod degradandorum Epiſcoporum auctoritatem, nova Canonum per Iſidorum Mercatorem in Franciam deportata collectione fretus, Provincialibus Synodis abrogarit, ac Apoſtolicæ ſedi reſervarit Nicolaus primus Pontifex,

 non

non abſque fundamentis affirmat in opere de Sacerdotii & Imperii con-
cordia Dominus Petrus de Marca: Quidquid ſit, iſta regula poſtmo-
dum in Gallia adeò viguit, ut Gerardum Engoliſmenſem Epiſcopum
Romanæ Legationis vigore Epiſcopos degradare tentantem, de invaſo
ipſo Apoſtolici culminis apice arguat Goffredus Abbas Vindocinenſis.
Ex eadem regula hanc Synodum uti inefficacem ac inutilem, imò uti
& noxiam, diſſuadet Theoduinus. Addit & aliam vetuſtiſſimam regu-
lam, ex qua adverſus Julianum ac alios Pelagianos Epiſcopos, qui ab
Innocentio & Zozimo Pontificibus datum de Pelagio ac ejus dogmate
judicium retractari per generalem Synodum expoſtulabant à Theodoſio
Lib. 1. Imperatore, ad Bonifacium primum ſcripſit ſanctus Auguſtinus: *Hæc
execrabilia dogmata tenentes & ſeminantes, adhuc inſuper flagitant audien-
tiam, cum damnati debeant agere pœnitentiam.* Synodale ac definitiuum
Romanæ Eccleſiæ de fide judicium ſine ejus venia retractari non poſſe à
Gallicana Eccleſia dicit etiam Theoduinus, aſſeverat Berengarium &
Romæ & Vercellis legitimè damnatum, ideoque nihil ſupereſſe, niſi
ut vel ſpontanea pœnitentia corrigatur, vel per Imperialis ac Regii Bra-
chii ab Henrico Imperatore & Henrico Rege concorditer dandum Leo-
ni Pontifici auxilium ad perpetuum ſilentium compellatur.
Auream Theoduini Epiſtolam meritò prædicat in ſuis ad Ægidii
Leodienſis Canonici Epiſcopalem Hiſtoriam Notis Joannes Chapeauvil-
Cap. 71. le, & adjungit: *His acceptis Henricus Francorum Rex litteris, bene à
tanto Antiſtite perſuaſus, à cæpto creditur deſtitiſſe. Non enim ipſe dum vixit,
aliquod fuiſſe contra Berengarium & ſocium impietatis collectum Concilium
memoria reperitur, ſicut aliorum Conciliorum longè minoris momenti.* Ve-
rùm vir eruditus non viderat tunc necdum à Luca Dacherio editum Du-
randi Troarnenſis Abbatis adverſus Berengarium ac ejus errores li-
brum, in quo hæc habemus: *Cum tanti mali fama crebreſceret, & om-
Cap. 9. nium corda fidelium vehementius percelleret, perq; multos hujuſmodi virus
latenter & apertè jam ſerperet, contigit ut ad aures etiam Regis Francorum
Henrici perveniret, qui conſultu ſui Regni Pontificum Procerumq;, Conci-
lium Pariſius cogi decimo ſeptimo Kalendas Novembris præcepit, ac præfatum
Berengarium, ut aut ſua dicta Patrum auctoritate firmaret multis ſibi obniten-
tibus, aut ſi ea defendere nequiret, in Catholicam, cui obviare non poſſet,
prudenter tranſiret, intereſſe tantorum Cætui Patrum imperavit. Interea con-
dicta venerat dies, frequenſq; Conventus Præſulum ac reliquorum ſancti Ordi-
nis Clericorum, nec non Nobilium Laïcorum Pariſius factus eſt, ſed jam di-
ctus Berengarius malæ conſcientiæ perculſus terrore, ut juſſus erat, eo venire
diſtulit, ſeq; cum Brunone, ſuo videlicet Epiſcopo Andegavenſi, ſub quo*
*Archi-*

Digitized by Google

*Archidiaconi fungebatur honore, pro eo maximè continuit, quia eodem errore, utpote tanti viri credulus, & ipſe noſcebatur involvi. Interea Præſul Aurelianenſis quoſdam apices in ſceda haud parva digeſtos in conſpectu omnium, & Regis, intererat enim, protulit. Et præcipiat, inquit, veſtra Sanctitas has litteras à Berengario editas, ſi libet, recitari, quas ego quidem ab ipſo nequaquam accepi, ſed cum eas cuidam ſuo familiari, nomine Paulo, per Veredarium dirigeret, violenter rapui. Quibus ſuſceptis, & ad recitandum traditis, omnium aures eriguntur, ora in ſilentium componuntur, corda ad intelligendum quæ continebantur in eis præparantur. Sed inter legendum fit multum repentè murmur, & per ſingula abſurdi ſenſus verba gravis inſtrepit fremitus. Itaq; omnibus talis lectio, quoniam nequiſſima ſordebat Hereſi, vehementer diſplicuit. Damnato proinde communi ſententia talium auctore, damnatis ejus complicibus, cum Codice Joannis Scoti, ex quo ea, quæ damnabantur, ſumpta videbantur, Concilio ſoluto deceſſum eſt, eâ conditione ut niſi reſipiſceret ejuſmodi perverſitatis Auctor, cum ſequacibus ſuis, ab omni exercitu Francorum, præeuntibus Clericis cum Eccleſiaſtico apparatu, inſtanter quæſiti, ubicumq; convenissent, eo uſque obſiderentur, donec aut conſentirent Catholicæ fidei, aut mortis pœnas luituri caperentur. Quamobrem territi, non multò poſt in Concilio ſuper fidei ſuæ ſtatu conventi, ita ſe ſicut Eccleſia tenet Catholica credere fideliter & ſapere publicè profeſſi ſunt, delatiſq; Sanctorum pignoribus, ut omnibus ſatisfacerent, atque de veritate fidei, quam profeſſi fuerant, eos qui aderant certos facerent, Sacramentum dederunt.* Licet non ante, tamen poſt hanc Synodum Henricus Rex Theoduini judicium eſt omninò ſecutus: Sanxit blaſphemum cum omni ſua ſequela Berengarium, niſi pænitens ac reſipiſcens ſileret, gladio percutiendum.

Nec ſine omni fructu. Tunc enim factum eſt quod ad Magiſtrum Aſcelinum ſcribit ipſe Berengarius: *Per vos tranſiens diſpoſueram omninò nihil agere cum quibuſcumque de Euchariſtia, priuſquam ſatisfacerem in eo Epiſcopis, ad quos contendebam, ſecundùm Evangelicam & Apoſtolicam ſcripturam.* Doloſâ hâc circumcurſatione conatus eſt & Epiſcopos & Regium gladium circumſcribere. Ex hinc interim nata eſt ſecunda Galliæ Synodus, in qua Catholicam fidem eſt publicè profeſſus. Quòd doloſè omnia egerit, lucet ex iſta ipſa, in qua ſuos pertinaciter reſumit errores, Epiſtola, ac etiam ex Magiſtri Aſcelini Reſponſo: *Pudeat te patrocinari Librum Joannis Scoti, quem Vercellis in plenaria Synodo damnatum, te quoque propter eum hæreſis maculâ notatum audivimus.* Semper abjurare hæreſim, ac ipſam mox reſorbere, erat proprium verſatilis Berengarii ingenium. Euſebius Bruno Epiſcopus fuit melioris mentis. Quod enim

per ipſa hæc ſcandala admonitus reſipuerit, erroris ac Erronis patrocinium deſeruerit, quin & famam ſuam ſolemniter purgaverit, lucet ex ejus Apologetica Epiſtola, quam nuper vulgavit Menardus Andegavenſis. Hic eſt ille Euſebius Bruno, quem & ejus Turonenſem Metropolitam Radulphum humilibus, quas in ſuis ad Petrum de Marca
Lib. 6. ſcholiis edidit Stephanus Baluzius, litteris obteſtatus eſt Gebuinus
Cap. 30. Archiëpiſcopus Lugdunenſis, ne Amatum Olorenſem Epiſcopum, Gregorii ſeptimi Pontificis Legatum, reciperent in ſua Provincia, & novo iſto Vicariatu novum adhuc & tenerum Lugdunenſis Eccleſiæ Primatum offendi ac deprimi paterentur. Bruno igitur non ſolùm ut Orthodoxus, ſed & uti potens in ſua Provincia atque integer Epiſcopus tunc ſedebat. Porrò Lugdunenſis ille Primatus fuit erectus anno poſt milleſimum ſeptuageſimo nono, atque ità Bruno vitam protraxit ad multos annos. Et à nulla interim Synodo legitur de errore fuiſſe notatus.

De laudata Theoduini Epiſtola ſcribit Dominus Cardinalis Baronius: *Vides Lector, prima ſpicula in virulentum Draconem vibrata fuiſſe à nobiliſſima Eccleſia Leodienſi, Catholicæ fidei tenaciſſima, imprimis verò ab ejus Epiſcopo Durando, nec non ab ejuſdem Eccleſiæ Scholaſtico.* Utique Adelmanno, Brixienſi poſteà Epiſcopo. Rectiùs in ſecunda Francicarum rerum Decade eximius vir Joannes Rivius: *Berengarii hæreſim primus omnium inſigni Epiſtola, ad Henricum Regem ſcripta, Theoduinus Leodienſis Epiſcopus ex Præpoſito ſancti Donatiani Brugis, non Durandus, uti voluerunt hactenus nonnulli, confutavit.* Uterque interim rectè affirmat hanc Epiſtolam eſſe primum Magiſtrale ſcriptum in Berengarium. Theoduinum poſteà ſecuti ſunt ſanctus Guitmundus Averſæ Epiſcopus, ſanctus Lanfrancus Archiëpiſcopus Cantuarienſis, Algerus ex Leodienſi Canonico Cluniacenſis Monachus, Hugo ex Lingonenſi Epiſcopo Monachus Virdunenſis, Petrus Venerabilis, Durandus Troar-
A. 1051. nenſium Abbas, Guibertus de Novigento, omnes ex ſancti Benedicti Ordine, aliique plures, de quibus videatur in Sigeberti Gemblacenſis ſupplemento Robertus Abbas Montenſis.

Porrò quod & ſanctum Leonem Pontificem & ipſam Romanam Eccleſiam blaſphemarit Berengarius, affirmat non ſolus Durandus Troarnenſis, ſed etiam in edito ad ipſum Berengarium libro ſanctus Lanfrancus: *Traditus in reprobum ſenſum, ſanctam Romanam Eccleſiam vo-*
Cap. 6. *cas Eccleſiam Malignantium, Concilium vanitatis, ſedem Sathanæ.* Et ſanctus Guitmundus: *Berengarius jam defunctum ſanctum Leonem Papam, & ſanctos Viros, qui interfuêre Concilio, maledicis verbis & ſcriptis lacerare non deſiit, Sanctiſſimum illud ac Reverendiſſimum Eccleſiæ ſpeculum, ſum-*

Digitized by Google

*ſummum non Pontificem, ſed Pompificem atque Pulpificem vocans, eumq́, infatuatione Lanfranci infatuatum, Concilium vanitatis adunaſſe blaſphemans.* Cur Papam dixerit Pulpificem, exponit marginalis ad Gregorii ſeptimi à Bennone Cardinale ſcriptam vitam Scholiaſtes: *Berengarius Pontificem Romanum non veritus eſt vocare Pulpificem, quod Pulpam, id eſt, Carnem in Euchariſtia eſſe definierit.* Eſt antiquiſſima Hæreticorum atque Erronum audacia. Etenim ut in errore de exufflando Hæreticorum Baptiſmo ſanctum Cyprianum, adverſus ſanctum Stephanum Papam in Apoſtolica traditione ſe fundantem, firmaret Firmilianus Cæſareenſis in Cappadocia Epiſcopus, clamavit Romanam Eccleſiam in multis deviare ab Apoſtolicis inſtitutis, & hoc in puncto ſanctos Petrum & Paulum à Stephano infamari. Quod ipſum adverſus Zephyrinum Pontificem blaterarunt Neſtorii Magiſter Artemon, Montaniſtæ, ac Tertullianus. Cum dogmate Apoſtolicam quoque diſciplinam clamarunt ab illo corruptam. Et à Romana Eccleſia, quod pervertere non poſſet, ſe manifeſto ſchiſmate ſeparatura Euſebiana Arianorum factio, in Philippo-Politano Conventiculo definiit ab ipſa, degradatum ab Orientali Synodo Athanaſium reparante, eſſe violatum Evangelicum ac Apoſtolicum Canonem, & Julium Pontificem, uti hujus prævaricationis auctorem, communione privavit. Ut à Melchiade datum in Donatum Caſænigræ Epiſcopum, ac ejus factionem damnationis judicium evacuarent Donatiſtæ, Marcellinum ac laudatum Melchiadem accuſaverunt idololatricæ ſub Diocletiano Thurificationis, Apoſtolicam ſucceſſionem dixerunt Romæ exſtinctam, ideoque & novum è ſua communione illic ordinaverunt novæ originis Epiſcopum, quem in neſcio qua ſuburbana rupe latitantem Romanus populus per ironiam titulabat Epiſcopum Rupitanum. Quâ in maledicentia adeò profecit ipſorum Conſtantinenſis Epiſcopus Petilianus, ut Apoſtolicam Romanæ Eccleſiæ Cathedram fuiſſe ab ipſo appellatam *Cathedram peſtilentiæ*, teſtetur ſanctus Auguſtinus. Zozymum item cum ſuo Clero Pontificem, quod priùs paternè ad meliora tentatum Cœleſtium tandem damnaſſet, maledicentiſſimè de prævaricatione deſamavit Julianus Pelagianiſta, blaterans hinc à vindice Deo fuiſſe immiſſum Schiſma Eulalianum. Plura ſunt hujus audaciæ exempla. Sanctus Seleucus Amaſenus Epiſcopus, Helenoponti Metropolita, in ſuæ Synodi de Chalcedonenſi Concilio & intruſo in Alexandrinam Cathedram Timotheo Æluro ad Leonem Auguſtum litteris dat rationem: *Si lucem cæci, & veritatem mendaces accuſant, illi quidem propter cæcitatem viſus, illi verò quod eorum error & malitia pariter arguantur, novimus quia omnes Hæretici ſan-*

Lib. 2. Cap 51.

*ſanctas Synodos, eorum malas ſectas deſtruentes, accuſant. Sic enim Ariani* Ep. 53. *& Eunomiani de Nicenis Patribus agunt, Macedoniani de congregatis in urbe Conſtantinopolitana, Neſtoriani Epheſiæ Synodo, Eutychianiſtæ verò Patribus Chalcedone convenientibus adverſantur.* Ità in ſanctum Leonem ac Romanam Eccleſiam, quod ab ipſis præſertim damnatus, omnem ſuæ maledicentiæ vim exeruit Berengarius. Et hanc ejus caninam facundiam omnes Sacramentarii Hæretici, etiam Lutherus & Calvinus, fuerunt inſigniter imitati.

# S. LEONIS NONI

## TERTIUM CONCILIUM

## ROMANUM.

SEptimam Leonis noni, Romanam tertiam, factam anno iſtius ſæculi quinquageſimo primo, Synodum laudat Hermannus Contractus: *Poſt Paſcha Dominus Papa Leo Synodum Romæ collegit, ubi inter cætera Gregorium Vercellenſem Epiſcopum propter adulterium cum vidua quadam, Avunculi ſui ſponſa admiſſum, & perjuria perpetrata, abſentem & neſcientem excommunicavit, quem tamen non multo poſt Romam venientem, ſatisfactionem promittentem, officio reſtituit.* Voces, *Officio reſtituit*, evincunt excommunicationem hic ſumi pro degradatione. Excommunicatio enim apud antiquos pro cujuſvis communionis ablatione latiſſimè ſumitur: Et degradatio eſt Clericalis communionis ablatio, abjectioque ad ſortem Laïcalem. Porrò & adulterium & perjurium ſunt crimina, ob quæ Laïcus Eccleſiam, Clericus gradum perdebat citra ſpem reparationis. Quare tam feſtina Gregorii reparatio oſtendit avitæ diſciplinæ rigorem tunc multum fuiſſe laxatum. Hac in parte laxari cœperat à tempore ſancti Gregorii Magni, ſcribentis ad Januarium Sardorum Archiepiſcopum: L. 3 Epiſt. 26. *Qui poſt acceptum ſacrum Ordinem lapſus in peccatum carnis fuerit, ſacro Ordine ità careat, ut ad Altaris Miniſterium ulterius non accedat.* Quin L. 7. Indict. 2. Epiſt. 54. ejuſmodi etiam lapſum poſſe per pœnitentiam reparari ſcripſit ad Secundinum Monachum. Quod ipſum in litteris ad Maſſanum Epiſcopum

pum ſcribit ſanctus Iſidorus Archiëpiſcopus Hiſpalenſis. Quidam tamen Epiſtolam hanc fictam, iſtam affirmant adducti Reſponſi intruſione vitiatam. Nec ſine fundamentis. Contrarium enim Gregorius maniſeſtè ſcribit in laudatis ad Januarium, aliiſque ibidem litteris; & carne lapſum Cordubenſem Epiſcopum nullo unquam tempore reparari poſſe, ſed in perpetua uſque ad mortem degradatione ac pœnitentia continendum, diſertè ad Helladium Epiſcopum ſcripſit laudatus Iſidorus. Quidquid ſit, omnem poſt Baptiſma carne lapſum Apoſtolicus per plura ſæcula ſervatus Canon fecit indiſpenſabiliter irregularem.

Gregorii lapſum fuiſſe adulterium confirmat Synodus Trullana: *Qui alteri deſponſatam mulierem, eo adhuc vivo cui deſponſa eſt, in nuptiarum ducit*
*ſocietatem, adulterii crimini ſubjiciatur.* Quem Canonem Romanis legi- Can. 98.
bus in ſpeciem adverſari advertit in novella ad Stylianum officiorum
Magiſtrum lege Imperator Leo ſapiens: *Romana enim lex tali matrimonio* Leg. 74.
*cenſet diſſolvi priora ſponſalia, factamq; priori ſponſo injuriam compenſat lucro*
*arrharum.* Attamen Canoni Trullano conſonat etiam Synodus Ancy-
rana: *Deſponſatas puellas, & poſt ab aliis* ad matrimonium *raptas, placuit* Can. 10.
*erui, & eis reddi, quibus antè fuerant deſponſatæ, etiamſi à raptoribus* per
attentati matrimonii conſummationem *vis illata conſtiterit.* Quod nempe adulterium ſit, non matrimonium. Hunc Canonem de inito & conſummato cum rapta & deſponſata matrimonio lucidè exponit in Canonicis ad ſanctum Amphilochium litteris magnus Baſilius. Et Himerio
Tarraconenſi Archiëpiſcopo roganti, *Si deſponſatam alii puellam alter* C. 32.
*in matrimonium poſſit accipere,* reſpondit Papa Siricius: *Hoc ne fiat, modis omnibus inhibemus. Quia illa benedictio, quam nuptura Sacerdos imponit, apud fideles cujuſdam Sacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violetur.* Agit
non de quibuſcumque, ſed de ſolis ſolemni Sacerdotis benedictione ſancti- Ep. 1. c.
ficatis ſponſalibus, quæ ſunt matrimonium ratum. Et hâc etiam viâ 4.
adductum Trullanum Canonem cum Romanis legibus conciliavit Leo ſapiens, definiens Canonum cum legibus contrarietatem ſemper amovendam, ideoque legem de ſimplicibus, Canonem intelligendum de benedictis ſponſalibus. Quod enim connubialis Sacramenti rationem in hac benedictione ſitam eſſe crediderit & Latina olim & Græca Eccleſia, poſſit facilè demonſtrari. Verùm Theodorus Balſamon affirmat Canonem ſtatuere adverſus leges: *Adverſum nonnullos ex legibus dicentes, quod ſi quis alteri deſponſam in matrimonium duxerit, non eſt adulter, ſed neque fornicator. Neque enim fornicationem admiſit, quod cum ea legitimo matrimonio junctus eſt. Neque verò adulterium perpetravit, quoniam non eſt adhuc ſub marito. Hoc ergo non admiſſo, ſancti Patres decreverunt, ut tan-*

*quam adulter condemnetur, qui ad nuptiarum ſocietatem accepit eam, qua eſt alteri deſponſa, utpote quod inter ſponſos oſculum proceſſit, & arrha data ſunt pro contrahentium partium ſecuritate. Nec ſponſus aliam uxorem poteſt aliter accipere, niſi legitimè prima ſponſalia ſolverit.* Commiſſam cum aliena ſponſa fornicationem addit ex Canonis ſenſu omninò etiam eſſe adulterium. Et reverà eſt flagitium fornicatione patenter maius, affine adulterio, ideoque ſingularis malitia, & nova peccati ſpecies. Antiquæ Gothorum, Alemannorum, Bavarorum, ac aliorum Barbarorum Chriſtianæ leges attentatum cum aliena ſponſa conjugium ſanciunt irritum, & duriſſimè caſtigat. Burgundionum lex utrumque attentantem, tamquam verum adulterum, aut certè vero adulterio penitùs proximum, mandat gladio feriri.

Interim plures murmuraverunt adverſus iſtum Trullanum Canonem, dicentes aliud eſſe ſponſalia, aliud ratum matrimonium, adeò ut ex ſponſo & ſponſa ante matrimonium genitus ſit illegitimus, & à Parentum hæreditate extraneus. Dixerunt per Canonem confundi, quæ Romana Reſpublica & omnis ſub cælo Eccleſia ſemper diſcreverat. Et hinc Canonum dilector, Imperator Alexius Comnenus, murmurationem convertit in legem, ſanciens deinceps nulla niſi cum ſolemni Sacerdotis benedictione, & in annis à Leone Philoſopho ad nuptias requiſitis fieri ſponſalia, id eſt, ſponſalia eſſe idem cum matrimonio rato. Quidquid antea aut aliter fieret, civilem quempiam, ſed nullo pacto ſponſalium permiſit eſſe contractum. Exſtat novella hæc lex in jure Græco Romano, ipſamque ad juris communis appendicem appoſuit Dionyſius Gothofredus. Et hinc Trullani Canonis ſtatutum per hanc legem evaſiſſe planum & lucidum laudatus Teodorus Balſamon rectè advertit. Legem confirmavit Macharius ad duodecimi ſæculi exordium Patriarcha Alexandrinus, de quo Orientale Alexandrinorum Patriarcharum Chronicon: *Macharius Patriarcha plures abrogavit ritus. Sponſalia cum orationibus & thure contrahebantur in domibus, ille verò decrevit fieri in Eccleſia tempore coronationis ſponſorum.* Sponſorum enim coronatio apud Græcos ſemper fuit proprius Character rati matrimonii. In Gregorii Vercellenſis Epiſcopi cauſa Leo nonus, aut ex Siricii Pontificis Reſcripto, aut de imperfecto adulterio eſt locutus.

S. LEO

# S. LEONIS NONI
## QUARTUM CONCILIUM
# ROMANUM.

OCtavam tandem Leonis noni, quartam Romanam, anno iſtius ſæculi quinquageſimo ſecundo factam Synodum laudat Sigebertus Gemblacenſis: *Leo Papa Gerardum Leucorum ſuprà ſe quintum Epiſcopum, ſanctitate vitæ mirabilem, Synodo habitâ per Apoſtolicam auctoritatem, decrevit in numero Sanctorum Confeſſorum in Eccleſia ſolemniter habendum.* Sanctus hic Gerardus fuit natione Colonienſis. Porrò defunctos juſtos in ſanctorum Canonem, ſeu Eccleſiaſticas tabulas ſolemniter referre, ſeu canonizare, eſt antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudo, habens exemplum ab Apoſtolo in Epiſtola ad Hebræos, ubi varios antiqui temporis juſtos adducit, definiens per donatam ſibi in JESUM Chriſtum venturum fidem placuiſſe Deo, factoſque hæredes divinæ per eundem mediatorem repromiſſionis. Et de Lucilla, opulenta & factioſa muliere, matre aut ſaltem obſtetrice Donatiſtici Schiſmatis, ſcribit in libris adverſus ejuſdem Primatem Parmenianum ſanctus Optatus Epiſcopus Milevitanus: *Cum correptionem Archidiaconi Ceciliani ferre non poſſet, quæ ante ſpiritualem cibum & potum os neſcio cujus Martyris, ſi tamen Martyris, libare dicebatur, & cum præponeret os neſcio cujus hominis mortui, etſi Martyris, ſed necdum vindicati, correpta cum confuſione irata receſſit.* Ad quæ verba rectè commentatur Gabriel Albaſpinæus Epiſcopus Aurelianenſis: *Vindicatum Martyrem Optatus vocat, qui declaratus ſit communi Piorum ſententiâ in eam ſummam dignitatem, relatus jam inter cœli indigetes.* Duo igitur in Lucilla Cecilianus arguit. Primò, quod neſcio quem defunctum ex proprio judicio aſſereret Martyrem, ejuſque oſſa uti ſacras reliquias coleret. Secundò, quod cujuſpiam ex ipſo oſſis oſculum ſumendæ Euchariſtiæ præmitteret, atque ita iſtud huic quaſi præferret. Et hinc de Donatiſtis in libro de Sectis habet Conſtantinus Harmenopulus: *Donatiſtæ quoddam os manu tenentes, id ipſum priùs exoſculabantur, atque ita Sacramenta percipiebant.* Et in ſuis ad ſexageſimum primum Carthaginenſem Ca-

Lib. 1.

Canonem Scholiis Theodorus Balſamon: *Donatus fuit Auctor Hæreſis, qua non alias divinorum eſſe Myſteriorum participem docebat, niſi os in manu tenens hoc priùs ſalutaret, & ſic communicaret.* Damnatum in Lucilla abuſum in dogma & ritum verterunt. Cujus tamen nec ſanctus Optatus, nec ſanctus Auguſtinus, qui iſtius Schiſmatis omnia detexit arcana, meminerunt. Hinc interim lucet avitus cultus ſacrarum Reliquiarum. Et Clero ſuo, de coronatis ſub ejus exilio martyribus referenti ac roganti, in carcere profeſſam ac victrice morte confirmatam fidem eſſe *conſummatam Martyris gloriam* reſpondit relegatus ſanctus Cyprianus, & adjunxit: *Dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationem eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus.* Eos abſens ad Cleri ſui teſtimonium canonizat, & uti vindicatos Martyres Eccleſiaſticis, quas hodie vocamus Martyrologium, tabulis mandat adſcribi. Et hi omninò ſunt faſti noſtri, quos contra Gentilium feſta, ſeu Gentiles Gentilium feſtorum tabulas diſtinguit in libro de corona Militis Tertullianus. Et de ſancto Gregorio Thaumaturgo, diſperſum Gentili perſecutione populum poſt redditam pacem viſitante, ſcribit in ejus vita ſanctus Gregorius Epiſcopus Nyſſenus: *Inſtituebat apud omnes ubique populos ſanciens ut nomine eorum, qui pro fide decertaſſent, dies feſti atque ſolemnes Conventus celebrarentur.* Et de Sabbathii, hominis Novatianenſis, è Rhodo per ſuos Conſtantinopolim tranſlato, & juxta Sanctorum morem illic exaltato cadavere ſcribit Socrates: *Atticus Conſtantinopolitanus Epiſcopus quoſdam noctu eo miſit, illiſq; dedit in mandatis, ut Sabbathii corpus in alio ſepulchro conderent.* Quod nempe fuiſſet Hæreticus, ideoque legitimè non canonizatus. Ex eodem principio dealbatas trucidatorum à Taurino Africæ Comite Circumcellionum aras ſeu menſas damnat ac ridet laudatus Milevitanus Epiſcopus: Erant enim ipſis uti Martyribus in ipſo cædis loco erecta, & albis velis ornata Altaria. Hæc ſunt per agros paſſim aut vias reſidua ſancti Auguſtini adhuc tempore Altaria, quaſi Martyrum memoriæ, quæ dirui mandat, ac ipſorum areas interdici ab Epiſcopis quinta Carthaginenſis Synodus, & adjungit nulla deinceps ſine certis reliquiis, aut fideliſſima Martyricæ Paſſionis origine conſtitui: *Quæ per ſomnia, & inanes quaſi revelationes quorumlibet hominum ubique conſtituuntur Altaria, omnimodè reprobantur.* Requirit authenticam Martyris canonizationem. Et de Almachio Telemacho, ſanctiſſimo Monacho, Gentilii Faltonii Probi Alipii Præfecti Urbani juſſu à gladiatoribus, dum in eorum inſanam crudelitatem ſolemniter invehitur, trucidato in ipſa area, ſcribit in Eccleſiaſtica Hiſtoria Theodoretus: *Imperator Theodoſius Telemachum in Martyrum*

Ep. 37. — Cap. 13. — L. 7. c. 25. — Can. 41.

*tyrum invictorum numerum adſcripſit.* Hoc eſt, per Romanum Epiſcopum adſcribi juſſit, ac adſcriptionem Edictali adverſus Homicidarum Defenſores lege confirmavit. Eccleſiaſtica etiam de rebus merè divinis Decreta confirmanti potius Auguſto, quàm edenti Epiſcopo antiqua Eccleſia ex rationibus adſcripſit. Fideles Alexandrinos, dum à Principe Theodoſio & Epiſcopo ſuo Theophilo juſſi demoliuntur fana, à Gentilibus mactatos fuiſſe etiam à laudato Imperatore uti Martyres beatificatos, eadem phraſi ſcribit Hermias Zozomenus. Et de Martyrio Pauli Conſtantinopolitani Epiſcopi Subdiacono, ac ejus Lectore Martiano, per Arianos trucidatis, & miraculorum gratia poſt mortem coruſcantibus adjungit: *Joannes Chryſoſtomus indignum cenſuit eos honore Martyrii carere, quos Deus ipſe honore affecerat.* Hoc eſt, ipſos canonizavit. Laudatum quinti Carthaginenſis Concilii Canonem probavit, & ſuo Aquiſgranenſi Capitulari inſeruit etiam Carolus Magnus. Novos Sanctos coli aut invocari, utique ſine Epiſcopali judicio, vetuit item Synodus Francofordienſis.

Lib. 5. cap. 26.

Lib. 7. cap. 15.

Cap. 42.

Ex quibus vides Sanctorum canonizationem non à ſolo olim Romano Pontifice, ſed à quovis Epiſcopo fuiſſe peractam. Qui mos dudum permanſit in Eccleſia. Etenim de Trauvardo Cameracenſi Epiſcopo, proximum ſuum Anteceſſorem miraculis coruſcantem Hadulphum canonizante, habet in ejuſdem Eccleſiæ Chronico Baldricus Epiſcopus Tornacenſis: *Trauvardus lætus, verbo facto ad populum, beati Hadulphi ſolemnia in numero Sanctorum notificavit.* Et de Oberto Leodienſi Epiſcopo ſcribit ad duodecimi ſæculi annum decimum Sigebertus Gemblacenſis: *Sanctus Guibertus fundator Gemblacenſis Monaſterii, quem Deus multis miraculis per annos duodecim clarificaverat, aſſenſu generali Synodi ab Oberto Legienſi Epiſcopo elevatur, cum mirabili concurſu & gaudio populorum.* Et hinc in ſua apud Guilielmum Malmesberienſem Synodo ſtatuit ſanctus Anſelmus: *Ne quis temeraria novitate corporibus mortuorum, quod contigiſſe cognovimus, ſine Epiſcopali auctoritate reverentiam ſanctitatis exhibeat.* Statuit adverſus abuſum, de quo ſcripſit etiam ad Stephanum Diaconum: *Mando vobis, ut eatis in Rumeſci, & præcipiatis Dominæ Abbatiſſæ & Sanctimonialibus ex noſtra parte, ut ſi nolunt me prohibere illis Divinum Officium facere, ex toto prohibeant, ut nullus honor, qui alicui Sancto exhiberi debet, exhibeatur ab illis, aut permittatur ab aliquo exhiberi mortuo illi, quem quidam volunt pro Sancto haberi. Filium autem ipſius mortui propellite a villa, nec amplius converſetur in illa.* Nempe quod ipſe cultum iſtum ſtrenuè promoveret. Eſt vetuſtus fidelis Populi in zelo & pietate exceſſus, de quo in Monaſtica Hiſtoria ſcribit etiam Theodoretus:

Lib 1. cap. 35.

F. 228.

Lib 3. E. 51.

Cap. 3. § *Martiano*, ſanctiſſimo, ſed adhuc viventi Monacho, *multi oratoria multis in locis ædificarunt, victorem illum Athletam ad ſe rapere*, ſeu defunctum apud ſe ſepelire *contendentes. Quod homo Dei cum didiciſſet, admirabilem Euſebium*, ſanctum ſuum Diſcipulum, *rogat, terroris pleno illum adſtringens jurejurando, ut corpus ſuum illo in loco deponat, & ſepulchrum niſi poſt longam annorum ſeriem nemo ſciat præter domeſticos duos cæteris familiariores.* Et Euſebius omninò obedivit, atque ita aliorum Sanctorum Reliquiis ſanctificata fuerunt iſta Oratoria, & Martianus poſt multos demum annos canonizatus. Ex eodem pietatis exceſſu Senonenſis civitas habere dicitur Eccleſiam & Monaſterium ſancti Petri vivi. Erat exceſſus erroribus obnoxius. Etenim Roſimondam, Henrici ſecundi Anglorum Regis pellicem, quod Godeshomenſe Monaſterium inſigniter ditaſſet, à Monialibus & adventante populo cultam fuiſſe ut Sanctam, ideoque ex ſuo intra Eccleſiam ſepulchro projectam ab Hugone Lin-
A. 1198. colnienſi Epiſcopo, ſcribit Joannes Bromptonus Abbas Jornalenſis. Etiam Guilielmum Osberti, hominem inſigniter ſeditioſum, ideoque Regio judicio ſuſpenſum in furca, fuiſſe unà cum ipſo patibulo cultum à Londinenſibus uſque ad armatum Huberti Cantuarienſis Archiëpiſco-
A. 1124. pi interdictum, ſcribunt idem Abbas, Radulphus de Diceto, & Hen-
A. 1196. ricus Cnygtonus, addens de ſimili neſcio quibus quaſi miraculis circumſcripti populi in quendam Joannem, audaciſſimum Judæorum trucidatorem, & ob opima exindè ſpolia à ſuo hoſpite trucidatum,
Lib. 2. c. 13. cultu: *Ridebatur hoc à Prudentibus, ſed tamen gratum fuit Clericis gratia commodorum. Res defertur ad Epiſcopum, qui ſtatim falſi Martyris inſignia profanavit.* Et de Guiberto Antipapa refert in Mariani Scoti ſupplemento Dodechinus Abbas ſancti Diſibodi: *Quidam de fautoribus ejus rumorem ſparſerunt in populum, ad ſepulchrum ejus ſe vidiſſe divina micuiſſe lumi-
A. 1099. naria. Quapropter Paſchalis ſecundus Pontifex, zelo Dei inflammatus, juſſit ut effoderetur, & in Tyberim projiceretur. Quod & factum eſt.* Etiam cujuſdam in ebrietate occiſi neſcio quæ miracula, & impenſum ob illa
Lib. 3. tit. 45. c. 1. cultum damnari ab Alexandro tertio leges apud Gregorium nonum. Omnem enim iniquè occiſum ſimplex plebs olim putabat Martyrem. Et de Bonifacio octavo Pontifice ſcribit Henricus Stero: *Corpus cujuſdam
A. 1302. nomine Armanni, quod viginti uno annis tamquam ſanctum in Eccleſia Ferrarienſi exſtiterat veneratum, fuit exhumatum & combuſtum tamquam damnati Hæretici, & ejus ara pretioſa deſtructa eſt.* Utique juſſu Bonifacii. Adverſum ſimiles abuſus neminem deinceps defunctum niſi ex Epiſcopali auctoritate coli ſtatuit ſanctus Anſelmus, & in laudato Gregorii noni Capitulo Alexander tertius confirmavit.

Verùm

Verùm & Epiſcopi quandoque exceſſere modum, atque errarunt. Etenim in ſancti Martini vita ſcribit Sulpitius Severus: *Erat haud longè ab oppido Turonenſi proximus Monaſterio locus, quem falſa hominum opinio velut ſepultis ibi Martyribus ſacraverat. Nam & altare ibi à ſuperioribus Epiſcopis conſtitutum habebatur.* Verùm quod Martyris nomen & tempora eſſent obſcura, hæſit, inquiſivit, defunctumque tandem adjuravit ſanctus Martinus, & mox apparens ſordida umbra *Nomen edixit, de crimine confeſſa eſt, latronem ſe fuiſſe, ob ſcelera percuſſum, vulgi errore celebratum, ſibi nihil cum Martyribus eſſe commune, cùm illos gloria, ſe pœna retineat.* Et de ſancto Cyrillo Patriarcha Alexandrino, Ammonium Monachum populari ſeditioni mixtum & ibidem occiſum canonizante, ſcribit Socrates: *Cyrillus cùm in Eccleſia magnitudinem animi Ammonii, utpote grave certamen pro pietate perpeſſi, laude & prædicatione extuliſſet, juſſit Martyrem appellari. Verùm qui modeſtiores erant, etiam de ipſis Chriſtianis, Cyrilli ſtudium erga Ammonium minimè approbarunt. Nam exploratum habebant Ammonium non in tormentis interiiſſe, ne Chriſtum denegare cogeretur, ſed temeritatis ſuæ pœnas dediſſe. Quocircà Cyrillus ipſe illud ipſius facinus ſilentio in oblivionem pedetentim venire paſſus eſt.* Neque enim pro Chriſto Domino, ſed pro temporali Alexandrinæ Eccleſiæ principatu fuerat mota ſeditio, & fœdè pugnatum. Etiam Juſtinianum Auguſtum, de cujus æterna ſalute ob defenſam incorruptibilium hæreſim meritò dubitat univerſa Chriſtianitas, dudum fuiſſe ab Epheſina & Conſtantinopolitana Eccleſia cultum & canonizatum teſtatur Nicephorus Calixtus. Joannem item Caſſianum Maſſilienſis, & Epiſcopum ſuum Luciferum Sanctorum tabulis adſcripſit Eccleſia Calaritana. Et de Photio Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ mœcho ſcribit in ſancti Patriarchæ Ignatii vita Nicetas Paphlago: *Baſilio Imperatori filius & cariſſimus & natu maximus Conſtantinus eſt ereptus, quem audax Photius in gratiam Imperatoris per ſe* ſine Synodo *in Sanctorum cenſum relatum Templis & Cœnobiis ad aucupandam hominum gratiam colere nihil eſt veritus.*

Cap. 8.

Lib. 7. cap. 14.

Ad hos errores & errorum pericula evitanda Alexander tertius emiſit ſalubre Edictum, laudatum ab incogniti Scriptoris Hiſtorica compilatione: *Hic Papa conſtituit ut nullus novus Sanctus in veneratione haberetur, niſi ex auctoritate Apoſtolica, & niſi ſit canonizatus, à Papa tamen. Ante quilibet Epiſcopus ſuum Sanctum ſolemniter canonizavit.* Non ſoli populo, ſed etiam quibuſcumque Epiſcopis canonizandi poteſtatem deinceps interdixit. Decretum exſtat in Romano Bullario. Nec ſine fundamento. Etenim litteræ, quibus Secundus Tigiſitanus Epiſcopus ac Nimidiæ Primas factus in Provincia ſua perſecutiones & variorum Martyria Menſurio

A. 1174.

ſurio

ſurio Carthaginenſi Epiſcopo ac totius Africanę Diœceſios Primati retulit, & glorioſa in ipſis morte perfunctos uti Martyres honorari, ſeu canonizari commendavit, lectæ fuerunt in Carthaginenſi collatione, ipſarumque compendia retinemus apud ſanctum Auguſtinum in dictæ
Lib. 3 Collationis Breviculo. Ex ipſis lucet non quoſvis in Africa Epiſcopos,
cap. 13. licet Provinciarum Primates, potuiſſe canonizare, ſed eminentem hanc facultatem Primatiali Carthaginenſium ſedi fuiſſe reſervatam. Quapropter longè potiori jure ipſam ſibi reſervare potuit Sedes Romana.

Attamen laudato Alexandri Decreto ubique non fuit ſtatim obeditum. Etenim ad quarti decimi ſæculi annum ſeptuageſimum tertium ſcribit Chronicon Epiſcoporum Mindenſium: *Eodem anno ſanctus Felicianus Epiſcopus miraculis coruſcare cæpit, & ideò Epiſcopus Wedekindus feſtum ejus per totam Diœceſim Mindenſem celebrari inſtituit.* Quidam tamen exiſtimant inter beatificationem & canonizationem ſemper fuiſſe diſtinctum, & hanc ſolam ab Alexandro tertio Apoſtolicæ Sedi fuiſſe reſervatam. Et certè inter duo iſta judicia eſt hodie duplex & grande diſcrimen. Beatificatio eſt dumtaxat interlocutio, uni dumtaxat Eccleſiæ, Provinciæ, Regno, aut Regulari ordini impartiens colendi defuncti facultatem; At verò canonizatio eſt pro univerſa Eccleſia tale judicium irretractabile atque definitivum. Et hinc olim, dum pro ſua dumtaxat Parochia canonizare poterat quiſque Epiſcopus, exiſtimo diſtinctionem iſtam non fuiſſe. Sic enim ipſorum nullus canonizare potuiſſet. Quidquid ſit, etiam beatificationem Romana Eccleſia ſibi jam pridem meritò reſervavit. Sanctus Bernardus, ſancti Malachiæ Dunenſis in Hibernia Epiſcopi cantans exequias, miſſam incæpit de *Requiem*, & quaſi extra ſe abreptus Collectam cantavit de ſancto Pontifice & Confeſſore: Adſtantium admonitu ad ſemetipſum reductus recantare noluit, ſed Miſſam non pro Defunctis, ſed de ſancto Malachia peregit, affirmans eſſe omninò ſanctum, atque ita ipſum quaſi canonizavit. Spiritus ſancti opus hoc manifeſtè fuit, ideoque tales, licet nec à Pontifice nec ab Epiſcopis factas, canonizationes Eccleſia numquam improbavit. Verùm opus eſt gratiâ & ſpiritu diſcretionis.

Et quidem Romana Eccleſia Synodale examen huic judicio ſemper impendit. Quod ſanctum Udalricum, Auguſtanæ in Vindelicis Eccleſiæ Epiſcopum, non ſolus, ſed cum ſua Patriarchali Synodo canonizarit Joannes decimus quintus, lucet ex canonizationis diplomate,
Lib. 1. ac præſertim ex Chronico laudatæ Eccleſiæ. Et Benedicto Rempeſle-
cap. 11. gienſi Abbati, Guolgoſium Anteceſſorem ſuum canonizari poſtulanti, faciliter concedi non poſſe reſpondit Urbanus ſecundus, addens cauſam:

Digitized by Google

ſam: *Non enim Sanctorum quiſque debet Canonibus admiſceri, niſi & teſtes adſint, qui ejus miracula viſa ſuis oculis atteſtentur, & plenariæ Synodi firmentur aſſenſu.* Exſtat Epiſtola apud fratres Sammarthanos in Gallia Christiana. Etiam Ulricus Conſtantienſis in Germania Epiſcopus, ſanctum Conrardum Anteceſſorem ſuum canonizari ſupplicans, *ad crebras ſuas litteras hoc immutabilis ſententiæ Reſponſum accepit* à Romana Eccleſia, *vitam ejus in Concilio recitandam & comprobandam fore generali.* Exſtant hæc in Chronico Eccleſiæ Conſtantienſis. Egilberto item Bambergenſi Epiſcopo, ejuſque Canonicis, Fundatorem ſuum ſanctum Henricum Imperatorem canonizari flagitantibus, repoſuit Eugenius tertius: *Hujuſmodi petitio niſi in generalibus Conciliis admitti non ſolet.* Exſtat Epiſtola in vita ſancti Henrici, publicata per Jacobum Gretzerum. Et ſanctum Eduardum Anglorum Regem ad Henrici ſecundi Regis preces canonizans Alexander tertius ſcribit in diplomate: *Negotium tam arduum & ſublime non frequenter ſolet niſi in ſolemnibus Conciliis de more concedi.* Dicit, *Non frequenter:* Quod Eugenius tertius ſanctum Henricum de poteſtatis plenitudine canonizaſſet ſolus in ſuo Conſiſtorio, uſus hoc fundamento, quod *Romanæ Eccleſiæ auctoritas ſit omnium Conciliorum firmamentum.* Et certè ipſe primus legitur ita canonizaſſe. Quem in ſancto Eduardo, & ſancto Thoma Cantuarienſi Alexander tertius, & in aliis Sanctis canonizandis alii Pontifices ſunt deinceps imitati. Etiamnum tamen hodie numquam cum ſuo ſolùm Conſiſtorio, ſed ſemper cum ampla inſuper omnium in urbe tunc repertorum Epiſcoporum Synodo Dominus Papa conſuevit canonizare. Modum exponit apud Philippum Labbé Rothomagenſis Eccleſiæ Chronicon: *Beatus Laurentius quondam Dublinienſis Archiepiſcopus à Domino Papa Honorio tertio, probatis per teſtes omni exceptione majores ſignis & virtutibus, quas per illum Dominus operari dignatus eſt, & convocatis Cardinalibus, & omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis & omnibus aliis qui in Curia præſentes aderant, canonizatus eſt ſolemniter, omnibus approbantibus, & Deum collaudantibus, qui in ſanctis ſuis ſemper eſt mirabilis, & in Catalogo Sanctorum Confeſſorum ſcriptus.*

Tom. 4. Ep. 24. A. 1225.

Per oculatos teſtes probata miracula meritò requiſivit Urbanus ſecundus. Hinc duos Cardinales, qui in canonizandi ſancti Imperatoris Henrici miracula inquirerent ab ejuſmodi teſtibus, Eugenius tertius legavit in Germaniam. Agitur enim hic de declarando occultiſſimo in defunctum hominem divino judicio: Quod ſine divina, quæ paſſim per miracula fit, atteſtatione non poſſe fieri, eſt manifeſtum. Miracula ſunt Divinæ Majeſtatis ad nos loquela. Calixto tamen ſecundo, talia ad ſanctum Conrardum Conſtantienſem Epiſcopum canonizandum requi-



Digitized by Google

renti, rectè reſpondit ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus Ulricus: *Operam dedi ex Patrum ſchedulis hujuſ viri digniſſimam Deo converſationem potius quam miracula, quæ nonnumquam reprobis cum Sanctis communia ſunt, continentibus ſequens opuſculum colligere, veſtræq; Sublimitati examinandum dirigere.* Sancta enim uſque ad finem vita eſt inter omnia miracula ſupremum. Et hinc quibuſdam ad ſancti Rudolphi Eugubini Epiſcopi ſanctitatem credendam quærentibus miraculorum teſtimonia reſpondit in litteris ad Alexandrum ſecundum Pontificem ſanctus Petrus Damiani:

Ep. 19. *Qui miraculum quæris, nonne tibi videtur eſſe mirabile, hominem adhuc fragili carne circumdatum Angelitus vivere, adeò ut inter quamplurima hominum millia vix unum ejus ſimilem valeas reperire?* Adeò ad ſanctitatem affirmat non requiri miracula, ut etiam ipſi Sanctorum omnium ſupremi, Virgo Deipara ac Baptiſta Præcurſor, nullum in ſua vita patrarint. Quis neſciat ſanctorum Apoſtolorum miracula, inter quæ & fuerunt mortui ſuſcitati? Puellis tamen perpetuam Virginitatem, & adoleſcentibus per ipſos perſuaſam continentiam fuiſſe miraculum longè amplius affirmat ſanctus Athanaſius in Epiſtola ad Dracontium. Qua virtute Chriſtiani Baptiſmatis balneum perditiſſimos etiam ganeones ac lenones ſubitò transferret in eximia probitatis exempla, olim Gentiles non poterant capere. Eos enim videbant non dementari. Neſcio quam ferociſſimam mulierem ſanctus Malachias Dunenſis Epiſcopus fecit manſuetiſſimam: Fuiſſe ſuſcitato mortuo miraculum majus aſſerit in ejus vita ſanctus Bernardus. Longè adhuc majus miraculum eſt hæc non in alio, ſed in ſemetipſo operari, & ad vitæ uſque finem cuſtodire. Quare de Malcolino, adoleſcente adhuc Scotorum Rege, per formoſiſſimas à propria etiam Matre immiſſas puellas tentato frequenter, ac ſemper in-

Lib. 1. victo, rectè ſcribit Guilielmus Neubrigenſis: *Dicant quod voluerint*

Cap. 25. *veneratores ſignorum, & ex miris merita metientes, & ex ſola ſignorum claritate Sanctitatis titulum tribuentes; planè ego illud in Rege juvenculo ſic impugnata, ſed inexpugnata integritatis miraculum cenſeo præferendum non ſolùm illuminationi cæcorum, ſed etiam ſuſcitationi mortuorum.* Hocce ſancti

Cap. 26. Fulgentii Ruſpenſis Epiſcopi dictum, *Mirabilia non conferunt homini juſtitiam, ſed hominum notitiam*, meritò laudatur à Ferrando Carthaginenſi Diacono: Eſt enim veriſſimum. Hinc ubi de eminenti & eximia defuncti juſtitia conſtiterit Eccleſiæ, etiam ſine miraculorum teſtimonio procedere poſſit, & quandoque proceſſit ad canonizationem. Præſertim Martyrum. His enim à Chriſto Domino facta eſt ſingularis promiſſio, ideoque profeſſam in carcere fidem, & conſtantem pro ipſa mortem eſſe conſummatam ipſorum gloriam ſeu juſtitiam ſcripſit ſan-



Digitized by Google

ctus Cyprianus, & aliud nihil ad ipſorum requiſivit canonizationem. Hinc item de Menſurio Carthaginenſi Archiëpiſcopo ſcribit in Collationis Carthaginenſis Breviculo ſanctus Auguſtinus: *In litteris*, utique Menſurii ad Secundum Tigiſitanum Epiſcopum, *lectum eſt eos, qui ſe offerrent perſecutionibus non comprehenſi, & ultrò dicerent ſe habere ſcripturas quas non traderent, à quibus hoc nemo quæſierat, diſplicuiſſe Menſurio, & ab eis honorandis eum prohibuiſſe Chriſtianos. Quidam etiam in eadem Epiſtola facinoroſi arguebantur, & fiſci debitores, qui occaſione perſecutionis vel carere vellent oneroſa multis debitis vita, vel purgare ſe putarent & quaſi abluere facinora ſua, vel certè acquirere pecuniam, & in cuſtodia deliciis perfrui de obſequio Chriſtianorum.* Veros à falſis, & certos ab incertis Martyribus diſcernebat Menſurius, & ſolos hos, quos juxta Evangelicam legem fuiſſe comprehenſos, confeſſos, ac defunctos comperiebat, ſine miraculis canonizabat. Et hac ſola diſcretione quoad Martyres eſt opus. Lib. 3. cap. 13.

Porrò non quævis, licet miraculis illuſtrata, juſtitia ad canonizationem ſufficit: Eſſe debet eminens, & ab omni etiam famæ nœvo immaculata. Etenim Conſtantinum Magnum, quem ob ſumma in Rempublicam ac Eccleſiam merita Romanus Senatus receptum in cælos variis poſt mortem picturis eſt proteſtatus, quem item in ſolemnes Sanctorum tabulas accepit omnis Orientalis Eccleſia: Hunc, inquam, Conſtantinum in laudatas tabulas numquam admiſit Latina Eccleſia, quod is ſub vitæ finem vafris Euſebianæ criminationis artibus circumductus, licet nullo pacto Orthodoxam fidem, ejus tamen defenſorem ſanctum Athanaſium malè tractaſſet. Aurelii Carthaginenſis Archiëpiſcopi in Africanam Eccleſiam ſingulariſſima merita, vitamque verè Epiſcopalem quis ignoret? Ipſum tamen, quod adverſum Romanas appellationes & Sardicenſes Canones pertinaciter quaſi pro ſuæ Diœceſios juribus litigaſſet, Sanctorum numero Apoſtolica Sedes numquam adſcripſit. Adverſum Romanæ Eccleſiæ exactiones, & Apoſtolicas Eccleſiaſticorum beneficiorum reſervationes durè olim recalcitravit Robertus Lincolnienſis Epiſcopus: Etenim excommunicatus Innocentium quartum Pontificem appellavit ac evocavit ad Divinum Tribunal, evocatioque à quibuſdam dicitur accepiſſe effectum. Quidquid ſit, ſcribit Henricus Cnyghtonus: *Hac de cauſa, quamvis Robertus perſpicuis effulgeret miraculis, non eſt permiſſus canonizari.* Quod ipſum latè exponit Matthæus Pariſienſis, addens etiam Sevallum Eboracenſem Archiëpiſcopum fuiſſe eadem de cauſa excommunicatum ab Alexandro quarto, appellaſſe item ad Divinum judicium, & tamquam Martyrem in ipſo mortis Lib. 2. cap. 16.

lecto miraculis coruſcaſſe. Hanc enim Eccleſiarum libertatem armatâ manu vindicandam, omneſque in tali bello occiſos fore Martyres prædicarat memoratus Epiſcopus Robertus. Et hinc illos, quorum corpora apud nos fulgent miraculis, & animæ torquentur in purgatricibus flammis, poſſe canonizari aut umquam fuiſſe canonizatos, non facilè credidero. Quo uſque purgantur eminentium etiam Sanctorum animæ, conſuerunt etiam corpora à miraculorum gratia ſuſpendi. Quod enim ſanctus Ragnebertus ante lapſos ſeptem acceptæ, & ante mortem nondum completæ pœnitentiæ annos nullo miraculo inclaruerit, ejus apud Franciſcum du Cheſne vita teſtatur. Adverſa exempla ſunt omninò nulla aut rariſſima. Quod enim de ſancto Severino Colonienſi Epiſcopo adducitur à ſancto Petro Damiani, eſt apocryphum, nullo antiquitatis authentico teſtimonio adjutum. Unici Paſchaſii, Romanæ Eccleſiæ Diaconi, tunicam apud nos purgaſſe Energumenos, & animam in pœnis fuiſſe purgatoriis ſcribit in Dialogorum libris ſanctus Gregorius Magnus. Verùm ille non erat canonizatus. In Laurentiano adverſus Symmachum Pontificem Schiſmate fuerat pertinaciter mortuus, ideóque credebatur & damnatus. Verùm quia magnis eleëmoſynarum meritis fuerat illuſtris, *& quia non malitia, ſed ignorantiæ errore peccaverat, purgari poſt mortem à peccato potuit.* Aliud ſimilium miraculorum non ſcio exemplum. Singularem Paſchaſio factam gratiam Divina Majeſtas miraculo demonſtravit. De cunctorum igitur, quos umquam canonizavit Romana Eccleſia, cæleſti beatitudine non eſt ambigendum.

Lib. 4. cap. 40.

Sanctorum cultum ac invocationem omninò impugnaverunt è veteribus Hæreticis quidam, ſed nullus canonizationem. Primus id attentavit neſcio quis in Anglia Guilielmus, quem Thomas Waldenſis appellat Magiſtrum Joannis Wicleffi. Aſſeruit is ſolùm ſine generali Synodo Pontificem non poſſe canonizare. Notat Eugenium tertium, & plures ejus Succeſſores. Verùm apud Henricum Cnyghtonum exſtat longè pejor Joannis Wicleffi Articulus: *Quòd feſta Sanctorum, ſcilicet Stephani, Laurentii, Margaretæ, Catharinæ, & aliorum, non ſunt colenda neque celebranda, eo quod neſcitur, ut dicunt, utrum ſint damnati, vel non. Nec credendum eſt, neque ſtandum eorum canonizationi, & approbationi dictorum Sanctorum per Curiam Romanam in hac parte.* Ait canonizationem fieri non poſſe niſi à ſolo Deo, ideoque ſolos in ſacris litteris canonizatos eſſe nobis habendos pro Sanctis. Addit Papam hic non plus poſſe, quàm poſſit Presbyter Joannes Abyſſinorum, aut Saracenorum Soldanus. Etenim & canonizandi vita poſſit uſque ad mortem fuiſſe hypocritica, & miracula queunt eſſe illuſio & præſtigiæ, & ipſorum

Lib. 3. cap. 122.

Lib. 5. F. 2708.

ſorum teſtes poſſint decipi vel mentiri, ideoque hæc omnia incerta ſunt, & ipſum etiam Papam citra divinam revelationem non poſſint certificare. Ejuſdem ex Trialogo verba adducit laudatus Thomas Waldenſis, & copiosè refutat. At miror, cur de ſancti etiam Stephani, quem ſacræ Apoſtolicorum actuum litteræ palàm canonizant, finali juſtitia & ſempiterna gloria Wicleffus dubitet. Circa Sanctam item, quam Anglia ſemper religioſiſſimè coluit, Catharinam imitari potuerat diſcipulum ſuum Joannem de Montagu, de quo omnes Sanctorum imagines dejiciente ſcribit Thomas Monachus Walſinghamenſis: *Unum ſolummodò privilegium adepta eſt imago beatæ Catharinæ, quam in priſtinum locum deferri permiſit, quia plures illi afficiebantur.* C. 122. F. 328.

An porrò ſeu per ſolum Pontificem, ejus Patriarchalem Synodum, aut etiam per totum Chriſtianitatis Concilium canonizans Eccleſia falli poſſit ac labi, diſputatur à Catholicis etiam Doctoribus, & aliqui conſtanter affirmant. Etenim Theodori Mopſveſteni Epiſcopi non ſolùm ſcripta, ſed etiam perſonam damnavit & anathematizavit quinta generalis Synodus, ipſamque erraſſe conſtanter & dudum cenſuit omnis Occidentalis Eccleſia. A quo ſenſu numquam exceſſerunt Hiſpani, ideoque ſexta apud nos Synodus & illis dumtaxat quinta. Idem ſemper tenuit Theodelinda Longobardorum Regina, & cum ipſa diſſimulavit Gregorius magnus, edicens quatuor prima generalia Concilia eſſe veneranda tanquam quatuor Evangelia, quintam autem Synodum, ac etiam poſteriores Chalcedonenſis Synodi actiones confitens non eſſe tantæ auctoritatis, quòd in illis actum ſit non de fide, ſed de perſonis. Etiam ſextam, ſeptimam, & octavam Synodos, quæ Honorium primum Pontificem anathematizarunt uti Monothelitam, erraſſe conſtanter tenet hodie, ſemperque tenuit Romana Eccleſia. *Canonizatio*, inquit Thomas Waldenſis, *eſt Canonicum, ſeu ſecundùm Canones prolatum judicium, quo hunc vel illum hominem Eccleſia fidelium populis prædicat eſſe colendum.* Eſt non de fide, ſed de perſona & ejus factis judicium, ideoque Eccleſia in ipſo poſſit errare. Canonizare eſt Sanctorum ſacris faſtis inſcribere: Errari hic autem poſſe docet nupera Romani Martyrologii purgatio, quæ plures Donatiſtarum ac aliorum Hæreticorum falſos Martyres meritò expunxit. Et Gregorii ſeptimi Pontificis exceſſus enumerans Cardinalis Benno ſcribit: *Hildebrandus ut Liberii Pontificis feſtum celebraretur inſtituit. Hoc Præcepto ejus Hæreſim firmavit, qui ex laudabilibus meritis damnabiles exitus habuit.* Omnium uſque ad Siricium antiquorum Pontificum feſta Romano Breviario inſeruit, adeoque ipſos canonizavit Gregorius: Benno affirmat ipſum erraſſe in Liberio, ut-

potè qui fuerit Arianus. Et revera illum ſuo Breviario jampridem Romana Eccleſia ſubtraxit. Quinimò in ſancti Euſebii Presbyteri feſto dudum legit & cantavit: *Beatus Euſebius Presbyter, cum præſente Conſtantio fidem Catholicam conſtantiſſimè defenſaret, & Liberium Papam doleret Arianæ perfidiæ conſenſiſſe, ab irato Conſtantio Imperatore Ariano includitur in quodam cubiculo domus ſuæ, habente in longitudine pedes quatuor, &c.* A paucis annis expuncta eſt iſta lectio, ac etiamnum hodie manet in Martyrologio Adonis. Et in opere Eccleſiaſticorum rituum expoſitorio, quod Leoni decimo dedicavit, ſcribit de canonizandi forma Chriſtophorus Marcellus Archiëpiſcopus Corcyrenſis: *Pontifex, antequam canonizationis* judicium *pronuntiet, conſuevit proteſtari. Quod invenimus ſervatum à multis Pontificibus. Sunt tamen aliqui clariſſimi viri, qui dicunt hoc introductum ex quadam cauſa quæ nunc ceſſat, quia Papa tunc quodammodo cogebatur ad canonizandum quendam contra ſuam opinionem, & proptereà proteſtabatur. Nunc autem non videri congruam illam proteſtationem. Sed de hoc ſtatuat Summus Pontifex, & Sacer Senatus.* Hæc fuit proteſtationis formula: *Antequam ad pronuntiationem veniamus, proteſtamur publicè apud præſentes, quod per hunc actum canonizationis non intendimus aliquid facere quod ſit contra fidem, aut Catholicam Eccleſiam, ſive honorem Dei.* Quæ proteſtatio palàm ſupponit errandi poſſibilitatem.

Reſpondeo Honorium Pontificem à ſexto Concilio non uti Hæreticum, ſed dumtaxat uti illum, qui Hæreſi præbuerat negligentiæ fomenta, fuiſſe damnatum. Pluribus id oſtenſum eſt in Scholiis ad ſextam Synodum. Quidquid ſit, aliud eſt canonizationis, aliud anathematizationis judicium. Hoc fit ex ſolis defuncti Doctoris ſcriptis, de quibus in libro de utilitate credendi rectè dixit ſanctus Auguſtinus: *Quibus argumentis abſentis vel mortui hominis voluntatem ita colligam, ut de illa jurare poſſim?* Hinc etiam anathematizatio eſt ſpecies Eccleſiaſticæ cenſuræ, in qua generalem quoque Synodum confiteor poſſe falli. At verò canonizatio ex authenticis ac legitimè probatis, quæ nonniſi per divinam Omnipotentiam fieri poſſe credimus, miraculis fit, eſtque definitivum de totius Chriſtianitatis diſciplina judicium, in quo Eccleſiam, licet per ſolum Pontificem judicarit, hucuſque ſcimus non fuiſſe circumſcriptam, & protegente Deo ſperamus uſque ad ſæculi finem non circumſcribendam. Aliud item eſt Romanum Martyrologium, aliud falli canonizationem: Martyrologio etiam olim canonizati inſeruntur, qua in re falli poſſit & Pontifex, & errorem habere pro veritate. Eadem eſt ratio de inſertione in Romanum Breviarium. Certè ſancti Ambroſii, qui in tertio de Virginibus libro Liberium ho-

Cap. 5.

norat

norat titulo *Beatæ memoriæ*, judicium Gregorius ſeptimus eſt ſecutus. Ejuſdem Ambroſii, ſancti Athanaſii, Marcellini, & Fauſtini Romanorum Presbyterorum, Theodoreti, Hermiæ Zozomeni, aliorumque de Liberio ac ejus etiam poſterioribus actis fida teſtimonia evincunt fuiſſe virum eximiè ſanctum. Nullo modo Arianum, ſed ſcabioſâ dumtaxat Euſebianorum communione fuiſſe pollutum poſſit lucidè oſtendi. Et hinc adducta de ſancto Euſebio Presbytero lectio fuit ex Romano Breviario quàm optimè expuncta. Ob dictam communionis maculam etiam Liberii feſtum expunctum fuit. Gregorii tamen ſeptimi, quidquid maledicus Benno blaterarit, judicium numquam damnatum aut exufflatum.

Hac etiam in Synodo Dominicus Gradenſis, ſeu novæ Aquileiæ Patriarcha ſuas adverſus Forojulienſem Eccleſiam querelas expoſuit, obtinuitque totius Hiſtriæ ac Venetiæ Primatum. Italia à Conſtantino magno diviſa fuit in duas Diœceſes: Urbicariam, & Italicam. Prior decem Provincias, & caput habuit Romam; poſterior Provincias ſeptem, ac Metropolim Mediolanum. Alii tamen dignitatem hanc adſcribunt Aquileiæ, volentes fuiſſe ſecundam totius Italiæ civitatem. Ut ut ſit, Eccleſia nullum ibi habuit Hierarchicum Primatem, ſed Mediolanenſis ac Aquileienſis, itemque Sardorum Metropoles fuerunt ſorores: Antiquis in Synodis nunc hujus, nunc illius Antiſtitem pro varia acceptæ conſecrationis ætate legimus priori loco ſediſſe. Ita fuit uſque ad trium Capitulorum è quinta Synodo natum Schiſma, pro cujus pertinaci tutela Mediolanenſis Eccleſia & Paulinus Aquileienſis Archiëpiſcopus conjurarunt, atque ita hic, quaſi per Chalcedonenſis Synodi prævaricationem periiſſet Romana Eccleſia, à Schiſmaticis vocari cœpit reſtantis in Italia Chriſtianitatis Patriarcha. Hinc ſchiſma illud, quòd Hiſtriæ Metropolita eſſet ejus caput, dictum fuiſſe Hiſtrium, frequentiſſimè habes in Epiſtolis Gregorii Magni. Ab ipſo Apoſtolo Petro erectam, ac ſancto, qui inde magnam Ægypti Alexandriam tranſiit, Marco Evangeliſtæ fuiſſe traditam Aquileienſis Eccleſiæ Cathedram, ideoque eſſe ac ſemper fuiſſe Patriarchalem & Apoſtolicam, ac ejus Epiſcopum Romano Pontifici proximum aſſediſſe in Romanis Conciliis, ſcripſit ad Petrum Antiochiæ Patriarcham Dominicus Gradenſis, dignitatem ſuam neque ſpuriam eſſe neque heſternam conatus perſuadere. Et prima pars eſt omninò vera. Verùm ad poſteriorem Petrus rectè repoſuit: *Cum ab infantia ad ſenectutem uſque ſacris litteris initiatus ſim, earumq; lectioni ſedulus incubuerim, numquam ab illis didici ad hæc uſque tempora, Aquileienſem aut Venetum Antiſtitem Patriarcham nuncupari. Quinque enim in uni-*

*univerſo terrarum orbe à divina gratia ordinati ſunt Patriarchæ: Romanus, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus.* Et de Lugdunenſi Innocentii quarti Concilio habent Acta Synodalia: *Ex Domini Papæ oppoſito tres Patriarchæ ordinati fuerunt, videlicet Conſtantinopolitanus, Antiochenus, Aquileienſis, de quo tertio ſcandalum eſt exortum, ex quo, ut alii Patriarchæ dicebant, ſedere non debebat juxta eos, cum non eſſet de quatuor Patriarchis, & deſtructa eſt ejus ſedes, & tandem, ut vitaretur ſcandalum, de voluntate Domini Papæ, ut creditur, refecta eſt.* Etenim Sergius primus, dum Hiſtrii Schiſmatis Epiſcopos reduxit ad Eccleſiæ unitatem, vacuum Patriarchæ nomen Aquileienſi ob diſpenſatorium pacis amorem dereliquerat. Quin & ab ipſis, qui ejus ſedem Lugduni dejecerunt, Græcis Ternobi Epiſcopum, primæ Juſtinianæ Archiëpiſcopo & Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjectum, quòd inter Theodorum Laſcarim Juniorem Auguſtum & ſuam Conſanguineam Helenam, Joannis Aſani Bulgarorum Regis filiam, nuptias atque ita firmam Imperii pacem conciliaſſet, & Imperatorio & Synodico Decreto fuiſſe Patriarchæ nomine & honore donatum ſcribunt Nicephorus Gregoras, Georgius Acropolita, & Ephremius Conſtantinopolitanus. Hanc regulam etiam in Aquileienſi tolerandam cenſuit Innocentius quartus.

Paulino Aquileienſi Epiſcopo ſucceſſerunt Elias ac Severus, de quo
Lib. 18. in Eutropii appendice Paulus Diaconus: *His diebus defuncto Severo Patriarcha, ordinatur in ejus locum Joannes Abbas Patriarcha in Aquileia vetere, cum conſenſu Agilulfi Regis & Giſulfi Ducis Forojulienſis. In Grados quoq; ordinatus eſt à Romanis Candidianus Antiſtes. Candidiano verò defuncto, apud Grados ordinatur Patriarcha Epiphanius, qui fuerat Primicerius Notariorum, ab Epiſcopis qui erant ſub Romanis. Et ex illo tempore cœperunt eſſe duo Patriarchæ.* Severum ad ejerandum Schiſma induxerat, relapſumque denuò reparare multis viis tentaverat Gregorius Magnus: Fruſtra quidem, laudatam tamen ejerationem conſtanter ſervabant aliqui Comprovinciales Epiſcopi, atque ita in Orthodoxos ſeu Romanos, ac in Schiſmaticos Capitulorum defenſores Provincia manſit diviſa. Hinc ipſam in duas poſt Severi mortem ſecuit, novumque Metropolitam Gradenſi in civitate poſuit Gregorius, laudatus à Joanne Dia-
Lib. 4. c. 38. cono: *Severus, quia ad unitatem ſanctæ univerſalis Eccleſiæ redire non meruit, ad ſcindendam quoq; ſuæ ipſius Diœceſios unitatem Romanum Pontificem ſuâ vecordiâ ſuſcitavit. Adeò ut ab ipſo illius obitus tempore Aquileienſis Diœceſis in duos Metropolitanos, Catholicorum videlicet & Schiſmaticorum, diviſa ſit, neque potuit poſtmodum, licet omnes generaliter ad unitatem de Schiſ-*

Digitized by Google

*Schiſmate repedaverint, ad priſtina conjunctionis unionem uſque hactenus reformari.* Rem inſigniter elucidat in libris de Italiæ Regno Carolus Sigonius: *Mortuus eſt Severus Patriarcha Aquileienſis. Poſt Longobardorum in Italiam adventum Aquileienſis Antiſtes, relicta Aquileia, Gradum tenuerat, atque unus ipſe omnibus Epiſcopis Venetiæ Hiſtriæq; præfuerat. Ab hoc tempore duo Patriarchæ fuerunt: Unus qui Aquileiam, alter qui Gradum inſedit. Huic inſtituto cauſam attulere Longobardi. Giſulfus enim Dux Foro-Julienſis, Chriſtianâ Religione ſuſceptâ, vetus ditioni ſuæ dignitatis hujus faſtigium quærens, ſacros honores novo exemplo diſtribuere auſus, Joannem Abbatem per Clerum Aquileienſis Eccleſiæ deſignandum Patriarcham curavit. Contra verò Gradenſis Clerus Candidianum elegit. Diſſidio pernicioſi in futurum exempli oborto, res Romam delata eſt: Pontifex Joanne rejecto, Candidianum probavit, eumq; Pallio exornavit. Neque eo ſecius Giſulfus ſuum Patriarcham retinuit.* Hinc ipſarum Eccleſiarum conſecuta eſt diviſio. Aquileienſi paruerunt omnes Epiſcopi, qui erant in continenti Venetia ſub Longobardis: Qui Æſtuaria & Hiſtriam ſub Romano Imperio incolebant, reſpexerunt ad Gradenſem. Sanè quod Agilulfus Longobardorum Rex etiam Mediolanenſibus Epiſcopum nominare atque intrudere tentaverit, lucet ex ſancti Gregorii litteris ad iſtius Eccleſiæ Clerum. Porrò Joannes Giſulfi Electus, quod Gradi ſedere non poſſet, ad Julii forum, Longobardorum iſtic Metropolim, ſeſe cum ſede ſua tranſtulit, dici cæpit Foro-Julienſis Patriarcha, & antiquum Schiſma fovere adverſus Eccleſiam Romanam. Sub prima adhuc Gentilium ac penitùs barbarorum Longobardorum irruptione Paulinus Epiſcopus Aquileia ad Gradi Inſulam aufugerat cum omni Eccleſiæ Theſauro, ejuſque Succeſſor Elias à Pelagio ſecundo Pontifice Epiſcopalem Cathedram, ſecuritatis gratiâ, illic firmari impetravit. Exinde Gradum dici cæpit nova Aquileia. Et ita dicitur hac etiam in Synodo à ſancto Papa Leone. Hæc omnia mutare, & Cathedram in antiquam Aquileiam reducere tentavit Giſulfus, ita ſperans etiam Catholicos cum ſuis civitatibus & populis Epiſcopos ſibi conciliandos. Verùm in ſua aſtutia captus eſt: Eum averſati Gradenſes redierunt ad ſancti Petri Aſylum & Romanam Eccleſiam, ſibique Catholicum Epiſcopum elegerunt. Ex Joannis Diaconi verbis lucet à Sergio primo Pontifice, qui omnes reduxit ad Matrem Catholicam, etiam Diœceſanæ unitatis reparationem, ſed irrito conatu, fuiſſe tentatam. Nam uterque ſe non ſolùm ut Patriarcham geſſit, ſed & inſigniter digladiari cæperunt, quis ipſorum videretur eſſe major? Primum bellum à Sereno Foro-Julienſi & Donato Gradenſi Patriarchis motum fuit coram Gregorio ſecundo,

Lib. 2. c. 605.

Lib. 8. Ep. 65.

cundo, qui poſt audita partium fundamenta pallium miſit Sereno, & rigidè mandavit ne Gradenſem ſibi ſubjugare, aut ejus fines tentaret invadere, ſed contentus eſſet Eccleſiis hucuſque habitis in Longobardorum gente ſeu Fori-juliani Ducatu. Quam ſententiam etiam Gregorius tertius confirmavit. Sedes quippe Apoſtolica, quòd ipſa Epiſcopalem Cathedram Aquileia tranſtuliſſet Gradum, quod item Gradenſis Eccleſia dudum ante Foro-Julienſem rediiſſet ad unitatem, iſti potius quàm huic ſemper ſtuduit & favit. Eam duxit eſſe Matricem. Verùm Foro-Julienſis adeò non depoſuit animos, ut Poppo Patriarcha, de ſancti Henrici Imperatoris gratia, & Urſi Gradenſis Patriarchæ, ejuſque fratris Dominici Flabanitii Ducis Veneti, à ſuis ſeditiosè pulſorum, humilitate fretus, Gradenſem civitatem invaſerit armatâ manu, ejuſque Eccleſiam ſibi ſubjici impetrarit à Joanne vigeſimo, ejuſque Succeſſore ac nepote Benedicto nono, improbis Apoſtolicæ Sedis invaſoribus. *Poppo*, inquit Carolus Sigonius, *Gradi urbem cum Templis incendit, aras dejecit, Moniales violavit, ſacros Theſauros aſportavit, Reli-*
Lib. 8. *quiis Sanctorum exceptis, quas invenire non potuit.* Et tandem ſine Sacra-
A. 1044. mentorum viatico eſt infeliciter exſtinctus. Quibus auditis privilegium ſuum revocavit Benedictus Pontifex, & miſeram civitatem reparavit Venetorum Dux Dominicus Contarenus, reddiditque Urſo Patriarchæ. Quibus adverſum ſimiles Foro-Julienſium Epiſcoporum violentias, quod tamquam Pſeudo-Papa judicatus nuper & ab Henrico tertio Imperatore ejectus fuiſſet Benedictus, non contentus ſucceſſor Dominicus Belianus, acceſſit præſentem Synodum, obtinuitque hoc Decretum: *Relectis privilegiis à ſancta Romana & Apoſtolica ſede Gradenſi Eccleſiæ conceſſis, judicio totius ſanctæ Synodi hoc definitum fuit, ut nova Aquileia totius Venetiæ & Hiſtriæ Caput & Metropolis perpetuum haberetur, ſecundum quod evidentiſſima Prædeceſſorum noſtrorum adſtruebant privilegia; Foro-Julienſis vero Antiſtes tantummodò finibus Longobardorum eſſet contentus, juxta privilegium Gregorii ſecundi, & retractationem tertii. Et hoc quidem extra patientiam Canonum ei pro magno conceſſimus, quia quater jam vocatus à nobis nec venit nec excuſavit, cum Gradenſis, id eſt, nova Aquileia Patriarcha quinquies noſtræ Synodo, etiam non vocatus, interfuerit.* Contumax ille Foro-Julienſis Patriarcha fuit Popponis proximus ſucceſſor Eberardus. Quinque autem, quibus Dominicus Gradenſis adfuit, Synodi fuerunt Papienſis, Vercellenſis, ac tres Romanæ, adeoque labitur Carolus Sigonius hoc præſens judicium in primam iſtius ſæculi quadrageſimo nono anno celebratam Leonis Romanam Synodum transferens, & Cardinalis Cæſar Baronius rectè affirmat ab hac tertia emanaſſe. Prima

cæpit,

Digitized by Google

cæpit, tertia complevit. Poſtmodo fuiſſe ab Alexandro ſecundo confirmatum idem judicium ſcriptores Veneti aſſeverant. Eundem Dominicum, ſuum ad Michaëlem Imperatorem Conſtantinopolitanum & Græcorum Eccleſias Legatum, quandoque Gradenſem, quandoque Veneticum Patriarcham appellat in ſuis litteris Gregorius ſeptimus. Et Paſchalis ſecundi, per Stephanum Baluzium in additionibus ad Petri de Marca libros publicata Lateranenſis Synodus laudat *Joannem Patriarcham Veneticum*. Quòd nempe Venetæ Provinciæ eſſet Metropolita. Innocentius tertius paſſim vocat Patriarcham Gradenſem. Nempe Patriarchalis Sedes Gradi manſit uſque ad Nicolaum quintum, qui ipſam tranſtulit in Venetorum civitatem, atque ita jam nullus eſt Gradenſis, nullus Foro-Julienſis Patriarcha, ſed Venetus, & Aquileienſis. Lib. 2. Ep. 93. Lib. 4. Ep. 117.

# EXPONUNTUR QUÆDAM ALIA

# SANCTI LEONIS NONI

# DECRETA.

## DECRETUM I.

DUo inſuper notabilia Decreta ſancto noſtro Leoni adſcribit antiqua Hiſtorica compilatio: *Leo Papa conſtituit, ut nullus Monachus, niſi legitimâ ætate & ſpontaneâ voluntate fiat.* Monaſticam Apoſtaſiam eſſe graviſſimum crimen, clamant ipſa natura, & omnes ſacræ litteræ. Nihilominus illa ſemper habuit Patronos. Et in primis varios Hæreticos. Etenim de duplicis divinitatis fabulonibus Gnoſticis ſcribit in Panario ſanctus Epiphanius: *Gnoſtici eos omnes derident, qui Monaſticum vitæ genus amplexi ſunt, aut caſtitatem & virginitatem profitentur, quod fruſtra id ſibi moleſtiæ ac laboris imponant.* In plures factiones fuit lacerata ſordidiſſima Hæreſis, pergitque Epiphanius de Valentinianis: *Dici non poteſt quàm impia ac deteſtanda flagitia committant, quæ dum faciunt, nos qui præ Dei timore ne cogitatione vel ſermone quidem ſcelus ullum admittere ſtudemus, tamquam Idiotas atque imperitos derident, ſe verò mirificè prædicant, ac perfectos homines electamque ſtirpem nominant.* Quod nempe in omni libidinum luto liberè volutari Hær. 26. cap. 13. Hæ. 31. cap. 21.

Hær. 42. cap. 3. lutari à ſua flagitioſiſſima Secta permitterentur. Addit tamen de Marcione: *Cæterùm virginitas à Marcione prædicatur.* Quòd nempe impietas ſibi ipſi etiam in hoc articulo non cohæreret. Et de Valente Auguſto ſcribit in ſuo ad Euſebii Chronicon ſupplemento ſanctus Hieronymus: *Valens legem dedit, ut Monachi militarent.* Adverſum Arianos decertans magnus Athanaſius, in ſubſidium adſcitos Monachos cæperat non ſine fructu in Epiſcopos evehere: Hinc capitale totius factionis in ipſos odium prodiit, atque ita impius Valens cogere tandem cæpit ad armatam militiam & Apoſtaſiam. Didicerat ab Imperatore Juliano, quem eadem in Monachos violentia fuiſſe uſum ſcribit in Lauſiaca Hiſtoria Palladius Epiſcopus Helenopolitanus. Etiam ab Hæreſiarchis Joviniano ac Vigilantio fuiſſe improbatam vitam Monaſticam, ejuſque profeſſores ſuaſos ac invitatos ad Apoſtaſiam, teſtantur ſanctus Hieronymus ac ſanctus Auguſtinus. Hic id ipſum teſtatur de Donatiſtis. Et de vigilantibus in Catholicorum perverſionem Neſtorianis ſcribit Leontius Byzantinus: *Neſtoriani poſtquam captum tenent, & in quibus volunt obedientem habent, ſi Monachus ſit, hortantur ad legendos libros Gentilium, ſi tamen idoneus ad eos legendos videatur. Et poſtquam ſimplicitatem ordinis Monaſtici multùm irriſerunt, quod nihili ſit jejunium, vel vigilia, vel ſeceſſus, ſiquidem virtuti Practicæ, id eſt, in actione poſitæ obtrectant, & neque nomen ejus pati poſſunt æquo animo. Ad mutandum habitum hortantur, quod ſit ad ſtudium virtutis politicæ, id eſt, quæ in civitate verſetur, impedimentum. Promittunt ſe eum in Clericorum Ordinem coaptaturos, aut alio modo auxiliaturos, modo fiat particeps impietatis eorum.* Qui tamen error videtur toti factioni non fuiſſe communis. Etenim ſparſi per Orientem Neſtoriani etiam hodie habent plurimos Monachos, & non niſi ex ipſis creant ſibi Epiſcopos. Et ipſe Neſtorius ex ſancti Euprepii apud Antiochiam Monaſterio factus fuit Conſtantinopolitanus Epiſcopus, nec legitur quidquam adverſus Monaſticam profeſſionem deliraſſe. Etiam quæ Acephali & alii Eutychianiſtæ in Syriæ Monaſteria & Monachos patraſſe monſtrantur in Synodo Conſtantinopolitana ſub Patriarcha Menna, egerunt in ſolos Orthodoxos: Non ex profeſſionis, ſed ex odio conſtantiæ ipſorum in Evangelica veritate. Nam & iſtorum plures erant Monachi, & illorum Anteſignanus Eutyches fuerat apud Regiam civitatem Archimandrita. Peſſimi Monachorum hoſtes fuerunt Iconoclaſtæ: Præſertim Imperatores Conſtantinus Caballinus, Leo Armenius, Michaël Balbus, & ſuper omnes ejus filius Theophilus. Quomodo cunctos ad Apoſtaſiam & publicas nuptias coëgerint, & ipſorum Monaſteria variè profanaverint, dictum eſt ad ſeptimam Synodum, & pluribus

Margin notes: A. 376. — Cap. 52. — Lib. 3. cap. 4.

pluribus ſuo tempore dicendum. Et ex iſtis fontibus Joannes Wicleff hauſit hoſce inſanos, & per Conſtantienſem Synodum optimo jure damnatos articulos: *Peccant fundantes clauſtra, & ingredientes ſunt viri diabolici. Ingredientes Religionem aut aliquem Ordinem, eo ipſo inhabiles ſunt ad ſervandum Divina præcepta, & per conſequens ad perveniendum in Regnum Cælorum, niſi Apoſtataverint ab iiſdem. Auguſtinus, Benedictus, Bernardus damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerunt poſſeſſiones & inſtituerunt & intrarunt Religiones. Omnes Religiones indifferenter introducta ſunt a Diabolo.* Et ab his Magiſtris ſua in Monachos odia didicerunt etiam Martinus Lutherus & Joannes Calvinus. Odiorum cauſas ſuo loco exponam.

Sacrilega Monachorum Apoſtaſia ſemper habuit ſuos etiam in Catholica Eccleſia defenſores. Etenim in hoc Apoſtoli loco: *Si quis turpem ſe videri exiſtimat ſuper virgine ſua, quod ſit ſuperadulta, & ita oportet fieri, quod vult faciat, non peccat ſi nubat.* Hoc, inquam, in loco memoratas ab Apoſtolo Virgines quidam cenſuerunt ex dudum ſervata continentiæ profeſſione fuiſſe ſuperadultas,& ipſis ad evitanda gentilium opprobria permitti nuptias. Et quin plures ſeduxerit iſta ſcabioſa prædicatio, non eſt dubitandum. Et hinc in Canonicis ſcripturis ſolam litteram non poſſe attendi reſpondet in Apoſtolicorum Hæreſi ſanctus Epiphanius,& proſequitur: *Sed & traditione quoque opus eſt. Neque enim ex ſcripturis peti poſſunt omnia. Idcirco alia ſcripto, traditione ſancti Apoſtoli alia reliquerunt. Jam verò illud ab Apoſtolis ſancta Dei Eccleſia traditum accepit, poſt decretam Virginitatem ad nuptias ſe conferre, ſcelere implicatum videri.* Nec ſolo verbo, ſed & ſcripto traditum oſtendit ex prima ad Timotheum Epiſtola: *Adoleſcentiores viduas devita. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Per fidem hic intelligi vidualis caſtitatis profeſſionem adfirmat Epiphanius, ac pergit: *Quod ſi vel ea mulier, quæ mundum periclitata eſt, vidua facta, pro eo quòd Deo conſecrata fuerit, ſi poſteà nupſerit, judicium habet, quod primam fidem irritam fecit, quæ antequam mundum experiretur, ſemetipſam Deo dicaverit virgo, nonne multo magis laſcivivit in Chriſto, majoremq; fidem irritam fecerit, ac judicium ideo ſuſtinebit, eo quòd ſuum illud ſecundum Deum Propoſitum relaxavit?* Et neſcio quos Catholicos, qui lapſum cum ſacra Virgine Monachum ad ineundas nuptias, atque ita purgandum crimen hortabantur, acribus ad Epiſcopum Januarium litteris notat & expugnat laudatus in Maſſilienſis Gennadii Catalogo Bacharius. Et pro Apoſtatantibus à communi intra nuper à ſancto Auguſtino inſtitutum Clauſtrum vita Clericis plures Afrorum Catholici apud ſuos Epiſcopos inter-

Hær. 61. cap. 5 67.



Digitized by Google

interceſſerunt: *Quid mali fecit? Non poteſt tecum tolerare iſtam vitam. Extra Epiſcopatum vult manere, & de proprio vivere. Ideò non debet perdere Clericatum.* Et quidam etiam Epiſcopi videntur omninò ſuffragati. Hinc enim iſtos Apoſtatas caſtigare dudum auſus non fuit Auguſtinus, permiſit ſuæ ipſorum conſcientiæ, & non niſi poſt multam deliberationem proceſſit ad hocce Edictum: *Interpellet contra me mille Concilia, naviget contra me quo voluerit, ſit certè ubi potuerit, adjuvabit me Deus, ut ubi ego Epiſcopus ſum, illic Clericus eſſe non poſſit.* Omnes iſtiuſmodi Apoſtatas ſanxit irreparabiliter degradandos. Etiam Apoſtatas ejus Monachos quidam Epiſcopi non dumtaxat foverunt, ſed etiam evexerunt in Clerum, ita ut omnem Africam paſſim perambularet hæc paræmia: *Malus Choraula eſt bonus Symphoniacus, ita malus Monachus eſt bonus Clericus.* Nec ſolus id fecit hic aut iſte Epiſcopus, ſed etiam Carthaginenſis Aurelius, Primas totius Africanæ Diœceſios. Hinc acres ad hunc litteras Auguſtinus ſcripſit, & à plena ſuæ gentis Synodo impetravit Canonem, quem
Ep. 235. laudat in litteris ad Quintianum Presbyterum: *Recenti Concilio ſtatutum eſt, ut de aliquo Monaſterio qui receſſerint vel projecti fuerint, non fiant alibi Clerici, aut Præpoſiti Monaſteriorum.* Eſt tertius decimus quintæ Carthaginenſis Synodi Canon: *Si quis de alterius Monaſterio repertum vel ad clericatum promovere voluerit, vel in ſuo Monaſterio Majorem Monaſterii conſtituere, Epiſcopus qui hoc fecerit, à cæterorum communione ſejunctus ſua tantùm plebis communione contentus ſit. Et ille neque clericus, neque Præpoſitus perſeveret.* Et quod Canon malum non plenè ſanaverit, lucet ex litteris Magni Gregorii ad Dominicum Carthaginenſem Archiepiſcopum: *Queritur cumquodens Abbas, quia ſi quando Monachos, quibus præeſſe dignoſcitur, ſub regulari voluerit diſciplina reſtingere, Monaſterium temerè deſerant, & li-*
Lib. 6. *cite quocumque voluerint vagantes exiſtant.* Damnat ac auferri mandat
Ep. 23. peſſimum abuſum, atque proſequitur: *Quia verò à quibuſdam Epiſcopis excedentes Monachos perhibet defenſari, Fraternitas veſtra in hoc ſtudeat eſſe ſollicita, & eos à tali defenſione, ſua omnibus modis interminatione compeſcat.* Etiam in Ægypto graſſatum abuſum demonſtrat Canonica ſancti Cyrilli Alexandrini Patriarchæ ad Lybiæ ac Pentapolis Antiſtites Epiſtola: *Aliqui ex Monaſteriis ut immodeſti & inſolentes ejecti ordinationes ſubeunt, & facti clerici in ipſa Monaſteria ingrediuntur, ex quibus ejecti ſunt, & volunt oblationem facere, ſeu ſacra celebrare & ea omnia agere quæ mos eſt Clericis, ut etiam aliqui eorum, qui ipſos norunt, ſynaxes devitent, & communicare in animum non inducant illis miniſtrantibus.* Per ejectos omninò intelligit etiam Apoſtatas. Nam ambos in laudata ad Quintianum Epiſtola æquiparat etiam S. Auguſtinus. Ad graves Abbatum querimonias ſcripſit

pſit iſta Cyrillus: Sanxit nullum deinceps ejectum aut Apoſtatam clero admovendum. Et hæc ſunt prima exordia iſtius irregularitatis, qua adſtringi Monachos Apoſtatas notant ſecundæ Arelatenſis Synodi Canon vigeſimus quintus, ac in litteris ad Archiepiſcopum Lugdunenſem, nec non in litteris ad Lingonenſem Epiſcopum Innocentius tertius. Quod notent Monaſteriorum Præfecti, qui reductos Apoſtatas poſt peractam pœnitentiam permittunt ſtatim miniſtrare in accepto ordine, aut etiam ad altionem promoveri. In ſcripta item ad Joannem Prætorio Præfectum lege habet Imperator Juſtinianus: *Quoniam & quandam conſti-* Lib. 1. *tutionem invenimus de Monachis differentem, & volentem ipſos non relinque-* cod. tit. *re propria Monaſteria, neque turbare civitates, quam & ad quoddam ſanci-* 3. c. 53. *tam tempus quidam ſuſpicantur, oportere exiſtimavimus, occaſionem indè accipientes, perfectiorem & in omne tempus etiam hoc reformare, ita ut nemini deinceps Reverendiſſimorum Monachorum licentia ſit tale quid agere, & relinquere quidem Monachicum habitum, circumcingere autem qualemcumque militiam, aut cingulum aut dignitatem, aut eorum qui in judiciis verſantur ſequi vitam, & Dei ſervitio humanas occupationes præferre aut cognoſcere.* Quartum, qui omnem Apoſtatandi licentiam Monachis circumſcripſit, Chalcedonenſem Canonem quidam garriebant fuiſſe dumtaxat ex rationibus temporalem, ideoque jam pridem exſtinctum. Apoſtatandi fræna laxabant. Credebant exceſſum iſtum nec naturæ, nec Evangelii repugnare legibus, ſed ſolis humanis. Eos damnat Juſtinianus, ſanciens Canonem eſſe omninò Divinum ac perpetuum, & quoſvis omni tempore Apoſtatas ad ſua Monaſteria revocandos & compellendos. Apoſtatarum defenſores notat ac damnat etiam ſexta Toletana Synodus, & adjungit decima tertia: *Placuit ut nullus alienum Presbyte-* Cap. 6. *rum, Abbatem, Miniſtrum, Subdiaconum, Clericum, ſeu etiam Monachum fugientem, vagumque ſuſcipiat, non fugæ latibulum præbeat, non fugam ſuadeat, non apud ſe habito vel retento humanitatem impendat, nec occaſiones, quibus quaſi ſe neſciente alibi lateat, turpi oppoſitione confin-* *gat. Nam horum omnium caſibus non ſolum turpatur honeſtas, ſed frequenti* Cap. 11. *dolorum acerbitate confunditur fraternitas.* Agit præſertim in Epiſcopos, qui ad inſtaurandum deficientis ſibi Cleri numerum videntur devia Apoſtatis conſilia & auxilia miniſtraſſe.

Sub ſancti Leonis noni Pontificatu neſcio quis in Italia Epiſcopus Maurus docuit errorem, quem in ſcripto ad Giſlenum Auximanum Epiſcopum opuſculo exponit ſanctus Petrus Damiani: *Cogor adverſum te, venerabilis Epiſcope Maure, ſcribere. Nempe ante hoc fermè biennium, dum in anguſto cellulæ meæ angulo latitarem, ſiniſtrum quid & mœrore plenum*

ad

Digitized by Google

*ad me famâ diſcurrente perlatum eſt. Videlicet quod nonnulli perditi homines poſt Sathanam converſi, Monachicum habitum ſacrilegâ temeritate deſererent, & per execrabilem Apoſtaſiam ad ſecularem militiam denuò repedarent. Qui nimirum in tam profundi criminis barathrum lapſi, tuis ad audendum exhortationibus incitati, tua ad perſiſtendum dicebantur auctoritate fulciri. Ferebaris enim dicere, quia niſi quis regulariter protractus, & per longa temporum ſpatia, ſicut Monaſtica præcipit Regula, ſit probatus, ſi aliter*
Cap. 16. *aut propter ægritudinem, aut quolibet alio modo ad Monachicum pervenerit Ordinem, liberam redeundi ad ſæculum habeat facultatem. Super cujus rei Capitulo tunc temporis brevem tibi Epiſtolam miſiſſe me memini. Ut ab hac peſtifera doctrina ceſſares, debitâ humilitate ſuggeſſi. Nuper autem apud Auximum conſtitutus, a pluribus didici, quia in tua adhuc nihilominus intentione obſtinatiſſimè perſeveras, & contra divinæ legis auctoritatem, contra Eccleſiaſticæ conſuetudinis normam, eadem dogmatizare non ceſſas.* Eodem de errore ſuſpectus fuerat Guido Numanus Epiſcopus, verum de illo pergit laudatus Petrus Damiani: *Dominum Guidonem Numanum Epiſcopum in Romano Concilio reperi, & quia ille incitamenta præbere huic vitio dicebatur, fateor peccatum meum, dure in illum ſuccenſere præſumpſi. Ille nimirum vir digna humilitatis & patientiæ, & non ſolum ſacris eloquiis, ſed etiam liberalium artium ſtudiis eruditus, inſugillantem quidem me patienter tulit, objecti verò criminis culpam negando, deteſtando, Dei teſtimonium implorando, diſertiſſimè propulſavit.* Plures tamen per Italiam Epiſcopi videntur errori faviſſe. Et Maurus Epiſcopus non fuit ejus Auctor. Auctor erat occultus, latens uti aſpis in foramine.

Quod Monaſtica profeſſio ſit quaſi ſecundum baptiſma, ideoque omnes non ſolum culpas, ſed & his in futura vita debitas pœnas remittat, ſeu pro ipſis ſatisfaciat, eſt certa ac perpetua Eccleſiæ doctrina. Etenim de ſancto Antonio ſcribit in ejus vita magnus Athanaſius: *Cibum capturus Antonius, cum ſurrexiſſet quondam ad preces horam circiter nonam, mente ſe raptum ſenſit. Quodq; ſuſpiciendum, ſtans vidit ſe ipſum tamquam extra ſeſe, atque à quibuſdam velut in aërem deduci, ibidemq; tetros nonnullos & terribiles conſiſtere, tranſitum ejus ut impedirent, reluctantibus verò ejuſdem ducibus, expoſtulare illi, quaſi obnoxius ipſis eſſet. Cumq; rationes à nativitatis exordio depoſcerent conferrentq;, iidem Antonii duces prohibuere, ac dixere culpam a natali die omnem deleviſſe Dominum, licere autem illis à Monachatus tempore, & à quo ſe Deo conſecraſſet, primordium exigendi capere.* Non Athanaſius, ſed ſancti Angeli Dœmonibus reſpondent Antonii rationes à ſuſcepti Monachatus exordio inchoandas: Quod nempe omnes priores lapſus iſta profeſſio pleniſſimè diluiſſet. Et in novella ad Epi-

Epiphanium Conſtantinopolitanum Patriarcham lege ſcribit Juſtinianus Imperator: *Converſationis Monachalis vita ſic eſt honeſta, ſic commendare novit Deo ad hoc venientem hominem ... ut omnem quidem humanam ejus maculam detergat, purum autem declaret, ac rationabili naturæ decentem, & plurima ſecundùm mentem operantem, & humanis cogitationibus celſiorem.* Scribit ex communi Orientalis Eccleſiæ ſententia: Novellas enim de ſacris rebus leges fuiſſe illi ab aſſidentibus doctiſſimis Epiſcopis dictatas, teſtatur Procopius Cæſarcenſis. Monaſticæ profeſſioni ad omnia remittenda peccata ineſſe baptiſmatis virtutem conſtanter docet etiam Theodorus Balſamon in Commentario duodecimi Neocæſarcenſis, & in Commentario Canonis quadrageſimi octavi Carthaginenſis. Leg. 5. cap. 1.

Ejuſdem ſententiæ ſemper fuit Latina Eccleſia. Etenim ad nobilem viduam Paulam ſuper Bleſillæ filiæ obitu hanc conſolationem ſcripſit ſanctus Hieronymus: *Nunc verò cum propitio Chriſto ante quatuor ferè menſes ſecundo ſe quodammodo Propoſiti Baptiſmo laverit, & ita deinceps vixerit, ut calcato mundo ſemper Monaſterium cogitaverit, non vereris ne tibi Salvator dicat, Iraſceris Paula, quia filia tua facta eſt filia mea?* Et antiqua apud Hibernos creandi Monachi forma habet: *In Monachorum Ordinationibus Abbas debet Miſſam agere, & tres orationes complere ſuper caput eorum. Et quatuor dies Monachus velat caput cucullâ ſuâ. Et ſeptimâ die Abbas tollat velamen. Sicut in baptiſmo Presbyter ſeptimo die velamen infantium abſtollit, ita & Abbas debet Monacho, cui ſecundum baptiſma eſt juxta judicium Patrum, & omnia peccata dimittuntur, ſicut in baptiſmo.* Et in laudato ad Giſlerium Auximanum Epiſcopum libello ſanctus Petrus Damiani: *In dictis Patrum invenitur Monaſtica vita Propoſitum eſſe ſecundum baptiſma.* Et in litteris ad Gaufredum Carnutenſem Epiſcopum ſcribit Goffredus Abbas Vindocinenſis: *Cariſſime Pater & Domine, per primæ regenerationis, & per Monaſticæ Religionis Sacramentum, veterem exuiſſe hominem, & novum induiſſe me profiteor.* In ſcripta ad Pontium Cluniacenſem Abbatem Epiſtola Monaſticam veſtem titulat *ſecunda regenerationis habitum. Secundæ regenerationis ſtolam* in litteris ad Hamelium Abbatem ſancti Albini. Et in litteris ad Odonem majoris Monaſterii Abbatem: *In regeneratione prima Diabolo, in ſecunda Diabolo ſimul & ſæculo renuntiamus.* Monaſticam profeſſionem vult Chriſtianæ in baptiſmo profeſſionis eſſe complementum. Et hinc primis Eccleſiæ ſæculis fervidi Chriſtianæ perfectionis dilectores utrumque baptiſma ſuſcipiebant ſimul: Simul & Chriſtianum profitebantur & Monachum. Et Edgari Anglorum Regis ſacræ leges habent ad titulum de modo imponendæ pœnitentiæ; *Si quis multimodis peccatis ſeipſum valde labefactaverit,*

Ep. 28. Lib. 2. Ep. 30. Lib. 4. Ep. 2. Epiſt. 12. Epiſt. 21.

*verit, & hac demum relinquere, & ſollicitè corrigere voluerit, declinet ocyus ad Monaſterium, ibidemq; Deo ſemper & hominibus, prout docebitur, inſerviat, vel à patria diſcedat longè, & pœniteat ſemper, donec vixerit, ſuccurratq; ſaltem hic in terra animæ ſuæ profundiſſimâ emendatione, quam invenire poſſit, ut docebitur.* Affirmat Monaſticam profeſſionem perpetuis profundiſſimæ pœnitentiæ laboribus æquivalere. Quod ipſum Haſtulpho, qui propriam uxorem occiderat, ſcripſit & ſuaſit per litteras, in ſancti Ivonis Decreto exſtantes, Stephanus quintus. Quæ omnia tradunt etiam ſanctus Bernardus, aliique graviſſimi Scriptores.

Græcorum Euchologion ad titulum, *Oratio ſuper Pœnitentes*, habet & hanc formulam: *Filia Monialis, ſi ex tota anima divino & Angelico magno habitui Monaſticæ vitæ, nuntio mundo remiſſo, te adjungis, & purè confeſſa propria tua peccata in teipſam inſultando enuntias, præſentem indulgentiam ſuſcipe. Etſi interieris quidem, viaticum ſalutis ex Chriſti gratia tibi aderit, ſin autem convalueris, pœnitentiæ tibi pignus erit, ut non retro avertaris velut canis ad proprium vomitum, ſed extendaris ad ea quæ ante te ſunt, & in virtute à Deo accepta bonorum æternorum fruitionem tibi procuratura proficias, precibus Deiparæ & omnium Sanctorum.* Ad quam commentatur Joannes Goar: *Legitur hæc oratio, quâ mulier prioris vitæ pœnitens, exhomologeſi facta, magno habitu ſuſcepto, id eſt, emiſsâ profeſſione pœnalis vitæ ſtabilitatem in Monaſterio vovet, ex quo non ex Patrum ſolùm doctrina, ſed ex Pontificia liberalitate plenam delictorum indulgentiam conſequitur.* Eandem doctrinam inſigniter illuſtrat Theodorus Balſamon. Etenim ad quadrageſimum octavum, qui ex morbi impetu amentes Catechumenos, dummodò tamen petierint, mandat baptizari, Carthaginenſem Canonem commentatur: *Cùm hæc ita ſe habeant, ne dixeris quod quoniam præſens Canon ſtatuit illos baptizandos, qui bonam voluntatem oſtenderint ante morbum vel in ipſo morbo, illi quoque neceſſario tonſuram aſſequantur, qui tempore mortis & ante extremum ſpiritum, ut tonderentur voluntatem oſtenderint. Hi enim extremum Angelici habitus viaticum indiſtinctè aſſequentur, ſi ejus quod ſit ſenſum habeant. Orthodoxis enim, & qui futurum Dei judicium ſperent, pœnitentia cohabitat, & quilibet propoſito Chriſtianus deſiderat, ut per tonſuram ei ſua peccata remittantur.* Et poſt quædam: *Dico audacter, quod qui propter inenarrabilem Dei miſericordiam divino & Angelico habitu digni ſunt habiti, ii ab omni peccato & omni maculâ, quæ ante tonſuram illis inuſta eſt, liberantur, eo quod Divini Baptiſmi vires hæc habeat perfectio. De iis autem, quæ poſteà committunt, rectè & apud Deum, & apud homines poſſint examinari: Sicut & qui poſt baptiſmum peccant. Pro iis autem qui non per divinum & Angelicum habitum perfecti ſunt, ſed parvo tantum*

*tum habitu indutus, Dei vel ſolam clementiam imploro.* Duodecimus Neocæſareenſis Canon ſanxit Clinicos eſſe irregulares, & adjunxit cauſam: *Fides enim ejus non eſt ex inſtituto, ſed ex neceſſitate.* Et ad hunc Theodorus Balſamon etiam commentatur: *Nota ex hoc præſenti Canone, quod ſicut in baptiſmate, ita etiam in tonſura, qui in extremo ſpiritu tonſus eſt, in aliquo quidem ut Monachus reputabitur, in aliquo autem tamquam Monachus non admittetur. Eo quod tonſura ſecundus baptiſmus exiſtimatur. Si enim ſupervixerit qui ſic tonſus eſt, & tonſura dignam pœnitentiam & ſervitutem acceperit, non reputabitur tamquam qui ſponte tonſus non eſt. Si autem cùm primum tonſus fuerit, commune mortis poculum hauſerit, apud Deum quidem certè, ut ego exiſtimo, ut qui in ſanitate Monachus factus eſt, recipietur. Sancti enim quæ caſu etiam, vel ex aliqua circumſtantia dantur, tonſuras amplectuntur, & veluti voce divina incitati dicunt: Ubi te invenero, illic te judicabo. Apud homines autem non videbitur eſſe tonſus. Quare ſi ei aliquid relictum eſſet, ſub hac conditione, Si tonſus eſſet, & cum in vita eſſet tonſus non eſt, ſed in extremo ſpiritu vitam Monaſticam elegit, & ſic mortuus eſt, non accipiet ejus hæres, quæ ei relicta ſunt, tamquam impleta fuerit conditio, ſed condemnabitur: Utpotè quod defunctus non tonſus fuiſſe viſus ſit, & ideò conditio nullas vires habuerit.*

Duo hic ſunt notanda. Primò, quod Monaſtica veſtis tituletur divinus atque Angelicus habitus. Secundò, quod diſtinguantur habitus magnus & parvus. Græci ſuos Monachos hodierno Latinorum more non diſtingunt per varias Regulas, Ordines, aut veſtes, ſed omnes antiquo more ſunt ejuſdem veſtis atque Ordinis: Eos diſtingunt in Novitios, Profeſſos, atque Perfectos. Novitii dumtaxat parvum, omnes Profeſſi habent magnum habitum ſeu Angelicum. Unde ipſorum Euchologion habet hoſce titulos: *Officium parvi habitus*, *Officium magni & Angelici habitus.* Angelicus habitus eſt etiam quoad titulum antiquiſſimus. Etenim de Abbate quodam ſcribit in Eccleſiaſtica Hiſtoria Ruffinus Presbyter: *Multorum erat Monaſteriorum Pater, qui habitu ipſo videbatur honoris Angelici.* Et de Or Abbate habet in Lauſiaca Hiſtoria Palladius Epiſcopus Helenopolitanus: *In monte Nitriæ fuit vir admirabilis, Abbas Or nomine, habens Monaſteria mille fratrum, habitu Angelico præditus.* Et in ſancti Sophronii Patriarchæ Hieroſolymitani ſpirituali prato ſenex quidam Monachus juniorem, quod cauponam ingreſſus daret populo ſcandalum, increpat in hæc verba: *An neſcis, Domine Frater, quod habitum Angelicum feras?* Tituli radicem diſcere poſſis ex laudato Palladii loco: *Licebat videre multitudinem eorum, qui cum Or erant, Monachorum in Eccleſia, tamquam Angelorum Choros Deum laudantium.*

Lib 11. c. 11.

Cap. 9.

Cap. 19.

Monaſticam profeſſionem Patres frequenter titulant vitam Angelicam: Quod nempe Monachi vivere debeant uti terreſtres Angeli. Hinc & veſtis ipſorum dicitur Angelicus habitus. Alii deſumunt originem ex ſancti Pachomii vita: *Angelicâ viſione Monachalem habitum cernere dignus fuit.* Veſtis formam & modum didicit ab apparente ac demonſtrante Angelo, ideoque illa meruit Angelica titulari. Utramque rationem probat in tractatu de pœnitentia Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, addens atque oſtendens rectè etiam pœnitentiæ, quæ tamen in Angelis non reperitur, habitum appellari.

Quando magni & parvi habitûs diſtinctio cœperit apud Græcos, non poſſum affirmare. Eſſe tamen antiquam lucet ex relato per Dominum Cardinalem Cæſarem Baronium teſtamento Venerabilis Theodori, in Studiano apud Conſtantinopolim Monaſterio Archimandritæ. Ejus in exordio adverſus tunc adhuc graſſantia Iconoclaſticæ hæreſios in Monaſticam profeſſionem odia Theodorus profitetur ipſam, præſertim ſi juxta Magni Baſilii regulas formetur, eſſe ſanctam atque angelicam, & poſt variá quarundam reformationum capita adjungit: *Non dabis parvum habitum, quem vocant, poſtea veluti magnum. Unus eſt enim habitus, ſicut & Baptiſma. Quemadmodum in more fuit Sanctorum Patrum.* Apud primævos Monachos omnino fuit Novitiatus ac probationis tempus, & quidem extra Conventum in diſtinctis domibus, attamen in plena veſte Monaſtica. Quis in diſtincta veſte Novitiatum introduxerit, Novitiorum veſtem juſſerit inter Laicam & Monaſticam eſſe mediam, atque ita parvi & magni habitûs diſcretionem invexerit, jam dixi eſſe incompertum. Laudatus tamen teſtamenti articulus probat eſſe antiquam. Interim parvum proſcribi, & cunctis fratribus juxta antiquam Patrum diſciplinam eſſe unicum ac pariformem habitum, ac in ipſo probari Novitios ſanxit. Et quædam Monaſteria videntur obtemperaſſe. Et hinc poſtmodum ſubjacuiſſe abuſibus. Quin & Novitiatum omnem atque probationem intermiſiſſe. Hinc enim Conſtantinopolitanæ, quam in Sanctorum Apoſtolorum Baſilica celebravit Patriarcha Photius, Synodi quintus Canon hanc intermiſſionem graviter improbat, ac pergit: *Nemo Monaſtico habitu dignus putetur, priusquam triennii tempus ad experientiam eis relictam eos eſſe probatos, & tali vitâ dignos oſtenderit.* Sancit duo. Primò, ut cuncti Novitii cogantur ad triennii probationem. Secundò, ut ante illam expletam nemo donetur Monaſtico habitu, utique Angelico ſeu magno. Lucidè videtur ſancire adverſus Theodori teſtamentum, & natos ex ipſo abuſus. Et non plenè hos exſtinxit. Etenim quòd quædam Monaſteria ſuos Novitios in Angelico

lico habitu probarent adhuc ſuo tempore, & ipſos etiam ad ſæculum redire permitterent, teſtatur in adducti Canonis Commentario Theodorus Balſamon. Refert varias de hoc more ſententias: ipſe illum omninò improbat & damnat. Et in his quæ ad Canonica Nicolai Chryſobergi Patriarchæ Conſtantinopolitani Reſponſa ſcripſit, ſcholiis addit: *Mihi videtur non poſſe quiſpiam, qui ſanctas veſtes ullo modo indutus eſt, eas abjicere, & ludibrio habere. Nec enim debet cum veſtibus Monaſticis probari, ſed cum habitu Laïco.* Nempè parvus Novitiorum habitus erat adhuc Laïcus. Angelicum, ut ab abjectionis ludibrio ſecurus ſit, cenſet ſolis profeſſis eſſe credendum. Et hinc plura Græcorum Monaſteria Theodori Studitæ teſtamento non obtemperarunt, in ipſis parvus Novitiorum habitus ſemper manſit, ac permanet uſque in hodiernum diem. Et videtur Theodorus pro ſolo ſuo Studii Monaſterio fuiſſe teſtatus. Erat magnæ auctoritatis Monaſterium. Hinc ejus iſtum morem videntur quædam alia liberè aſſumpſiſſe. Quomodo diſtinguatur à Magno ſeu Angelico parvus habitus, non ſpectat ad præſentem materiam. Interim diſcrimen iſtud eſt longè amplius, quàm apud nos Latinos, quorum etiam quidam Monachi Novitios & Profeſſos habitu diſcernunt. Rectè item Theodorus Balſamon affirmat non parvum, ſed magnum dumtaxat ſeu Angelicum habitum eſſe ſecundum Baptiſma, & gaudere privilegio omnium peccatorum remittendorum. Affirmat hoc privilegium non Monaſtico ingreſſui, ſed ineſſe ſoli ſolemni profeſſioni. Affirmat ineſſe etiam iſti profeſſioni, quæ fit in lecto mortis.

Et hæc doctrina peperit pietatem, ex qua Græcorum etiam Principes frequenter in mortis lecto aſſumpſerunt Angelicum habitum, & in alicujus Abbatis aut Epiſcopi manu ſolemnem profeſſionem emiſerunt. Etenim de Imperatore Michaële Paphlagone ſcribit in Compendiaria Chronologia Joël: *Michaël continuo morbo confectus, propriâque ſalute deſperatâ, à Monacho Coſma Zinzilucio, qui illi ſemper aderat, agendaq; demandabat, detondetur, pœnitentiáq; exacta delictorum confeſſione occumbit.* Et de Imperatore Iſacio Comneno: *Imperator, cùm iviſſet venatum, igne fulmineo percuſſus, equoq; dejectus, ſpumans humi circumvolutabatur. Itaque eum conſilii pœnituit, nec morbo remittente, ſed intimè miſereq; vexante, ſceptro & rerum moderamine depoſito, ad Studii Monaſterium ſe confert, Monaſticam vitam amplexus.* Quod ipſum ſcribunt Michaël Glycas, & Joannes Scylitza. Et de Imperatore Manuele Comneno, jam deſperato à Medicis, ſcribit Nicetas Choniates: *Admotâ ad arteriam manu, & pulſu pertentato, cum alto ſuſpirio femur percuſſit, & Monaſticum habitum poſtulavit. Quo dicto, cùm tumultus eſſet ortus,*

*& ſpiritualem veſtem nigro panno, omnis ornatûs expertem, miniſtri neſcio ubi nacti, mollibus & Regiis veſtibus detractis, & aſpero illo divinæ vitæ indumento illi inducto, in ſpiritualem eum convertunt militem, & galeâ thoraceq; inſigniore ornatum in cœleſtis Imperatoris catalogum referunt. Ea lacerna, quippe brevior, crura heroici illius corporis non tegebat: Ut nemo, qui cernebat, à lacrymis temperaret, humanæ imbecillitatis cogitatione, & vilitate corporis in morte, quo animus tanquam teſta incluſus coaleſcit. Sic igitur & vita & Imperio cedit.* Manuel revera fuerat magnus Imperator.

L. 7. c. 7.

Cap. 48. Quod ipſum de Joanne Duca, qui poſt captam à Flandris Conſtantinopolim ſecundus imperavit, ſcribit Georgius Acropolita. Et addit de

Cap. 74. ejus filio ac ſucceſſore Theodoro: *Theodorum Imperatorem morbus gravis invaſit. Longo itaque tempore noxâ conflictatus, & corpus omne exſiccatus, prope finem in animo ſuo dedit pœnitentiæ locum, & monaſticum habitum induens confeſſionem peccatorum generoſo animo ac magnifico dignam abſolvit. Quippè Evangelicam æmulatus meretricem, Mitilenenſem Archiepiſcopum pro delictorum confeſſione accerſens ante illius pedes in ſolum obvolutus, lachrymarum indeſinenter fluentium rivis terram, in qua jacebat, conſperſit, adeò ut ex illis lutum concinnatum ſit. Sic qui illa conſpexerant, nobis planè affirmarunt. Et ſapè illud, Deſerui te Chriſte, inter confeſſionis verba immiſcens inclamabat. Ita mortem obiit.* Quod ipſum ſcribit Nicephorus Gregoras. Cum tanta animi contritione fiebat iſta Monaſtica extremæ pœnitentiæ profeſſio. Quàm frequens apud Græcos fuerit,

Cap. 7. docet hîc ſancti Nicephori Confeſſoris Canon: *Si quis infirmus ſit, & ſanctum Baptiſma, ſanctumq; habitum requirat, dari ei ſine mora oportet, nec gratia eſt deneganda.* Ubi rursùm vides ſanctum habitum Baptiſmo comparari. Adeò frequens apud Græcos fuit iſta pietàs, ut moribundis etiam non petentibus amici ipſam impenderent, & ratam & validam affirmet Theodorus Balſamon.

Etiam apud Latinos fuit olim frequentiſſima. Etenim de Comite Ageluino ſcribit in Anglorum Regum geſtis Simeon Dunelmenſis:

A. 1056. *Comes Ageluinus ab Aldredo Vigornenſi Epiſcopo Monachizatus deceſſit.*

A. 1088. Et Joannes Brompronus Abbas Jornalenſis: *Rogerus de Belem, illuſtris Comes Salopiæ, obiit. Qui cùm decubaret, ad ſuccurrendum animæ ſuæ Monachus factus eſt, Adela Comitiſſa conſentiente. Miſerat namque Reginaldum Salopiæ Priorem Cluniacum pro tunica ſancti Hugonis Abbatis induenda.* Et ad Philippum primum Franciæ Regem, Monachizari in extremo vitæ periculo poſtulantem, reſcripſit laudatus Abbas Hugo: *O magne amice, recordamini quia me aliquando interrogaſtis, An aliquis unquam de Regibus factus fuerit Monachus? Reſpondi, Etiam, ſed etſi de nulla alia*

*alio certi eſſemus, ſolius ſancti Guntramni Francorum Regis exemplum ſufficeret, qui relictis ſæculi pompis factus eſt Monachus, imitans illum, qui cùm dives eſſet, pauper pro nobis factus eſt, ut ſuâ nos paupertate ditaret.* Criminoſum Regem multis hortatur ad imitandum. Nec ſine fructu. Etenim ſcribit Guilielmus Malmesberienſis: *Philippo nulla mora inſana temulentiæ ſatietatem fecit, niſi quod in extremo vitæ tactus morbo Monachorum apud Floriacum accepit habitum. Pulchrius & fortunatius illa, quod ætate & ſanitate integrâ, nec ſpecie rugata, apud fontem Euraldi ſanctimonialium appetiit velum. Nec multò poſt præſenti vitæ valefecit. Deo forſan providente non poſſe delicata mulieris corpus religionis laboribus inſervire.* Ea fuit Bertrada Andegavenſis Comitis uxor, propter cujus raptum & ſceleratas nuptias Philippus in Papali excommunicatione dudum ſorduerat, & quæ poſt ejus pœnitentiam ac mortem facta etiam fuerat Monialis. Et in Sigeberti Gemblacenſis ſupplemento ſcribit Robertus Abbas Montenſis: *Robertus de Novoburgo, Dapifer & Juſtitiarius totius Normandiæ, adverſa valetudine tactus, gibbum Cameli depoſuit, videlicet innumeras divitias Eccleſiis & Monaſteriis, & pauperibus dividens, & ad ultimum in Monaſterio Becci habitum Monachi ſumens, per unum menſem ibi fructuoſam pœnitentiam egit, & hominem exuit.* Quod item Imperator Fredericus ſecundus, poſt omnia ſua facinora ad vitæ finem deductus, Ciſtertienſem habitum cum magna pœnitentia ſuſceperit, & admodum piè defunctus ſit, teſtatur Mathæus Pariſienſis. Addit de Hugone Nunant, Conventrenſi Epiſcopo, Monachorum capitali hoſte: *Hugo de Nunant Conventrenſis Epiſcopus, Romam tendens, in Normandia cœpit graviter infirmari. Cumq; ingraveſcente ægritudine, mortem ſibi vicinam cognoviſſet, fecit accerſiri viros Religioſos totius Normandiæ, quos habere poterat, Abbates & Priores. Et audientibus cunctis, voce clamoſa confeſſus eſt purè, & maxima cordis contritione, ac lachrymarum jugiter effuſione, omnia peccata, ſcelera, & enormitates omnes, quæ ſuæ memoriæ occurrebant. Tantâ autem contritus erat & commotus pœnitentiâ, quod omnes adſtantes & ſe intuentes ad lachrymas & ſingultus commovit. Denique flens & ejulans, manibuſq; conſertis, Prælatos omnes in virtute Dei adjurabat, quatenùs ſibi pœnitenti ſuper tot & tantis flagitiorum exceſſibus pœnam infligerent & ſatisfactionem condignam. Audientes autem viri Religioſi, qui lecto adſtabant, in Epiſcopo vitam adeò flagitioſam, ſimul & admirabilem cordis contritionem, ad invicem ſeſe contuentes, obmutuerunt univerſi, neſcientes quid darent conſilii, & quid tam ſubitò reſponderent. Quod cernens Epiſcopus dixit eis: Scio, ſcio, quod tantis enormitatibus auditis hæſitatis inter vos, quid mihi pro pœnitentia infligatis. Sed obſecro vos in nomine* JESU *Chriſti Domini noſtri,*

Fol. 159. A. 1160. A. 1250. A. 1198.

*ſtri, quatenùs in loco pœnitentiæ & remiſſionem peccatorum meorum injungatis mihi, ut ſecundùm voluntatem Dei ſim in pœnis Purgatorii uſque in diem judicii: Ut tunc per miſericordiam Redemptoris noſtri, qui ſemper miſericordiam exaltat ſuper judicium, ſalvus fiam. Placuit hoc conſilium univerſis, ſalva ſemper ſibi Clementia Divina, quæ omnes ſalvari deſiderat, & neminem vult perire. Tunc Epiſcopus, audientibus cunctis, cum ingenti mœrore recognovit, qualiter expulſis Monachis Conventrenſibus ad cumulum omnium malorum in loco eorum irreligioſos Clericos introduxit. Ad cujus flagitii ſatisfactionem aliud genus correctionis non invenit, niſi ut in eorum habitu vitam finiret, in quos Diabolico ſpiritu exagitatus, dum potuit, perſecutionem excitavit: Mendicare coëgit, quantum in ſe erat, odio mortali afflixit. Sicq; cum magno ejulatu Abbatem Becci, qui inter cæteros aderat, deprecans adjuravit, quatenùs intuitu charitatis, ad Diaboli confuſionem, habitum ſibi concederet Monachalem, ut illos haberet Patronos in ſæculo futuro, quos perſecutus fuerat in hoc mundo. Quod cùm impletum fuiſſet, omnia quæ poſſidebat in auro & argento, in gemmis & vaſis pretioſis, domibus Religioſis & pauperibus erogavit. Et ſic in ſpe bona omnium aſſiſtentium, & jugi lachrymarum effuſione, ſine inſperato quievit.* Exſtant iſtiuſmodi plura extremæ pœnitentiæ exempla.

Et hanc pietatem Maurus Epiſcopus nulla ratione damnavit. Dumtaxat cenſuit iſtiuſmodi profeſſiones non eſſe validas, ideoque ab ipſarum poſt acceptam ſanitatem pertæſis poſſe deſeri ſine peccato aut apoſtaſia. Et credidit ſibi non deeſſe fundamenta. Palmare ejus fundamentum ſanctus Petrus Damiani exponit hiſce verbis: *Quia niſi quis regulariter protractus & per annale ſpatium ſit probatus, etiamſi converſus ſit per ægritudinem, abſolutam relabendi ad ſæculum habet libertatem.* Verba alludunt ad ſancti Benedicti Regulam, quæ Novitium per duodecim menſes probari mandat, ac interim ei Regulam tertio prælegi, & pergit: *Si habitâ ſecum deliberatione, promiſerit ſe omnia cuſtodire, & cuncta ſibi imperata ſervare, tunc ſuſcipietur in congregatione, ſciens ſe jam ſub lege Regulæ conſtitutum. Quod ei ex illa die non liceat egredi de Monaſterio, nec collum excutere de ſub jugo Regulæ, quam ſub tam moroſa deliberatione licuit aut excuſare aut ſuſcipere.* Uſque ad factam hujuſmodi profeſſionem permittit Novitiis liberum ad ſæculi vota regreſſum. Et omnem hanc probationem, præſertim ejus annale tempus, Maurus Epiſcopus credidit præſcribi ut ſubſtantialia, ideoque ſine ipſis factam in mortis lecto profeſſionem eſſe nullius valoris. Eſt antiquus error, olim natus ex perperam intellecto Reſcripto magni Leonis ad Ruſticum Archiëpiſcopum Narbonenſem: *In adoleſcentia conſtitutus, ſi urgente aut metu mortis, aut captivitatis periculo,*

Cap. 58. (margin)

Epiſt. 92. cap. 11. (margin)

*culo pœnitentiam geſſit, & poſtea timens lapſum incontinentiæ juvenilis, copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur feciſſe venialem, ſi præter conjugem omninò nullam cognoverit. In quo tamen non Regulam conſtituimus, ſed quid ſit tolerabilius æſtimamus. Nam ſecundùm veram cognitionem nihil magis ei congruit, qui pœnitentiam geſſit, quàm caſtitas perſeverans & mentis & corporis.* Sexto ſæculo publica apud nos Latinos pœnitentia agi cæpit ferè in ſolis Monaſteriis, ſeu converti in Monaſticam profeſſionem, ideoque hanc in mortis periculo factam Hiſpani quidam dixerunt ex laudato Reſcripto non eſſe firmam, ſed poſſe excuti à convaleſcentibus. Errorem damnat ſexta Toletana Synodus, rectè adfirmans Reſcriptum eſſe diſpenſatorium, & loqui de ſolis adoleſcentibus: Sancit deinceps intelligendum de ſolis illis, *qui non acceperint pœnitentiæ benedictionem.* Can. 8.

Erat tunc error damnatione digniſſimus. Etenim de Imperatore Iſaacio Comneno, qui poſt profeſſam in Studii Cœnobio Monachalem pœnitentiam devenit ſanus, ſcribit laudatus Joël: *Iſaacius adeò Monaſterii Præſidi fuit obediens, ut & Oſtiarius factus ſit, aliiſque Miniſteriis pro ſua ingenti moderatione inſervierit.* Et Joannes Scylitza: *Comnenus Monaſticas veſtes indutus, cum parum exſpectaſſet, ſi qua ratione à morbo liberaretur, ubi ſe novit incurabili morbo captum, adhuc ipſo vexatus Studii Monaſterium ingreditur, multum Æcaterina Auguſta ejus conſilium adjuvante & pro terreni Imperii amiſſione cœleſtis gaudii fructus promittente. Cum annos duos ac menſes tres imperaſſet, & in habitu Monaſtico pauciores his ſupervixiſſet, omnem præſtans Monaſterii Præfecto obedientiam, ita ut & janitor eſſet, & alia Miniſteria obiret propter multam animi æquitatem & modeſtiam.* Quod ipſum ſcribit Michaël Glycas. Ex firmo tunc Orientalis etiam Eccleſiæ ſenſu Iſaacius noverat ſe eſſe verum Monachum, ideoque ad Imperium & ſæculi negotia regreſſum ſibi deinceps non licere. Sanctus Petrus Damiani præſertim indignatus eſt, quod Epiſcopi, quorum eſt Monaſticum ſtatum defendere & promovere, avitæ omnium Eccleſiarum diſciplinæ adverſarentur. Et ad Mauri Epiſcopi deſumptum ex ſancti Benedicti Regula argumentum repoſuit: *Dic mihi, qui præcipit ut ſub hac probatione quis ad converſionem veniat, ubi etiam cenſuit ut aliter veniens à Monachica inſtitutione recedat? Et cùm oſtendere hoc minimè poteris, competens eſt ut credas, quia propter vagos homines & duplices animo dictum eſt magis conſilii cautela, quàm, auctoritate præcepti.* Demonſtrat variis caſibus, ac præſertim factæ in extremo vitæ periculo profeſſioni annalem probationem non eſſe neceſſariam. Ipſam à ſancto Benedicto non præcipi ut ſubſtantialem, ſed dumtaxat imponi ut convenien-

venientem, ideoque per Abbatem poſſe diſpenſari. Eandem ſententiam firmat in litteris ad Landulphum de Corſica Alexander ſecundus. Extremè laborans, & à peccatis ſuis territus Landulphus, voluit fieri Monachus, invitam uxorem incuſſo trucidationis metu compulit ad conſenſum, Monaſticum habitum ſine Abbate induit, & ſanitati redditus reclamante uxore recepit ſe in Monaſterium. Et hæc omnia laudatus Pontifex caſſavit: Non ob Novitiatus, ſed ob uxorii conſenſus defectum, ideoque cenſuit iſtum non eſſe ſubſtantialem. Epiſtolam in ſuo Decreto nobis cuſtodierunt ſanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus, & Mona-
33 qu 5. c. 2. chus Gratianus. Quod ipſum ad titulum de ſepulturis Alexander tertius,
Cap. 4. & ad titulum de Regularibus Clemens tertius, necnon & tertius Inno-
Cap. 13. centius factis ad ſe relationibus reſcripſerunt. Et hæc Reſcripta, quod tunc adhuc ſervarentur, ſuis Decretalibus inſeruit Gregorius nonus. Quòd ipſum tradit Conſtantinopolitana, quam in ſanctòrum Apoſtolorum Baſilica celebravit Patriarcha Photius, Synodi quintus Canon. Ex Imperatoris Juſtiniani legibus mandat Monachum probari per integrum triennium, & adjungit: *Et hæc omnimodò ſervari præcipit, præterquam ſi gravis aliquis morbus incidens probationis tempora contrahi coëgerit, vel ſi nondum quis ſit vir Religioſus, & tamen vitam Monaſticam in habitu ſeculari peragat. Tali enim viro ad abſolutam experientiam tempus ſemeſtre ſufficeret.* Arſenius Monachus Canonem redegit in hanc Synopſim:
C. 106. *Non oportet perfectum Monachum, id eſt, magnum habitum gerentem, attonderi intra triennium, niſi gravis morbus, qui mortem minetur, inciderit, aut niſi ſit aliquis vir pius multis eo nomine notus, eorumq; teſtimonio jam probatus. His etiam ſemeſtre tempus ad tonſuram ſufficit.* Etiam illos & Principes & Proceres, quos invitos ad tonſuram ac profeſſionem compulerant ſeu Tyranni ſeu Principes, fuiſſe à Novitiatu & probatione exemptos docet & Latinorum & Græcorum perpetua conſuetudo. Illuſtre exemplum eſt Alexius Comnenus, quem Iſaacii Angeli Imperatoris juſſu fuiſſe in Papycio monte detonſum ſcribit Nicetas Choniates. At verò in Latina Eccleſia plenus probationis annus eſt jam dudum ſubſtantialis, adeoque ſine illo facta in mortis lecto profeſſio eſt vacua & nulla, habetque ſolas vires ac effectum inveſtitionis.

Reſtat quæſtio, an adverſus Mauri Epiſcopi ſententiam emanarit aliquod Synodale Decretum? Reſpondeo emanaſſe. Lucidè hoc affirmat in litteris ad Giſlerium Auximanum Epiſcopum ſanctus Petrus Damiani: *Non vobis excidit, Reverendiſſime Præſul, quid de reprobis illis viris, qui ſpreto Religionis habitu ad ſeculum ſunt relapſi, ſæpè una conqueſti, ſæpè communi ſumus tædio lamentati. Nuper autem cum te corporali valetudine laborante,*

*rante, Romana Synodo me intereſſe contingeret, hujus rei notitiam Domino Papæ ſuggerere congruum judicavi. Ille autem, utpotè vir ſanctiſſimus, juxta ſinceriſſima charitatis viſcera, quæ in templo ſui pectoris vigent, rem valdè perdoluit, & mox congruum immaniſſimo vulneri remedium adhibere curavit. Itaq; quia ad executionem hujus negotii idoneiorem in illis partibus virum nequiit addiſcere, ſuas ad te cenſuit litteras deſtinandas, quatenùs prævaricatores illos tu ſecundùm facundiæ tuæ prudentiam convenires, & obedire volentes ad ſuum Propoſitum revocares, rebelles verò qui exiſterent, perpetui anathematis ſententia ferirentur.* Et infrà: *Quapropter poſt illam ſummæ auctoritatis Epiſtolam hoc etiam opuſculum ſuſcipe, & ſic revera Benjamin filius, utraque manu armatus bicipiti gladio, in conſtipatos hoſtes irrumpe, quatenùs illa ac ſi validus vomer ad viroſum aconitum radicitus evellendum zizaniati pectoris arva proſcindat.* Omninò igitur in iſtos Apoſtatas emanavit Synodale Decretum, ipſius executio fuit commiſſa laudato Giſlerio, ejuſdemque juſtitiam inſigni iſto opuſculo Petrus Damiani vindicavit. Et hinc lucet peſtem prope Auximum in Piceno fuiſſe præſertim graſſatam.

Altera quæſtio eſt., cujuſnam Pontificis fuerit iſta Synodus? Dominus Cardinalis Cæſar Baronius ipſam adſcribit Stephano decimo. Reſpondeo tamen fuiſſe Leonis noni. Etenim non ſolum laudati Decreti, ſed & poſt ipſum ſcripti opuſculi tempore laudatus Petrus erat adhuc Monachus & Eremita. Quod non ſtatim poſt Synodum iſtud ſcripſerit, demonſtrant hæc ejus ad Maurum Epiſcopum verba: *Ante hoc ferè biennium, dum in anguſto Cellulæ meæ angulo latitarem, ſiniſtrum quid & mœrore plenum ad me perlatum eſt, videlicet quòd nonnulli perditi homines Monachicum habitum ſacrilega temeritate deſererent. Super cujus rei Capitulo tunc temporis brevem tibi Epiſtolam miſiſſe me memini, & ut ab hac peſtifera doctrina ceſſares, debita humilitate ſuggeſſi. Nuper autem apud Auximum conſtitutus, à pluribus didici quia in tua adhuc intentione obſtinatiſſimè perſeveras.* Quæ omnia lucidè clamant ſe non eſſe unius diei aut menſis, ſed longa ſibi tempora intercurriſſe. Synodali Decreto obedire, & errori ob ejus auctoritatem renuntiare dudum noluit Maurus, ideoque iſtud ſuo libello Petrus duxit adjuvandum. Porrò paucis menſibus Stephanus decimus vixit in Apoſtolica Cathedra, & in ipſo ſtatim Pontificatus exordio Petrum evexit ad Cardinalem Epiſcopatum Hoſtienſis Eccleſiæ. Ergo Decretum iſtud nequit ab ejus Synodis emanaſſe. Ejuſdem nulla eſt memoria apud Acta Victoris ſecundi. Eſt igitur à Leone nono, qui Monaſticam apoſtaſiam damnavit etiam in Synodo Remenſi. A. 1057.

# DECRETUM II

## *De ætate ac voluntate profitentium.*

QUod Maurus Epiſcopus non ſolam ex mortis periculo ac metu emiſſam, ſed & alias inſuper profeſſiones aſſeruerit vacuas & nullas, ac taliter profeſſis repetendi ſæculi licentiam fecerit, lucet ex his laudati Petri ad ipſum verbis: *Aut quolibet alio modo ad Monachicum pervenerit Ordinem.* Annalis Novitiatus probationem duxit eſſe ſubſtantialem, ideoque ſine ipſa nullam omninò profeſſionem ſubſiſtere aut valere. Et adjunxit: *Sed dic, rogo, ferendumne eſt, & non potiùs liberis vocibus arguendum, cùm pravi quilibet Monaſteriorum Rectores, qui nec Deum diligunt, nec lucrum animarum quærere comprobantur, turpis lucri ſtimulis accenſi, ita ſimplices quoſque blandâ perſuaſione decipiunt, ut eos vanis promiſſionibus illectos ad Monaſterium trahant? Eritne hujuſmodi recta converſio, quam non in Poſſeſſorem, ſed in poſſeſſionem præceſſit inflammata cupido?* Etiam haſce profeſſiones cenſuit nullius valoris. Eique favet in libro de velandis Virginibus Tertullianus, adversùm profeſſas

Cap. 14. ex humanæ gloriæ libidine Virgines declamans: *Porrò ubi gloria, ibi ſollicitatio; ubi ſollicitatio, illic coactio; ubi coactio, illic neceſſitas; ubi neceſſitas, illic infirmitas.* Iſtiuſmodi profeſſiones adfirmat non voluntarias, ideoque & nullas.

Cap. 2. Quod caſtitatem profeſſi paſſim laborent avaritiâ, adfirmat & rationem addit in libro de Viduitate Beatus Auguſtinus. Et nominatim de Monachis ſcripſit in Oratione ad Heraclium Cynicum Apoſtata Impe-

Orat. 7. rator Julianus: *Genus eſt quoddam hominum, quos infelices Galilæi vulgò nominant Renuntiatores. Horum pleique poſtquam exiguis ſeſe bonis abdicaverint, admodum multa vel omnia potiùs undique conradunt, adeò ut ingenti aliorum honore atque officio ſtipentur.* Addit quod ſub faciendæ

Lib. 5. eleëmoſynæ fuco iſta actitent. Quod ipſum multis queritur etiam Zozimus Comes. Maledicam utriuſque Pagani hominis calumniam exponit ac revellit in libris adversùm Gentiles Monaſticæ vitæ vituperatores ſanctus Joannes Chryſoſtomus, affirmans Monachis non ſolùm æterna in futuro, ſed etiam temporalia in præſenti ſæculo bona donari à Chriſto Domino, & totum mundum eſſe in ipſorum poteſtate, atque

Lib. 2. ſic demonſtrans: *Sin tu minus credis, age te ad illum,* quempiam vide-

cap. 5. licet Monachum *adducamus, ac perſuadeamus, ut de monte deſcendens,*

*magis*

*magis autem illic reſidens, alicui ex his, qui & divites valde & religioſi ſunt, mandet ut ſibi mittat auri pondus, quantum ipſe vis, ſive quia iſtud non pateretur, illi vel illi indigenti dari jubeat, videbis autem illum huic devotius, alacrius, promptius obedientem, quàm faceret metu tuo quivis ex tuis diſpenſatoribus. Nam hic quidem cum aliquid jubetur, mærens, triſtis, demiſſus id facit, contra ille cùm impenderit, tunc demum maximè trepidat atque anxius eſt, ne fortè in aliquo offenderit, quod ſibi ejuſmodi nihil imperetur. Atque ego plurimos tibi poſſim oſtendere, non modò ex eis qui excellentiores ſunt, verùm ex humilioribus quoque, qui tantâ hâc poteſtate ſunt prædití.* Argumentum hoc inſigniter proſequitur, & pergit: *Quod ſi nobiſcum in Religione concordares, enarraſſem tibi profectò multas àc longas, novaſq; & veteres hujuſmodi hiſtorias.* Hâc poteſtate non quivis pollebant Monachi, ſed ſoli temporalium contemptores. Quòd inter ipſos ſordidi & avari fuerint, profitetur ac lamentatur in libris de cordis compunctione idem Chryſoſtomus: *Et quidem quòd homines ſæculi viam ſpatioſam gradiantur, non valdè mirum eſt, eos autem, qui videntur crucem ſuam ſuſtuliſſe & ſequi Chriſtum, per hanc ſpatioſam velle incedere, non tibi prodigioſum videtur? Denique Monachi, cùm de Monaſteriis & locis habitationum percunctantur, ante omnia requirunt, ſi requies ſit in loco, ſi abundent omnia, ſi aquarum copiæ fluant. Sed etſi de eremo requirant, etiam ibi ante omnia de requie tractant, & de opportunitate miniſterii corporalis. Jam verò ſi ad aliquam diſpenſationem vocaveris, aut aliquid divini Miniſterii injungere volueris, prima ſtatim ſollicitudo eſt ejus, & prima iſta verba ſunt: Si eſt ibi requies quo eundum eſt, ſi inveniantur quæ neceſſaria ſunt abundanter, ſi nihil deſit eorum quæ lata & ſpatioſa via depoſcit?* Quàm aliqui fuerint impudenter ſordidi, imò & rapaces, lucet ex ſancti Auguſtini ad nobilem Ecdiciam Epiſtola, ac ex libro de opere Monachorum. Avitam, quæ omnia profeſſi bona ſimul cum perſona devolvebat in Monaſterium, conſuetudinem ſuis poſtea legibus firmavit, & ubique univerſalem fecit Imperator Juſtinianus, atque ita ex bono fonte fomentum accepit pravus rivus. Tunc præſertim cœperunt Monaſteria venari, & ad ſe pellicere opulentos homines. Videtur eſſe abuſus, ex quo ſanctiſſima magni Pachomii Monaſteria evertenda Angelus prædixit. Quidquid ſit, adverſus illum ſtatuit olim ad Caroli Magni preces ſecunda Synodus Cabilonenſis: *Imputatur quibuſdam Fratribus, eo quod avaritiæ causâ hominibus perſuadeant, ut abrenuntiantes ſæculo res ſuas Eccleſiæ conferant. Quod penitus ab omnium mentibus eſt eradicandum. Animarum quippè ſalutem inquirere Sacerdos, non terrena lucra debet: Quoniam Fideles ad res ſuas dandas non ſunt cogendi, neque* Cap. 6.

Lib. 2. cap. 6.

 *cir-*

*circumveniendi. Oblatio namq; ſpontanea eſſe debet.* Et in ſequenti Canone: *Conſtituit Sacer Conventus, ut Epiſcopi ſive Abbates, qui non in fructum animarum, ſed in avaritiam & turpe lucrum intuentes, quoſlibet homines illectos circumveniendo totonderunt, & res eorum tali perſuaſione non ſolùm acceperunt, ſed potiùs ſubripuerunt, pœnitentiæ Canonicæ, utpotè turpis lucri ſectatores, ſubjaceant. Hi vero, qui vanis promiſſionibus illecti, vel quibuſlibet machinationibus perſuaſi, mentis inopes effecti, rerum ſuarum Domini eſſe neſcientes, comam depoſuerint, in eo quod cæperunt perſeverare cogantur. Res namq; quæ ab illectis & negligentibus datæ, ab avaris & cupidis non ſolum acceptæ, ſed raptæ noſcuntur, hæredibus reddantur, qui dementiâ parentum & avaritiâ incentorum exhæredati eſſe noſcuntur. Si vero neſcientibus Epiſcopis aut Abbatibus, Miniſtri eorum, quilibet videlicet in Clero, hoc feciſſe convincuntur, Epiſcopi & Abbates de deſidia, illi verò de rapacitate & avaritia judicentur. Hoc verò quod quiſque Deo juſtè & rationabiliter de rebus ſuis offert, firmiter Eccleſia tenere debet.* Hunc Canonem adverſus Maurum Epiſcopum laudat etiam ſanctus Petrus Damiani, affirmatque eſſe Moguntinum, in ſuo autem Decreto ſanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus adſcribit Remenſi Synodo. At conſtat eſſe Cabilonenſem. Per Carolum Martellum uſque ad mendicitatem exſpoliata Epiſcopia ac Monaſteria, ſub Pippini & præſertim Caroli meliore Regno conata ſunt ſe reparare. Et quidam Epiſcopi ac Abbates, aut certè ipſorum ſubditi elegerunt jam dictam viam, quam in Capitulorum, quibus Epiſcopos ſuos atque Abbates allocutus fuit, Brevi latius exponit laudatus Carolus:

Part. 7. c. 111.

Cap. 5. *Inquirendum eſt, ſi ille ſæculum dimiſſum habeat, qui quotidie poſſeſſiones ſuas augere quolibet modo, quali bet arte non ceſſat, ſuadendo de cœleſtis Regni beatitudine, comminando de æterno ſupplicio inferni, & ſub nomine Dei aut cujuſlibet Sancti, tam divites quàm pauperes, qui ſimplicioris naturæ ſunt, & minus docti atque cauti inveniuntur, rebus ſuis exſpoliant, & legitimos hæredes eorum exhæredant, ac per hoc pleroſque ad flagitia & ſcelera propter inopiam, ad quam per hoc fuerunt devoluti, perpetranda compellunt, ut quaſi neceſſario furta & latrocinia exerceat, cui paternarum rerum hæreditas, ne ad eum perveniret, ab alio prærepta eſt.* Lapſam diſciplinam reparans Carolus hanc pravitatem voluit correctam, & laudata Cabilonenſis Synodus correxit. Et hinc lucet Maurum Epiſcopum, qui ſimiles profeſſiones voluit caſſas, non fuiſſe fundatum. Nec ipſi favet Tertullianus. Abſit ut hic de ſimilium profeſſionum valore dubitaverit. Veriſſima tamen ſunt hæc ejus verba: *Ubi neceſſitas, illic infirmitas.* Et dat ipſorum cauſam: *Meritò dum caput non tegunt ut ſollicitentur gloriæ causâ, ventres tegere coguntur infirmitatis ruina. Æmulatio enim illas, non religio producit.*

*tit. Aliquando & ipſe venter Deus earum. Quia facile Virgines ſuſcipit fraternitas. Nec tantum autem ruunt, ſed & funem longum delictorum ſibi attrahunt.* Sacrarum Virginum ex caſta Dei dilectione non factas profeſſiones inſigniter demonſtrat paſſim eſſe infœlices, ac fieri turpiter criminoſas. Quotidiè hæc experimur.

Harum quæſtionum occaſione etiam de pueris Monaſterio per parentes oblatis, ac de intruſis per Regem aut Synodum Proceribus, ipſiſque etiam Regibus, necnon de Epiſcopis aut Clericis videtur fuiſſe diſputatum. Quòd enim dejectos & Reges & Proceres quandoque per juſtitiam, quandoque per violentiam & Reges & Tyranni conſueverint, quòd item degradatos Epiſcopos & Clericos in Monaſterio claudere ad perpetuam pœnitentiam cònſueverit olim Latina præſertim Eccleſia, eſt omnibus exploratum. Hi omnes cogebantur ad ſolemnem profeſſionem. Et de Baſilii Camateri Patriarchæ Conſtantinopolitani facta ad Iſaacii Angeli Imperatoris juſſum degradatione ſcribit Nicetas Choniates: *Cauſa prætexebatur, quod quas nobiles Matronas* Andronicus Comnenus, crudeliſſimus Tyrannus, *in Monaſteria invitas abſtruſiſſet, iis ipſe nigro habitu depoſito reditum ad priſtinum habitum & vitæ rationem conceſſiſſet,* Lib. 2. cap. 4. Et de Cæſare Alexio Comneno, per memoratum Iſaacium Angelum iniquè damnato ad Papycii montis Monaſterium pergit idem Nicetas: *Cum Papycium montem aſcenſuri eſſemus, ut Monaſticis cæremoniis eum initiaremus, tunc ſubitò triſtior apparuit. Me verò urgente, & ſubitæ mutationis cauſam rogitante, inquit: Non habitum horreo. Quid enim veſtis mutatio periculi habeat? Sed promiſſiones, quas ſecum fert habitus, reformido. Et illud, quod ad cæleſte Regnum nullo modo aptus eſt is, qui manum aratro ſemel admotam per inſaniam retraxerit. His & aliis id genus dictis Chriſtianum pallium invitus induit, & precibus, quæ ſuper eum peragebantur, ne ſummis quidem auribus admiſſis, tantum radi ſe & Athanaſium appellari paſſus eſt.* Lib 3. cap. 2. Græci enim, dum Monachum profitentur, pallim nomen mutant more Latino: Verum primam prioris nominis litteram ſemper retinent. Hinc Cæſar hic ex Alexio factus eſt Athanaſius. Quem morem ſervarunt etiam Patriarchæ Conſtantinopolitani. Laudatus, inquam, Alexius talem etiam profeſſionem cenſuit à ſe non poſſe excuti ſine Apoſtaſiæ reatu & diſpendio vitæ æternæ. Quod nempè tunc ita crederet Eccleſia Orientalis. Et hinc Imperatorem Iſaacium, qui Athanaſium poſteà revocavit ad ſæculum, & denuò Alexium fecit, fuiſſe Euripo inconſtantiorem, & inſignis ſacrilegii reum affirmat idem Nicetas. Et de Imperatore Nicephoro Botoniate, per Alexium Comnenum detruſo in Monaſterium, ſcribit Anna Comnena: *Nicephorus à*

*quo-*

*quodam familiarium interrogatus, quo animo mutationem ferret, reſpondit moleſtam ſibi accidere abſtinentiam à carnibus, cætera minus negotii faceſſere.* Reſponſio ſupponit taliter detonſum ac profeſſum etiam Principem ad omnia Monaſticæ diſciplinæ onera fuiſſe plenè obligatum.

Notanda ſunt Nicetæ Choniatæ verba: *Cauſa prætexebatur.* Oſtendunt iſtam de invitæ profeſſionis validitate ſententiam non omnibus Græcis placuiſſe. Et de Heraclio Imperatore ſcribit in Hiſtoriæ Breviario ſanctus Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus: *Heraclius Philippicum Mauritii Imperatoris, cujus ſororem duxerat, affinem, tunc temporis clerici habitu*
Cap. 6. *detonſum, ei Imperio, quod antea Criſpus adminiſtraverat, præfecit.* Quod nempe Phocas Tyrannus ipſum iniquè ad tonſuram damnaſſet. Et de Imperatore Juſtino primo habet in Eccleſiaſtica Hiſtoria Anaſtaſius Bibliothecarius: *Appionem Patritium, quem in Nicena civitate Presbyterum conſecraverat Anaſtaſius Imperator, Iuſtinus ut reverà prudentem fecit Præfe-*
Fol. 96. *ctum Prætoriorum.* Quod nempè per injuriam fuiſſet detonſus. Hoc ipſum aſſerit Martyr Theophanes. Et in litteris ad Nicolaum ſecundum
Lib. 1. Pontificem probat, licet non per omnia, ſanctus Petrus Damiani. Et
Epiſt. 9. Platonem Studiani Monaſterii Abbatem, quod ſe à ſancti Tharaſii Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui à Conſtantino ſexto juſſus Mariam Auguſtam iniquè totonderet in Monialem, communione ſeparaverit, laudat idem Anaſtaſius. Et Michaëli tertio, matrem ſuam Theodo-
F. 165. ram & ſorores tonderi ac in Monaſterio claudi jubenti, repoſuit apud Nicetam Paphlagonem ſanctus Patriarcha Ignatius: *Hoc à me fieri nefas. Nam Eccleſiæ gubernacula, Sacramque Sedem cum ſuſciperem, fidem jurejurando meam per ſcriptum adſtrinxi, numquam me Imperio veſtro inſidias poſiturum, vel ejuſmodi conſilia agitaturum. Et verò nunc quod Reginarum eſt facinus, quavè in illis cauſa, ut Majeſtas veſtra talia in ipſas machinetur?* Hæc diſcordia fuit primus fons Photiani ſchiſmatis. Et de Imperatore Romano tertio ac Polyeucto Patriarcha ſcribit Georgius
F. 641. Cedrenus: *Romanus Ioannem quemdam Clericum Spadonem, quem ob turpia quædam facinera Conſtantinus,* Romani pater & Anteceſſor, *proturbarat & Monachum fecerat, & qui uſque ad ejus mortem abditus latuerat, habitu exuit, Clericique reddito amictu inter ſuos recepit Cubicularios. At Polyeuctus juſtâ indignatione concitus, vehementer Imperatorem urgebat, ut ſuâ familiâ ejiceret hominem, qui votum Monaſticum ejuraſſet. Imperatore tamen excuſante, quod negaret eum reverà Monachi conditiones amplexum, aut illi generi vitæ ab ullo Sacerdote votis conſecratum fuiſſe, ſed tantum iſta metu Imperatoris ſimulaſſe, deceptus eum miſſum fecit. Ioannes ille uſque ad Romani mortem, profanam novo inſtituto vitam exegit. Eo mortuo,*
*rur-*
Digitized by Google

*rurſum Monaſtico velatus habitu,animum tamen non mutavit.* Ad Monaſticum habitum redire fuit compulſus, quod juſtè fuiſſet damnatus ad Monaſterium, & Patriarcham mendaciis circumſcripſiſſet. Quod ipſum ſcribit Michaël Glycas. Et ad tertium Ancyranum Canonem ſcribit magnus Græcorum Doctor Theodorus Balſamon: *Cùm Dominus Nicolaus Muzalon,qui Amyclæus Epiſcopus dictus eſt,vi à Magiſtratu tonſus eſſet,& ſupplex contenderet ut quod vi in eum erat factum tolleretur, & Epiſcopale rurſùm munus obiret, ſanctiſſimus ille Patriarcha Dominus Lucas, videns eum ſynodicè cum veſtibus Epiſcopalibus præſentem, eum non admiſit dicens, quod ſi Synodalem quidem ſententiam & correctionem exſpectaſſet Epiſcopus, Canonicum auxilium inveniſſet, ſed quia veſtes Monaſticas, quibus vi indutus fuerat, inordinatè exuit, & ſibi ipſi jus dixit, auxilium non aſſequetur. Sed cùm ſanctiſſimus Patriarcha ad Dominum migraſſet, vi quidam factam tonſuram tanquam non factam reputans abolevit, Epiſcopum autem, utpote qui negligens fuiſſet, & ſibi jus dixiſſet ad tempus celebrandi officio privavit. Porrò & Comnenam Dominam Theodoram, quæ dicta eſt Laparde, illius Domini Andronici conjux, vi illius Tyranni Andronici tonſam, Conſtantinopolitana Synodus non ſcivit mutare habitum, nec cum Crale Hungariæ, qui hoc vehementiſſimè petebat conjungi, eo quod poſt ejus viri mortem proceſſiſſet tonſura, etiamſi vi facta eſſet, & in Cœnobiaco Monaſterio vitam egiſſet. Jam verò & alias quoque nobiles Dominas ſic tonſas æquum cenſuit hæc Synodus ad priſtinum habitum reverti: Vel quòd earum mariti ſupereſſent, vel quòd tonſuram omninò non admiſiſſent poſt mortem Tyranni.* Laudati Epiſcopi ac Doctores inter incuſſum juſtè ac injuſtè incuſſum metum aut allatam vim diſtinxerunt. Et à ſolo injuſto metu aut vi profeſſionem cenſuerunt vacuari. Et taliter vacuatas per liberam in Monaſtico habitu permanſionem crediderunt fieri ratas & firmas. Et hinc noluerunt per quemquam ſibi ipſi jus dici, ſed natas quæſtiones per Synodum diſcuti atque finiri. Et hæc omninò fuit communior Græcorum ſententia.

Eadem ſententiarum varietas fuit olim etiam apud Latinos. Nam & horum olim & Reges & Epiſcopi damnabant etiam invitos ad Monaſticam & Clericalem tonſuram. Et quandoque adverſum innocentes fuerunt in tales circumſcripti ſententias. Et in quinto Capitularium apud Anſegiſum Lobienſem libro exſtat hæc lex: *Qualicumque modo mulier, permittente Canonicè viro ſuo, aut eo defuncto, velum ſanctum in caput acceperit, aut ſponte aut invita, in eo permaneat omninò, nec dimittat.* Et in ſuo Decreto ſanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus ex Moguntina, quam in nova tunc ſancti Albani Baſilica celebravit cum Carolo Magno Ricul- C. 1131

 phus

Digitized by Google

phus Archiëpiſcopus, Synodo refert hunc Canonem : *Si quis ante annos legitimos tonſuratus eſt ſine conſenſu parentum ſuorum, etſi ipſi parentes infra annum non ſe reclamaverint ad Principem, aut ad proprium Epiſcopum,*
Part. 7. *aut ad Miſſum Dominicum, in ipſo Clericatu permaneat. Si verò poſt legiti-*
c. 26. *mos annos per vim Clericus factus eſt, & infra annum ad ſupra memoratas perſonas minimè ſe reclamaverit, in Clericatu permaneat, ſicut is de quo ſuperiùs dictum eſt.* Agit Canon de Regulari intra clauſtrum Clericatu, cui adnexa omninò erat ſolemnis profeſſio. Et hinc poſt plures ſimilium dubiorum deciſiones adjungit : *Hoc & de velandis puellis obſervandum eſt.* Iniquè ac violenter impreſſum Monaſticum jugum ſupponit eſſe validum, attamen infirmum, quod factâ intra annum reclamatione elidi poſſit, & quod ejuſdem temporis lapſu, aut etiam ſuſcepto intra ipſum Sacro Ordine fiat ſtabile & ratum. Facta fuit hæc Synodus noni ſæculi anno tertio decimo, & in Gallia Chriſtiana Sammarthani Fratres affirmant manu-ſcriptam exſtare in Cæſarea Bibliotheca Viennenſi. Quapropter videtur diverſa ab illa, quam cum aliis Galliæ Synodis vulgavit Jacobus Sirmondus. In hac enim non ille, ſed hic
Can. 23. reperitur Canon : *De Clericis hoc ſtatuimus, ut hi qui hactenus inventi ſunt, ſive in Canonico, ſive in Monaſtico Ordine, tonſurati ſine eorum voluntate, ſi liberi ſint, ut ita permaneant. Et deinceps cavendum ut nullus tondeatur ſine legitima ætate, & ſpontanea voluntate, vel cum licentia ſui Domini.* Quem Canonem in ſeptima ſui Decreti parte habet etiam laudatus Ivo : Priorem vigeſimo ſexto, hunc poſteriorem numero centeſimo nono. Quare hîc videtur etiam tempore poſterior. Ex data intra annum reclamandi licentia videntur nati abuſus. Hinc priorem Synodum videtur correxiſſe poſterior, ſanciens huc uſque violenter impreſſas tonſuras eſſe ratas & firmas, verùm deinceps non attentari. Et de Theodegildi Cariberti Francorum Regis vidua, quam doloſè captam Guntramnus Rex violenter tonſurarat in Arelatenſi Monaſterio, ſcribit in Francorum hiſtoria ſanctus Gregorius Epiſcopus Turonenſis :
L. 4. c. *Theodegildis ægrè acquieſcens jejuniis ac vigiliis affici, per occultos nuntios*
26. *Gothum quemdam adiit, promittens ſi ſe in Hiſpanias deductam conjugio copularet, quod cum theſauris ſuis de Monaſterio egrediens, libenti eum animo ſequeretur. Quod ille nihil dubitans repromiſit. Cumq; hæc collectis rebus factiſq; volucris è Cœnobio pararet egredi, anticipavit ejus voluntatem induſtria Abbatiſſæ, deprehenſaq; fraude, eam graviter cæſam cuſtodiæ mancipari præcepit, in qua uſque ad exitum vitæ præſentis, non mediocribus at-*
L. 5. c. *trita paſſionibus perduravit.* Abbatiſſa punivit uti veraciter Apoſtatam.
14. Filium ſuum Merovæum, quòd è Cenomanenſi, ubi violenter fuerat tonſus,

ſuæ, Monaſterio fugiſſet, eodem rigore tractavit Rex Chilpericus. Et ipſum pro excommunicato habuerunt etiam laudatus Gregorius, ac Ragnemodus Epiſcopus Pariſienſis. Plures ſunt ejuſmodi Canones & exempla.

At verò contrariam ſententiam redegit in Canonem Romana Eugenii ſecundi Synodus: *Sicut qui Monaſteria elegerunt, à Monaſteriis egredi non permittuntur, ita hi qui inviti ſine juſtæ offenſionis crimine Monaſteriis ſunt intromiſſi, niſi volentes non teneantur. Quia quod non petunt, non obſervant. Ideoq; tales conſiderandi ſunt maximè peccata committere quam plangere, ſicut Decreto ſanctiſſimi Leonis Papæ manifeſtiſſimè continetur.* Notanda Can. 32. ſunt verba, *Sine juſtæ offenſionis crimine*: Gravium criminum reos permittunt invitos etiam deinceps damnari ad Monaſticam profeſſionem, ipſamque ſanciunt ratam & firmam. Quem Canonem in Romana ſua Synodo innovavit atque confirmavit etiam Leo quartus. Eandem ferè ſententiam ſecutus eſt Joannes octavus. Etenim pro Theodora vidua, quam invitam ob invadenda ejus prædia Germanus frater vi compulerat ad Sacrum Velamen & Monaſticam profeſſionem, ſcripſit ad Theodoricum Theatinum & alios vicinos Epiſcopos: *Nos habentes eundem,* Ep. 226. *quem & Patres noſtri, ſpiritum fidei & zelum juſtitiæ, eadem ſuper legitimè relatis, quæ & illi, ſentimus, eademq; omnino decernimus, & quod non propriâ voluntate, non arbitrio, non voto, non expetito vel ſpontaneo judicio, quin potius coactè admittitur, caſſandum eſſe ſancimus. Præcipuè cùm hæc eadem fœmina non niſi minis perterrita, plus minus diebus quindecim idem velamen geſtaſſe ſe dixerit, & nullo Sacerdote benedictionem tribuente hoc violenter ſuſceperit. Quod licet ad hujus abſolutionem ſufficere poſſe ſperemus. Quia ſi ita eſt totius violentiæ ac neceſſitatis vinculis abſoluta, ſuum licenter & ingenuè debet ſequi arbitrium, & quod non elegit, ut perferat non eſt cogenda. Tamen Sanctitati veſtræ committimus, ut in unum convenientes, ipſius fœminæ cauſam ſecundùm Deum diſcutientes, & omnem ſuper hac querimonia veritatem ſubtili indagatione reperientes, ad liquidum finiatis.* Videtur profeſſionem non declarare ipſo jure nullam, ſed dumtaxat uti infirmam jubere caſſandam. Largè interim oſtendit ea, quæ per injuſtè incuſſum metum fiunt, non eſſe immobilia.

Per Eugenium ſecundum laudata magni Leonis verba edicit Leo quartus: *Verùm etiam qui ſponte ad talem devotionem pervenerit, & poſtmodum ad nuptias vel ad militiam devolvitur, publicæ ſatisfactionem Pœnitentiæ gerat intentius, ut ad perfectionem venire non diffidat.* Deſumpta ſunt ex Reſcripto ad Ruſticum Archiepiſcopum Narbonenſem. Et videtur quartus Leo ſenſum potiùs deſumpſiſſe quàm verba. Magnus enim

Ep. 92. cap. 12. Leo ſic ſcripſit: *Propoſitum Monachi proprio arbitrio aut voluntate ſuſceptum deſeri non poteſt abſque peccato. Quod enim quis vovit Deo, debet & reddere. Undè qui relictâ ſingularitatis profeſſione, ad militiam vel ad nuptias devolutus eſt, publicæ Pœnitentiæ eſt ſatisfactione purgandus. Quia etſi innocens militia, & honeſtum poſſit eſſe conjugium, electionem tamen meliorum deſeruiſſe, tranſgreſſio eſt.* Uti ſub nono, ità & ſub primo Leone videtur fuiſſe graſſata Monachorum Apoſtaſia: Illorum præſertim qui aut adhuc infantes, aut pueri per parentes oblati, vel adulti fuerant per alios violenter ac injuſtè detruſi in Monaſteria. De his præſertim videtur Ruſticus ad Apoſtolicam Sedem retuliſſe. Et quod cauſa etiam tunc eſſet dubia, ac utraque contradictionis pars haberet defenſores, videtur ipſam noluiſſe magnus Leo decidere, & dumtaxat de illis, qui proprio arbitrio & voluntate ſuſcepiſſent Monachi Propoſitum, reſpondiſſe. Circa alios permiſit quemque in ſuo ſenſu abundare. Ex eodem principio

Can. 4. Vermerienſis olim Synodus emiſit hunc Canonem: *Ut quolibet modo fœmina velum acceperit, in hoc permaneat, niſi ſe invitam aut reclamantem velaverit aliquis. Tamen prædicandum eſt, ut cum velo ſuo permaneat, ſi voluerit. Quòd ſi Presbyter eam invitam reclamantemq; velaverit, gradum ſuum pro hac cauſa perdat.* Etiam taliter profeſſis aut velatis mandat prædicari perſeverantiam. Quod dubius eſſet ipſarum ſtatus, & alii ipſum aſſererent validum, alii negarent. Et ad evadendum labyrinthum Canon mandat deinceps velum non imponi invitis. Hinc in ſuo ad

Can. 11. Monachos Capitulari ſtatuit etiam Carolus Magnus: *Nullus cogatur invitus promittere.* Et Neophytis Bulgaris rogantibus, *Utrùm ſi mulierem viduam, nolentem vitam Monaſticam ſuſcipere, quis Monacham fecerit, peccatum committat,* Nicolaus primus reſpondit alia eſſe Divini Præcepti ac neceſſitatis, alia dumtaxat conſilii & ſupererogationis bona opera, atque proſequitur: *Monachicum habitum induere, ac vitam remotam ducere, non niſi à ſpondente Divinitus exiguntur. Undè quiſquis vim intulerit alicui, ut Monachicum habitum & vitam remotiorem, quam non optavit nec elegit, aſſumat, hic tanquam violentus peccatum evadere non valet. Et quoniam quod agitur, ex accipientis voto non venit, nec accipiens Religioſum habitum inde mercedem habet, nec inferens crudelitatis ſuæ judicio carebit.* Ad Conſtantinopolitanum Imperium ſemper reſpexe-

Ep. 71. cap. 87. runt Bulgari, ideoque facti Chriſtiani Apoſtolicam ſedem conſuluerunt de variis Græcorum moribus, inter quos erat Regia invitorum ad Monaſterium damnatio: Nam nuper Imperator Michaël innoxias Germanas Sorores ſuas, propriamque matrem Theodoram ità damnaverat, & hac de cauſa exercebat ſimultates cum ſancto Patriarcha

Igna-

Ignatio. Et Nicolaus Pontifex reſpondit ad ſola interrogata. Dumtaxat reſpondit ejuſmodi damnationem eſſe iniquam & crudelem, addens & profeſſionem carere merito. De ejus valore tacuit. Quod & Latini & Græci de ipſo controverterent. Hinc & Joannes octavus lucidè non definivit.

Etiam de infantium ſeu puerorum factâ per parentes oblatione omnis olim non concordavit Eccleſia. Antiquiſſima eſt iſta oblatio. Etenim ſe ad ſancti Macedonii Monachi preces fuiſſe è ſterili matre conceptum, & ab ipſa ex ejuſdem conſilio ac juſſu oblatum & obſtrictum Deo, ſcribit in Monaſtica Hiſtoria Theodoretus, & adjungit de frequentibus ejuſdem ſancti viri ad ſe adoleſcentulum exhortationibus: *Macedonius ſæpè me adhortatus dicebat, multis cum laboribus natus es. Multas & ipſe noctes duxi, hoc unum poſcens à Deo, ut parentes tui hoc fierent, quod te nato appellati ſunt. Dignam igitur laboribus vitam age. Ante partum promiſſionibus conſecratus es. Deo autem quæ oblata ſunt, veneranda ſunt omnibus, nec à vulgo contractanda. Quare oportet te pravos animi motus non admittere, ſed illa tantùm & facere, & loqui, & cogitare, quæ virtutis legiſlatori Deo placent. Ego verò & verborum memini, & divinum donum edoctus ſum.* Cap. 13. Et ad Nomum Conſulem ſcribit: *Priuſquam me conciperent, oblaturos ſe Deo polliciti ſunt parentes, atque ab incunabulis, ut promiſerant, devoverunt, & hoc modo educarunt. In Monaſterio tempus, quod Epiſcopatum præceſſit, cùm exegiſſem, invitus Epiſcopus ordinatus ſum.* Epiſt. 81. A primis incunabulis fuit ob factum de necdum nato votum traditus Monaſterio à parentibus, ideoque adoleſcentulum, ut caſtè & Monaſticè viveret, adhortabatur Macedonius, firmiter cenſens ejuſmodi oblationem eſſe validam ac firmam profeſſionem. Quod judicium omninò probavit ipſe etiam jam Epiſcopus & Doctor Theodoretus. Et ad nobilem Matronam Lætam de filiola ejus Paula ſcribit ſanctus Hieronymus: *Propoſitum mihi eſt ad te ſermonem dirigere, & docere, quomodo inſtituere Paulam noſtram debeas, quæ prius Chriſto conſecrata eſt, quam genita. Quam ante votis, quam utero concepiſti. Vidimus aliquid temporibus noſtris de Propheticis libris. Anna ſterilitatem alvi fœcunditate mutavit: Tu luctuoſam fœcunditatem vitalibus liberis commutaſti.* Epiſt. 7. Parentum oblatione ligari filiolam, ideoque eſſe Monachaliter educandam, & ſine Apoſtaſia non poſſe tranſire ad alia vota, oſtendit multis, & ſancti Samuelis exemplo confirmat. Proindè hæc pietas à Synagoga venit ad Eccleſiam. Et firmatur in antiquo Romanorum jure, Epiſt. 12. apud quos Patria poteſtas fuit deſpoticum in proles dominium. Quæ omnia Hieronymus repetit in Epiſtola ad Gaudentium, qui filiam Pacatulam

tulam Deo devoverat. Utramque Epiſtolam ſcripſit in Paleſtina, ideoque in utraque locutus eſt ex ſenſu Orientalis Eccleſiæ.

At verò Ponticam atque Aſiaticam Diœceſim longè aliter docuit magnus Baſilius. De ſacrarum Virginum lapſu atque pœnitentia ſcribit varia ad ſanctum Amphilochium Iconii in Aſia Metropolitam, & ſubjungit: *Illud autem confiteri nobis eſt neceſſarium, quod virgo nominatur, quæ ſe ſuâ ſponte Domino obtulit, & matrimonio renuntiavit, & vitam in ſanctificatione prætulit. Profeſſiones autem ab eo tempore judicamus, quo ætas rationis complementum habuerit. Non enim pueriles voces omninò in his eſſe ratas exiſtimare oportet, ſed eam quæ ſupra ſedecim annos nata fuerit, rationiſq; compos, & diu examinata ac probata perſeveraverit, & ut admittatur precibus contendit, tunc oportet in ſacrarum Virginum catalogum referri, ejuſq; confeſſionem comprobare, & illius infirmationem inexorabiliter punire. Multas enim parentes & fratres offerunt, & quidam eorum qui eas cognatione attingunt, ante ætatem non ex ſeipſis ad Cœlibatum incitatas, ſed aliquid quod ad victum ſuum pertinet procurantes, quas non facile admittere oportet, donec apertè propriam ſuam ſententiam perſcrutati fuerimus.* Ad quæ verba partim benè, partim malè commentatur Theodorus Balſamon: *Ne dixeris intelligi de Monachis, vel Aſcetriis. Etſi enim in minore ætate crinem ſæcularem depoſuerint, prima erit, ut mihi videtur, ad id quod deinceps ſequitur, ipſorum profeſſio.* Rectè adfirmat Canonem non loqui de profeſſis intra Monaſterium Virginibus. Lucet ex proximè ſequenti Canone: *Virorum autem profeſſiones non novimus, præterquam ſi qui ſeipſos Monachorum Ordini adjudicaverint, qui tacite videntur Cœlibatum admittere.* Affirmat nullum virum ad profitendam in ſæculo ac propria domo caſtitatem admitti, vacuamque eſſe ejuſmodi profeſſionem. Quod nempe viri nequeant domo claudi ad evitanda iſtius profeſſionis ex libero in publicum proceſſu pericula. Et factas à puellis in ſæculo ac propria domo profeſſiones valere non vult Canon, niſi fiant proprio arbitrio poſt expletum ſextum decimum ætatis annum. Infantes ac quaſvis minorennes permittit quidem offerri à parentibus, verùm exinde conſecrari non vult aut obligari. Quod nempe parentes filiolas frequenter ex paupertate offerrent Eccleſiæ, atque ita non plenè caſtis cordibus divina gratia quandoque non cooperaretur. Et ſedecim annorum puella non niſi poſt multam inſtantiam, examen, ac probationem poterat ad profitendum admitti. Utique ab Epiſcopo. Quare nec ab alio poterat. Quam laudabilem, & à noſtris temporibus omninò imitandam diſciplinam exiſtimo non inductam à Baſilio, ſed apud Ponticos fuiſſe antiquam.

Cap. 18. / Can. 19.

Theo-

Theodorus tamen Balſamon errat hoſce Canones à Baſilio non extendi ad Monaſticas profeſſiones. Poſterior enim Canon diſertè addit de Monachis: *Sed in illis quoque illud exiſtimo praecedere oportere, ut ipſi interrogentur, & evidens ipſorum accipiatur profeſſio, ut poſtquam ſe ad libidinoſam & voluptuariam vitam converterint, eorum qui fornicantur punitioni ſubjiciantur.* Evidens profeſſio eſt profeſſio poſt diſcretionis annos facta per propriam electionem. Lucidiùs hoc Baſilius tradit in fuſiùs diſputatis Regulis. Affirmat utriuſque ſexus infantes ac pueros omninò admittendos ad Monaſteria, & adjungit: *Quo ſanè tempore*, utique completæ rationis, *admittenda eſt virginitatis profeſſio, tamquam firma jam, & ejuſmodi quæ à proprio conſilio ac judicio proficiſcatur, ratione jam probè adulta. Porrò ſententiæ ejuſmodi teſtes aſſumendi ſunt Eccleſiarum Antiſtites, quo videlicet per ipſos & ſanctificatio corporis, veluti res ſacra Deo dedicetur, & actionis illius per illorum teſtimonium confirmatio ſit. Sic enim & ſtudium Fratrum maledicta maximè evitabit, & qui ſcipſos palam Deò dedicaverint, ſi profeſſionem poſteà reſcindere conati fuerint, iis nulla ad impudentiam cauſa reliqua fiet. Qui verò vitam cum virginitatis profeſſione ſuſcipere nolit, is tamquam qui res Dei accurare ſollicitè non poſſit, ipſis iiſdem adhibitis teſtibus dimittitor.* Etiam in brevioribus Regulis puerorum per parentes oblationem probat ac laudat, atque adjungit: *Firma tamen tunc erit profeſſio virginitatis, ex quo adulta jam ætas eſſe cœperit, & ea quæ ſolet nuptiis apta deputari ac perfecta.* Ex quo vides ſacrum Tridentinum Concilium, dum profeſſuras Virgines ſanxit ab Epiſcopo examinandas, à Patrum inſtitutis non receſſiſſe. Quæ omnia propter Baſilii auctoritatem confirmavit Trullana Synodus. Præter decimum ſeptimum ætatis annum. Decimum annum admiſit ad profeſſionem.

Cap. 25.

Cap. 6.

Can. 40.

Eadem ſententiarum varietas olim fuit in Latina Eccleſia. Sancti Benedicti Regula ſic habet: *Si quis fortè de Nobilibus offert filium ſuum Deo in Monaſterio, ſi ipſe puer minori ætate eſt, parentes ejus faciant petitionem. Et cum oblatione ipſam petitionem, & manum pueri involuant in palla Altaris, & ſic eum offerant.* Subjungit ſpectantis ad puerum ſubſtantiæ oblationem, atque proſequitur: *Similiter & pauperiores faciant. Qui verò ex toto nihil habent, ſimpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium ſuum coram teſtibus.* Quæ Patris oblatio omninò fuit filii profeſſio, & ipſum perpetuò Divinæ Majeſtati ac Monaſterio obligavit. Lucet ex oblatione ſanctorum Mauri & Placidi, ac plurium aliorum. Et puerum Gregoriano ad Scauri clivum Monaſterio à parentibus oblatum, quod adoleſcens apoſtataſſet; fuiſſe à Deo graviſſimè percuſſum ſcribit in litteris ad Nicolaum ſecundum Pontificem ſanctus Petrus

Cap. 59.

Da-

Lib. 1. Damiani. Eundem ſenſum lucidè habuit quarta Toletana Synodus:
Epiſt. 9. *Monachum aut paterna devotio, aut propria profeſſio facit. Quidquid horum
fuerit, alligatum tenebit. Proinde his ad mundum reverti intercludimus,*
Can. 49. *& omnem ad ſæculum interdicimus regreſſum.* Hoc ipſum de publicæ pœni-
tentiæ aſſumptoribus ſtatuit alius ejuſdem Synodi Canon, & adjungit:
Cap. 55. *Non aliter & hi, qui detonſi à parentibus fuerint, & poſteà habitum ſæcu-
larem ſumpſerunt, iidem à Sacerdote comprehenſi, ad cultum religionis, actâ*
Can. 6. *priùs pœnitentiâ, revocentur.* Tractandos illos ſancit uti Apoſtatas. Et
hoc extendit etiam ad fœminas. Et ſexta Synodus videtur confirmare.
Quidquid ſit, adverſus graſſantem prævaricationem lucidè ſtatuit de-
cima Synodus: *Si in qualibet minori ætate vel Religionis tonſuram, vel Re-
ligioni debitam veſtem, in utroque ſexu filiis aut unus aut ambo parentes de-
derint, certè aut nolentibus aut neſcientibus ſe ſuſceptam non mox viſam in
filiis abdicaverint, ſed vel coram ſe vel coram Eccleſia, palamq; in Conventu
eoſdem filios talia habere permiſerint, ad ſæcularem reverti habitum ipſis fi-*
Cap. 6. *liis quandoque penitùs non licebit. Sed convicti quod tonſuram aut religioſam
veſtem aliquando habuerint, mox ad Religionis cultum habitumq; revocen-
tur, & ſub æterna diſtrictione hujuſmodi obſervantiæ inſervire cogantur. Pa-
rentibus ſanè filios Religioni contradere non ampliùs quam uſque ad decimum
ætatis eorum annum licentia poterit eſſe.* Decennio majores ſancit nonniſi
ex propria voluntate obligandos.

Ejuſdem ſententiæ fuit Gallicana Eccleſia. Etenim quinta Aurelia-
Can. 19. nenſis Synodus *puellas, quæ aut propriâ voluntate Monaſterium expetunt,
aut à parentibus offeruntur,* mandat probandas in veſte Laïca, & lapſo
probationis tempore admittendas ad Religionis habitum, additque tunc
firmas in ſtatu, nec poſſe redire ad ſæculum. Hæc Canonis verba, *Se-
cundùm ſtatuta Monaſterii, in quo elegerint permanere,* intelligi oportet
de electione, quæ fit aut profitentis propriâ, aut offerentium parentum
voluntate alienâ. Ita exponit prima Matiſconenſis Synodus: *De puellis
quæ ſe Deo voverunt, & præclara decore ætatis ad terrenas nuptias tranſie-
runt, id cuſtodiendum eſſe decrevimus, ut ſi qua puella voluntariè, aut pa-
rentibus ſuis rogantibus Religionem profeſſa, vel benedictionem fuerit conſe-
cuta, & poſteà ad conjugium aut illecebras ſæculi, quod potius eſt ſtuprum
quàm conjugium judicandum, tranſgredi præſumpſerit, uſque ad exitum*
Can. 12. *cum illo, qui ſe hujuſmodi conjugio miſcuerit, communione privetur.* No-
tanda ſunt verba: *Religionem profeſſa, vel benedictionem fuerit conſecuta.*
Cap. 91. Priora ad voluntariè eligentes, poſteriora referenda ſunt ad oblatas à
parentibus. Et Apoſtata Monialis Agnes, quam graviſſimè punivit ea-
dem Synodus, omninò videtur non profeſſa fuiſſe, ſed oblata. Et hinc
ad

ad Sanctum noſtrum, reparaturum Gallicanæ Eccleſiæ lapſam diſciplinam, Apoſtolum Bonifacium reſcripſit Gregorius ſecundus Pontifex: *Addidiſti, quod ſi Pater vel Mater filium vel filiam intra ſepta Monaſterii in infantiæ annis ſub Regulari tradiderint diſciplina, utrum liceat eis, poſtquam pubertatis impleverint annos, egredi & matrimonio copulari. Hoc omninò devitamus, quia nefas eſt ut oblatis à parentibus Deo filiis voluptatis fræna laxentur.* Reſcripſit non ex Romanis dumtaxat Canonibus, ſed & ex Gallicanis. Et hinc verba iſta in ſuum vigeſimum ſecundum Canonem aſſumpſit ſub Adriani ſecundi Pontificatu celebrata Synodus Wormatienſis. Epiſt. 9. cap. 7.

Quinimò quoſdam Galliæ Epiſcopos aut Doctores tunc ſenſiſſe longè liberalius in Monaſticæ vitæ favorem, docet prima apud ſancti Ivonis Decretum Moguntina Synodus Riculphi Archiepiſcopi: *Si quis ante annos legitimos tonſuratus ſine conſenſu parentum ſuorum, & ſi parentes infrà annum non reclamaverint ad Principem, aut ad proprium Epiſcopum, aut ad Miſſum Dominicum, in ipſo Clericatu permaneat.* Et infrà: *Ille qui ante legitimos annos tonſuratus eſt, utrum in eadem tonſura permanere debeat necne, in poteſtate ſit parentum.* Et poſt varia concludit: *Hoc & de velandis puellis obſervandum eſt.* Quidam & Epiſcopi & Abbates pueros ac puellas etiam invitis parentibus tondebant aut velabant, & rata ac firma volebant tam velum quam tonſuram: Et hoc confirmat Riculphus Archiepiſcopus, læſis tamen parentibus annum indulgens ad reclamandum. Quod ipſum confirmat ejuſdem ſecunda Synodus, atque adjungit: *Deinceps cavendum eſt, ut nullus tondeatur, niſi legitima ætate, & ſpontanea voluntate, vel conſenſu parentum.* Euſque ſeu in Canonico, ſeu in Monachico habitu datam aliter tonſuram jubet eſſe ſtabilem & inconcuſſam. Nec tamen ſic ceſſavit violentia. Etenim adverſus illam ſtatuit in primo ſuo Capitulari Imperator Ludovicus Pius: *Ne pueri ſine voluntate parentum tonſurentur, vel puellæ velentur, modis omnibus inhibitum eſt. Et qui hoc facere tentaverit, mulctam quæ in capitulis legis mundanæ à nobis conſtitutis continetur, perſolvere cogatur.* Et nota, quod non ſoli Patres, ſed & Matres potuerint infantes ac pueros ſuos offerre Monaſteriis. Quare oblatio hæc plenè fundata non fuit in Patria poteſtate. Part. 7. cap. 26. Cap. 20.

Eumdem fuiſſe Romanæ Eccleſiæ ſenſum docent & ſancti Benedicti per magnum Gregorium probata Regula Monaſtica, & ſuprà laudatum Gregorii ſecundi Reſcriptum. Quod ipſum inſigniter lucet ex Reſcripto Nicolai primi ad conſtitutos in Germanico Regis Ludovici Regno Epiſcopos. Atto Comes in propriis fundis duo ædificaverat Monaſteria, vivebat iſtic Monachus, & novem annorum filium Lambertum invitum ac recalcitrantem, induerat cucullâ. Citra omnem Mo-

naſticæ Regulæ conſequentiam nec ipſum Pater Altaris palla involuerat, nec ita obvolutum ulli Abbati obtulerat, nec ullus Abbas ipſum Monachaliter benedixerat: Salomon Conſtanticnſis Epiſcopus dumtaxat ipſum invitum, & quidem citra patris oblationem compulerat ad aſſumendum Monaſticum habitum. Quod nempe prius patris factum cenſeret ſufficere ad Monaſticam filii obligationem. Verùm laudatus Pontifex ſenſit longè aliter. Vitioſum hunc Monachatum cenſuit, licet non penitùs vacuum, tamen infirmum, ideoque & caſſavit, Lambertum ad ejus obſervantiam violentes compelli vetuit, & tamen adjunxit: *Quapropter conſultius agetur, ſi piis ſuaſionibus contemptum mundi & amorem Dei prædicando, quam violentiam inferendo, illum ad Cæleſtem amorem accendamus. Vſque dum Divina inſpiratione compunctus propriâ voluntate ſe ſubdat, liceat eum à mundanis & laicalibus remotum vagationibus vel negotiis inter Religioſos & Eccleſiaſticos viros, in Canonica degere vita. Non enim putamus Canonicos Religioſos à Sanctorum Monachorum vita & conſortio ſejunctos.* Itaque & Germaniæ Epiſcopi, & Doctiſſimus Pontifex Nicolaus Monachatum hunc non cenſuerunt penitus vacuum, ſed dumtaxat dubium, ideoque & commutarunt in Regularem clericatum. A
2. Q. 3. memoratis formæ vitiis liberum judicaſſent omninò validum & firmum.
cap. 4. Laudata Epiſtola exſtat in Decreto Gratiani.

At verò contrariam ſententiam ſecutus fuit Montanus Toletanus Archiepiſcopus, ſtatuens in ſecunda Toletana Synodo: *De his quos voluntas parentum à primis infantiæ annis in clericatus officio vel Monachali poſuit, pariter ſtatuimus obſervandum, ut mox cum detonſi vel Miniſterio Lectorum contraditi fuerint, in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopi præſentia à Præpoſito ſibi debeant erudiri. At ubi decimum octavum ætatis ſuæ compleverint annum, coram totius Cleri & Plebis conſpectu voluntas eorum de expetendo conjugio perſcrutetur. Quibus ſi gratia caſtitatis placuerit, & promiſſione caſtimoniæ ſuæ abſque conjugali neceſſitate reſponderint ſervaturos, hi tanquam appetitores arctiſſimæ vitæ leniſſimo Domini jugo ſubdantur. His autem, quibus voluntas propria interrogationis tempore deſiderium nubendi perſuaſerit, conceſſam ab Apoſtolo licentiam auferre non poſſumus.* Hæc tunc erat univerſæ Hiſpaniæ conſtans ſententia, quam per poſteriores Synodos mutari impetrarunt ſanctus Leander, ejuſque frater ac in Hiſpalenſi Epiſcopatu ſucceſſor ſanctus Iſidorus: Haud dubiè propter ſancti Benedicti Regulam, probatam & firmatam à magno Gregorio. Et Montani ſententia videtur numquam caruiſſe Patronis. Hinc enim adverſa ſententia non tantum per quartam, ſed etiam per ſextam ac decimam Toletanam Synodum debuit innovari. Montani ſententiam amplexa eſt ſub Ludovici Pii Imperio

Digitized by Google

perio univerſa ferè Francia. Aquenſis enim Abbatum Synodus ſtatuit: *Vt puerum Pater aut Mater tempore oblationis offerant Altari, & petitionem pro eo coram laicis teſtibus faciant, quam tempore intelligibili ipſe puer confirmet.* Cap. 36 Hoc eſt, poſt acceptum uſum rationis.

Erat novum ſtatutum, & avitis Gallicanæ Eccleſiæ moribus adverſum. Lucet ex inſtrumento, quo Nobilis vir Widilo filiolum ſuum Amblulphum obtulit Novaliacenſi Monaſterio, & quod exſtat in ejuſdem Chronico: *Dum legaliter ſancitum antiquitus tenetur & cantum, cum oblationibus Domino parentes tradere ſuos filios in templo fæliciter ſervituros, procul dubio hoc de noſtris filiis faciendum nobis ſalubriter præbetur exemplum. Æquum enim judico Creatori noſtro de nobis reddere fructum. Idcirco ego VVidilo hunc filium noſtrum Amblulphum, cum oblatione in manu atque petitione, altaris palla manu mea involuta ad nomen ſancti Petri, & ſancti Andreæ, cæterorumque Sanctorum, quorum reliquiæ hic continentur, & tibi VVarnari præſenti Decano, ad vicem Domini VVitgari Epiſcopi, ſeu & Richarii Præpoſiti, trado coram teſtibus Regulariter permanſurum. Ita ut ab hac die non liceat illi collum de ſub jugo Regulæ excutere, ſed magis ejuſdem Regulæ fideliter ſe cognoſcat inſtituta ſervare, & Domino gratanti animo militare. Et ut hæc noſtra traditio inconvulſa permaneat, promitto cum jurejurando coram Deo & Angelis ejus, quia numquam per me, numquam per ſuſpectam perſonam, nec quolibet modo per rerum mearum facultates aliquando egrediendi è Monaſterio tribuam occaſionem.* Iſte Amblulphus ſub Carolo Magno rexit laudatum Monaſterium, & ipſi in dignitatem ſucceſſit Hugo ejuſdem Regis filius, atque ita lucet iſtum filialis oblationis morem uſque tunc in Gallia fuiſſe firmum & inconcuſſum. Et omnes ejus ritus hic inſigniter exprimuntur. Filii oblatio fiebat ad Miſſam tempore Offertorii, & parens prolem, uti quam v[illegible]aliam ſuam rem Divinæ Majeſtati ad Abbatis, aut certè Vicarii, Præpoſiti vel Decani manus, in perpetuum atque immobile ſervitium tradebat. Et de actus validitate nullus tunc hæſitabat in Gallia. Plures ejuſmodi antiquas paternæ oblationis formulas adducit in ſcholio ad trigeſimam ſecundam ſancti Lanfranci Epiſtolam Lucas Dacherius.

Et hinc præfatum adverſus S. Benedicti Regulam & plures ejus confirmatores Canones Abbatiale Decretum ab omnibus non fuit admiſſum. Etenim non ſolus Petrus Damiani, ſed etiam Maurus Epiſcopus iſtas filiorum oblationes profitebatur validas. A mota interim inter ipſos diſputatione motus Leo nonus ſtetit pro iſtis Abbatibus, edidit que Decretum, ut deinceps nemo fieret Monachus, niſi ætate legitima & propria voluntate. Qua in Synodo ediderit, ignoro. Et nec ipſum fuit ubique ad-

 miſſum.

Digitized by Google

miſſum. Etenim & Toletanos, & Gallicanos, qui iſtas oblationes firmant, Canones Decretis ſuis inſeruerunt & ſanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus, & Monachus Gratianus, ideoque ſuppoſuerunt adhuc vivere & ſervari. Et ad Goisfredum Conſtantienſem in Normandia Epiſcopum ſcribit ſanctus Lanfrancus Archiëpiſcopus Cantuarienſis: *De Sanctimonialibus; de quibus mihi dulciſſima Paternitas veſtra litteras miſit, hoc vobis reſpondeo. Sanctimoniales, quæ de ſervanda Regula profeſſionem fecerunt, vel quæ, quamvis adhuc profeſſæ non ſint, ad Altare tamen oblatæ fuerunt, ſecundum mores & vitas earum ad ſervandam Regulam moneantur, increpentur, conſtringantur. Quæ verò nec profeſſæ, nec oblatæ ſunt, ad præſens dimittantur ſic, donec voluntates earum de ſervando ordine ſubtilius exquirantur.*
Ep. 32.
Laudatum Leonis Decretum impulit Goisfredum ad conſultandum, & non ſecundum ipſum, ſed ſecundum ſancti Benedicti Regulam reſpondit ejuſdem Regulæ Profeſſor Lanfrancus. Et inter vetuſtas, quas in hujus Epiſtolæ ſcholiis adducit Lucas Dacherius, paternæ oblationis formulas una eſt facta ſub Philippo primo Francorum Rege. Et ad Pictavienſem Archidiaconum, qui neptem ſuam Adelitiam parabat invitam imponere Monaſterio, ſcribit Petrus Bleſenſis: *Canonum clamat auctoritas, quia Monachum ſive Monacham facit propria profeſſio, vel paterna devotio. Propriæ verò profeſſionis vinculo non ligatur, qui huic profeſſioni, quantum poteſt, renititur & reclamat. Nec adſtringit ipſam paterna devotio: Quia non eſt in ſacris patris, ſed quaſi emancipata per patris mortem, & in alienam poteſtatem non recidens animæ ſuæ adepta eſt facultatem.*
Epiſt. 54.
Lucidè ſupponit paternam oblationem adhuc vivere & obligare. Quod ipſum ſupponit in prima ſua Epiſtola ſanctus Bernardus. Et certè Ciſtercienſis reformatio non fuit aliud quam ſancti Benedicti Regulam cuſtodire ad litteram. Et de neſcio quo puero Apoſtata ſcripſit ad Belluacenſem Epiſcopum Alexander tertius: *Mandamus, quatenus ſi inveneris, quod non fuiſſet à parentibus oblatus, & infra decimum quartum annum facti voti pœnitens à religione receſſerit, ab illo voto profeſſionis, quod fecit, denunties abſolutum. Si autem à parentibus fuerit oblatus, ſeu decimum quartum annum compleverit, cùm Religionem intravit, ſeu poſt decimum quartum annum profeſſionem à ſe prius factam ratam habuerit, eum ad eandem, vel aliam Religionem tranſire compellas.* Clarè affirmat paternæ oblationi ineſſe profeſſionis vim, & ab ipſa non poſſe reſiliri.
L. 3. tit. 31. c. 11.

Et hinc de Cœleſtino tertio Pontifice ſcribit laudata ſuperius Hiſtorica compilatio: *Hic Papa Cœleſtinus conſtituit, quod pueri, cum venerint ad annos diſcretionis, id eſt, ad quindecim annos, ſi noluerint remanere in clauſtro, licitè poſſint ire ad ſæculum, & ad hæreditatem ſuam.* Leonis noſtri
A. 1190.

Decre-

Digitized by Google

Decretum innovavit,& ſanxit ubique ſervandum. Antiqua quæſtio mota fuerat ſub Clemente tertio: Altera Toletanos Canones, altera pars allegaverat magni Leonis Reſcriptum ad Ruſticum Metropolitam Narbonenſem. Et Clemens in exſtante apud Gregorium nonum Reſcripto reſpondit juxta Toletanos Canones: Reſpondit Paternâ oblatione & infantes & puellos omninò ligari, & ipſam ab adultis citra Apoſtaſiæ crimen non poſſe violari. Quia noſtri noni Leonis Decretum non laudat, quidam ſuſpicantur ipſum numquam fuiſſe. At argumentum non concludit. Etenim in communem obſervantiam non admiſſus Canon non habetur pro Canone, ideoque Clemens iſtum non laudavit. Eadem ergo facti ſpecies à neſcio quo Epiſcopo relata fuit proximo Clementis ſucceſſori Cœleſtino. Neſcio quis miles cum ſuo filiolo & omnibus ſuis bonis ſe tradiderat neſcio cui Monaſterio, & etiam dictum filiolum induerat habitu Monachali. Et conſultus Pontifex reſcripſit: *Reſpondemus, quod ſi dictus puer ad annos diſcretionis pervenerit, & habitum retinere noluerit Monachalem, ſi ad hoc induci nequiverit, non eſt ullatenus compellendus, quia tunc liberum ſibi erit eum dimittere, & bona paterna, quæ ipſi ex ſucceſſione proveniunt, poſtulare.* Et hoc eſt lucidè Decretum à memorata Hiſtorica compilatione laudatum. Et ipſum à ſucceſſoribus Pontificibus firmatum cuſtodit uſque hodie omnis Latina Eccleſia. Hinc enim ad tertii decimi ſæculi annum vigeſimum ſextum Narbonenſis Provinciæ Benedictini Abbates ad reparandam diſciplinam ediderunt, & per Gregorium nonum probari impetrarunt ſtatuta varia, & in ipſis hunc articulum: *Infantes, qui recipiuntur in Monaſteriis, & quotidie audiant Regulam exponi, & ſchola non exeant, donec legitimæ ætatis fiant, & tunc profeſſionem faciant, & benedictionem accipiant ſecundum formam Regulæ.* Propter laudatam Cœleſtini conſtitutionem ſtatuunt adverſus ſancti Benedicti Regulam. Eandem conſtitutionem dudum antea ſervavit omnis Orientalis Eccleſia. Hujus enim ferè omnes Monachi, uti lucet ex Trullana ac ſeptima Synodo, jam dudum vixerunt ſecundum Regulam ſancti Baſilii, ideoque paternas filiorum oblationes non duxerunt ratas, niſi ubi per ipſos oblatos in adulta ætate firmarentur.

Lib. 3. tit. 31. cap. 12.

Cap. 14.

## *Exponuntur aliquot de hac re quæſtiones.*

PRima quæſtio eſt, An præſens Leonis noni Decretum à nullis Monaſteriis fuerit admiſſum? Reſpondeo à quibuſdam fuiſſe admiſſum. Etenim de totius Benedictinæ Religionis capite Caſſinenſi Monaſterio ſcribit ad Deſiderium Abbatem ſanctus Petrus Damiani:



Digitized by Google

*Inter cæteros virtutum flores, quos in illo agro pleno, cui benedixit Dominus, reperi, fateor, hoc mihi non mediocriter placuit, quod ibi ſcholas puerorum, qui ſæpe rigorem ſanctitatis evertunt, non inveni, ſed omnes aut ſenes, cum quibus utique nobilis vir ſedebit in portis Eccleſiæ, aut juvenili vivendi decore lætantes. Qui nimirum ut filii Prophetarum idonei ſunt ad Eliam per deſerta*
Lib. 2. Ep. 17. *quærendum. Aut certè adhuc adoleſcentiæ flore vernantes, qui juxta Apoſtolum Ioannem vicêre malignum.* Quod non ſolum ſanctus Pater Benedictus, ſed ipſius etiam in Caſſinenſis Monaſterii Præfectura ſucceſſores dudum admiſerint oblatos à parentibus pueros atque infantes, eſt omnibus exploratum. Quare hanc mutationem adſcribi oportet Leonis noſtri Decreto, aut certè alicui novellæ, quam iſtud confirmarit, conſuetudini. Et licet ipſam hic laudet Petrus, in litteris tamen ad Aripertum Mona-
Lib. 6. Ep. 17. chum pergit laudare paternam filiolorum oblationem, & ſancti Samuëlis exemplo comfirmare. Quidquid ſit, à patris ſui Regula multi Abbates noluerunt recedere.

Secunda quæſtio eſt, Qua de cauſa Cœleſtinus tertius laudatum Leonis Decretum innovaverit, & admitti juſſerit per omnem Latinam Eccleſiam? Reſpondeo rationem edici à Guilielmo Thorne, ubi ſcribit de Cantuarienſi ſuo ſancti Auguſtini Monaſterio: *Quia nonnulli Albates, carnali ducti amore, ac etiam divitum & præpotentum patriæ coacti importu-*
A. 1168. *nitate, pueros vix ablactatos ſolebant ad Monachalem habitum pro libito ſuæ voluntatis ſuſcipere, in ſcandalum religionis & detrimentum Eccleſiæ, ideo ſub hoc tempore Conventus ex præteritis damnis futura pericula doctus præcavere, impetravit à Papa Alexandro tertio privilegium inhibitionis, ne de cætero pueri infra quindecim annorum ætatem in iſto Monaſterio ad habitum Monachalem ullo modo recipiantur.* Quod pueri in Monaſteriis ſoleant enervare diſciplinam, nobis jam dixit ſanctus Petrus Damiani. Galliæ ac Germaniæ Monaſteria, olim numeroſiſſima ac opulenta, in libris de ſua vita Guibertus Novigenti Abbas lamentatur eſſe ſuo tempore ad pauperiem
Lib. 1. cap. 80. & Fratrum paucitatem redacta, & dat cauſam: *Perpauci reperiri poterant, qui peccati faſtidio ſæculum reſpuiſſent, ſed ab illis potiſſimum detinebantur Eccleſiæ, qui in eiſdem parentum devotione contraditi ab ineunte nutriebantur ætate. Qui quanto minorem ſuper ſuis, quæ nulla videbantur egiſſe, malis motum habebant, tanto intra Cœnobiorum ſepta remiſſiori ſtudio victitabant.* Ab hiſce tepidis fratribus affirmat Monaſticum ſtatum deveniſſe in ſummas calamitates, ac de ruina fuiſſe periclitatum, niſi illum divina bonitas per novum Carthuſienſium & Ciſtertienſium fervorem erexiſſet. Adverſum iſtos pueros ſtatuit etiam Cluniacenſium Abbas Petrus Vene-
Cap. 38. rabilis: *Statutum eſt, ut nullus, etiam ex conceſſione, futurus Monachus,*

*Regula-*

Digitized by Google

*Regularibus uſque ad annum vigeſimum veſtibus induatur. Cauſa inſtituti hujus fuit immatura, nimiſq; celer infantium ſuſceptio, qui antequam aliquid rationabilis intelligentia habere poſſent, ſacræ Religionis veſtibus induebantur, & admixti aliis, puerilibus ineptiis omnes perturbabant. Et ut quædam taceam, & multa breviter colligam, & ſibi nihil penè proderant, & aliorum poſtea religioſum Propoſitum non parum, imò quandoque plurimum, impediebant.* Varia igitur ex ipſorum admiſſa naſcentia incommoda conſiderans Cœleſtinus, iſtud Alexandri privilegium ſanxit deinceps fore univerſalem legem.

Tertia quæſtio eſt, Quæ olim ætas requiſita fuerit in profitentibus? Reſpondeo Magnum Baſilium in fuſioribus Monachorum Regulis requirere plenum rationis uſum, de annis tacere. Primum repetit in Canonicis ad ſanctum Amphilochium litteris, atque adjungit: *Puerlles voces omninò in his ratas exiſtimare non oportet, ſed eam quæ ſupra ſedecim aut ſeptemdecim annos nata fuerat, rationiſq; compos, oportet in ſacrarum Virginum catalogum referre, ejuſq; confeſſionem comprobare.* An idem de maſculis ſtatuat, non poſſim certus affirmare. Quidquid ſit, Arſenius Monachus in ſua Synopſi habet hunc Canonem: *Oportet eum, qui ſæculo nuntium remittit, & fit Monachus, non minus quàm decem annos eſſe natum.* Lucidè loquitur Canon de profeſſione, quæ citra Apoſtaſiam non poſſit violari. Eandem ætatem requirit in libris adverſus Monaſticæ vitæ Vituperatores ſanctus Joannes Chryſoſtomus. Adverſum eos, qui non niſi poſt exactum matrimonium ac in vitæ fine cenſebant ſuſcipiendum Monachatum, cum Propheta docet Domini jugum portandum ab adoleſcentia, & proſequitur: *Nempe ſi eſſet in poteſtate noſtra certaminis tempus, rectè forſan ſenectutem exſpectare poſſemus. Sin verò per omnem vitam nobis dimicandum eſt, à prima ſtatim ætate inchoandum, cum decem annorum eſſe cœperimus. Ex ea quippe ætate eorum omnium, quæ peccavimus, rationem reddituri, pœnaſq; daturi ſumus.* Et hanc ſuam Regulam multis confirmat. Videtur non certum ætatis annum, ſed plenum dumtaxat rationis uſum exquirere. Et hanc ejus Regulam omninò reſpexit Trullana Synodus, à Magni Baſilii, quæ in profitente Virgine ſeptemdecim aut ſedecim exquiſivit annos, diſciplina recedens, & in utroque ſexu requirens annos dumtaxat decem, ipſóſque ab Epiſcopi arbitrio permittens vel differri vel præveniri. Utique pro rata judicii, quod in profeſſuro Epiſcopus adverterit. Et hac lege hodierni etiam Græci vivunt. Ita teſtatur in centeſimi vigeſimi ſeptimi Africani Canonis Commentario Theodorus Balſamon, atque adjungit: *Si velis præſentem Canonem ſic valere, ut præjudicio non afficiantur Epiſcopi, qui præter juſtam*

Cap. 15.
Cap. 18.
C. 104.
Lib. 3. c. 15 16.
Cap. 40.

*juſtam cauſam aliquos etiam ante decennium veſtiunt, nemo eſt qui prohibeat.* Loquitur de utroque ſexu. Eadem lex olim viguit item apud Latinos. Lucet ex Regula ſancti Aureliani Archiepiſcopi Arelatenſis: *Minori ætate in Monaſterio non excipiantur, niſi ab annis decem aut duodecim, qui*
Cap. 17. *& nutriri non egeant, & cavere noverint culpas.* Quidam tamen hæc non de admiſſione ad profeſſionem, ſed de admiſſione ad Novitiatum intelligunt, de qua ſtatuit in Sanctimonialium Regula etiam ſanctus Cæſarius: *Si fieri poteſt, aut difficile aut nulla umquam in Monaſterio infantula parvula, niſi ab annis ſex aut ſeptem, quæ jam & litteras diſcere, & obedientiæ poſſit obtemperare, ſuſcipiatur.* Quidam exiſtimant paternas parvularum prolium oblationes ab hiſce item ſanctis Patribus non fuiſſe admiſſas. Quidquid ſit, de profeſſione omnino loquitur in litteris ad Anthemium Subdiaconum, Apoſtolici in Campania Patrimonii Rectorem, magnus Gregorius: *Quia dura eſt in Inſulis congregatio Monachorum, etiam pueros in Orphiaria Monaſteriis ante decem & octo annorum*
Lib. 1. Ep. 48. *tempora ſuſcipi prohibemus, vel ſi qui nunc ſunt, tua eos Experientia auferat, & in Romanam urbem tranſmittat. Hoc etiam in Palmaria, aliiſq; Inſulis te per omnia volumus cuſtodire.* Quid ſit dura Monachorum congregatio, exponit in litteris ad Symmachum Defenſorem: *Horiſco Abbati injunximus, ut in Gorgonem Inſulam pergat, cum quo tua Experientia pariter eat, & mala omnia, quæ illic cognovimus admiſſa, ita vindicate, ut per ultionem*
Ep. 50. *veſtram præfata Inſula etiam inpoſterum maneat correcta.* In adjacentibus Italiæ Inſulis laxata erat Monaſtica diſciplina, ideoque optimus Pontifex nolebat pueros iſtic periclitari. Ex eadem Regula ſcripſit ad Candidum Presbyterum, Apoſtolici in Gallia Patrimonii Rectorem: *Volumus ut Dilectio tua ex ſoldis quos acceperit, pueros Anglos, qui ſunt ab annis decem & ſeptem vel decem & octo, ut in Monaſteriis dati Deo proficiant, comparet. Quatenus ſolidi Galliarum, qui in terra noſtra expendi non poſſunt,*
Lib. 5. Ep. 10. *apud locum proprium utiliter expendantur.* Et cum Imperatore Mauritio, & cum regnantibus in Italia Longobardis Francorum Reges paſſim non bene convenerunt, atque ita licet Gallicana Romanæ Eccleſiæ Patrimonia non invaſerint, ex ipſis tamen collectam, uti & quamvis aliam, pecuniam vetuerunt exportari Regni finibus. Hinc ipſam providus Gregorius impendi juſſit emendis intra Galliam Anglicanis mancipiis, emi ſolos octodecim aut ſeptemdecim annorum juvenes, ipſos donari Monaſteriis, atque illic in neophytæ ſuæ gentis Apoſtolos educari. Emi juſſit ſolos iſtos, qui ſub illo onere admitterent Apoſtolicum libertatis beneficium. Et ne poſteà aucupari poſſent reſiliendi fucos, eſſe juſſit ſeptemdecim aut octodecim annorum. Quæ omnes à communi Regula

gula exceptiones demonſtrant minorem ætatem tunc ad profitendum fuiſſe paſſim admiſſam.

Variæ tamen Latinorum gentes habuerunt varios mores. Etenim Toletana ſub Montano Archiëpiſcopo Synodus oblatos à parentibus infantes ac pueros ſanxit educari ad annum uſque octavum decimum, & tunc demum illis fieri facultatem vel recedendi ad ſæculum, vel ſtabiliter profitendi. Nulli igitur ante iſtum annum permiſit profeſſionem. At verò decima ejuſdem civitatis Synodus offerendos à parentibus pueros mandat eſſe minores anno quarto decimo. Majores ligari non vult, niſi propriâ voluntate. Ergò ad validam profeſſionem exquiſivit annos completos dumtaxat quatuordecim. At verò in Romana ſua Synodo Eugenius ſecundus Pontifex ſtatuit: *Fœminæ, quæ habitum Religioſum, aut velamen obtentu Religioſitatis ſuſceperunt, cùm eſſent viri potentes, deinceps viro ſociari non permittantur, ſed eligentes Monaſteria regulariter vivant, aut in domibus ſuſceptum habitum caſtè obſervent.* Quem Canonem firmavit Leo quartus, addens ipſo etiam puellos ligari. Ambo videntur ſtatuiſſe juxta antiquos Canones aut mores Romanæ Eccleſiæ. Et juxta magnum Baſilium, qui in brevioribus Monachorum Regulis ſcribit: *Apta tunc erit profeſſio Virginitatis, ex quo adulta jam ætas eſſe cœperit, & ea quæ ſolet nuptiis apta deputari atque perfecta.* Porrò puelli quarto-decimo, puellæ paſſim duodecimo anno fiunt potentes matrimonialis operis. Et hi omninò ſunt anni legitimi, de quibus apud ſancti Ivonis Decretum ſtatuit prima Synodus Riculphi Archiëpiſcopi Moguntini: *Si quis ante annos legitimos tonſuratus eſt ſine conſenſu parentum ſuorum, & ipſi parentes intra annum non ſe reclamaverint, in ipſo Clericatu permaneat. Si verò poſt legitimos annos per vim clericus factus eſt, & infra annum minimè ſe reclamaverit, in clericatu permaneat.* Et infra: *Hoc & de velandis puellis obſervandum eſt.* Et ſecunda ejuſdem Synodus: *Deinceps cavendum, ut nullus tondeatur, niſi in legitima ætate, & ſpontanea voluntate, vel cum conſenſu parentum.* Quæ ſit legitima, ac ſpontaneam voluntatem habens ætas non exprimit: Quod alia eſſet maſculis, alia fœmellis. Et res erat nota. Ipſam poſtea expreſſit Triburienſis Synodus: *Puella ſi ante duodecim annos ætatis ſuæ ſponte ſua ſacrum ſibi velamen aſſumit, poſſint ſtatim parentes vel tutores ejus id factum irritum facere, ſi volunt. At ſi annum & diem id diſſimulando conſenſerint, ulterius nec ipſa nec ipſi mutare hoc poterunt. Porrò ſi in fortiori ætate adoleſcentula vel adoleſcens Deo ſervire elegerint, non eſt poteſtas parentibus hoc prohibendi.* Iſtam reclamandi poteſtatem facit etiam pupillarium Virginum Mundiburnis. Lucidè affirmat duodecim ætatis annos ſufficere ad profitendum.

Cap. 29.

Cap 6.

Part. 7. cap. 26.

C. 116.

Cap. 33.

C. 11. At verò in litteris ad Belluacenſem Epiſcopum, in litteris ad neſcio
C. 8. quem Civitatenſem Canonicum Alexander tertius, ac in litteris ad
C. 8. Caſſinenſem Abbatem Innocentius tertius in profeſſuro adoleſcente diſertè exquirunt annos completos quatuordecim. Exſtant litteræ apud Gregorium nonum ſub titulo de probationibus, & ſub titulo de Regularibus. Emiſſam antea profeſſionem Alexander lucidè adfirmat eſſe vacuum attentatum. At verò Innocentius reſcripſit Roberto Lingonenſi Epiſcopo: *Quæſiviſti, utrùm illi, qui in annis minoribus conſtituti Novitiorum habitum ſuſceperunt, & infra annum factâ poſtmodum profeſſione,*
L. 3. Ep. *ad ſæculum ſunt reverſi, & ab Epiſcopis ſuis hoc ſcientibus ad ſacros Or-*
116. *dines ſunt promoti, ſuſtineri debeant in illis Eccleſiis miniſtrare, in quibus fuerint ab eiſdem Epiſcopis inſtituti.* Robertus dubitabat, an eſſent Apoſtatæ, ideoque irregulares. Et Innocentius reſpondit: *Propter hoc non ſunt ab ipſis Eccleſiis amovendi, ſed in iis poſſunt liberè miniſtrare, niſi fortè prudentia ſuppleverit in illis ætatem.* Hoc caſu factam ante completos quatuordecim annos profeſſionem habet firmam & ratam. Et adjungit: *Vel ſaltem tranſire debeant ad Regulam priorem, cùm ipſi abſque proteſtatione Religionis habitum aſſumendo, vitam præſumantur voluiſſe mutare.* Etiam iſtorum, in quibus prudentia ætatem non ſupplet, profeſſionem habet ratam. Quocirca ætatis defectus uſque tunc non fuit virium certò ſubſtantiale. Fuerunt variæ de ipſo ſententiæ. Porrò de Sanctimonialibus ſtatuit ad titulum de Electione Bonifacius octavus: *Nulla*
Cap. 43. *Monialis, niſi duodecimum annum peregerit, & profeſſa fuerit tacitè vel expreſſè, ad eligendam Abbatiſſam cum aliis admittatur.* Palam ſupponit duodecim completos annos ſufficere puellis ad profitendum. Apud
L. 3. tit. eundem exſtat conſtitutio, quâ Innocentius quartus diſcretionis an-
14. c. 1. nos in maſculo adfirmat eſſe completos quatuordecim, & ante ipſos nec expreſſè nec tacitè quempiam poſſe profiteri. Ex quibus omnibus lucet, quòd Romana Eccleſia in maſculis quatuordecim, in fœmellis ſolos duodecim annos ſemper exquiſierit. Et quod uſque ad quartum Innocentium prudentia in maſculis potuerit ſupplere ætatem. Et ità viximus uſque ad ſacroſanctum Tridentinum Concilium, quod in utroque ſexu ad profeſſionis ſubſtantiam exquiſivit ſedecim completos annos. Hinc item lucet Decretum, quo Cœleſtinus tertius laudatur exquiſiſſe quindecim annos, nec in ipſius Romanæ Eccleſiæ tranſiiſſe mores. Eadem eſt ratio Decreti hujus, quod Otto ſancti Nicolai in Tulliano carcere Diaconus Cardinalis, Gregorii noni per Angliam Legatus, in Londinenſi Benedictinorum Abbatum congregatione edidit
A 1238. apud Matthæum Pariſienſem: *Nullus ante vigeſimum annum comple-*

*tum*

Digitized by Google

*tum ad profeſſionem , & decimum nonum ad probationem in Monaſterium de cætero admittatur.* Nec in Anglia admiſſum fuit aut ſervatum.

Quarta quæſtio eſt, An ſolus olim Pater parvulas ſuas proles potuerit Deo ac Monaſteriis offerre? Partem affirmativam ſuadet ratio patriæ poteſtatis, quam & gentilium & Chriſtianorum Romanorum leges ſoli Patri adſcripſerunt. Hinc ſolus Pater poterat prolem ex cauſis vendere aut donare in ſervum aut filium adoptivum. Ergo & in Monachum. Et patria quidem poteſtas apud primævos Romanos fuit tanta, ut etiam vitæ & necis jure Pater polleret in filium, ideoque longè magis poſſet Divinæ præſertim Majeſtati tradere in perpetuam ſervitutem. Reſpondeo tamen hanc oblationem non fundari in patria poteſtate. Etenim Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus ſe non à patre, ſed à ſola matre ſcribit Deo fuiſſe oblatum. Et ad ſanctum Amphilochium ſcribit magnus Baſilius: *Multas*, utique infantes aut parvulas, *Parentes & Fratres offerunt, & quidam eorum qui eas cognatione contingunt.* Utique pupillarum aut à parentibus deſertarum Curatores. Etiam Paulam filiolam non pater, ſed ſola mater Læta Deo conſecravit. Et plerique uſque huc adducti Canones utrique parenti palàm adſcribunt parem hac in re poteſtatem. Et Aquenſis Abbatum Conventus habet: *Puerum pater aut mater tempore oblationis offerunt.* Et in ſancti Ivonis Decreto Triburienſis Synodus ſancit: *Quicumque filiam ſuam, aut neptem, vel parentem ſuam Deo Omnipotenti offerre voluerit, licentiam habeat.* Utique neptem vel parentem, cujus habuerit tutelam. Lucet ex præcedenti Canone: *Puella ſi ante duodecim ætatis ſuæ annos ſponte ſua ſacrum ſibi velamen aſſumit, poſſint ſtatim parentes vel tutores ejus id factum irritum facere, ſi velint.* Poſſunt & ratificare. Et hæc ratificatio habet vim oblationis. Riculphi Archiepiſcopi prior Moguntina Synodus eandem poteſtatem agnoſcit Domino in ſervum. Et certè ſi Dominus ſervum poſſit homini vendere aut donare, cur non & Divinæ Majeſtati? Hæc igitur poteſtas non in Romano, ſed in naturali aut communi gentium fundatur jure, quod utrique parenti parem in proles impartit auctoritatem. Nam & alterius conſenſus ſufficit, ut communis infans à nobis baptizetur. Can. 36.

Quinta quæſtio eſt, Quam formam requirat hæc oblatio? Reſpondeo nullam eſſe præfixam ab antiquis Canonibus. At verò ſanctus Benedictus hanc præſcripſit in ſua Regula: *Si quis offert filium ſuum Deo in Monaſterio, ſi ipſe puer minori ætate eſt, parentes ejus faciant petitionem. Et cum oblatione ipſam petitionem, & manum pueri involvant in palla altaris, & ſic eum offerant.* Petitionem exponit præcedens caput: *Suſcipiendus in Oratorio coram omnibus promittat de ſtabilitate ſuâ, & con-* Cap. 59.

*verſionem morum ſuorum , & obedientiam coram Deo & Sanctis ejus. Etſi aliquando aliter fecerit, ab eo ſe damnandum ſciat, quem irridet. De qua promiſſione ſuâ faciat petitionem ad nomen Sanctorum, quorum Reliquiæ ibi ſunt, & Abbatis præſentis. Quam petitionem manu ſuâ ſcribat, aut certè ſi non ſcit litteras, alius ab eo rogatus ſcribat. Et ille Novitius ſignum faciat, & manu ſuâ eam ſuper altare ponat.* Et infra : *Illam petitionem , quam deſuper Altare Abbas tulit, non recipiat* novellus Monachus, *ſed in Monaſterio reſervetur.* Hæc igitur petitio eſt Monaſtica trium votorum profeſſio, cum adjunctis precibus, quibus profitens ipſam ſupplicat à Divina Majeſtate, Tutelaribus Monaſterii Sanctis, ac præſente Abbate admitti & firmari. Et hanc formam cum tota ſancti Benedicti Regula probavit, & in morem redegit magnus Gregorius, omniſque jam pridem Latina Eccleſia. Plura ejus, & pro adultis, & pro parvulis antiqua exemplaria ex vetuſtis Monaſteriorum archivis produxit, ac ſuis ad ſancti Lanfranci vitam & ejuſdem trigeſimam ſecundam Epiſtolam ſcholiis inſeruit Lucas Dacherius. Audiamus unam : *Dum legaliter ſancitum antiquitùs teneatur & cautum, cum oblationibus Domino parentes ſuos tradere filios in templo Domini fœliciter ſervituros. Procul dubio hoc de noſtris filiis faciendum ſalubriter prabetur exemplum. Æquum enim judico Creatori noſtro de nobis reddere fructum. Idcirco ego Hildegrinus hunc nepotem meum nomine Riſuinum cum oblatione in manu atque petitione, altaris palla manu meâ involuta, ad nomen ſancti Remigii, vel ad Sanctorum, quorum etiam Reliquiæ hic continentur, & Abbati præſenti trado coram teſtibus permanſurum, ita ut ab hac die non liceat illi collum de ſub jugo Regulæ excutere, ſed magis ejuſdem regulæ fideliter agnoſcat inſtituta ſervare, & Domino gratanti animo militare. Et ut hac mea traditio inconvulſa permaneat , promitto jurejurando coram Deo, & Angelis ejus, numquam per me , numquam per ſuſpectam perſonam, nec quolibet modo per rerum mearum facultates aliquando egrediendi de Monaſterio occaſionem tribuam. Et ut hac mea traditio firma & inviolata permaneat, manu meâ ſubterfirmavi.* Filii aut nepotis oblator, non ſolum pro filio aut nepote, ſed etiam profitebatur pro ſemetipſo : Profitebatur ipſum numquam incitare, fovere, aut adjuvare ad prævaricandum. Nam & hoc disertè mandat ſancti Benedicti Regula. Eundem oblationis ritum laudavit Otto Comes , ubi de Lamberto filio ſuo dixit ad Nicolaum primum : *Ego pater ejus pallâ altaris involutum illum non obtuli, neque à quocumque Sacerdote vel Abbate, ut mos depoſcit, benedictione perceptâ Regulæ umquam ſubactus fuit Monachus.* Et ex hoc etiam capite laudatus Pontifex Lambertum à prætenſo adverſus ipſum Monachatu abſolvit. Et meritò. Etenim paterna obla-

oblatio atque petitio, nec non & Abbatis acceptatio lucidè ſpectant ad ſubſtantiam. Eſt enim, uti ſanctus Bernardus ſcribit, *Votum patris de filio.* Epiſt 1. Et de ſuo nepote Roberto addit: *Petitio, quam Regula præcipit, pro eo facta non fuit à parentibus, nec manus illius cum ipſa petitione involuta palla altaris, ut ſic offerretur coram teſtibus.* Hinc ſcribit ipſum non oblatum fuiſſe, ſed promiſſum duntaxat, ideoque non ligatum. Et quidem ut in Miſſa ad Offertorium fiant hæc omnia, mandat etiam Aquenſis Abbatum Conventus. Et habent ſuas rationes. Verùm an ſubſtantialia fuerint, non velim affirmare.

Sexta quæſtio eſt, An etiam antiqui Monachi habuerint Novitiatum? Reſpondeo habuiſſe. Etenim Hermias Zozomenus affirmat in antiqua ſancti Pachomii Regula fuiſſe & hunc Articulum: *Si quis cum ipſis habitare cuperet, ut primò omnium gravioribus laboribus ad triennium exerceretur, & ita eorum convictus particeps fieret.* Eandem Regulam fuiſſe Pachomio ab Angelo traditam affirmat in Lauſiaca Hiſtoria Palladius Helenopolitanus Epiſcopus, & laudat hæc ejus capita: Lib. 3. cap. 33. *Eum qui ſemel ingreditur, nec poteſt ad triennium ſuſtinere certamen, non admittes. Sed cum opera fecerit difficiliora, ſic prodeat in ſtadium poſt triennium.* Cap. 38. Graviores iſtos labores multis deſcribit in quarto Monaſticarum inſtitutionum libro Joannes Caſſianus. Laudat quadrageſimum nonum Regulę caput, in quo triennii non fit mentio, ſed hæc ſtatuuntur de Novitiorum habitu: *Tunc nudabunt eum veſtimentis ſæcularibus, & induent habitu Monachorum, tradentq; Oſtiario, ut orationis tempore adducat eum in conſpectum omnium fratrum.* Sub Pachomio non videtur fuiſſe diſcrimen minoris habitus à majori. In Canonicis ad ſanctum Amphilochium litteris etiam magnus Baſilius ſcribit nullam ad ſervandæ in propria etiam domo Virginitatis profeſſionem admitti, niſi *quæ diu examinata ac probata perſeveraverit, & ut admittatur precibus contenderit.* Cap. 18. Et in ſua Monaſtica Regula admittendi Novitii modum præſcribit quaſi ex ſancto Pachomio, ac pergit: *Cum ex his ſingulis documentis fuerit comprobatus, quia firmâ mente & ſtabili conſilio, ac prompto animo ſit, tunc ſuſcipi eum decet. Prius autem quam corpori fraternitatis inſeratur, oportet ei injungi quædam laborioſa opera, & quæ videntur opprobrio haberi à ſæcularibus. Et obſervari oportet, ſi libenter hæc, & libere, & fiducialiter expleat, nec confuſionem eorum graviter ferat. Vel etiam ſi in labore impiger inveniatur & promptus.* Cap. 6. Ejuſmodi repertos ſancit admitti ad profeſſionem. Etiam aliorum antiquiſſimorum Patrum Regula lucidè laudat Novitiatum. Etiam pleræque Latinorum Patrum Regulæ. Et quidem ſanctus Benedictus ipſum jubet eſſe integri anni, ac intra ipſum Novitio ter prælegi Regulam, &



Digitized by Google

& ante ipſius lapſum non admitti ad profeſſionem. Rei modum exponit antiqua per Lucam Dacherium ex ſancti Remigii Monaſterio producta formula, quâ probatus Novitius conſuevit profeſſionem petere: *Ego Rodfridus, initium converſionis meæ diligenter attendens, conſidero quod petitionibus meis primum non facilis conceſſus eſt introitus, ſed diu pulſanti mihi vix hoſpitii locus eſt miſericorditer attributus. In quo per paucos dies commoratus, Novitiorum ſum domum ingreſſus, in qua dura & aſpera primum mihi à Seniore ſunt prædicata, & ſtabilitatis meæ promiſſio expetita, & ter in anno lecta atque tradita eſt Regula, cum admonitione dicentis: Ecce lex, ſub qua militare vis, ſi potes obſervare, ingredere, ſi verò non potes, liber diſcede.* Primùm ergo Novitius ad hoſpitium in veſte Laïca, hinc ad Novitiorum domum in veſte Monaſtica, tandem profeſſus admittebatur ad Conventum. Quæ forma & apud Latinos & apud Græcos fuit paſſim obſervata.

Porrò in novella ad Epiphanium Conſtantinopolitanum Patriarcham Leg. 5. cap. 2. lege ſtatuit Imperator Juſtinianus: *Sancimus, ſacras ſequentes Regulas, eos qui ſingularem converſationem profitentur, non promptè mox à reverendiſſimis Præſulibus venerabilium Monaſteriorum habitum percipere Monachalem, ſed per triennium totum tolerare, nondum Monachicum habitum promerentes, ſed tonſurâ & veſte eorum, qui Laïci vocantur, uti, & manere divina addiſcentes eloquia.* Eos jugiter probandos atque erudiendos mandat, & proſequitur: *Et dum triennio toto ita permanſerint, optimos ſemetipſos & tolerabiles aliis Monachis & Præſuli demonſtrantes, hos Monachicam promereri veſtem atque tonſuram.* Ex ſancti Pachomii Regula vult Novitiatum eſſe completi triennii. Non in Monaſtica, ſed in Laïca veſte & tonſura. Hoc eſt, in parvo habitu. Et hoc ſecundùm ſacras Regulas. Ex quo lucet parvi & magni habitùs diſcrimen eſſe Juſtiniano longè antiquiùs. Si conjecturandi fiat libertas, ejus originem deferam in magnum Baſilium. Ex ſingulari, quæ Monaſticam etiam in oblatis per parentes parvulis vitam noluit ante ſeptimum decimum ætatis annum eſſe ratam ac firmam, magni Baſilii doctrina plures aſſumpſerunt occaſionem & fomentum excutiendi emiſſam ante profeſſionem, unaque ſacrum & Angelicum habitum, atque ad ſæculi vota redeundi. Et Baſilianæ diſciplinæ ſectatores cenſuerunt excuti ſine ſacrilegio, attamen non ſine magna venerandi habitus injuria. Hinc ipſum duxerunt nonniſi profeſſis credendum, atque ita inducendum parvum habitum. Quod ipſum apud nos Latinos videtur placuiſſe ſancto Cæſario Arelatenſi Archiëpiſcopo. Lucet ex ipſius ad Moniales Regula: *Ei quæ Deo inſpirante convertitur, non licebit ſtatim habitum Religionis aſſumere, niſi antea in* Cap. 3.

*mul-*

Digitized by Google

*multis experimentis fuerit voluntas illius approbata. Sed uni ex ſenioribus tradita annum integrum in eo, quo venit, habitu perſeveret. De ipſo tamen habitu mutando ſit in poteſtate Prioris: Et quomodo perſonam vel compunctionem viderit, ita vel celeriùs vel tardiùs ſtudeat temperare.* An in merè Laïco, an autem in parvo Monaſtico habitu Moniales ſuas probari ſanxerit, ignoro. Item laudatas ab adducta lege ſacras Regulas ignoro. Crediderim fuiſſe à Provincialibus hinc inde Synodis, aut potius à variorum hinc inde Monaſteriorum Patriarchis conditas, & per Juſtinianum extenſas ad omnem Eccleſiam. Novellas enim ſuas de Eccleſiaſticis rebus leges conatus ille eſt omnibus ſub Cœlo Eccleſiis imponere.

Et certè ipſas admiſit etiam Latina, ipſaque item Romana Eccleſia. Non tamen hunc Articulum. Magnus enim Gregorius hac in re magis probavit Regulam ſancti Benedicti. Sed nec ipſam hìc admiſit per omnia. Lucet ex litteris ad Fortunatum Neapolitanum Epiſcopum: *Pervenit ad nos, Mauritium quendam, qui nuper in Monaſterio Barbatiani converſus eſt, ablatis ſecum aliis Monachis, fugâ de eodem Monaſterio diſceſſiſſe. Qua in re prædictum Barbatianum ſua nobis præcipitatio vehementer accuſat, qui temerè ſæcularem hominem, & non ante probatum tonſuravit. Propterea Monaſteriis omnibus Fraternitas veſtra diſtrictiùs interdicat, ne eos, quos ad convertendum ſuſceperint, priuſquam biennium in converſatione compleant, nullo modo audeant tonſurare. Sed hoc ſpatio vitæ eorum, moreſque ſollicitè comprobentur, ne quis eorum aut non ſit contentus quod voluit, aut ratum non habeat quod elegit.* Recedit à ſancti Benedicti Regula, & admittit laudatam Juſtiniani legem, verùm cum temperamento, & diſpenſatione unius anni de præſcripto per ipſam triennio. Extendit & ampliat hoc ſuum anterius Synodale Decretum: *Multos de Eccleſiaſtica vel ſæculari familia novimus ad omnipotentis Dei ſervitium feſtinare, ut ab humana ſervitute liberi, in divino ſervitio valeant familiariùs in Monaſteriis converſari. Quos ſi paſſim dimittimus, omnibus fugiendi Eccleſiaſtici juris Dominium occaſionem præbemus, ſi verò feſtinantes ab omnipotentis Dei ſervitio incautè retinemus, illi videmur negare quædam, qui dedit omnia. Unde neceſſe eſt, ut quiſquis ex juris Eccleſiaſtici vel ſæcularis militiæ ſervitute ad Dei ſervitium converti deſiderat, probetur priùs in Laïco habitu conſtitutus. Et ſi mores ejus atque converſatio bono deſiderio ejus teſtimonium ferunt, abſque retractatione ſervire in Monaſterio omnipotenti Domino permittatur, ut ab humano ſervitio liber recedat, qui in divino obſequio diſtrictiorem appetit ſervitutem.* Laudatæ legi Imperator Juſtinianus adjecerat hanc ampliationem: Sive liberi ſint ſive ſervi. Permiſerat ſervos etiam inſciis atque invitis Dominis fieri Monachos: Per profeſſionem ſanxerat

Lib. 8. Ep. 23.

Lib. 4. 44.

rat ſervos emancipari, & quietari adverſus omnem calumniam. Nec ſine fundamento: *Nam ſi multis caſibus etiam ex lege hoc fit, & talis quædam libertas datur, quomodo non prævalebit divina gratia talibus eos abſolvere vinculis?* Verum humana nequitia eſt profunda & aſtuta. Quidam furtorum aut aliorum criminum rei ſervi ob evadendam pœnam fiebant Monachi, non ad ſanctimoniæ veritatem. Similes ſervos intra probationis triennium à Dominis reclamari permittit lex, & adjungit: *Triennii ſemel expleto tempore, ſervus judicatus quia Monaſticâ dignus eſt honeſtate, maneat in Monaſterio.* Præſcriptum vult adverſus Dominos, & nulla ex cauſa poſſe ab ipſis etiam adverſus malæ fidei ſervos reclamari. Placuit hæc lex omnibus ubique ſervis, atque ita plurimi tam ex Eccleſiaſtica, quàm ex ſæculari familia convolarunt ad Monaſteria, & ad profeſſionem omni modo feſtinabant. Etiam apud Romanam ac alias Latinas Eccleſias. Nec dubitandum, quin intervenerint plures Dominorum querimoniæ. Hinc ergo quoad ſervos aliquid laudatæ legis admiſit magnus Gregorius. Admiſit illis datam à lege facultatem & modum conſequendæ libertatis, ipſoſque probari voluit in veſte Laïca, ſeu parvo habitu, & quidem multo tempore. Non admiſit neceſſitatem pleni triennii. A ſancti Benedicti Regula exquiſitum annum excedi voluit: Juxta arbitrium Abbatis. Homines liberos permiſit laudatæ Regulæ. Verùm poſt Fortunatum Epiſcopum ac Barbatianum Abbatem turpiter à Mauritio Monacho circumſcriptos rem expendit maturiùs, & quoſvis generatim Novitios ſanxit in parvo habitu per totum biennium probandos. Ex quibus claret parvum habitum etiam apud Latinos omninò viguiſſe.

Ejuſdem Pontificis ad omnes Italiæ atque Illyrici Metropolitas, necnon ad Siciliæ Antiſtites Epiſtola ſic habet: *Si qui ex militaribus numeris in Monaſteriis converti feſtinant, non ſunt temerè ſuſcipiendi, niſi eorum vita fuerit ſubtiliter inquiſita. Et juxta normam Regularem debent in ſuo habitu per triennium probari, & tunc Monachicum habitum Deo auctore ſuſcipere. Qui ſi ita ſunt probati atque ſuſcepti, & pro anima ſua pœnitentiam de perpetratis culpis agere ſtudent, pro eorum vita & lucro cœleſti non eſt eorum converſio renuenda. Qua de re etiam ſereniſſimus & Chriſtianiſſimus Imperator, mihi credite, omni modo placatur, & libenter eorum converſionem ſuſcipit, quos in rationibus publicis implicatos non eſſe cognoſcit.* Et in Epiſtola ad Fortunatum Neapolitanum Epiſcopum: *Miles ſi converti voluerit, niſi priùs nobis renuntietur, nullus eum ſine noſtro conſenſu quâlibet præſumat ratione ſuſcipere.* Imperator Mauritius tulerat legem, ne quis publicis adminiſtrationibus Præfectus, aut manu ſignatus miles, niſi

Lib. 7. Ep. 11.

Lib. 8. Ep. 23.

niſi expletâ militiâ, aut per divales litteras ſolemniter abſolutus & manu
miſſus, promoveretur in Clerum, aut admitteretur in Monaſteria.
Nec penitùs ſine fundamento. Etenim & milites, & præſertim publici
Officiales quandoque peculatus aut aliorum criminum ſunt rei, ideo-
que Principi obligantur ad multas rationes. Quandoque item ſunt Rei-
publicæ neceſſarii. Hinc enim Comiti Bonifacio Monachatum ſtrenuè
diſſuaſit magnus Monachorum Pater ſanctus Auguſtinus. Legem inſi- Ep. 70.
gniter exponit in publicatis per Lucam Dacherium litteris ad Carolum
Calvum Francorum Regem Hincmarus Metropolita Remenſis: *Impe-* Tom. 2.
*rator Mauritius decrevit, ut ei, qui ſemel in terrena militia ſignatus fuerit,*
*niſi aut expletâ militiâ, aut pro debilitate ſui corporis repulſus, in Monaſte-*
*rium recipi, & Chriſto militare non liceat. Quod Religioſi Imperatores, &*
*ſanctus Gregorius auctoritate Apoſtolica & generali Epiſcoporum conſenſu,*
*Eccleſiaſtico vigore, ac Reipublicæ Chriſtianæ cohibente Religione deſtruxerunt.*
Eccleſiaſticæ libertati ac Evangelicæ pietati legem adverſari judicavit
Gregorius, impugnavit multis argumentis, ipſorum palmare ſcripſit
ad Theodorum Principis Medicum: *Hanc legem primùm, ſicut ii di-* Lib. 6.
*cunt qui leges veteres noverunt, Julianus protulit, de quo ſciunt omnes,* Ind. 11.
*quantum Deo adverſus fuerit.* Sacrilegam Apoſtatæ violentiam noluit Ep. 65.
Pontifex ab Orthodoxo Principe aſſumi in legem. Poſt multa conven-
tum tandem eſt inter Pontificem & Imperatorem, ut nullus Imperii
publicus Miniſter, niſi priùs redditis rationibus, admitteretur in No-
vitium, & ut milites, juxta Juſtiniani legem, toto triennio in parvo
habitu probarentur. Ita interim Principi manſit reclamandi facultas. Et
quo nullus reclamationi obnoxius obreperet, ſanxit Gregorius nullum
ſuſcipi ſine facta ad ſe relatione, & ſuo ad ipſum Reſcripto. Et quo-
niam Orientales præſertim Illyrici Antiſtites exiſtimaverant Mauritium
à ſua numquam lege receſſurum, addidit in laudatis ad ipſos litteris:
*Qua de re Imperator omni modo placatus eſt.* Addidit: *Mihi credite.* Quod
ſciret à ſe ſcribi rem quaſi incredibilem. Et hinc vides duo. Primò, quod
Imperiales de Eccleſiaſticis rebus leges Romanus Epiſcopus poſſit limi-
tare, imò & abrogare. Secundò, quod triennalem Novitiatum Græ-
ci ſemper conſtantiſſimè tenuerint. Nam & ipſum in ſua apud Apoſto-
lorum Baſilicam celebrata Synodo Patriarcha Photius affirmavit. At
verò Latina omnis Eccleſia jam dudum plenè admiſit ſancti Benedicti
Regulam, ideoque omnes generatim Novitios deduxit ad annuam pro-
bationem.

Septima quæſtio eſt, Quando annua hæc probatio cæperit ſpectare ad
profeſſionis ſubſtantiam? Reſpondeo ſub Innocentio tertio necdum

ſpectaſſe. Lucet ex ejus apud Gregorium nonum ſub titulo de Regularibus Reſcripto ad Archiepiſcopum Piſanum. Annalem probationem adfirmat eſſe paternam legem, & Novitii & Monaſterii gratiâ inductam, addit ipſi per utriuſque conſenſum poſſe renuntiari, ideoque
Cap. 16. tunc valere factam anteà profeſſionem, & proſequitur: *Quia multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. Prohibendum eſt autem Abbatibus, ne paſſim ante tempus probationis quoſlibet ad profeſſionem recipiant. Et ſi contra formam præſcriptam quoſlibet indiſcretè receperint, animadverſione ſunt debita corrigendi. Cum in ſubſidium fragilitatis humanæ ſpatium probationis ſit regulariter inſtitutum.* Verùm non ceſſarunt Abbates paternam legem diſpenſare. Graſſabatur & alius
Cap. 22. abuſus. Quidam Abbates multorum etiam annorum Novitios non cogebant ad profeſſionem. Aliqui item multorum annorum Monachi nolebant Monachaliter vivere, imò & redire volebant ad ſæculum garrientes ſe non profeſſos, & quod habitus non faceret Monachum, ſed ſola Regularis profeſſio. Adverſum hos & Abbates & Monachos proximus Innocentii Succeſſor Honorius tertius reſcripſit ad Epiſcopum Venetenſem: *Mandamus, quatenùs quoſlibet tibi lege Diœceſana ſubjectos, qui prædicto modo terram duabus viis ingredi non verentur, ut poſtquam per annum geſtaverint habitum Monachalem, Regulam ſecundùm formam Ordinis profiteantur & ſervent, Eccleſiaſticâ cenſurâ compellas.* Statuit de ſolis Benedictinis ſpectantibus ad Venetam in Gallia Diœceſim. Hinc Re-
A. 1237. ſcriptum ad Anglos extendit in ſua apud Matthæum Pariſienſem Londinenſi Synodo Otto ſancti Nicolai in Tulliano carcere Diaconus Car-
A. 1239. dinalis, Gregorii noni Legatus, & adjunxit: *Hoc etiam ad Canonicos Regulares, & Moniales duximus prorogandum.* Etiam in generali ibidem Abbatum Congregatione edidit hoc Decretum: *Qui ad probationem admiſſus fuerit, profeſſionem in continenti faciat anno probationis elapſo, vel exeat Monaſterio. Alioquin Abbas vel Prior, qui aliquem ſine profeſſione ſuſtinuerit ultra annum, per Præſidentes Capituli puniatur graviter, & ille Novitius nihilominùs profiteri cogatur, & haberi debeat pro profeſſo.* Fecit hæc ex mandato ſui Pontificis, qui laudatum Reſcriptum inſeruit ſuo codici, adeoque voluit eſſe Canonem generalem.

Alium item ipſe Canonem edidit, quo ſanxit toto probationis anno Novitium poſſe liberè reverti ad ſæculum, atque ita quibuſdam viſus eſt annum iſtum feciſſe ſubſtantialem. Verum addidit: *Niſi evidenter appareat, quod tales abſolutè voluerint vitam mutare, & in Religione perpetuùm Domino deſervire. Cum quilibet renuntiare valeat ei, quod pro ſe noſcitur introductum.* Et omnes hi Canones ſpectare videbantur ad ſolum

lum ſancti Benedicti Ordinem, ideoque novelli tunc Fratres Prædicatores ac Minores pergebant ſine probationis anno ad profeſſiones admittere. Admittebant etiam inhabiles perſonas, atque ita ſuos Eccleſiæ utiliſſimos Ordines gravabant ac vitiabant. Hinc ergo Innocentius quartus ad generalem Prædicatorum Magiſtrum emiſit diploma, quo annalis probationis neceſſitatem urget ex laudatis jam Canonibus, ac ex ſancti Benedicti Regula, & concludit: *Vobis de Fratrum noſtrorum conſilio, in virtute obedientiæ, ſub pœna excommunicationis, auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, ne ante annum probationis elapſum, qui eſt maximè in ſubſidium fragilitatis humanæ regulariter inſtitutus, quemquam ad profeſſionem veſtri Ordinis, ſeu renuntiationem ſæculi faciendam recipere præſumatis.* Et infrà: *Quod ſi contra hujuſmodi prohibitionem quemcumque recipere præſumpſeritis, decernimus eum, qui taliter receptus fuerit, nullatenùs veſtro Ordini eſſe alligatum, voſq; à receptione quorumlibet ad profeſſionem ejuſdem Ordinis fore ipſo facto ſuſpenſos.* Addit & alias pœnas. Emiſit diploma primo ſui Pontificatus anno apud Civitatem Caſtellanam. Ipſum verò publicarunt Otto Portuenſis Epiſcopus, & Godefridus ad ſanctum Adrianum Cardinalis Diaconus, & publicationis inſtrumento ſubjecerunt: *Nos ad precum inſtantiam Fratrum Minorum præſens tranſcriptum ex litteris ipſis de verbo ad verbum ſumptum ſigillis noſtris fecimus communiri.* Quæ omnia refert Matthæus Pariſienſis, & adjungit: *Hæc taliter impetrata ſunt generaliter, & juſſa per dictos Ordines obſervari.* Et iterum: *Quia Fratres, præſertim Prædicatores, à tramite diſciplinæ ſancti Benedicti nimis exorbitaſſe deprehendebantur, Papalis ſeveritatis moderamine corriguntur, & auctoritate litterarum talium in viam meliorem diriguntur.* Et revera ſancti Benedicti Ordo apud Latinam Eccleſiam eſt omnium nobiliſſimus, ipſiuſque Regulam eſſe omnium Regularum Dominam ſemper cenſuit Apoſtolica Sedes. Hinc quartus Innocentius etiam Fratres Mendicantes noluit ab ipſa longius deviare. A.1244.

Verum conſtitutio hæc à neutro Ordine fuit admiſſa in obſervantiam. Hinc ipſam de verbo ad verbum innovavit Alexander quartus, cum hac tamen exceptione: *Niſi, major tamen quatuordecim annis exiſtens, profeſſus ſit tacitè vel expreſſè, aut evidenter conſtet illum vitam voluiſſe mutare. Quod tamen non præſumitur, niſi clara probatione, vel competentibus indiciis oſtendatur.* Ex ſancti Benedicti Ordine fuit quartus Alexander, ideoque noverat probationis annum à Regula non ſanciri uti ſubſtantialem: Hinc à probata per Innocentium tertium & nonum Gregorium exceptione cenſuit non recedendum. Et cum quarto Innocentio ſanxit

de ſolis Fratribus Prædicatoribus & Minoribus. Diſertè hoc teſtatur ad titulum de Regularibus, cui & laudatam Alexandri Conſtitutionem
Cap. 2. 3. impoſuit, Bonifacius octavus: *Conſtitutionem Innocentianam, quæ prohibet converſorum profeſſionem recipi ante annum probationis elapſum, piæ memoriæ Alexander Papa quartus ad Fratrum Prædicatorum & Minorum Ordines dumtaxat declaravit extendi.* Ipſe illam extendit ad omnes Mendicantes Ordines propter rationis ſimilitudinem, ac pergit: *In aliis autem Religionibus profeſſio expreſſè vel tacitè fieri poteſt licitè infrà annum. Sed expreſſè emiſſa etiam ſæculari habitu non mutato, illi Religioni præcisè obligat, quam profitens eſt profeſſus. Tacitè verò facta infrà probationis annum per ſuſceptionem habitus, qui profitentibus tantùm datur, non illi ſpecialiter, cujus habitus eſt ſuſceptus, ſed generaliter Religioni alicui recipientem obligat, ſi ætatis aptæ ſit, ſi ſciens, & voluntarius, & triduo perſeveret.* Et hinc patet ratio, cur quartus Innocentius & quartus Alexander dicant de admiſſis ante completum probationis annum ad profeſſionem Prædicatoribus atque Minoribus: *Decernimus nullatenùs veſtro eſſe Ordini alligatum.* Quod nempe omninò valeret profeſſio, attamen non huic ſpecialiter, ſed dumtaxat generaliter alicui Ordini profeſſum alligaret. Hinc addidit Innocentius: *Prohibemus ne conſtitutum in hac probatione Novitium præſumatis aliquatenùs impedire, quo minùs infrà ejuſdem probationis annum ad aliam Religionem quam maluerit tranſeat, ſicut de ſua proceſſit libera voluntate, nonobſtante Statuto contrario, ſi quod à vobis eſt editum, quod irritum decernimus & inane, vel aliquibus litteris à Sede Apoſtolica impetratis, ſeu etiam impetrandis, quæ de præmiſſis expreſſam non fecerint mentionem.* Eos non ad ſæculum tranſire permittit, ſed dumtaxat tranſire ad alium Ordinem: Quod nempe ante completum probationis annum facta profeſſio ab iſto Ordine excluderet, & inhabilem redderet ad ipſum, ac ad eligendum alium interim obligaret. Et ad hunc præſertim articulum quartus Alexander addit ſuperius laudatam exceptionem: Niſi tacitè vel expreſſè infrà probationis annum profeſſus ſit major quatuordecim annis. Hoc generali vinculo neminem ligari voluit, niſi profeſſum poſt expletos quatuordecim ætatis annos. Octavus Bonifacius exceptionem cenſuit eſſe nimis largam: Ante lapſum probationis annum factas profeſſiones, ut certo obligarent Ordini, voluit eſſe expreſſas. Etiam tacitas, ideoque generatim ſolummodò obligantes, adſtrinxit ad certas conditiones. Hæc ejus de expreſſa profeſſione verba,
Cap. 5. *Etiam ſæculari habitu non mutato*, reſpiciunt famoſum ſub titulo de Monachorum ſtatu Reſcriptum, quo neſcio quem Presbyterum non mutato habitu apud Regulares Clericos profeſſum obligari declaravit Innocentius tertius.

Octa-

Digitized by Google

Octava quæſtio eſt, An Bonifacius octavus Fratrum Mendicantium ante elapſum probationis annum factas profeſſiones fecerit irritas & nullas? Reſpondeo non feciſſe. Lucet ex ejus verbis: *In aliis Religionibus profeſſio expreſſè vel tacitè fieri poteſt licitè infrà annum.* Ad quæ Gloſſator: *In Mendicantibus etiam fieri poteſt, ſed non licitè.* Multa enim fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. Duo circa Mendicantes Ordines fecit Bonifacius: Innocentii quarti & quarti Alexandri de Fratribus Prædicatoribus ac Minoribus Conſtitutiones innovavit. Deinde ipſas extendit ad alios etiam Mendicantes. At verò neutra conſtitutio factas ante anni lapſum profeſſiones penitùs caſſavit. Quare omnia, quæ ſuæ conſtitutioni Bonifacius de tacita ac expreſſa profeſſione addidit, etiam habuerunt locum in Fratribus Mendicantibus. Et hinc Fratribus Minoribus, ut ante completum annum poſſent ex Diſcretorum conſenſu profeſſiones admittere, facultatem & privilegium dedit Leo decimus. Quod nempe illicitæ dumtaxat eſſent iſtiuſmodi profeſſiones, non invalidæ. Ad evitandum temeritatis ac indiſcretionis periculum adeſſe voluit aſſenſum Patrum Diſcretorum. Et iſto jure viximus uſque ad Tridentinam Synodum. Hæc prima plenum probationis annum fecit omni Regulari Ordini, & omni profeſſioni eſſe ſubſtantialem. Et Eccleſiam à multis contentionibus & ſcandalis liberavit. Pius poſteà quintus ſancti Dominici Sanctimonialibus fecit privilegium, ut in mortis articulo ante expletum annum poſſint validè profiteri: Dummodò tamen ſint legitimæ ætatis. Quæ gratia ad ejuſdem Ordinis Fratres, longeque magis ad alios Ordines non poteſt extendi. An ſacro-ſancta Synodus Decretum ſuum extendat etiam ad militares Ordines, eſt quæſtio. Communior opinio adfirmat non extendere.

---

# DECRETUM III.

Aliud ſancti Leonis noni Decretum adducit laudata item Hiſtorica compilatio: *Leo conſtituit, ut Clerici nonniſi quatuor temporum jejuniis ab Epiſcopis jejunis ordinentur.* Apud Gregorium nonum ſub titulo de Ordinationum temporibus exſtat hoc Reſcriptum Cœleſtini tertii ad Archiepiſcopum Hydruntinum: *Quia in partibus Calabriæ Latini à Græcis & Græci à Latinis ſecundum alterius inſtitutionis obſervantiam ordinantur, volumus de cætero commixtiones non fieri, & conſuetudines rituum, & conſuetudines Ordinum obſervari.* Videtur legendum: *Sed volumus* Cap. 9.



*lumus*

Digitized by Google

*lumus conſuetudines Ordinum obſervari.* Utique à Græcis Græcas, Latinas à Latinis. Et de Clerico Græco, qui Latino Epiſcopo ſubjectus de hujus licentia ordinatur à Græco Epiſcopo, ad ſuum Conſtantino-
Cap. 11. poli Cardinalem Legatum reſcripſit Innocentius tertius: *Si ſecundùm morem Græcorum fuerit ordinatus, licet culpandus ſit Epiſcopus Latinus, qui Clericos ſuos à Græco facit Antiſtite ordinari, quamdiu tamen talis mos ab Eccleſia toleratur, impediri ordinatus non debet ab executione Ordinum taliter ſuſceptorum.* Ubi ad verba, *Si ſecundùm morem Græcorum fuerit ordinatus*, rectè ſcribit Gloſſator: *Extra quatuor tempora, ſicut eſt in antiqua compilatione. Et ſic bene facit ad titulum.* Et prioris Capituli Gloſſa habet: *Clerici Latini in Calabriæ partibus ordinabantur à Græcis Epiſcopis ſecundùm inſtitutionem Græcorum, extra quatuor tempora Ordines conferendo.* Revera enim morem illum aut Canonem, qui ſacros Ordines in ſolis quatuor temporum Sabbathis dari permittit, Græci numquam habuerunt.

Lucet ex ſancti Leonis magni ad Dioſcorum Alexandriæ Patriar-
Ep.81.c. 1. cham Epiſtola: *Quod à Patribus noſtris propenſiore curâ novimus eſſe ſervatum, à vobis quoque volumus cuſtodiri, ut non paſſim diebus omnibus Sacerdotalis vel Levitica ordinatio celebretur, ſed poſt diem Sabbathi ejus noctis, quæ in prima Sabbathi luceſcit, exordia deligantur. Hoc eſt, ſub lege Divini officii ſubſtituantur. In quibus his qui conſecrandi ſunt jejunis, & à jejunantibus Sacra benedictio conferatur. Quod ejuſdem obſervantiæ erit, ſi manè ipſo Dominico die continuato Sabbathi jejunio celebretur, à quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quàm ad diem Reſurrectionis, ſicut etiam in Paſcha Domini declaratur, pertinere non dubium eſt. Nam præter auctoritatem conſuetudinis, quam ex Apoſtolica novimus venire doctrina, etiam Sacra Scriptura manifeſtat, quod cùm Apoſtoli Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritûs ſancti ad Evangelium Gentibus mitterent prædicandum, jejunantes & orantes impoſuerunt eis manus, ut intelligamus, quanta & dantium & accipientium devotione curandum ſit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum. Et ideò piè & laudabiliter Apoſtolicis morem geſſeris inſtitutis, ſi hanc ordinandorum Sacerdotum formam per Eccleſias, quibus Dominus præeſſe te voluit, etiam ipſe ſervaveris. Ut his, qui conſecrandi ſunt, numquam benedictiones, niſi in die Reſurrectionis Dominicæ tribuantur, cui à Veſpera Sabbathi initium conſtat adſcribi, & quæ tantis Divinarum diſpenſationum Myſteriis eſt conſecrata, ut quidquid eſt à Domino inſignius conſtitutum, in hujus diei dignitate ſit geſtum.* Peracta in die Dominico Myſteria enumerat, & concludit: *Cæleſti quàdam Regula inſinuatum & traditum noverimus, in die illo celebranda*

Digitized by Google

*branda nobis eſſe Myſteria Sacerdotalium Benedictionum, in quo collata ſunt omnia dona gratiarum.* Dioſcorum non arguit, quod extra quatuor temporum Sabbatha, ſed quod extra quodvis Sabbathum daret Sacros Ordines. Ipſos in quovis Sabbatho dari lucidè permittit. Ex eadem Regula adverſus Anatolium Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui Archidiaconum ſuum Ætium feriâ ſextâ conſecraverat in Presbyterum, ſcripſit ad Imperatorem Martianum: *Anatolius adeò nimiâ commotione turbatus fuit, ut conſecrationem ſexta Sabbathi, traditionis Apoſtolicæ aut neſcius aut oblitus, inferret. Quaſi non ad Epiſcopum magis quam ad Presbyterum ordinationis illius vitium pertineret.* Ep. 57. Alexandrinæ Eccleſiæ Archidiaconus, & per Dioſcori factionem in Epheſino latrocinio in Conſtantinopolitanam Cathedram promotus fuerat Anatolius, ideoque quod Alexandriæ fieri viderat à ſuis Patriarchis, Conſtantinopoli Epiſcopus etiam faciebat. Haud dubiè æmulabatur Dioſcorum, atque ità lucet hunc magno Leoni non obedivisse. Etiam ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum ſuum in Illyrico Vicarium ſcripſit idem Pontifex: *Cognovimus ſanè, quod non potuimus ſilentio præterire, à quibuſdam Fratribus ſolos Epiſcopos tantùm diebus Dominicis ordinari, Presbyteros verò & Diaconos, circa quos par conſecratio fieri debet, paſſim quolibet die dignitatem Sacerdotalis officii accipere. Quæ contra Canones & traditionem Patrum uſurpatio corrigenda committit, cum mos quibus eſt traditus circa omnes ſacros Ordines debeat omnimodis cuſtodiri.* Etiam iſtos Epiſcopos arguit, non quod extra quatuor tempora, ſed quod extra quævis Sabbatha Presbyteratum ac Diaconatum imp[illegible]entur. Exſtat Epiſtola in Romana, publicata per Dominum [illegible] Holſtenium, Synodo Bonifacii ſecundi. Ep. 24.

Verum his obſtare videtur privilegium, quod Thomæ Patriarchæ Conſtantinopolitano dedit Innocentius tertius: *Tuis precibus annuentes Fraternitati tuæ perſonaliter indulgemus, ut in diebus Dominicis, & præcipuis ſolemnitatibus, cum neceſſe fuerit, perſonas idoneas in Subdiaconos valeas promovere.* Exſtat Epiſtola in laudati Pontificis vita, publicata per Dominum Franciſcum Boſquettum. Magnam *Canonicè inſtitutorum* Clericorum Fol. 103. inopiam patiebatur tunc Conſtantinopolitana Eccleſia: Et tamen non Presbyteros aut Diaconos, ſed ſolos Subdiaconos in quavis Dominica die aut præcipua ſolemnitate conſecrari permiſit doctiſſimus Pontifex. Et quidem per ſolum Patriarcham: Qui proinde id non poterat per Vicarium. Quia nempè Canon, qui Sacros Ordines ſolis quatuor temporum Sabbathis celebrari permittit, iſtic omninò obligabat. Reſpondeo Thomam illum fuiſſe virum Latinum, captæ per Flandros & Venetos Con-

Digitized by Google

Conſtantinopolis primum Patriarcham. Glorioſi iſti milites ante obſidionem inter ſe fuerant ſtipulati, ut Flandri Imperatorem, Veneti haberent Patriarcham, atque ità omnem Orientalem Eccleſiam deducerent ad Apoſtolicæ Sedis obedientiam, ac ritus Latinos. Abſque his ritibus exiſtimarunt à Photio Patriarcha inchoatum, & à Michaële Cerulario reſtauratum ſchiſma numquam fore eradicandum. Laudatus ergo Thomas Latinos ritus induxit in Conſtantinopolitanam Eccleſiam, atque ità ab Innocentio tertio poſtulavit iſtam gratiam, & impetravit. Latinos ritus cœpit à raſura barbæ, de qua Nicetas Choniates: *Thomas patrio veſtitu indutus erat, qui corpus ita conſtringebat, ut acubus illi aſſutus videretur, manibus dumtaxat & pectore aperto, malis ita raſis, ut quemadmodum in impubi puero nullum pili veſtigium cerneretur.* Indignatur, quod non Græcâ, ſed Latinâ Epiſcopi tonſurâ & veſte uteretur. Et quidem ad Latinum ritum, nec à Patriarcha, nec ab Imperatore, nec à Martino Cardinali Legato, traduci voluit Conſtantinopolitanus populus. Hinc Pelagium Cardinalem Albanenſem Epiſcopum eo legavit Pontifex cum ampliſſima poteſtate & Papalibus ornamentis, ſcribitque de iſto Georgius Acropolitanus: *Pelagius omnes,* Cap. 17. *ut veteri Romæ colla ſubjicerent, compellebat. Hinc Monachi in carcerem impingi, Sacerdotes in vincula, & templa omnia claudi. Nec præter hæc duo tertium ſtatui. Etenim vel Papam primum omnium Pontificem faterentur, illiuſque inter Sacrorum ſolemnia memoriam facerent, vel qui id abnuiſſent, morte penderent pœnam.* Verum & Clerus & populus apud Imperatorem Hen[illegible]m, qui fratri ſuo Balduino ſucceſſerat, interceſſerunt in hæc verba: [illegible] *alio genere orti, aliumq; habentes Pontificem, noſmetipſos Imperio tuo & poteſtati ſubjecimus, ita ut corpora, non & animam & ſpiritum dominareris, namque in tui defenſionem, dum bellum geritur, arma capere neceſſe eſt. At noſtris ritibus & cæremoniis cedere, fieri omninò nequit. Aut itaque nos ab urgenti periculo libera, aut tamquam liberis ad indigenas aditionem dato.* Quin & multi, præſertim Monachi & Clerici, ad Theodorum Laſcarim Imperatorem, & ad Patriarcham Antonium Anctorianum, reſidentes apud Nicæam Bithyniæ transfugerunt. Cardinalis Pelagius petebat duo à Conſtantinopolitanis. Primò, ut Romani Pontificis Primatum agnoſcerent. Secundò, ut in Divinis Officiis & Eccleſiaſticis moribus admitterent ritum Latinum. Et à primo, quoniam Evangelicæ legis ſubſtantiam tangit, poſtulato numquam crediderim Imperatorem Henricum receſſiſſe. Alterum poſtulatum erat Adiaphorum, ideoque de illo ſolo Princeps fecit quod addit memoratus Georgius: *Henricus, cum tot populis, optimiſq; viris privari nollet,*

*nollet, etiam invito Legato ac renuente templa reſeravit, vinculis & cuſtodiis circumcinctos Monachos ac Sacerdotes exemit, & tempeſtatem, quâ tunc jactabatur Byzantium, ſedavit.* Et exindè Græci omnes Latinis ritibus cœperunt impotentiùs adverſari. Tunc enim ſcriptus videtur ille Schiſmaticus plurimarum in nos calumniarum indiculus, qui poſteà in Conſtantinopolitano Patrum Prædicatorum Conventu repertus habet & hunc articulum: *Promotiones Epiſcoporum & Clericorum non per omne tempus perficiunt Latini Antiſtites, ſed tantùm in anno quater, & per obſervabilem diem. Nam cùm anni quatuor tempora ſint, ſcilicet Ver, Æſtas, Autumnus, Hyems, horum temporum initia, primordia menſis Martii ſcilicet, Junii, Septembris, atque Decembris obſervant. In primis Hebdomadibus Clericos, Diaconos, Presbyteros, Epiſcopos promovent: Malè ſentientes & barbaricè, adventum Spiritûs ſancti non ſecundùm virtutem Promoventis & Promoti arbitrantes deſcendere, ſed diebus quibuſdam putant hunc venire, ut inſipientes.* Latinum Canonem, qui Sacrorum Ordinum donationem quatuor anni temporibus adſtringit, Græci tunc ſunt adeò hoſtiliter averſati.

Et ſunt calumniati mendaciter. Nec enim ſupremum Epiſcopatus aut minores infimos, ſed ſolos Sacrorum Ordinum medios gradus Canon adſtringit ad quatuor tempora. Iſto item tempore etiam Orthodoxi Græcorum Clerici paſſim noluerunt ordinari à ſuis Latinis Epiſcopis, & de ipſis ad ſuum Conſtantinopoli Legatum ſcripſit Innocentius tertius: *Si ſecundùm morem Græcorum fuerit ordinatus, licet culpandus ſit Epiſcopus Latinus, qui Clericos ſuos à Græco facit Antiſtite ordinari, quamdiu tamen talis mos ab Eccleſia toleratur, impediri ordinatus non debet ab executione Ordinum taliter ſuſceptorum.* Morem iſtum tolerari compulit jam memoratum factum Henrici Imperatoris. Adeò tunc iſte mos invaluit, ut pleræque tunc à Latinis occupatæ Græcorum Civitates paſſim habuerint duos Epiſcopos, Latinum & Græcum.

Laudatus de quaternis Sacrarum Ordinationum temporibus Canon etiam apud Latinos non eſt antiquiſſimus. Rectè ſcribit Amalarius Fortunatus: *Ordinatio in quatuor temporibus à primis Epiſcopis celebrata non fuit.* Etenim uſque ad ſancti Sylveſtri tempora nullum eſt ipſius veſtigium, nulla memoria. Hinc Quintum Nolanæ Eccleſiæ Presbyterum fuiſſe quinque ante ſanctum Fœlicem Collegam diebus conſecratum ſcribit in Fœlicis vita Venerabilis Beda. Nec item eſt memoria dudum poſt Sylveſtrum. Etenim de ſancto Ambroſio adhuc Catechumeno, & à Mediolanenſibus ad Epiſcopatum rapto, ſcribit Presbyter Paulinus: *Baptizatus fertur omnia Eccleſiaſtica officia impleſſe, atque octa-* C. 6.

L. 2. c. 2.

 *vâ*

Digitized by Google

*vâ die Epiſcopus ordinatus eſt.* Itaque Diaconatum ac Presbyteratum non poteſt in quatuor temporum Sabbathis accepiſſe. Et à Barchinonenſi populo raptus ſanctus Paulinus à Lampio Epiſcopo ſtatim fuit ex Laico Presbyter conſecratus. Ità ſcribit ipſe in litteris ad Severum. Eodem modo fuiſſe ab Hipponenſi populo raptum & à Valerio Epiſcopo conſecratum ſanctum Auguſtinum teſtatur ſanctus Poſſidius. Eandem violentiam à Pappo Epiſcopo ſanctus Epiphanius, ab Epiphanio frater ſancti Hieronymi Paulinianus, alii ab aliis & apud Latinos & apud Græcos fuerunt frequenter paſſi. Quod nempè Sacri Ordines nullis tunc eſſent affixi Sabbathis. Quod ipſum lucidè patet ex ſuperius laudata magni Leonis ad Dioſcorum Epiſtola. A Dioſcoro ſervandum jubet Apoſtolicum Canonem, & Romanæ Eccleſiæ morem, ideoque proſequitur: *Studioſè Dilectionem tuam & familiariter admonemus, ut quod noſtra conſuetudini ex forma paternæ traditionis inſedit, tua quoque cura non negligat, ut per omnia nobis & fide & actibus congruamus. Propter quod remeanti filio noſtro Poſſidonio Presbytero, hanc ad Fraternitatem tuam dedimus Epiſtolam perferendam, qui noſtris proceſſionibus atque ordinationibus frequenter interfuit, & toties ad nos miſſus, quid in omnibus Apoſtolicæ Sedis auctoritate teneremus, agnovit.* Clarè profitetur omni Eccleſiæ tunc fuiſſe unicum Canonem & morem.

Epiſt. 6.

Cap. 2.

Porrò hic Canon aliud non mandabat, quam *ut non paſſim diebus omnibus Sacerdotalis vel Levitica ordinatio celebretur, ſed poſt diem Sabbathi ejus noctis, quæ in prima Sabbathi luceſcit, exordia deligantur, in quibus his qui conſecrandi ſunt jejunis, & à jejunantibus ſacra benedictio conferatur. Quod ejuſdem obſervantiæ erit, ſi manè ipſo Dominico die, continuato Sabbathi jejunio celebretur, à quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem Reſurrectionis Dominicæ, ſicut etiam in Paſcha Domini declaratur, pertinere non dubium eſt.* Sanctus Leo adfirmat hunc eſſe Canonem Apoſtolicum. Etenim Apoſtoli à glorificato per Reſurrectionem Domino audierunt: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* In die Dominico ſunt ita conſecrati Sacerdotes. Etiam in die Dominica acceperunt Spiritus ſancti plenitudinem. Eadem item die Paulum & Barnabam, & ſeptem Diaconos, & quoſvis alios conſecrarunt, & cunctis ſuis Succeſſoribus fixerunt conſecrandi legem. Et jejuni conſecravere jejunos. Hinc ergo Hierarchicos, quos ſolos laudant Canonicæ Apoſtolorum litteræ, Ordines Dominica dumtaxat die ſemper dedit & jejunis & per jejunos omnis Eccleſia. Et quia Sabbathi jejunium uſque ad Dominicæ diei lucem protrahere eſt quibuſdam difficile, laudatos Ordines celebrari permiſit poſt Sabbathini

Solis

Solis occaſum. Tunc enim Dominica dies incipit juxta legalem, quam ſemper etiam cuſtodivit Eccleſia, Synagogæ Regulam: *A Veſpera in Veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra.* Antiquum Romanæ Eccleſiæ morem edicit in ſancti Ivonis Decreto Pelagius ſecundus Pontifex, de Latino Diacono, in Marcellianenſis Eccleſiæ Epiſcopum electo, ſcribens ad Tullianum Epiſcopum Grumentinum: *Si poteſt, ante diem ſanctum feſtinet occurrere, ut vel Sabbatho ipſo noctis magnæ poſt Baptiſmum valeat ordinari.* Et antiquus Ordo Romanus: *Epiſcopi omni tempore benedicuntur. Nunc verò mos eſt, ut nocturnò tempore benedicantur.* Ad ſecundam nocturni Officii interciſionem, ſeu ad ſextam lectionem. Epiſcopum Sabbatho conſecrari ſcribit etiam Amalarius Fortunatus, & adjungit: *Epiſcopi conſecratio tranſit in Dominicam diem.* Et in libro de Eccleſiaſticis obſervationibus Micrologus: *Quatuor Dominicæ, quæ quatuor temporum jejunia proximè ſubſequuntur, in libro Sacramentorum vacantes prætitulantur, eo quod propriis careant Officiis.* Sic olim adfirmat fuiſſe, & proſequitur: *Hæ autem Dominicæ antiquitùs ab officio vacabant, quia celebratio Ordinationum juxta Decreta ſanctorum Patrum tam ſerò fiebat in Sabbatho, ut potiùs Dominicæ quàm Sabbatho adſcriberetur.* Probat ex laudata ſancti Leonis ad Dioſcorum Epiſtola, & adjungit: *Unde & Romanus Ordo in Quadrageſima in Sabbatho Ordinationum orationem ſuper populum interdicit, ad quam antiqui non ſolùm capita, ſed & genua flectebant, quod Niceni Canones in Dominica fieri penitùs vetant.* Et in animæ Gemma ſcribit de prima poſt Pentecoſten Dominica Honorius Auguſtodunenſis: *Dominica quæ ſequitur, ideò ab Officio vacat, quia olim Romani Ordinationes in Dominica faciebant, ſed in Veſpera Sabbathi incipiebant. Et ideò in Quadrageſima oratio ſuper populum non dicebatur, ad quam non capita, ſed genua flectebant, quod in Dominica minimè licebat. Sacerdotes namque jure in Dominica ordinantur, per quos Dominica Sacramenta conſecrantur.* Adfirmat olim ſic fuiſſe factitatum. Aſt verò de ſui temporis more ſcribit: *Papa Vicarius Chriſti, omneſq; Epiſcopi Apoſtolorum Vicarii, in Dominica die debent ordinari.* Adjungit cauſas, ac pergit: *Miniſtri Eccleſiæ vel Altaris in Sabbatho ordinantur, quod requies dicitur, quia ipſis ab omni opere ſervili requieſcere, & in Dei ſervitio vacare præcipitur.* Quod ipſum eiſdem verbis ſcribit Hugo de ſanctò Victore. Et in Theologica de Sacramentis eruditione: *Presbyteri & Diaconi Sabbatho conſecrandi Epiſcopo præſentantur, benedictiones verò Pontificum diebus tantum Dominicis celebrandas eſſe ſacri Canones ſanxerunt.* Presbyteros ac Diaconos ordinandos adfirmat *die Sabbathi circa Veſperam celebrato jejunio.* Quod ipſum ſcribit Abbas Rupertus. Prima igitur Majorum noſtrorum pietas Epiſcoporum,

Part. 6. c. 112.

L. 2. c. 2.

Cap. 29.

Lib. 3. c. 156.

Lib. 1. c. 198. 190

Lib. 1. c. 44.

Lib. 2. Part. 2. c. 20.

Lib. 3. c. 8. 9.

rum, Presbyterorum, ac Diaconorum ordinationes ea parte noctis, quæ luceſcit in primam Sabbathi, ſeu poſt noctis medium inchoabat, & uſque ad lucem durabat iſtud officium, ideoque in fine Miſſæ non dicebatur Quadrageſimalis aut alterius jejunii ſuper populum Collecta, & iſta Dominica vacabat à Miſſa. Poſteriora ſæcula ad noctis exordium inchoarunt iſtud officium, & tunc ſolos cum aliis Clericis Diaconos ac Presbyteros conſecrarunt, Epiſcoporum conſecrationem diſtulerunt in tertiam Dominicæ diei horam: Quod tunc Apoſtoli accepiſſent Spiritum ſanctum. In minoribus olim ad horam nonam, in Quadrageſimalibus autem ac aliis majoribus jejuniis Miſſa inchoabatur poſt horam diei duodecimam, ſeu poſt occaſum Solis: Et hanc horam mediorum ſæculorum pietas ſanxit etiam in ſacris Clericorum ordinationibus ſervandam. Et tunc quatuor iſtæ Dominicæ deſierunt vacare. Et in antiquæ vacationis memoriam Dominica prima Quadrageſimæ, & Dominica quarta Adventus etiamnum hodie idem cum præcedenti Sabbatho habent Evangelium. Veſpertinæ jejuniorum Miſſæ apud nos deſierunt à paucis ſæculis. Et tunc Clericorum etiam ordinationes cæperunt celebrari ante prandium. Et in paternæ diſciplinæ memoriam Quadrageſimales Veſperæ ante prandium adhuc hodie cantantur.

Quæri poſſit, Quo ſæculo Epiſcopi ad tertiam Dominicæ diei horam, Clerici autem ad Sabbathi Veſperam cæperint conſecrari? Reſpondeo præciſum iſtius temporis cardinem à nobis ignorari. Romanus Ordo, quem octavo ſæculo ſcriptum adfirmant eruditi viri, laudat & ſervari jubet primævam adhuc pietatem. Eodem ſæculo in Papatum intruſus fuit Conſtantinus Laïcus, & ejus conſecratio fuit variis fœdata exceſſibus. De ejus tamen Diaconali conſecratione ſcribit Marianus
A.797 Scotus: *Illuceſcente die Diaconus factus eſt.* Aſt verò beatus Alcuinus
Cap 37. Flaccus, aut quicumque alius iſtius de divinis Officiis libri Auctor floruit nono ſæculo, & ſcribit: *Epiſcopus in Dominica ordinatur, reliqui*
Cap. 29. *Miniſtri in Sabbatho.* Et iterum: *Epiſcopi conſecratio, qui eſt Vicarius Apoſtolorum, imò & Chriſti, ſit in Dominica, quia eodem die per donum Spiritûs ſancti Dominus dignatus eſt illuſtrare corda Apoſtolorum.* Et de Miſſa, in qua Clerici conſecrantur, adjungit: *Oratio poſt communionem non habetur, quia iſtud Officium frequenter circa noctem Dominicam ſolet fieri, in qua minimè genuflectitur.* Sacræ itaque Ordinationis hora medio inter Romanum Ordinem & hunc Scriptorem tempore fuit mutata. Quaſdam tamen antiqui moris reliquias ſub undecimi ſæculi exordium viguiſſe adhuc in Gallia, docet Lemovicenſis ſub Benedicti noni Pon-
Act. 2. tificatu celebrata Synodus. Decernit *ut ſi tanta multitudo fuerit ordinandorum,*

*dorum, quam Sabbatho non poſſit Epiſcopus conſecrare, in craſtina Do-*
*minica uſque ad horam ſextam a mane qui ſuperfuerint debeant ordinari,*
*alias autem nullo modo, niſi cauſa grandis neceſſitatis de Diaconatu tantum*
*& Presbyteratu oportet ordinationes agi. Et hoc in nulla feſtivitate, niſi Do-*
*minica die, quam tamen jejunium generale in Sabbatho præceſſerit.* Proxi-
mæ tunc poſt quatuor tempora Dominicæ non erant vacantes, ſed pro-
priam habebant Miſſam, ideóque etiam in hac, dummodò tamen
continuato jejunio ante horam ſextam, id eſt, ante meridiem fieret,
laudata Synodus permiſit Presbyteros ac Diaconos ex memorata cauſa
conſecrari. Antiquam diſciplinam cenſuit à ſe ſervari. Eandem aut re-
ſtituere, aut ſaltem ſtabilire conatus eſt in Claromontana Synodo Ur-
banus ſecundus: *Non fiant Ordines, niſi in quatuor certis temporibus, &* Cap. 24.
*Sabbatho medianæ Quadrageſimæ. Et tunc jejunium protrahatur uſque ad*
*Veſperam, & ſi fieri poteſt, uſque in craſtinum, ut magis appareat in die*
*Dominico Ordines fieri.* Voces, *Si fieri poteſt*, inſinuant à quibuſdam tunc
adhuc Eccleſiis fuiſſe jejunatum uſque ad Dominicæ diei lucem, ideo-
que & ſacras Ordinationes circa ejus exordium fuiſſe primum expletas.
Laudatas Canonis voces ſic exponit in ſuo compendio Guilielmus Mal- Fol. 180.
mesberienſis: *Ordines vel in Veſpere Sabbathi, vel perſeverante jejunio in*
*Dominica celebrentur.* Eiſdem verbis Canonem exponit Matthæus Pa- A. 1095.
riſienſis. Attamen pauciſſimæ tunc fuerunt iſtiuſmodi Eccleſiæ. Etenim
Micrologus, Honorius Auguſtodunenſis, aliique iſtius ſæculi Scripto-
res nullam iſtius antiquæ diſciplinæ mentionem faciunt: Generatim
aſſerunt Epiſcopos die Dominica mane, Clericos Sabbatho ad Veſpe-
ram conſecrari.

Et plurima ab iſtius ſæculi Scriptoribus habemus conformia exempla.
Etenim Geberardum Conſtantienſem Electum fuiſſe Sabbatho in Pres-
byterum, & ſubſequenti Dominicâ conſecratum in Epiſcopum teſtatur
Bertholdus Presbyter ejuſdem Eccleſiæ. Et de Adolpho Colonienſium A. 1084.
Electo ſcribit Godefridus ſancti Pantaleonis Monachus: *Sabbatho, Si-* A. 1193.
*tientes, in Presbyterum, & ſequenti die, Judica, in Archiëpiſcopum eſt*
*conſecratus.* Et de Theodorico ejuſdem Eccleſiæ Electo: *Theodoricus*
*Sabbatho poſt Pentecoſten à Theodorico Trajectenſi Epiſcopo in Presbyterum,*
*& Dominicâ ſequenti, id eſt, in octava Pentecoſtes, à Goardo Leodienſi*
*Epiſcopo in Archiëpiſcopum conſecratur.* Et de Simone Vigornenſis Ec- A. 1209.
cleſiæ Electo habet Radulphus de Diceto: *Sabbatho hebdomadæ Penteco-* A. 1125.
*ſtes Presbyter ordinatur, & in craſtino conſecratur.* Quod ipſum ſcribit de
ſancto Thoma Archiëpiſcopo Cantuarienſi. Epiſcopatus enim eſt Pres-
byteratus complementum, & cum ipſo coaleſcit in unum plenum Sacer-

dotium, atque ita uno & eodem die ſemper potuerunt conferri. Nam & Latinum Diaconum, Marcellianenſis Eccleſiæ Electum, Pelagius ſecundus Pontifex in eadem Paſchali nocte & Presbyterum & Epiſcopum conſecravit. Et hinc errandi occaſionem arripuit Bononienſis ille Epiſcopus, qui Imolenſis Eccleſiæ Electum *præcedenti Sabbatho in Diaconum, & ſequenti Dominica continuato jejunio in Presbyterum ordinavit.* Quod in Presbyteratu ac Epiſcopatu videbat in dies fieri, exiſtimavit etiam in Diaconatu ac Presbyteratu fieri poſſe. Item Sabbathi Veſperam & ſubſequentis Dominicæ lucem cenſuit diverſos dies. Aſt eſſe unum atque eundem diem demonſtravit in litteris ad Mutinenſem Epiſcopum, exſtantibus in antiqua Decretalium collectione ad titulum de Ordinationum temporibus, Innocentius tertius, & tam ordinantem quàm ordinatum graviter caſtigavit. Ex hoc interim vides veſpertinas quatuor temporum Miſſas, & in ipſis conſuetas Clericorum ordinationes ſub laudato Innocentio adhuc plenè viguiſſe.

Quod non in ſolis præter Paſcha quatuor, ſed omninò in omnibus Sabbathis, ſeu potiùs Dominicis diebus Epiſcopos olim conſecraverit Latina Eccleſia, inſigniter in tertia Carthaginenſi Synodo profitetur
Cap. 39. Aurelius Carthaginenſis Archiëpiſcopus: *In hac Eccleſia, ad quam dignata eſt veſtra Sanctitas convenire, crebrò ac penè per diem Dominicam ordinandos habemus Epiſcopos.* Vaſtiſſima enim erat Africana Diœceſis, & omnes ejus Epiſcopos, licet non deberet, Carthaginenſis Primas tamen poterat conſecrare. Et inter vitia, quæ in Tuenti ac Urſi Epiſcopali conſecratione patrarat Proculus Maſſilienſis Epiſcopus, in litteris ad Africæ, Galliæ, atque Hiſpaniæ Epiſcopos Zozymus Pontifex addu-
Epiſt. 2. xit & hoc: *Nec ſaltem diei cuſtodita ſolemnitas.* Et adverſum Hilarii Arelatenſis Archiëpiſcopi varias in conſecrandis alienarum Provinciarum Epiſcopis præſumptiones ſcripſit ad Viennenſis Provinciæ Antiſtites magnus Leo: *Non paſſim, ſed die legitimo ordinatio celebretur. Nec ſibi conſtare ſtatus ſui noverit firmitatem, qui non die Sabbathi Veſpere, quod luceſcit in primam Sabbathi, vel ipſo Dominico die fuerit ordinatus. Solùm enim Majores noſtri Reſurrectionis Dominicæ diem hoc honore dignum judicarunt, ut Sacerdotes qui ſumuntur, hoc die potiſſimum tribuantur.* Lucidè permittit ac mandat ipſos in quavis Dominica conſecrari. Et hoc jure etiamnum vivimus. Et in omni & in ſola Dominica ſemper conſecravimus & etiamnum conſecramus Epiſcopos: Horum conſecrationem nec ad Sabbathum retraximus umquam, nec ad ullas ſingulares Dominicas reſtrinximus. Nempe Apoſtolicum Canonem Eccleſia cenſuit non alterandum. Hodiernum tamen Pontificale habet: *Epiſcopalis*
*con-*

Digitized by Google

*conſecrationis dies debet eſſe Dominica, vel natalitium Apoſtolorum, vel etiam feſtiva, ſi Summus Pontifex hoc ſpecialiter indulſerit.* Quod nempe Epiſcopi ſint Apoſtolorum Succeſſores. Quæ extenſio quando cæperit, ignoro.

Porrò de Canone, qui Sacrorum noſtrorum Clericorum ordinationes ad ſola Paſchalis feſtivitatis & quatuor temporum Sabbatha reſtrinxit, ſcribit auctor Micrologus: *Sanctus Leo Papa iſtud Evangelium,* ASSUMPSIT JESUS, *de jejunio vernali expoſuit, quaſi Dominicæ diei ſatisfaciens, infra quam ipſe ſemper ordinationes fieri conſtituit.* Laudatum Canonem videtur adſcribere ſancto Leoni. At ipſum labi evincit laudata hujus magni Pontificis Epiſtola ad Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum. Hæc enim lucidè permittit non dumtaxat omnium Sacerdotum, ſed & Levitarum conſecrationes fieri poſt quodvis Sabbathum ſeu in quavis Dominica. Quocirca rectiùs ſcribit Amalarius Fortunatus: *Primi Apoſtolici ſemper in Decembri menſe, in quo Nativitas Domini noſtri* JESU *Chriſti celebratur, conſecrationes miniſtrabant uſque ad Simplicium, qui fuit à Petro quadrageſimus nonus. Ipſe primus ſacravit in Februario. Ni fallor, nullam aliam ob cauſam, niſi intimando conjungendos propinquiùs Chriſti corpori, qui per ſacrum Miniſterium provehuntur.* Et in libris de Clericorum inſtitutione Rabanus Maurus: *Sacras ordinationes quatuor temporum diebus oportere fieri, Decreta Gelaſii Papæ teſtantur.* Et ipſe auctor Micrologus: *Gelaſius Papa conſtituit, ut ordinationes Presbyterorum & Diaconorum non niſi certis temporibus fiant.* Utique in famoſis quatuor temporibus. Amalario conſonat antiquus Ordo Romanus: *In quatuor menſium temporibus, qualicumque die Dominus Apoſtolicus voluerit, ad Sacros Ordines Parochianos Clericos per omnes Eccleſias, ſi neceſſitas fuerit, benedicit.* Et adjungit de jejunio Decembris: *Et tunc Sacri Ordines in Eccleſia Romana de eis qui vocantur Cardinales, tradi conſueverunt.* Nempè circa hos primates Clericos primævum ſervari morem conſtanter voluit Apoſtolica Sedes. Sancti Gelaſii Decretum exſtat in ejus litteris ad Lucaniæ ac Siciliæ Epiſcopos: *Ordinationes Presbyterorum ac Diaconorum, niſi certis temporibus ac diebus, exercere non debent Epiſcopi, id eſt, quarti menſis jejunio, ſeptimi, & decimi, ſed etiam Quadrageſimalis initii, ac mediana Quadrageſimæ die, Sabbathi jejunio circa Veſperam noverint celebrandas.* Et de Juliano Brandenſi Epiſcopo ſcripſit ad ejus Clerum & populum: *Sacris Ordinibus applicandos hâc obſervatione promoveat, ut jejunio quarti, ſeptimi, ac decimi menſis, veſpere Sabbathi Presbyteros atque Diaconos ordinandos eſſe cognoſcat.* Epiſtolam nuper publicavit Lucas Holſtenius. Ex eadem regula de La-

L. 2. c. 1.
L. 2. c. 24.
Cap. 24.
Fol. 33.
Epiſt. 9.

Latino Diacono, in Marcellianenſis Eccleſiæ Epiſcopum electo, ad Tullianum Grumentinum Epiſcopum ſcripſit Pelagius ſecundus: *Ante diem ſanctum feſtinet occurrere, ut vel Sabbatho ipſo noctis magnæ poſt Baptiſmum valeat ordinari. Alioquin neceſſe eſt uſque ad quarti menſis jejunium ſuſtinere.* Quod nempe Latinus non tantum in Epiſcopum, ſed etiam in Presbyterum eſſet conſecrandus.

Et quidem an Romani olim Pontifices in ſolo Decembris menſe Epiſcopos & majores Clericos conſecraverint, non eſt manifeſtum. Amalarius Fortunatus loquitur ex libro Pontificali, qui de antiquis Pontificibus paſſim habet: *Fecit Ordinationes menſe Decembri.* Et iſtum morem vult eſſe traditionem Apoſtolicam. Et certè laudatus liber ſcribit de ſancto Petro Apoſtolo: *Hic fecit ordinationes per menſem Decembris.* Et iſtam phraſim continuat uſque ad Hilarum Pontificem: *Hic fecit ordinationem unam per menſem Decembrem.* At verò de proximo ejus Succeſſore Simplicio habet: *Hic fecit ordinationes per menſem Decembrem & Februarium.* Succeſſor Fœlix tertius denuò ordinavit in ſolo Decembri, Succeſſor autem Gelaſius *fecit ordinationes duas per menſes Decembris & Februarii.* Omnes hujus Succeſſores in ſolo item Decembri, aut in Decembri & Februario ordinaſſe ſcribuntur, uſque ad Fœlicem quartum; de quo laudatus liber: *Hic fecit ordinationes duas, per menſes Februarii & Martii.* Quod nempe Quadrageſimæ exordium ac verni jejunii tempus ſemel in Februario, ſemel in Martio occurriſſet. Exinde Succeſſores leguntur per omnia quatuor tempora ordinaſſe. Hiſce obſtant Zozymus Pontifex, Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus, quarta Carthaginenſis Synodus, ac præſertim magnus Leo, quorum irrefragabilis auctoritas lucidè adfirmat & Sacerdotum & Levitarum ordinationes omni Dominica die fuiſſe ab Apoſtolico Canone permiſſas. Et ita conſueſſe etiam in Romana Eccleſia, per laudatas ad Dioſcorum litteras palàm aſſeverat magnus Leo. Et uſque ad Sylveſtrum Papam liber Pontificalis non eſt plenæ auctoritatis. Quidquid ſit, aut Simplicius, aut Gelaſius, aut quis iſtius temporis Pontifex ſacros Ordines quatuor
Lib 2. cap. 1. temporibus alligavit. Varia ad id permovit ratio. Elegantem adducit laudatus Amalarius. Et comprobat Berno Abbas Augienſis.

Cap. 7. Laudata Gelaſii Decreta lucidè loquuntur de ſolis Presbyteris atque Diaconis. Epiſcopalem conſecrationem permittunt antiquæ conſuetudini. Et de Subdiaconis atque aliis minoribus Clericis habet Ordo Ro-
Fol 95. manus: *Sicut Sacramentorum codex continet, quando & ubi fuerit, uſque in Subdiaconatus Officium ordinentur. Diaconi verò atque Presbyteri numquam niſi in publica ordinatione.* Subdiaconos & alios minores permittit quovis

quovis die ordinari. Nempe Subdiaconatus tunc necdum erat major Ordo, ideoque Subdiaconus non poterat eligi in Epiſcopum. Ipſum huc evexit Urbanus ſecundus, atque exinde conferri non potuit, niſi in quatuor temporibus. Et hinc ad Bathonienſem in Anglia Epiſcopum ſcripſit Alexander tertius: *Subdiaconos nulli, niſi Romano Pontifici, liceat in diebus Dominicis ordinare.* Et ad Epiſcopum Herefordenſem: *De eo quod quæſiviſti, an liceat extra jejunia quatuor temporum aliquos in Oſtiarios, Lectores, Exorciſtas, vel Acolythos, aut etiam Subdiaconos promovere, taliter reſpondemus, quod Epiſcopis licitum eſt Dominicis & aliis Feſtivis diebus unum aut duos ad minores Ordines promovere. Sed ad Subdiaconatum, niſi in quatuor temporibus, aut Sabbatho ſancto, vel in Sabbatho ante Dominicam de Paſſione, nulli Epiſcoporum præterquam Romano Pontifici liceat aliquos ordinare.* Exſtant litteræ apud Gregorium nonum, ſub titulo de temporibus Ordinationum. Ad verba, *Unum vel duos*, rectè Gloſſa: *Numquid plures? Utique, dummodò non videatur generalis ordinatio.* Deciſſem habet hodiernum Pontificale: *Clericatus, ſeu prima tonſura, quocumque die, horâ, & loco conferri poteſt. Minores verò Ordines poſſunt dari ſingulis Dominicis, & Feſtivis diebus duplicibus, ubicumque, in mane tamen.* Quod Feſtivi dies debeant non tantùm in Eccleſia, ſed etiam in populo eſſe Feſtivi, rectè advertit Franciſcus Zypæus. Et adjungit: *Quamvis Rebuffius, aliiq; negent conſuetudine induci poſſe, ut aliis temporibus ordinationes permittantur, tamen his in locis obtinuit, ut feriis ſextis quatuor temporum etiam minores Ordines conferantur. Qui uſus hic immemorialis vicem viteſq; privilegii obtinet.* Loquitur de Belgis. Et ex huc uſque dictis etiam vides Innocentii tertii privilegium, quo Thomæ Patriarchæ Conſtantinopolitano dedit facultatem diebus Dominicis ordinandi Subdiaconos, fuiſſe inſigniter ſingulare.

Objici poſſint varia. Primò, antiquus Ordo Romanus, quatuor jejunii tempora laudans, atque adjungens: *Ut hoc jejunium celebretur in largitione ſacrorum Ordinum, Eccleſiæ primitivæ mos obtinuit.* Fol. 91. Adfirmat hunc morem eſſe Pontificibus Gelaſio ac Simplicio longè antiquiorem. Et dum Macedonii Anachoretæ factam à Flaviano Antiochiæ Patriarcha Presbyteralem Ordinationem refert in Monaſtica Hiſtoria Theodoretus, Cap. 23. adfirmat quidem fuiſſe diem Dominicam, adjungit tamen talia, quæ oſtendant claram fuiſſe diem, non veſperam aut noctem. Et de ſancto Heriberto Colonienſi Archiepiſcopo ſcribit in ejus vita Rupertus Abbas: *Ipsâ nocte Natalis Domini conſecratus eſt inter Miſſarum ſolemnia, quæ ex more celebrabantur circa ortum diei. Venerant quippe ad hoc ipſum cum eo plures Epiſcopi.* Cap. 9. Adfirmat in ſecunda iſtius feſtivitatis Miſſa fuiſſe

conſecratum. Etiam ſanctus Paulinus in litteris ad Severum adfirmat ſe eâdem die fuiſſe à Lampio Barcinonenſi Epiſcopo conſecratum in Presbyterum. Et de beato Alcuino Flacco habet authentica ejus vita:
Epiſt. 6. *Die Purificationis ſanctæ Mariæ Levita ſacratur.* Nec deſunt alia ejuſmodi exempla. Reſpondeo Romanum Ordinem non de quatuor temporibus, ſed de ſolo jejunio loqui. Ejus in dandis Ordinibus obſervantiam adfirmat antiquiſſimam. Eſt enim Apoſtolica traditio, laudata per
Cap. 11. ſanctum Lucam, ubi exponit Ordinationem Pauli & Barnabæ: *Jejunantes, & orantes, imponenteſq; eis manus.* Et hinc adverſus Novatiani Ordinationem, quod horâ diei decimâ ab ebriis & crapulatis eſſet facta Epiſcopis, ad Fabium Antiochiæ Patriarcham ſcripſit apud Euſebium
Lib. 6. c. 35. Cæſarienſem Romana ſancti Cornelii Pontificis Synodus. Hinc concluſit ipſum eſſe ſuſpenſum, ſeu irregularem.

Adducta exempla reſpondeo eſſe ſimilia illis, quæ in Proculo Maſſilienſi, Hilario Arelatenſi, Anatolio Conſtantinopolitano, Dioſcoro Alexandriæ Patriarcha ac in aliis Epiſcopis, compeſcuerunt Zozymus Pontifex ac magnus Leo. Fuerunt aut prævaricatoria, aut diſpenſatoria: Singula Majorum geſta non convenit à nobis judicari. Certè rationes, ob quas ſanctum Paulinum Siricius Pontifex fuit dudum averſatus, erant in ejus Ordinatione quædam patrata adverſum Canones. Et quidem de Wallia & Scotia ſcribit ad Herefordenſem Epiſcopum Alexander tertius: *Sanè ſuper eo, quod moris eſſe dixiſti in Eccleſiis quibuſdam Walliæ & Scotiæ, in dedicationibus Eccleſiarum vel Altarium extra jejunia quatuor temporum Clericos ad ſacros Ordines promovere, ſignificamus quod conſuetudo iſta, utpotè inſtitutioni Eccleſiaſticæ inimica, eſt penitùs improbanda, & niſi multitudo & antiqua conſuetudo terræ eſſet, taliter ordinati non deberent permitti in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare. Nam apud nos taliter Ordinati deponerentur, & Ordinantes privarentur auctoritate ordinandi.* Sancti Gelaſii Canon uſque tunc non fuerat iſtic admiſſus in mores, & forſan nec notus. Et hinc beatus Alcuinus apud Eboracum ſacratus fuerat Diaconus in Feſto Deiparæ Purificatæ. Ex eodem fundamento antiquum Metenſium Epiſcoporum Chronicon videtur ſcripſiſſe de ſancto Crodogando: *Hic conſecravit Epiſcopos quam plurimos per diverſas Civitates. Presbyteros nihilominùs ac Diaconos, cæteroſq; Eccleſiaſticos Ordines, ſicut moris eſt Romanæ Eccleſiæ, in diebus Sabbathorum quatuor temporibus anni.* Verba, *Sicut moris eſt Romanæ Eccleſiæ*, innuunt morem iſtum tunc in Gallia non viguiſſe. Utique ob Merovingiorum Regum incuriam.

Expo-

## *Exponuntur aliquot Quæſtiones.*

PRima hic occurrit quæſtio, An de Alexandro tertio Pontifice rectè ſcribat antiqua Hiſtorica compilatio? *Hic Papa conſtituit ut Clerici ordinari poſſint in Sabbatho, Sitientes.* Hoc eſt, Sabbatho ante Paſſionis Dominicam. Rationem dubitandi facit ſancti Gelaſii ſuprà laudatum ad Lucaniæ ac Siciliæ Epiſcopos Reſcriptum, quod quatuor temporum Sabbathis disertè addit Sabbathum medianæ Quadrageſimæ. Et ad Mauritium Diaconum Londinenſis Eccleſiæ electum Epiſcopum ſcribit ſanctus Lanfrancus Primas Cantuarienſis: *Ciceſtrum, ſicut Fraternitati tuæ inſinuavi, venies, & ibi Sabbatho ante Lætare Hieruſalem, cooperante Spiritu ſancto, Presbyterii gradum recipies.* Et in animæ Gemma Honorius Auguſtodunenſis laudat item quatuor jejuniorum atque Ordinationum tempora, & adjungit: *Clerici & in Quadrageſima ordinantur.* Utique in Sabbatho mediæ Quadrageſimæ. Quod ipſum in Claromontana Synodo ſtatuit Urbanus ſecundus. Reſpondeo laudatam compilationem vera ſcribere. Etenim Alexander tertius, quas ſanctus Gelaſius fieri ſanxit in Sabbatho ante Dominicam Lætare, ex cauſis tranſtulit in Sabbathum ſequens ante Dominicam Paſſionis. Tertia Quadrageſimæ hebdomada ex antiquiſſimo Eccleſiæ more occupatur baptizandorum ſcrutiniis: Hinc ordinandorum ſcrutinia viſa ſunt in ſequentem hebdomadam transferenda.

A. 1174. Ep. 24 Lib 3. c. 155.

Secunda quæſtio eſt, An ſanctus Gelaſius permiſerit etiam in Paſchali Vigilia conſecrari Presbyteros ac Diaconos? Ratio dubitandi eſt, quod in laudatis ad Lucaniæ ac Siciliæ Epiſcopos litteris nullam iſtius Vigiliæ faciat mentionem. Reſpondeo tamen permiſiſſe. Lucet ex ſuperiùs laudato Pelagii ſecundi ad Tullianum Grumentinum Epiſcopum Reſcripto, quo Latinum Diaconum, Marcellianenſis Eccleſiæ Electum, adeſſe ſibi juſſit in iſta Vigilia, quo tunc in Presbyterum conſecraretur. Et ſanè nulla dies eſt huic Sacramento aptior. In ipſa enim Dominus noſter Apoſtolis ſuis dedit complementum Presbyteratus: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Hanc ergo diem Gelaſius, licet non expreſſerit, tamen ſuppoſuit. Et ipſam perpetua conſuetudo firmavit. Ejus complementum eſt dies Pentecoſtes. Undè & in hac quidam olim Epiſcopi Presbyteros ordinabant ac Diaconos. Verum illos compeſcuit per litteras ad Bathonienſem Epiſcopum Alexander tertius: *Sabbatho Pentecoſtes non liceat alicui Epiſcopo ſacros Ordines celebrare, cùm in ſequenti ſeptimana, acceptâ Spiritûs ſancti gratiâ,* Cap. 1.

*tiâ, celebrentur.* Exſtat Epiſtola ſub titulo de temporibus Ordinationum.

Tertia quæſtio eſt, An laudata magni Leonis ad Dioſcorum Alexandrinum, ac Anatolium Conſtantinopolitanum Reſcripta Græci olim admiſerint atque obſervaverint? Reſpondeo negativè. Græci enim præter unicam Paſchæ Vigiliam nulla Sabbatha jejunant, & pro iſto ſuo more ſemper acerrimè decertarunt. Hinc laudata Reſcripta cenſuerunt adverſari fundamentalibus diſciplinæ ſuæ Regulis. Sabbathi jejunium antiqui etiam Græcorum Patres fuerunt adeò averſati, ut inter
Lib. 42. c. 3. capitales Marcionis errores ſanctus Epiphanius ponat & hunc: *Marcion Sabbatho jejunium ſanxit.* Et de Imperatore Michaële Amorienſi ſcribit Georgius Cedrenus: *Michaël exempli loco, quod imitaretur, vitam Copreny ei ſibi propoſuit, ſummoq; eam ſtudio amulatus ad ſummum impietatis perrexit. Itaq; modò Sabbathi jejunium præcipere, modò futuram Reſurrectionem inficiari, &c.* Quod Sabbathi jejunium cogitaret inducere, fuit de Manichæiſmo, aut Paganiſmo ſuſpectus. Hinc ergo Anatolius Ætium Archidiaconum feriâ ſextâ ſacravit in Presbyterum. Utique feriæ ſextæ Veſperâ, quæ illuceſcebat in Sabbathum. Tunc enim etiam Græci ſolemniter jejunabant. Orientale Illyricum, licet Romano ſubeſſet Patriarchatui, ſemper tamen vixit ritu Græco: Etiam Sabbathi averſabatur jejunium, ideoque ejus Epiſcopi ſacros Ordines non dabant in die Dominica. Quare non crediderim illos magni Leonis de hac re juſſionibus obtemperaſſe.

Attamen de Alexandrina Eccleſia ſcribit in libris adverſus Græcorum Oppoſita Ratramnus Corbeienſis Monachus:
L. 3. c. 3. *Non omnes Orientales Eccleſiæ Sabbatho non jejunare deprehenduntur. Alexandrina namq; cum Romana priſca jam traditione ſuper Sabbathi jejunio conſentit. Etenim Collectæ non fiunt eo die Alexandriæ, ſicut nec Romæ. Unde monſtratur Alexandrinos Sabbatho non prandere, ſicut nec Romanos. In diebus enim Collectarum & Sacramenta moris eſt conficere atque percipere, & jejunia ſolvere.* Et ex his videtur credibile, quod tandem Romanis hac in re obtemperare cœperint Ægyptii, & ſolis diebus Dominicis Clericos ordinare. Verum Ratramnus loquitur ex Socrate:
Lib. 5. c. 21. *Quamquam omnes ubique in orbe terrarum Eccleſiæ ſingulis ſeptimanis vertentibus die Sabbathi Myſteria celebrent, Alexandrini tamen & Romani ex antiqua traditione id facere renuunt.* Ex hiſce verbis Ratramnus infert Alexandrinos Sabbathis jejunaſſe. Aſt non ſequitur. Etenim in jejuniorum diebus ad Veſperam ſemper obtulit Romana Eccleſia, erratque Socrates ipſam non obtuliſſe. An Alexandrina tunc non obtulerit, eſt alia quæſtio: Certum eſt ipſam

Digitized by Google

ipſam non jejunaſſe in Sabbathis, atque ita nec poſt ipſorum Veſperam ordinaſſe. Græci igitur omnes etiamnum faciunt, quod in Euchologii Notis ſcribit Joannes Goar: *Græci diem habendis ordinationibus præfixum penitùs nullum habent, ex antiqua ſua conſuetudine.* Epiſcopos & Presbyteros Latino more non ordinant niſi in pleno ſacrificio, ideoque illis diebus, qui ſolâ Præſanctificatorum oblatione gaudent, iſti non ordinantur. Fol. 246.

Laudatum ſancti Gelaſii de ordinationum temporibus Decretum vix in Latina etiam Eccleſia ſervabatur ſancti Leonis noni tempore: Cum multa alia diſciplina & ipſum negligebatur. Hinc ipſum laudatus Pontifex repoſuit. Etiam per Victoris ſecundi Legatos Tholoſana, ac per Nicolai ſecundi Legatos celebrata Synodus Andegavenſis. Et neque ſic abolitus eſt abuſus, nec facta plena executio. Lucet ex ſancti Ivonis Carnutenſis Epiſcopi ad Senonenſis Eccleſiæ Capitulum Reſcripto de Daimberto ejuſdem Eccleſiæ Electo: *Petitorio veſtro mandavit nobis Fraternitas veſtra, ut Electum veſtrum in Purificatione beatæ Mariæ pro Officio noſtro ordinemus in Presbyterum, ſequenti autem Dominicâ conſecremus in Epiſcopum. Sed Apoſtolica inſtitutio & paterni Canones habent, ut non fiat Levitica vel Sacerdotalis ordinatio, niſi jejunio quarti menſis, ſeptimi, & decimi, aut initio Quadrageſimæ, vel Sabbatho medianæ Quadrageſimæ. Et quia periculum eſt Ordinatoris & Ordinati, citra ordinem a Patribus traditum ſacrum Ordinem tradere vel accipere, exſpectet veſtra Fraternitas legitima tempora.* Illegitimam Ordinationem à Provinciæ Protothrono Epiſcopo Ivone poſtulavit Metropolitanum Capitulum, quod laudata jam Decreta necdum eſſent per omnem Galliam plenè admiſſa. Et per Apoſtolicam inſtitutionem ſanctus Ivo nequaquam Apoſtolicum Canonem, ſed omninò intelligit laudatum Decretum noſtri Leonis. Et hinc ipſum, quod utique necdum plenè obediret Gallia, iteravit atque innovavit in Claromontana Synodo Urbanus ſecundus. Huc item apud antiquam Decretalium Collectionem ſpectare poſſit exceſſus Clarienſis Epiſcopi, quem ob Ordinatum in Aſſumptæ Deiparæ Vigilia Presbyterum ſuſpendit à Pontificali Officio Clemens tertius. Leonis noſtri Decretum poſſit etiam tunc non plenè viguiſſe. Ep. 58.

Ex laudato ſancti Ivonis Reſcripto lucet, quod nec Epiſcopus, nec Metropolita poſſit circa hoſce Canones diſpenſare. Ex nulla cauſa. Adducta enim per Senonenſe Capitulum cauſa erat graviſſima, & Protothronus Ivo Metropoliticâ auctoritate tunc fungebatur. Et ad Apoſtolum noſtrum ſanctum Bonifacium reſcripſit item Zacharias Pontifex: *De Ordinatione Presbyterorum & Diaconorum, cogente neceſſitate & paupertate* Ep. 13.

 *tate*

Digitized by Google

*tate rogantium non legitimis temporibus & diebus à te promoveri, te offenſionem incurriſſe inſinuaſti. Dicimus autem tibi, ut bene noſti, quod ſacri Canones docent aptis temporibus Sacerdotes Ordinandos. Attamen in eo, quod à te propter zelum fidei actum eſt, à Domino Deo noſtro indulgentiam poſtulamus.* Lucidè ſupponit etiam tanto Apoſtolicæ Sedis Legato talem non fuiſſe poteſtatem. Ordinationes iſtas adeò damnarunt poſteriora ſæcula, ut quidam de ipſarum ſubſtantiali valore dubitaverint. Hinc enim ad Bracharenſem Archiëpiſcopum reſcripſit Gregorius nonus: *Eos qui extra tempora ſtatuta ſacros Ordines receperunt, characterem non eſt dubium recepiſſe.* Erant tamen ſuſpenſi à Divinis, aut certè per Epiſcopum ſuſpendendi. Ipſo facto ſuſpenſos jam declaravit Pius ſecundus. Graviores pœnas addidit Sixtus quintus. Verum ipſas moderatus eſt, & ad antiquos terminos reduxit Clemens octavus.

De Clemente ſexto ſcribit in ſuis Annalibus Henricus Monachus
A. 1342. Rebdorffienſis: *Hic Papa ſacros Ordines plures etiam extra tempora, & alia indifferenter contra conſuetudinem olim in Eccleſia ſervatam contulit, &*
A. 1351. *conferri mandavit.* Et infrà: *Hic Papa Humbertum Delphinum fecit Patriarcham Antiochenum, & in Feſto Nativitatis Domini, quod fuit in Sabbatho, ipſum promovit ad tres ſacros Ordines. In prima Miſſa galli cantus ordinat ipſum in Subdiaconum, in ſecunda Miſſa ortus diei ordinavit ipſum in Diaconum, in Summa Miſſa in Sacerdotem. Et eodem die ipſe Delphinus Miſſam celebravit. Et poſt octo dies ipſum Papa conſecravit Epiſcopum.* Et iterum: *Eodem anno de mandato ejuſdem Papæ Domnus Bertholdus Epiſcopus Eccleſiæ Eyſtetenſis in Aſcenſione Domini ad quatuor minores Ordines eſt promotus, in Vigilia proxima Pentecoſtes in Subdiaconum, & Sabbatho quatuor temporum ſequenti in Presbyterum ordinatus, & poſt octo dies eſt in Epiſcopum conſecratus.* Rectè dicit laudatus Monachus: *Contra conſuetudinem in Eccleſia ſervatam.* Ejuſmodi enim Ordinatio eſt vitium, quod
An. 767. in Pſeudo-Papa Conſtantino notat Marianus Scotus: *Toco Dux Nepeſinæ Civitatis, & Paſſinus & Paſchalis Germanum ſuum Conſtantinum Laicum fecerunt Papam, & comminando injuſtè Georgio Epiſcopo, compulerunt eum, orationem Clericatus eidem Conſtantino tribui, ſicque Clericus factus eſt. Et aliâ die, ſecundâ feriâ Subdiaconus, & Diaconus illuceſcente eodem die à prædicto Epiſcopo factus eſt. Et Dominicâ ſequenti Pontifex eſt conſecratus.* Ex quo lucet ſententiam illam, quæ Romanum Pontificem adfirmat nullis ad faciendas Ordinationes temporibus alligari, tunc fuiſſe ignotam. Cunctis enim generalibus, licet ex cauſis diſpenſare & moderari poſſit, Eccleſiæ Canonibus ſe adſtringi, Romani Pontifices fuêre ſemper profeſſi.

Et

Digitized by Google

Et hinc de Alexandri tertii ad Bathonienſem Epiſcopum Reſcripto, *Nulli niſi Romano Pontifici licet diebus Dominicis Subdiaconos ordinare*, quæri poſſit, an iſtud privilegium ſit antiquum? Et partem affirmantem ſuadet liber Pontificalis, fixis Ordinationum temporibus aſſiduè aſſerens à Pontificibus Ordinatos fuiſſe Epiſcopos, Presbyteros, ac Diaconos, & de Subdiaconis nullam faciens mentionem. Quod nempe illos non in certis dumtaxat temporibus, ſed in omni Dominica poſſet Pontifex ordinare. Etiam intra ſuæ conſecrationis Miſſam celebrare Ordines poteſt ſolus Pontifex. Et eſſe antiquiſſimum privilegium demonſtrat in litteris adverſus Timotheum Ælurum, Alexandrinæ ſedis invaſorem, ſcriptis ad Leonem Auguſtum Orthodoxa Ægypti Synodus: *Timotheus neque Regulas Patrum, neque ſanctiones Eccleſiaſticas mente percipiens, Ordinationes effecit Epiſcoporum ſimul & Clericorum.* Utique mox poſt ſuam ſacrilegam conſecrationem. Ipſum arguit, quod & violaſſet Canones, ac Romani Epiſcopi privilegium uſurpaſſet. Exſtat laudata Epiſtola poſt Synodum Chalcedonenſem. Et in ſua Canonum Collectione habet Fulgentius Ferrandus: *Unus Epiſcopus Epiſcopum non ordinat, exceptâ Eccleſiâ Romanâ.* Ergo & circa Subdiaconos poſſit eadem Eccleſia habuiſſe ſingulare privilegium. *His verò*, inquit Dominus Jacobus Hallier Epiſcopus Cavalonenſis, *repugnant tum Hoſtienſis, tum alii veteres Canoniſtæ, Romanarum conſuetudinum periti, qui Summum Pontificem nullos ex ſacris Ordinibus extra tempora conferre ſolere adſirmant, imò nec decere ipſum ea in re communem legem ab aliis ſervatam prævaricari.*

Ep. 22.

Cap. 6.

Reſpondeo privilegium iſtud eſſe omninò antiquum. Etenim Subdiaconatus olim non fuit major, ac in multis Latinis Eccleſiis nec Sacer Ordo. Et omnia de Ordinationum temporibus antiqua Decreta loquuntur de ſolo Presbyteratu ac Diaconatu. Epiſcopatum omni Dominicæ diei, Subdiaconatum ac alios inferiores gradus permittunt prioribus ſuis temporibus. Hinc item liber Pontificalis ſolemnibus temporibus nullas adſcribit Subdiaconorum promotiones. Quod nempe ipſos in quavis ad minimum Dominica facere poſſet Pontifex & conſueviſſet. Urbanus ſecundus Subdiaconatum primus fecit eſſe majorem Ordinem, ideoque & ejus collationem primus ad ſolemnia tempora adſtrinxit. Adſtrinxit ſolos inferiores Epiſcopos, non ſeipſum, nec ſuos Succeſſores. Hi omnes perrexerunt Subdiaconos in quavis Dominica conſecrare. Sic communis totius Latinæ Eccleſiæ mos ac lex cæperunt eſſe ſingulare Romani Epiſcopi privilegium.

DIS-

# DISSERTATIO
## DE
# S. LEONIS NONI
# ACTIS

*Adverſus Schiſma Michaëlis Cerularii Patriarchæ Conſtantinopolitani.*

## CAPUT PRIMUM.

*Exponitur Photii Patriarchæ, qui Schiſma hoc inchoavit, exitus.*

AN Joannes octavus Pontifex miſerandi Schiſmatis turbulentum Auctorem, & Conſtantinopolitanæ Cathedræ adulterum invaſorem Photium ab irreparabilis degradationis vinculo prudenter ſolverit, & contra rigidiſſima Anteceſſorum ſuorum Nicolai primi & Adriani ſecundi, necnon totius octavæ Synodi Decreta reddiderit laudatæ Cathedræ, eruditi viri certant, & adhuc ſub Judice lis eſt. Certè egit iſta valdè infœliciter. Petulco, cui multæ litteræ fuerunt quaſi arma in manu furioſi, ingenio anſam dedit & fomenta in Eccleſiaſticam Hierarchiam & Catholicam Chriſtianitatis pacem liberè ſine frœno inſaniendi. Et homo inſaniit quouſque vixit Imperator Baſilius. Quin & optimum Principem per maligniſſimè conſutos adulandi dolos circumſcripſit in ſuas adverſus Romanam ac omnem Latinam Eccleſiam mendaciſſimas calumnias, adeò ut Stephanus ſextus Pontifex fuerit compulſus & Legatos & litteras mittere Conſtantinopolim, & Baſilium de Photio docere. Legationis ſucceſſum exponit authentica octavæ Synodi appendix: *Hæc Epiſtola miſſa quidem eſt ad Imperatorem Baſilium, ſed vitâ functo jam parente, Leo Baſilii filius eam accepit. Qui cum vim & auctoritatem Epiſtolæ perſpexiſſet, peſſimis Photii artibus deprehenſis, ſubitò cunctos veritatis Sacerdotes, à Photio damnato acerbè divexatos, revocavit, ejectoq; Tyranno Photio,* qui

*per vim thronum invaſerat, Stephan*[illegible]*manum ſuum in Patriarchio collocavit.*

Hæc verba laudat in libris de Occ[illegible]alis & Orientalis Eccleſiæ Concordia Leo Allatius, & adjungit: *Neque quid interim evenerit Photio,* L. 2. c. 6. *Hiſtorici tradunt, ſed æquè ac de mortuo altum eſt ſilentium. Malè itaq, ab illis*, Græcis Schiſmaticis, *aſſeritur in communione Romana Eccleſiæ obiiſſe. Numquam enim abſolutus & receptus in gradum rediit, etiamſi id non abnuiſſet Joannes Pontifex.* Agit adverſus Auctorem libri de exordio Hæreſis apud Latinos, qui ejectum ab Imperatore Leone Sapiente Photium adfirmat Romam appellaſſe & acceſſiſſe, fuiſſe iſtic oculatum varii abuſus ac erroris inſpectorem, reſtitutum in ſedem, & ad propria reducem dictos abuſus & errores Synodaliter damnaſſe. Alii Schiſmatici garriunt Romanam Eccleſiam errores iſtos recantaſſe ob Photii auctoritatem, & perpetuam cum illo communionem foviſſe. Hæc ſunt recentiorum Græculorum ſomnia, quæ eruditè iſtic refutat laudatus Allatius, & quæ necdum nata dudum anteà præfocavit authentica octavæ Synodi appendix: *Photius quadraginta quinque annis ad hodiernum uſque diem palam anathemate feritur à Leone Papa* quarto *uſque ad Formoſum. Nam annos undecim anathematizatur ſecularis & Laicus tamquam qui cum Gregorio Syracuſano exauctorato & anathematizato communicaret. Et alios triginta quatuor, poſtquam ſacris initiatus eſt. Etenim Leo Pontifex, & Benedictus, & Nicolaus Gregorium propter varias cauſas anathemate damnabant. Ubi verò Photius à damnato conſecratus eſt, cum propter alia ipſius facinora, tum quod ſacris eſſet à Gregorio initiatus, anathematizatur a novem Romanis Pontificibus, Leone, Benedicto, Nicolao, Adriano, Joanne, Marino, Adriano altero, Stephano, & Formoſo.* Exiſtimo Photium uſque ad Formoſi Pontificatum ſupervixiſſe, atque ita à cunctis iſtis Pontificibus, ipſum aut damnantibus aut ejus ab Imperatore Leone ejectionem omninò comprobantibus, fuiſſe anathematizatum, ac in anathemate defunctum. Et hinc in Formoſum multa fingunt poſteriores Græculi, quo noviſſima in Photium ſententia credatur eſſe parvi ponderis.

Quod poſt factam à Leone ejectionem Hiſtorici de Photio deinceps taceant, eſt omninò verum. Ejectionis modum deſcribit Leo Grammaticus: *Leo Imperator Andream Domeſticum Scholarum una cum Joanne Agiopolita viro litteris præſtantiſſimo mandavit, qui Ambone Eccleſiæ conſcenſo, & cauſis in Photium Patriarcham lectis, throno ſe abdicare coëgerunt, & in Armeniorum Monaſterium, Bordi dictum, detruſerunt. Fratrem etiam in Patriarchium induxit, qui imminentibus Chriſti Natalitiis Patriarcha con-*

Nnnn *ſecratur*

Digitized by Google

*ſecratur à Theophane Heracleienſi, primæ poſt Patriarcham Sedis Epiſcopo, & à reliquis Præſulibus.* [illegible] à Theophane Heracleienſi Epiſcopo, Europæ Metropolita, ac totius Thraciciæ Diœceſios Exarcho, ad quem de jure ſpectat Conſtantinopolitani Patriarchæ conſecratio. Et ita notatur Photius, qui à Gregorio Syracuſæ Archiëpiſcopo, & quidem damnato ac anathematizato, ſe permiſerat conſecrari. Addit laudatus Grammaticus: *Andreas Domeſticus & Stephanus Magiſter, à Theodoro Santabareno contumelias quondam paſſi, inſidias deinde in ipſum machinati, ſuggeſſerunt Imperatori Photium Patriarcham & Theodorum Santabarenum ex Photii Patriarchæ conſanguineis aliquem conſtituere Imperatorem conſiliatos.* Nec accuſatio carebat fundamento. Nam & ipſe Imperator Leo à circumſcripto per Photii calumnias patre ſuo Baſilio fuerat paſſus carcerem, & de vita periclitatus. Ad Schiſma ſuum firmandum Photius omninò cogitaverat Baſilii genus perdere, & Imperium in ſuum ſanguinem derivare. Et ad haſce machinas fuerat uſus iſto Theodoro, nequiſſimo Monacho, & magicarum artium inſigniter perito, aut certè graviter ſuſpecto. Et quo hic auctoritatem haberet, ipſum ille creaverat Metropolitam Euchaitarum. Ab horum igitur facinorum memoria, & à laudata Stephani Pontificis Epiſtola excitatus Imperator Leo, & Photio & Theodoro Synodalem proceſſum fecit in palatio ad fontem, & hunc ad publica flagella & excæcationem damnavit, illum ad perpetuam pœnitentiam in Monaſterio Armeniorum. Quæ latiùs exponunt Leo Grammaticus, Georgius Cedrenus, & Michaël Glycas.

Fol. 988. De fontis Palatio ſcribit laudatus Cedrenus: *Imperator Baſilius condidit Palatium ad fontes.* Inſignem ad Aureum in Conſtantinopolitano ſuburbio fontem Deiparæ Virginis Baſilicam exſtruxit magnus Imperator Leo, reparavit & ornavit Juſtinianus, & plurimis ſanitatum miraculis clarificavit divina clementia. Etiam tempore Schiſmatis. Ad hanc ergo Baſilicam illuſtre Palatium erexit Baſilius: Nam pleræque nobiliores apud Conſtantinopolim Eccleſiæ habebant adjuncta Palatia. Et paternum opus dilexit filius Leo, atque ita in ipſo exercuit judicium in Photium & Theodorum. De eadem Eccleſia & Palatio ſcribit Hiſtoria Tur-

Ca. 200. cica: *Inde venitur ad decimam ſextam, videlicet Selybriæ portam, quæ à priſcis porta aurea nominabatur, & porta fontis. Nam extra portam hanc eſt hodie fons, qui aureus fons à Græcis antiquo nomine dicitur, celebris in eorum Hiſtoriis, quæ ſæpenumero de Palatio fontis mentionem faciunt, & de Templo Deiparæ Virginis ad fontem. Ædificia nunc diruta ſunt, fundamentis adhuc exſtantibus & ipſo fonte, quem hodie Græcorum vulgus aureum fontem appellat, & inviſere magno concurſu conſuevit certo anni tempore, velut ſi Deiparæ Templum adhuc incolume ſtaret.*

Etiam

Etiam variarum gentium Eccleſias & Monaſteria habuit Conſtantinopolis. Nam quod illic Gothorum Eccleſiam ſanctus Joannes Chryſoſtomus ædificaverit, teſtantur Theodoretus & Hermias Zozomenus. L.5.c.4. L.8.c.5. Et ex illo præſertim tempore gentis iſtius Epiſcopus ſpectare cœpit ad jus & conſecrationem Epiſcopi Conſtantinopolitani. Et in libro de originibus Conſtantinopolitanis ſcribit Georgius Codinus: *Monaſterium Romæ ſive Romani condidit tempore Leonis Macelæ Hemon quidam Patritius Romanus. Ibi enim in urbem veniens habitavit.* Uti Roma plura Græca, ita Conſtantinopolis habuit plura Latina Monaſteria & Templa. Nam & Michaël Cerularius, dum Schiſma cœpit, clauſit ſeu Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſuit omnes Latinorum Eccleſias. Et Conſtantinopolitanæ per ſanctum Flavianum adverſus Eutychetem Synodo interfuit atque ſubſcripſit *Theodorus Presbyter & Archimandrita Monaſterii Ægyptiorum.* Etiam *Jacobus Diaconus & Archimandrita Syrorum.* Sic & Armeniorum fuit illic Monaſterium, & in ipſo Photium clauſit Sapiens Leo ad perpetuam pœnitentiam. Videtur fuiſſe tenue & anguſtum. Vix enim notum eſt niſi ex hac Photii captivitate. Et eandem gratiam huic haud dubiè fecerit Leo Imperator, quam relegato & excæcato Santabareno factam ſcribit Leo Grammaticus: *Poſt annos aliquot placatus Imperator Theodorum reduxit in urbem, & ex nova Eccleſia Annonam percipere decrevit.* Et adjungit; *Idem Santabarenus ſub Conſtantino & Zoa ejus Matre defunctus eſt.* De Photii morte omnes tacent. Conſtantinus, ultimus Leonis Sapientis filius, poſt fratrem Alexandrum, regnavit cum Zoa Matre annis quatuordecim, à decimi Chriſtiani ſæculi anno nono uſque ad vigeſimum ſecundum. Porrò Formoſus Pontifex ſedere cœpit noni ſæculi anno nonageſimo primo, atque ita dudum mortuus eſt ante Santabarenum. Stephanus Patriarcha, licet Photii diſcipulus & Diaconus Syncellus, fratri tamen Leoni conſtanter adhæſit, fuitque inſigniter orthodoxus. Et ſic omne Schiſma fuit exſtinctum.

Verum his obſtare videtur Synodalis acclamatio ad tomum unionis poſt Schiſma ob quartas Imperatoris Leonis Philoſophi nuptias. Græcæ diſciplinæ tenax Patriarcha Nicolaus Myſticus Principem excommunicarat, hic autem Latinam diſciplinam ſciens provocarat Romam, cauſam illic evicerat, ejecit Nicolaum, à Succeſſore Euthymio fuit abſolutus, atque ita inteſtino ac duro Schiſmati dedit anſam. Alii enim Romano, quod Auguſtis Juſtiniani legibus fulciebatur, Decreto, alii Epiſcopi ac Monachi adhærebant nupero Imperatoris Baſilii Edicto, damnanti ac irritanti iſtas nuptias uti adverſas Evangelicæ legi. Leonis filius ac Succeſſor Conſtantinus Porphyrogenitus repoſuit Nicolaum Patriar-

triarcham, diſcordantes Epiſcopos compoſuit, & famoſum, nobis in jure Græco-Romano cuſtoditum à Joanne Leunclavio, edidit unionis tomum. Et ad ipſum facta Synodalis acclamatio habet hæc verba: *Ignatii, Photii, Stephani, Antonii, Nicolai, Euthymii, Stephani, Tryphonis, Theophylacti, Polyeucti, & Antonii, orthodoxorum Patriarcharum, æterna ſit memoria.* Et Nicolaus Patriarcha, & Imperator Conſtantinus fuerunt inſigniter orthodoxi, & tamen Photium honorarunt uti Collegam, atque ita nequit ille in Schiſmate, degradatione, atque exilio eſſe defunctus.

Reſpondeo acclamationem iſtam non eſſe factam ſub dicto Principe & Patriarcha. Lucet ex ſubjecto ad laudatum tomum Scholio. *Hæc quidem geſta ſunt ab Imperatoribus iſtis olim rerum potitis.* Utique Leone Philoſopho, ac ejus filio Conſtantino. *Nunc verò ex Patris & Filii & Spiritus ſancti benevolentia & gratia, Sacerdotes atque Monachos, jam ante nonaginta annos ob prædictam cauſam & occaſionem a ſe invicem divulſos, ſereniſſima Majeſtas à Deo coronatorum Imperatorum noſtrorum Baſilii & Conſtantini conjunxit & univit, unamq; generalem & Apoſtolicam Eccleſiam effecit. Quamobrem prædicandi, & magni faciendi veniunt, qui opus tam gratum Deo, & tam magni momenti ad exitum perduxerunt.* Myſtici Nicolai degradatio, ac natum inde Schiſma contigerunt anno Domini nongenteſimo ſecundo aut tertio, unionis tomus prodiit anno ejuſdem ſæculi vigeſimo, Baſilius & Conſtantinus Imperium ſeptuageſimo ſeptimo, Siſinnius ſecundus Patriarchatum iniit anno nonageſimo quarto, ſcribitque de ipſo Georgius Cedrenus: *Siſinnius diſſidium propter quartas nuptias dudum ortum ſuſtulit, concordiâ factâ.* Fuerat horrenda diſcordia. Sapientis Leonis à Romana Eccleſia probatum facinus plures eſſe inſipientem Hæreſim, ac ab ipſa everſam Chriſtianitatem blaterabant; Patriarchæ Euthymii, qui Leonem communioni reddiderat, nomen radebant è ſuæ Eccleſiæ tabulis, ac etiam à Polyeucti, quod nomen iſtud admiſiſſet, communionem averſabantur. Adeò unionis tomus unionem non fecerat. Hanc ergo & inter defunctos & inter vivos tandem perfecit Siſinnius, & quidem, ut aliqui non ſine fundamento aſſerunt, damnando Romanam Eccleſiam, & Photii cauſam reſumendo. Hic enim eſt qui Encyclicis Photii in Romanam ac omnem Latinam Chriſtianitatem calumniis præfixit ſuum nomen, ſuâ Patriarchali auctoritate denuò ſparſit per omnem Orientem, atque ita viam ſtravit Michaëli Cerulario. Hinc ergo & Photii nomen inſeruit præfatæ acclamationi.



Digitized by Google

## CAPUT II.

*Exponuntur Michaëlis Cerularii natales, Epiſcopatus, mores, & finis.*

MIchaël quintus genere & cognomento Paphlago, ingreſſus eſt Imperium undecimi Chriſtiani ſæculi anno trigeſimo quinto, tenuitque ad quinque ferè annos. Et tunc primam de Michaële Cerulario mentionem facit Georgius Cedrenus: *Hoc tempore adverſus Imperatorem conſpiratum eſt, Principibus facinoris Michaële Cerulario & Joanne Macrempolita, aliiſq; civium haud paucis.* Et infrà: *Vigeſima die Februarii, indictione undecimâ, Alexius Patriarcha rebus humanis excedit. Ei ſufficitur die Annuntiationi feſto Michaël Cerularius, qui vixerat Monachus, ex quo eum Orphanotrophus ob paratas inſidias relegaverat.* Michaël igitur fuit natione Conſtantinopolitanus, familiâ illuſtris, ſpiritu inquietus, rebellis in Principem, ac non propriâ voluntate profeſſus, ſed ob pœnam compulſus ac detruſus in Monaſterium. Fuerat mortis reus. Perpetuæ pœnitentiæ ſpe eſt vitam lucratus. Et hinc in ſententia, quâ illum excommunicavit, Cardinalis Humbertus, ſancti Leonis noni ad Imperatorem Conſtantinum Monomachum Legatus, poſuit hoc elogium: *Michaël ſolo humano timore habitum Monachorum adeptus.* Et adjunxit: *Abuſivus Patriarcha, Neophytus.* Monachi enim, præſertim iſtiuſmodi, non minus quàm ſæculares ſunt merè Laïci, ideoque gradatim per Canonica interſtitia promoveri debent, & non niſi per abuſum poſſint ſtatim in Diaconos aut Presbyteros, ac præſertim in Epiſcopos promoveri.

Promotus fuit Michaël in Patriarcham undecimi ſæculi quadrageſimo tertio, undecimo Benedicti noni Pontificis, ſecundo anno Conſtantini Monomachi Imperatoris Conſtantinopolitani. Fuit hic inſigniter orthodoxus, atque ita claret etiam Michaëlem fuiſſe tunc integræ famæ, & de ejus recta fide non dubitatum. Nec enim Orthodoxus Princeps Hæreticum aut Schiſmaticum, vel de ſimili lepra ſuſpectum, Regia ſua, quæ vigebat Conſtantinopoli, nominatione exaltaſſet. Per decem annos ille occultavit peſſimam mentem: Nec niſi quinquageſimo tertio iſtius ſæculi anno cæpit in Romanam ac omnem Latinam Eccleſiam inſanire. Etenim iſto ipſo anno ad Petrum Orthodoxum Antiochiæ Patriarcham reſcripſit ſanctus Leo nonus: *Porrò quod à nobis cauſas diviſionis univerſalis Eccleſiæ compatiendo requiris, fatemur tuæ religioſæ Sollicitudini nos adhuc, Domino miſerante, firmiſſimè retinere vinculum ſanctæ Unitatis, nec videmus nos alicubi incurriſſe damnum Schiſmatis, quos integritas concordiæ, & plenitudo Eccleſiaſtica diſciplina indeſi-*

*deſinenter regit.* Iſto, inquam, anno promotus in Patriarcham Petrus conſecrationem ſuam ex avita conſuetudine retulerat ad Sedem Apoſtolicam, ejuſque ſupplicaverat confirmationem: Hâc occaſione etiam rogaverat Pontificem, an novello huic Schiſmati Romana Eccleſia dediſſet aliquid occaſionis. Periit aut latet Petri Epiſtola: Interim tota ſancti Leonis Reſponſio clamat Schiſma tunc fuiſſe novellum. Exſtat ejuſdem Petri ad Michaëlem Cerularium hæc Epiſtola: *Preterea ipſe quoque ſum teſtis irrefragabilis, & alii mecum plerique ex Eccleſiaſticis Primatibus, ſub beatiſſimo Patriarcha Antiocheno Domino Joanne Pontificem Romanum, Joannem & ipſum nuncupatum, in ſacris dypticbis commemorari. Et ante quadraginta & quinque Conſtantinopolim appellens ſub beata memoria Patriarcha Sergio jam dictum Papam inter ſacra Miſſarum ſolemnia cum aliis Patriarchis commemorari audivi. Quomodo verò poſtea ejuſdem commemoratio fuerit eraſa, & quam ob cauſam, ignoro.* Nempe Michaël Petrum ad Schiſmatis ſocietatem & radendum Papæ nomen ſollicitarat, ac reſpondit Petrus novellas eſſe has lites, & legitimam ipſis deeſſe cauſam, aut ſanè hanc à ſe ignorari. An Michaël ſit primus hujus Schiſmatis Auctor, ſuprà eſt diſputatum. Quidquid ſit, ipſum rectè ac paſſim vocatur Schiſma Michaëlis Cerularii.

Quam perduelli in ſuos Superiores ſpiritu fuerit Michaël, demonſtrat ejus non ſolum in Michaëlem Paphlagonem, ſed etiam in Imperatorem Michaëlem Stratioticum rebellio. Quod cum ſuis cognatis & Theodoro Patriarcha Antiocheno ipſum doloſè Imperio ejecerit, omnem Conſtantinopolim impleverit cædibus & rapinis, ac Iſaacium Comnenum intruſerit in Imperium, pluribus oſtendit Georgius Cedrenus. Et de iſtius Iſaacii Imperio pergit Joannes Schylitza: *Patriarcha inexplebili benevolentiâ fretus Imperatoris, contra ipſum elatus eſt, non petitionibus modo & admonitionibus utens, ſi quando alicujus rei & pro aliquo indigeret, verùm ſæpè minimè voti compos propter frequentes & odioſas petitiones, minas & abſurdas increpationes adhibebat, ac niſi pareret, Imperii amiſſionem minabatur, vulgare & tritum hoc dictum proferens, ego te condidi, furne, ego & te dejiciam. Aggreſſus eſt etiam coccoſincta induere calceamenta, antiqui Sacerdotii hunc morem aſſerens, & oportere his uti novum quoque Archiepiſcopum: Nam inter Sacerdotium & Regnum nihil intereſſe vel admodum parum, & in rebus pretioſioribus ampliùs fortaſſe & magis colendum Sacerdotium.* Et huc in antiquo Latini ac Græci Dialogo, reſpicit Latinus Interlocutor: *Sed nos Michaëlem Cerularium poſteriorem ſub Imperio Monomachi dicimus Papam ex commemoratione dypticborum deleviſſe, quod ambiret indui coccineis calceis, & Romanus Pontifex impediret, cum ille ſolus*

Digitized by Google

*ſolus haberet facultatem illis ſe ornandi, nec fas eſſet aliis Patriarchis hoc facere.* Verùm Latinus ille labitur in tempore. Nec enim ſub Conſtantino Monomacho, ſed ſub Iſaacio Comneno illud Michaël attentavit, atque ita nequit hic fuiſſe fons & origo conceptæ à Cerulario adverſus Papam iræ & Schiſmatis. Certè ſub Iſaacio, quod ipſum elevaſſet ad Regnum, præſumebat omnia, quæ ſub Conſtantino nec cogitaſſet. Græci, qui purpureos compagos negat à Michaële aſſumptos, in eodem Dialogo lapſus eſt longè gravior: Joannis enim Scbylitzæ in hac re teſtificatio eſt irrefragabilis.

Verùm quid ſibi volunt hæc Michaëlis verba, *Oportet his uti novum quoque Archiëpiſcopum*? Cur ſe, qui tunc quatuordecim annis ſederat Patriarcha, titulat novum Archiëpiſcopum? Reſpondeo reſpicere ad excogitatum olim à Schiſmatis auctore Photio, etiam à ſe reſumptum commentum, quod aſſerit Papalia privilegia adnecti Imperialibus, ideoque jam dudum Româ migraſſe Conſtantinopolim. Etenim etiam Michaël ſe aſſerere cæpit Patriarcham Oecumenicum, non per ſuas dumtaxat Diœceſes, ſed per omnem ſub cœlo orbem: Atque ita & novum Archiëpiſcopum. Quod nempe in veterem Romani per privilegiorum tranſlationem degradati Archiëpiſcopi locum noviter ſucceſſiſſet. Hinc novâ, per Photium numquam tentatâ, audaciâ aſſumpſit purpureos compagos, ſoli Auguſto Principi & Supremo totius Chriſtianitatis Pontifici privativè proprium ornamentum. Hinc etiam de Michaële Paleologo, magno Duce, ac impuberis Imperatoris Joannis Laſcaris Præfecto, ideoque totius Imperii moderatore, nec non & de Arſenio Patriarcha ſcribit Georgius Pachymeres: *Paleologus ante omnes longiſſimè proceſſit obviam, nihil ad ſummam tum erga Patriarcham, tum erga ſacrum Collegium venerationem ſibi reliqui faciens. Quippe qui pedibus incedens, correpti manu muli, quo Patriarcha vehebatur, habenis, eum uſque intra Palatium Regum præiens duxit.* Papæ dumtaxat debitum Stratoris officium exhibuit Patriarchæ. Et de Andronico Comneno, jam Imperatore deſignato, quod coram Patriarcha Theodoſio Tiaram depoſuerit, atque in genua ad equi illum vehentis ungulas ceciderit, teſtatur in Alexio Manuelis Comneni filio Nicetas Choniates, & adjungit: *Paulò poſt aſſurgit, & Patriarchæ plantas deoſculatur.* Dum Barlaamus Gyracenſis Epiſcopus & Gregorius Palamas de Divino Chriſti Domini in monte Tabor transfigurati lumine diſceptarent, Joannes Patriarcha cum ſua Synodo non convenit in eandem ſententiam, fuit in degradationis periculo, ſcribitque de ſe ac de mutatis à ſe in aliam mentem Epiſcopis Imperator Joannes Cantacuzenus: *Adfirmabant nec ſibi probari,*

Lib. 1. c. 26.

Cap. 12.

L. 4. c. 3.

ri, *Patriarcham throno depelli, niſi perverſam doctrinam & ab Orthodoxa religione valdè diſcrepantem ſectari oſtenderetur.* Omnia Papalia privilegia in Patriarcham Conſtantinopolitanum Schiſmatici Græci tranſcripſerunt. Etiam illud, quod aſſerit Papam eſſe ſuprà Concilium, ideoque ab ipſo non niſi ob Hæreſim poſſe degradari, aut potiùs declarari degradatum. Hic eſt ille Patriarcha Joannes, qui Joannem Andronici ſecundi Paleologi filium coronavit in Imperatorem, & de quo ſcribit idem Lib. 3. c. 36. Cantacuzenus: *In qua feſti diei celebritate omnes penè Proceres, ut quemque Imperatrix, Patriarcha, & Concilium eſſe dignum judicarant, dignitates adepti ſunt. Patriarcha, quia gradum permutare non poterat, habitu ſe auguſtiorem fecit, & in ſubſcriptionibus colore ceruleo eſt uſus, flammeumq; ſeu tegmen capitis, quod antea Patriarchas, ſi de Monachis non eſſent, album ferrè mos erat, ipſe auro illuſtravit, Servatoris noſtri, & Illibata ejus Genitricis Deiparæ, ac Joannis Baptiſtæ in eo depictis iconibus.* Et hoc, quia gradum permutare, ſeu altiùs non poſſet aſcendere. Epiſcopatum ſuum cenſebat omninò ſupremum, ideoque & variis id profitebatur ornamentis. Quæ omnia ortum ducunt ex Michaële Cerulario.

Degradare & erectum à ſe furnum deſtruere minati Michaëlis audaciam atque potentiam omninò timuit Imperator Iſaacius Comnenus, ideoque de ipſo pergit Joannes Schylitza: *Hac audiens Imperator Michaëlem muſſitantem, ſtuduit potiùs aliquid perpetrare quam pati. Quare cum Archangelorum dies adveniſſet, egreditur Patriarcha ad Suburbana loca, ut ibi ſtudioſe ac ſolemni ritu, quæ ad diem feſtum pertinerent, perageret. Imperator autem ut lucro ſibi oblata occaſione accepta, veritus ne quis tumultus aut perturbatio fieret, turbam militum miſit, qui ipſum non ſine ignominia è throno correptum ac mulo impoſitum, uſque ad littus, quod eſt in Blachernis, impellentes deduxerunt, & ipſum & Patrueles ejus, atque inde Lembo impoſitum ad Proconeſum ut exularet, perducendum curavit. Ipſe cum aliquibus Metropolitis collocutus, & de ipſo abdicando ſpectatiſſimis ipſorum electis, eorum opera nuntiat ut Archiepiſcopatum deponat, priuſquam ipſum cum dedecore amittat, iis quæ contra ipſum Decreta erant, expoſitis & propalatis Synodo & Concilio. Sed cum ipſis viſus eſſet ejuſmodi, qui expugnari & deprimi non poſſet, quantum ad ipſum attinebat, deſperata fuit depoſitio Sacerdotii, de qua Imperatore aſſiduè cogitante, interea vitam cum morte Patriarcha tranquille commutat. Cujus corpus Imperator, quod ipſum jam pœnituerat, honorificè importandum, & in ſuo Monaſterio reponendum curat, perculſus eo miraculo, quod acciderat, non ipſe modò, ſed omnes qui cum ipſo erant. Nam dextra Patriarchæ manus in crucis figuram conformata,*



Digitized by Google

*mata, ut mos eſt benedicendi populo acclamanti pacem, ita firma permanſit, neque cum mortuo corpore eſt immutata.* Quæ omnia confirmat etiam Michaël Glycas. Ita qui turbidè ſemper vixerat, etiam turbidè eſt defunctus.

## CAPUT III.

### *An Divina Clementia etiam extra Eccleſiam operetur Miracula?*

Miraculum iſtud, quod Michaëli Cerulario adſcribitur à ſuis Symmiſtis, eſt admodum ſterile ac modicum. Ambiunt illi quod omnes ſemper Hęreticos atque Schiſmaticos ambiiſſe ſcribit in Præſcriptionum libro Tertullianus: *Adjiciunt prætereà multa de auctoritate cujuſque Doctoris Hæretici, illos maximè doctrina ſua fidem confirmaſſe, mortuos ſuſcitaſſe, debiles reformaſſe, futura ſignificaſſe, ut meritò Apoſtoli crederentur.* Cap. 44. Illos fucos elidit inſigniter idem Tertullianus, & placet hic aliquid addere. Miraculorum patrationem, atque inde erroris ſui auctoritatem venari, eſt avita ſuperbia omnium Hæreticorum. Etenim Spiritum ſanctum, quem ab Apoſtolis emere tentavit Simon Magus, non fuit donata per ipſum interna ſanctitas, ſed externa gratia miraculorum. Et hinc de cunctis generatim Gnoſticis, qui ex ipſo uti è putrido cadavere vermes ebullierunt, ſcribit ſanctus Ireneus: *Virtutes operari dicuntur, non in virtute Dei, neque in veritate, neque in beneficiis hominibus facientes ea quæ faciunt, ſed in perniciem & errorem per magicas illuſiones, & univerſa fraude plus lædentes, quàm utilitatem præſtantes his qui credunt eis, in eo quod ſeducunt.* Lib. 2. cap 56. Ipſos quo Magis & Circulatoribus fuiſſe familiariſſimos aſſeverat etiam Tertullianus: Et hæc familiaritas præſertim ambiit, ſi non gratiam, ſaltem fucum miraculorum obtinere. Etiam adverſus Ebionem ſcribit ſanctus Epiphanius: *Verùm agedum à monumento Lazarum accerſe, aut alium quempiam mortuum excitato. Aut infectos leprâ repurga, cæcis viſum, nervorum reſolutione laborantibus ſanitatem, ſi potes, reſtitue. Sed ideò non potes, quod infidelitate, carniſq; vinculis, ac legis imperfectis cæremoniis illigatus, contraria illi omnia facis. Atque ut præſtare maximè poſſes id quod propter depravatam tuam fidem minime potes aſſequi, non inſtar Chriſti dico, ſed neque Chriſti nomen ad edenda prodigia potes invocare, aut ſi tamen invocaveris, efficies quidquam.* Lib. 30. cap. 34. Nempe etiam Ebion & Ebionitæ omni ſtudio gratiæ hujus ſeu veritatem ſeu fucum ambiebant. Addit eâdem vanitate tumuiſſe & Manetem: Et quidem ad ſanandum Perſici Regis filium. Verùm hic inter iſtius manus exſpiravit,



Digitized by Google

atque ita convicit omne præſtigium. Eodem ambitu adeò laboravit cum ſua Quintilla & Maximilla Montanus, ut promiſſum à Domino Jesu Chriſto Spiritum ſanctum cum cunctis ſuis Chariſmatibus blaterarit non die Pentecoſtes in Apoſtolos, ſed nuper in ſe adveniſſe. Spiritum ſanctum in ſe eſſe incarnatum. Tot & per ſe & per ſuos edidit portenta, ut ſanctum Eleutherum Pontificem, omnemque Romanam Eccleſiam ad ipſa communicatoriis litteris comprobanda ferè circumſcripſerit, & tandem ſeduxerit magnum Tertullianum. Et adverſum Donatiſtas in

Lib. 65. Tractatibus ſuper ſancti Joannis Evangelium declamat ad ſuam plebem
c. 4. 5. ſanctus Auguſtinus: *Nemo vobis fabulas vendat*, dicendo, *Et Pontius*
Tr. 13. *fecit miraculum, & Donatus oravit, & reſpondit ei Deus de Cœlo.* Et in libro de unitate Eccleſiæ: *Nemo* Donatiſta *dicat*, *Ideò verum eſt* noſtrum
Cap. 19. dogma, *quia illa & illa miracula fecit Donatus vel Pontius*, *vel quilibet alius*, *aut quia homines ad memorias Martyrum noſtrorum orant & exaudiuntur*, *aut quia illa & illa ibi contingunt*, *aut quia ille frater noſter*, *aut illa ſoror noſtra tale viſum vigilans vidit*, *vel tale viſum dormiens ſomniavit*. Epiſcoporum iſtorum, qui parti ſuæ Baſilicas & Conventuum libertatem reddi impetraverant à Juliano Apoſtata, Princeps erat Pontius, & hunc cum Donato magno fuiſſe Thaumaturgum buccinabant Donatiſtæ, ideoque ſuum dogma eſſe legitimum, & divino teſtimonio confirmatum. Etiam neſcio quem ipſorum Presbyterum de ſibi facta Angeli
Ep. 165. apparitione fuiſſe gloriatum, lucet ex ſancti Auguſtini Epiſtola ad nobilem virum Generoſum. Idem actum à Valente Murſienſi Arianorum Epiſcopo, atque ita Imperatorem Conſtantium fuiſſe in ejus communione firmatum ſcribit in Eccleſiaſtica Hiſtoria Sulpitius Severus. Quomodo Cyrola, Wandalorum in Africa ſub Hunnerico Rege Arianus Epiſcopus, neſcio quem pauperem, qui ſe cæcum & ab ipſo illuminan-
L. 2. c. 3. dum fingeret, pretio emerit, multis refert in Francorum Hiſtoria ſanctus Gregorius Epiſcopus Turonenſis. Verùm fraus non ſucceſſit: Deus enim è mendacio veritatem fecit, cæcus ille remanſit cæcus, quouſque noſtris Epiſcopis ſupplex viſum recuperaret. In foro item Conſtantinopolitano delirus ſenex Polychronius, dum ſuam Monotheliticam
Act. 15. Hæreſim per ſolennem defuncti ſuſcitationem confirmare tentavit, deriſus à populo omni, & à ſexta Synodo fuit juxta meritum damnatus. Etiam à Joanne Calvino, dum è mortuo vivum facere tentat mendacio, è vivo factum eſſe mortuum teſtantur graviſſimi Scriptores. Eandem, licet non fraudem, tamen vanitatem notat in Lutheranis Eraſmus, addens ab illis uſque huc nec unum canem potuiſſe ſuſcitari. Eſt juſtus ſarcaſmus. Quod tamen venerabilis Wido Abbas Piſcarienſis à ſuis

Digitized by Google

ſuis ruſticis occiſum Traſmundi Comitis equum reſuſcitarit, atque ità hunc ab iſtorum cæde revocarit, in eiuſdem Cœnobii Chronico teſtatur Joannes Berardi. Nec deſunt alia eiuſmodi exempla. A. 1038.

Quæſtio eſt, An mortuorum ſuſcitandorum, aut alia vera miracula patrandi gratia detur quandoque Hæreticis aut aliis Infidelibus? Partem affirmativam in laudato Præſcriptionum libro videtur Tertullianus ſupponere. Cap. 44. Quin & de Apollonio Thianenſi, homine Gentili & peſſimo Mago, ſcribit in Aureliano Auguſto Flavius Vopiſcus: *Quid illo viro ſanctius, venerabilius, antiquius, Diviniuſq; inter homines fuit?* Cap. 24. *Ille mortuis reddidit vitam, ille multa ultra homines & fecit & dixit, quæ qui velit noſſe, Græcos legat libros qui de eius vita conſcripti ſunt.* Quod illum, uti & Apuleium Madaurenſem, ob patrata miracula Gentiles Chriſto Domino prætulerint, teſtatur in litteris ad Comitem Marcellinum S. Auguſtinus. Epiſt. 5. Et de Imperatore Veſpaſiano, præter ſpem evecto ad iſtam dignitatem, ſcribit Suetonius Tranquillus: *Auctoritas & quaſi* Lib. 10. cap. 7. *Majeſtas quædam, ut ſcilicet inopinato, & adhuc novo Principi, deerat. Hæc quoque acceſſit. E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, ſedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonſtratam à Serapide per quietem: Reſtituturum oculos, ſi inſpuiſſet; confirmaturum crus, ſi dignaretur calce contingere. Cùm vix fides eſſet rem ullo modo ſucceſſuram, ideoq; ne experiri quidem auderet, extremò hortantibus amicis palam pro concione utrumque tentavit, nec eventus defuit.* Quod ipſum in Hiſtoriarum libris aſſeverat Cornelius Tacitus, addens cæcum iſtum fuiſſe Ægyptium, ideoque monitum à Serapide. Et de Imperatore Adriano, per morbi impatientiam parante ſeipſum occidere, ſcribit Ælius Spartianus: *Eâ tempeſtate ſupervenit quædam mulier, quæ* Cap. 25. *diceret ſomnio ſe monitam, ut inſinuaret Adriano, ne ſe occideret, quod eſſet bene valiturus. Quod cum non feciſſet, eſſe cæcatam. Juſſam tamen iterum Adriano eadem diceret, atque genua ejus oſcularetur; receptura viſum, ſi feciſſet. Quod inſomnium cum impleſſet, oculos recepit, cum aqua, quæ in fano erat, ex quo venerat, oculos abluiſſet. Venit & de Pannonia quidam natus cæcus ad febrientem Adrianum, eumq; contigit: Quo facto & ipſe oculos recepit, & Adrianum febris reliquit.* Et de Mopſo Argonautarum Vate defuncto circa Africam, ac ibidem ſepulto, habet Ammianus Marcellinus: *Ceſpite Punico tecti Manes dolorum varietati medentur, plerumque ſoſpitales.* Lib. 14. c. 25. Et Ariſtæum Battum, Cyrenenſis in Lybica Pentapoli civitatis Conditorem & Regem, ad Cirni Patris preces fuiſſe per Apollinem à naturali balbutie liberatum adfirmat Juſtinus. L. 13. c. 6. 7. Etiam Æſculapii, Ariſtæi Proconeſii, Ariſtæi Clazomenii, Cleomedis Aſti-



Digitized by Google

palenſis, aliorumque Gentilium miracula jactavit apud Origenem, & ex Pindaro ac Herodoto confirmavit Celſus, exinde concludens Dominum noſtrum JESUM Chriſtum iſtis in nullo fuiſſe majorem. Plura adduci poſſint talia exempla, & de ipſis ſcribit in libro de unitate Eccleſiæ
Cap. 19. ſanctus Auguſtinus: *Exaudiuntur multi, & multis modis, non ſolùm Chriſtiani Catholici; ſed & Pagani, Judæi, & Hæretici variis erroribus & ſuperſtitionibus dediti. Exaudiuntur autem vel à ſpiritibus ſeductoribus, qui tamen nihil faciunt niſi permittantur à Deo, ſublimiter atque ineffabiliter judicante quid cuique tribuendum ſit, vel ab ipſo Deo, vel ad pœnam malitiæ ſuæ, vel ad ſolatium miſeriæ, vel ad monitionem quærendæ ſalutis æternæ. Ad ipſam verò ſalutem ac vitam æternam nemo pervenit, niſi qui habet caput Chriſtum.* A Gentilibus Scriptoribus jam memorata miracula videtur palam confirmare.

In homiliis ad populum Antiochenum confirmat etiam ſanctus Joan-
Hom. 36 nes Chryſoſtomus: *Ethnici Dæmonum arte morbos ſæpè curarunt, & ægrotos ſanitati reſtituerunt.* Vitanda eſſe ejuſmodi miracula oſtendit ex Deuteronomii mandato, ac ipſum exponit: *Si Propheta quiſpiam ſurrexerit, & ſignum ediderit, vel mortuum excitarit, vel leproſum mundarit, vel debilem ſanarit, ſignoq; edito, te ad impietatem invitaverit, ne propter ſigni eventum obedias.* Admittit hæc omnia non ſolùm per fucum, ſed quandóque etiam in veritate fieri, atque adjungit: *Permiſſio iſta a Deo fit ad tui explorationem. Non quod Deus neſciat, ſed ut diſcas eos etiam miſſos facere Dæmonas, qui medentur.* Quæ omnia repetit in ſexta adverſum Judæos Homilia: *Si falſus Propheta poſſit mederi cæco, aut excitare mortuum, nec iſta præſtanti credideris. Cur? Eo quod Deus tentans te permiſit, ut ille hoc poſſit. Non quod ille non noſſet animum tuum, ſed ut tibi probationis occaſionem exhiberet, an verè diligeres Deum.* Lucius ſupponit à Pſeudo-Prophetis poſſe & illuminari cæcos, & mortuos ſuſcitari. In Hæreticorum
Qu. 5. templis morborum ſanationes, expulſiones Dæmoniorum, aliaque fieri miracula atque virtutes ſupponit apud Juſtinum Martyrem etiam Auctor Chriſtianarum quæſtionum. Idem de Pſeudo-prophetis in Dialogo cum Triphone Judæo ſupponit ipſe Juſtinus. Quomodo neſcio cui Judæo, qui pluries fictè baptizatus etiam Paulum Conſtantinopolitanum Novatianenſium Epiſcopum circumſcribere tentabat, ſacri fontis aquam ſub-
L. 7. c. 17 traxerit divina juſtitia, narrat Socrates, & adjungit: ***Hoc miraculum per Paulum fuit editum.*** Eccleſiam item fuiſſe ejus precibus liberatam ab
L. 1. c. 14 horrendo incendio ſcribit, & concludit: ***Deus igitur ejus preces audivit.*** Et de Eutychiano Novatianenſi itidem apud Bithynos Monacho Her-
L. 3 c. 5. mias Zozomenus: ***Sanavit morbos, & facta mirabilia edidit.*** Et de Ariano homi-

homine Euſebio Epiſcopo Emeſeno: *Fertur Deus multa per ipſum edidiſſe miracula, uti teſtatur Georgius Laodicenſis.* Plura ſunt iſtius generis exempla.

Reſpondeo tamen à Paganis nullum umquam ſuſcitatum mortuum, nullum veraciter cæcum illuminatum, nullum germanum editum miraculum. Veriſſimè enim in libro Apologetico Tertullianus affirmat ſumma Gentilium miracula eſſe phantaſmata Caſtorum, aquam cribro geſtatam, navem cingulo protractam, barbam tactu inrufatam, caprarum & menſarum Divinationes, aliaque id genus, *ut Numina lapides crederentur, & Deus verus non quæreretur.* Etiam Magorum in Ægypto adverſus Moyſen miracula affirmat fuiſſe fucos Diabolicos. Quidam tamen affirmant fuiſſe veritatem. Quidquid ſit, Veſpaſiani Imperatoris miracula inſigniter exponit in quarto Hiſtoriarum libro Cornelius Tacitus: *Per eos menſes, quibus Veſpaſianus Alexandriæ ſtatos æſtivis flatibus dies & certa maris operiebatur, multa evenere miracula, queis cæleſtis favor, & quædam in Veſpaſianum inclinatio Numinum oſtenderetur. Ex plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus genua ejus advolvitur, remedium cæcitatis expoſcens gemitu, monitu Serapidis Dei, quem dedita ſuperſtitionibus gens ante alios colit. Precabaturq; Principem, ut genas & oculorum orbes dignaretur reſpergere oris excremento. Alius manu æger, eodem Deo auctore, ut pede ac veſtigio Cæſaris calcaretur, orabat. Veſpaſianus primo irridere, adſpernari, atque illis inſtantibus modo famam vanitatis metuere, modo obſecratione ipſorum ex vocibus adulantium in ſpem induci. Poſtremò æſtimari à Medicis jubet, an talis cæcitas ac debilitas ope humanâ ſuperabiles forent. Medici variè diſſerere. Huic non exeſam vim luminis, & redituram, ſi pellerentur obſtacula; illi elapſos in pravum artus, ſi ſalubris vis adhibeatur, poſſe integrari. Id fortaſsè cordi Deis, & Divino Miniſterio Principem electum. Denique patrati remedii gloriam penes Cæſarem, irriti ludibrium penes miſeros fore. Igitur Veſpaſianus, cuncta fortunæ ſuæ patere ratus, nec quidquam ultra incredibile, læto ipſe vultu, erectâ quæ adſtabat multitudine, juſſa exequitur. Statim converſa ad uſum manus, & cæco reluxit dies. Utrumque, qui interfuère, nunc quoque memorant, poſtquam nullum mendacio pretium.* Palàm vides ſanitates iſtas Angelicâ arte non fuiſſe ſuperiores. Florentia tunc Chriſtianorum miracula Serapis iſta forſan via tentavit obnubilare. Ad ſimilia Imperatoris Adriani miracula addit Ælius Spartianus: *Quamvis Marius Maximus hæc per ſimulationem facta commemoret.* Et ad Apollonii Thianenſis miracula ſcribit Iſidorus Peluſiotes: *Quidam novis ſermonibus homines deceperunt, Thianæum Apollonium inducentes, qui multa pleriſque in locis, tutæ habitationis cauſa, ut aiunt*

Cap. 22. 23.

Cap. 81.

Cap. 25.

Lib. 1. Epiſt. 398.

*aiunt, effecerit. At nihil, quod ab ipſo factum ſit, oſtendere poſſunt. Nam alioquin ii, qui nudos etiam ipſius ſermones litteris mandarunt, totamq; ipſius vitam accuratè conſcripſerunt, actiones eas, quæ vulgi ſermonibus celebrantur, non omiſiſſent. Habes autem Philoſtratum, qui ipſius vitam magnâ curâ & diligentiâ in lucem edidit. Ex quo intellige, quam perſpicuam hujuſmodi præſtigiarum calumniam viri illius hoſtes, ut vero conſentaneum eſt, concinnarunt.* Similem ejus Apologiam habet Suidas. Quod ejus, uti viri inſigniter probi, imaginem in ſuo Larario habuerit & coluerit Alexander Severus, à Magis alieniſſimus Imperator, teſtatur Ælius Lampridius. Et uti inſignem Philoſophum laudat in Chronico Aurelius Caſſiodorus. Vixit cum Apoſtolis in prima Evangelii & noſtrorum ubique miraculorum gloria: Hinc illa adverſarii noſtri Gentiles per adficta iſti magiæ mendacia conati ſunt obſcurare. Plerique affirmant fuiſſe nequiſſimum deluſorem ac maleficum, ideoque ab Imperatore Domitiano juſtè proſcriptum. Indignus eſt, cui accuſando aut defendendo bonas horas perdamus.

Eadem eſt ratio Hæreticorum. Hinc enim in Evangelio natus ille cæcus ad Judæos dixit inauditum eſſe in mundo, ut quis Pſeudopropheta ſibi ſimilem illuminaverit, ac inde concluſit Dominum noſtrum JESUM Chriſtum eſſe verum Prophetam. Quod ipſum & illi ipſi, qui eundem Dominum lapidare uti blaſphemum voluerant à paucis diebus, ex Lazari reſuſcitatione concluſerunt. Et nec Scribæ, nec Phariſæi noverunt aliquid opponere. Et ſanctus Irinæus ſcribit: *Super hac arguentur qui ſunt à Simone Mago, & Carpocrate, & ſi qui alii virtutes operari dicuntur, non in virtute Dei, neque in veritate, neque in beneficiis facientes hominibus ea quæ faciunt, ſed in perniciem & errorem per magicas illuſiones, & univerſâ fraude plus lædentes, quam utilitatem præſtantes his qui credunt eis, in eo quod ſeducunt. Nec enim poſſunt cæcis donare viſum, neque ſurdis auditum, neque omnes Dæmones effugare, præter eos qui ab ipſis immittuntur. Si tamen & hæc faciunt. Neque debiles aut claudos, aut paralyticos curare, vel aliâ quâdam corporis parte vexatos, quemadmodum ſæpè evenit fieri ſecundum corporalem infirmitatem, vel earum quæ foris accidunt infirmitatum bonas valetudines reſtaurare. Tantùm abſunt ab eo, ut mortuum excitent, quemadmodum Dominus excitavit, & Apoſtoli per orationem, & in Fraternitate ſæpiſſimè, propter aliquid neceſſarium ea quæ eſt in quoquo loco Eccleſiâ univerſâ poſtulante per jejunium & poſtulationem multam, reverſus eſt Spiritus mortui, & donatus eſt homo orationibus Sanctorum.* L. 2. c. 56 Multis demonſtrat miraculorum gratiam eſſe in ſola Eccleſia, ideoque apud Hæreticos non reperiri niſi mendaces magiæ fucos. Quæ

ejus

Digitized by Google

ejus verba probavit, & ſuæ Hiſtoriæ inſeruit Euſebius Cæſarienſis. L.5.c.7.

Et in Præſcriptionum libro Tertullianus edicit miraculorum virtutem eſſe proprium legitimi Apoſtolatûs characterem, ac pergit in Gnoſticos: *Volo igitur & virtutes eorum proferri.* Adfirmat ipſorum miracula eſſe mortuos è vivis, non è mortuis vivos. Et in libro de anima ſcribit: *Multa & adverſum Apoſtolos Simon & Elymas Magi* ediderunt miraculorum fucos, *ſed plaga cæcitatis de præſtigiis non fuit. Quid novi? Æmulatio veritatis a ſpiritu immundo. Ecce hodie ejuſdem Simonis Hæreticos tanta præſumptio artis extollit, ut etiam Prophetarum animas ab inferis movere ſe ſpondeant. Et credo quia mendacio poſſunt.* Amplè oſtendit omnia ipſorum miracula eſſe mendacia, & pergit: *Sed etſi quoſdam revocavit in corpora Dei virtus, in documenta juris ſui, non ideò communicabitur fidei & audaciæ Magorum.* Defunctorum excitationem aſſeverat eſſe ſolius divini juris ſeu poteſtatis, ideoque nonniſi per Chriſtum Dominum, aut fideles ejus ſervos poſſe fieri aut impetrari. Etiam ad Montanum delapſus Apoſtolorum ac Prophetarum miracula laudat in libro de pudicitia, ac pergit in Zephyrinum Pontificem: *Exhibe & nunc mihi, Apoſtolice, Prophetica exempla, & agnoſcam Divinitatem, & vendica tibi remittendorum ejuſmodi delictorum poteſtatem.* Laudatum Pontificem ob nuperum tunc pro Mæchia Decretum exiſtimabat, uti Chriſtiani dogmatis prævaricatorem, excidiſſe vera Eccleſia, ideoque ab illo exigit miracula, certus & ſecurus ipſa ab Hæretico non poſſe patrari. Quomodo Elias Propheta Sacerdotes Baal, ita noſtri Clerici aut Monachi variorum Hæreticorum Clericos aut Monachos, neceſſitate cogente, provocarunt ad miraculum, & nullum umquam, niſi à ſeſe editum, viderunt. Plura ſunt hujus generis exempla. E ſummis Latinæ Eccleſiæ Thaumaturgis fuit ſanctus Martinus Turonenſis Epiſcopus. At ecce ipſum, ubi Ithacianæ factioni communicavit ob diem humanum, ſuſpenſum fuiſſe ab iſta gratia, teſtatur in ejus vita Sulpitius Severus. Quod nempe illa nec ad Schiſmata derivetur. Sic apud Colchos & Iberos poſt rejectam Florentinæ Synodi unionem ceſſaſſe eandem teſtatur in opere de iſtorum cum Latinis unione Clemens Galanus. Etiam miraculoſam Paſchalis luminis gratiam in Hieroſolymitana ceſſaſſe Eccleſia, eſt cunctis exploratum.

Cap. 30. Cap. 57. Cap. 21. Cap. 12.

Verum quid ad ſuperiùs laudatum Tertulliani locum, ubi fatetur ab Hæreticorum Doctoribus ſuſcitari mortuos, & debiles reformari? Eum in tertio libro adverſus Marcionem, Chriſti ſui ſine præviis Prophetarum prædicationibus repentinum adventum per ſola *virtutum documenta* ſufficienter probari volentem, acriter confirmat: *At ego negabo* Cap. 3.

gabo

Digitized by Google

*gabo ſolam hanc illi ſpeciem ad teſtimonium competiſſe, quam & ipſe poſtmodum exauctoravit. Siquidem edicens multos venturos & ſigna facturos, & virtutes magnas edituros, averſionem etiam Electorum, nec ideo tamen admittendos, temerariam ſignorum & virtutum fidem oſtendit, ut & etiam apud Pſeudo-Chriſtos facillimarum.* Reſpondeo utrumque locum exponi L. 13. c. 5 inſigniter à ſancto Auguſtino, ſcribente in Fauſtum Manichæum: *Unde huc exiſtis, unde confiditis? Scripturas tantâ auctoritate firmatas, commendataſq; reſpuitis, miracula non facitis, quæ ſi faceretis, etiam ipſa in vobis caveremus, præſtruente nos Domino, & dicente, Exurgent Pſeudo-Chriſti & Pſeudo Prophetæ, & facient ſigna & prodigia multa, ut fallant, ſi fieri poteſt, etiam Electos.* Sola miracula vult non eſſe plenum recti dogmatis teſtimonium. Hinc cenſet ſcrupuloſè non quærendum, quæ & qualia patrare valeant Hæretici, quoniam conſtat ipſos, qualiacumque aut quantacumque quavis virtute patrarint, cavendos eſſe ac deteſtandos. Etiam Celſo, Chriſti Domini miracula uti Magica, ideoque & inepta rectæ prædicationis teſtimonia calumnianti, Origenes reſpondit de illis, ut ad utilem hominum inſtitutionem & legitimam doctrinæ confirmationem ſint efficacia, priùs diſquirendum, à quo rectè patrentur, ne alioquin damnemus omnia, vel omnia probemus. Lucidè ſupponit divinam Majeſtatem Pſeudo-Prophetis ad vera miracula non cooperari. Etiam ſanctus Joannes Chryſoſtomus dumtaxat vult Hæreticorum, licet etiam excitarent mortuos, prædicationibus non credendum. Per Hermiam Zozomenum pro Euſebio Emeſeno laudata Georgii Laodiceni fides eſt nullius ponderis: Georgium enim Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyterum fuiſſe non ſolùm ob Arii patrocinium, ſed & ob alia crimina degradatum à ſancto ſuo Patriarcha Alexandro, & ob pertinacem dictæ Hæreſios tutelam poſtmodò intruſum in ſedem Laodicenſem, variis in locis teſtatur ſanctus Athanaſius. Socrates fuit homo Novatianenſis: Hinc & ejus pro ſuæ Sectæ Epiſcopo Paulo teſtimonium eſt infirmum. Hæretici virtutem hanc non ambiunt, niſi ob turpem quæſtum, popularem gloriam, aut erroris ſui firmitatem, ad quos fines divinam Bonitatem cooperari non poſſe ſupponit in adducto ſuperiùs loco ſanctus Ireneus, & in quinta decima collatione oſtendit Joannes Caſſianus. Hinc & ab Antichriſto, omnium Hæreticorum Principe, non niſi Diabolica edenda miracula affirmat in libris de Dei Civitate ſanctus Auguſtinus.

Quo igitur ſenſu idem Auguſtinus in libro de Eccleſiæ unitate affirmat non ſolùm Hæreticos, ſed etiam Judæos & Paganos quandoque à Domino Deo exaudiri ad gratias curationum? Quin & poſt laudata,

data, quæ in noſtris fiant, frequentiſſima miracula adjungit: *Quæcumque talia in Catholica fiunt, ideò ſunt approbanda, quia in Catholica fiunt, non ideò ipſa manifeſtatur Catholica, quia hæc in ea fiunt.* Cum Tertulliano adfirmare videtur ſolas jam valere Canonicas litteras, & cuncta miracula eſſe à Chriſto Domino exauctorata. Reſpondeo aliud eſſe Hæreticos à Deo exaudiri ad faciendas, aliud exaudiri ad accipiendas gratias ſanitatum. Solum primum Auguſtinus aſſerit. Et dat cauſam, ajens id fieri, vel ad pœnam malitiæ, vel ad ſolatium miſeriæ, vel ad monitionem ſalutis æternæ. Loquitur cum Tertulliano, qui in libro de anima laudat atque enumerat Eccleſiæ miracula, & adjungit: *Si & apud Ethnicos tale quid traditur, ubique Deus poteſtatis ſuæ ſigna proponit, ſuis in ſolatium, extraneis in teſtimonium.* Neuter omnia, ſed dumtaxat vidua, ſeu à Chriſtianis moribus, ac præſertim à recto dogmate deſtituta miracula affirmat à Chriſto Domino exauctorata. Alludunt ad vigeſimum quartum ſancti Matthæi caput, ubi fallacia Antichriſtorum miracula Chriſtus Dominus monuit vitanda. Quæ omnia apud Juſtinum Martyrem tradit etiam Chriſtianarum quæſtionum Auctor, inſigniter demonſtrans talia miracula nullo modo eſſe Hæretici erroris confirmationem. Cap. 25. Cap. 51.

In laudato adverſus Marcionem libro Tertullianus diſputat, an Chriſtus Dominus debuerit apparere ſubitò, an autem dudum anteà humano generi per Deum Patrem ſuum prænuntiari atque promitti. Et vanus Marcion garriebat ſubitam apparitionem illi congruere, & dabat cauſam: *Non fuit ordo ejuſmodi*, videlicet præviæ promiſſionis, *neceſſarius, quia ſtatim ſe & filium, & Miſſum, & Dei Chriſtum rebus ipſis eſſet probaturus per documenta virtutum.* Quod etiam Chriſtus Dominus ſuam à Patre Miſſionem probare debuerit, uterque profitebatur, verùm ſola miracula non eſſe plenæ probationis ſpeciem urgebat Septimius, aſſeverans illius nobiliorem partem eſſe paternum teſtimonium, ac promiſſum per Prophetas. Igitur non qualiacumque, ſed ſola Prophetici aut Evangelici dogmatis aſſiſtentiâ & ſubſidio deſtituta, qualia eſſe ſolent Hæreticorum aut Paganorum, miracula docet à Chriſto Domino eſſe exauctorata.

Porrò legitima miracula, licet magnæ auctoritatis ſint, à nullo tamen ſunt expetenda. Sunt gratia, non gratum faciens, ſed dumtaxat gratis data ad meram neceſſitatem aut utilitatem alienam. Non de ipſis, ſed de inſcriptis in vitæ librum noſtris nominibus gaudendum Dominus rigidè edixit. Et hinc Sancti omnes ipſorum & poteſtatem & patrationem ſemper & fugerunt ſtudioſiſſimè & abſconderunt. Sanctum Fulgentium Ruſpenſem Epiſcopum, quod gratiam iſtam ſibi non conferri ſupplicaverit, C. 25. 26

caverit, laudat in ejus vit. Ferrandus Diaconus Carthaginenſis. Et de ſancto Gregorio Turonenſi ſcribit authentica ejus vita: *Multa in ſalute loquentium operabatur, quæ tamen ſub obtentu Sanctorum, quorum reliquias perindè ferebat, à ſuis meritis excludere nitebatur.* Et ſanctum Woldonem Leodienſem Epiſcopum, in ſancti ibidem Laurentii Monaſterio ſepultum, quod frequentibus miraculis populum undequaque evocaret, atque ita inquietaret Monachos, ceſſare juſſum ab Abbate,
Cap. 70. & ceſſaſſe, adfirmat in Leodienſium Epiſcoporum Hiſtoria Anſelmus ejuſdem Eccleſiæ Canonicus. Idem eandem ob cauſam ſancto Spinulo
Lib. 1. c. 13. fuiſſe à ſancto Hidulpho Abbate Senonenſi interdictum adfirmat in ejuſdem Cœnobii Chronico Monachus Richerius. Quod & olim factum in noſtro Illycetani apud Thuſcos nemoris Conventu ajunt ejuſdem Annales. Miracula enim ſuis patratoribus quandoque obfuiſſe ſcribit in ſuis ſuper ſancti Matthæi Evangelium homiliis, atque oſtendit
Fol. 390. ſanctus Joannes Chryſoſtomus. Nam & Electionis vas, ac divinus gentium Doctor ipſe Paulus Apoſtolus, ne à revelationum magnitudine extolleretur, fuit paſſus periculum, ideoque & Angelo Sathanæ datus colaphizandus. Hæc paucis dicta ſint ob miraculi fucum in cadavere Michaëlis Cerularii.

## CAPUT IV.

### *Exponitur Schiſma Michaëlis Cerularii.*

ADverſus Laicam ſuorum Principum poteſtatem rebellare aſſuetus Michaël, undecimi Chriſtiani ſæculi quinquageſimo tertio anno cœpit rebellare etiam adverſus Apoſtolicam Sedem, conceptum virus evomere, palam reſumere & augere Photianum Schiſma, atque ita fecit quod habent authentica apud Dominum Cardinalem Cæſarem Baronium Acta: *Ipſe Michaël, cognomento Cerularius, nec non & Leo Acridanus Archiepiſcopus Bulgarorum, in ſugillationem omnium Latinorum, adverſus ſanctam Romanam & Apoſtolicam Sedem, imò contra omnem Occidentalem Eccleſiam ſcripſerunt Epiſtolam, quam miſerunt ad Joannem Tranenſem Epiſcopum, pervulgandam apud Latinos omnes, cui in codice titulus hujuſmodi eſt præfixus. Calumnia Epiſcoporum Michaëlis Conſtantinopolitani, & Leonis Acridani, pertinaciter exhalantium peſtiferas Mephites diverſarum Hæreſion adverſus ſanctam Romanam & Apoſtolicam Sedem, imò contra omnem Latinam & Occidentalem Eccleſiam. Hæc quidem calumnia Græco ſermone edita, & Joanni Tranenſi Epiſcopo in ſugillationem omnium*

Digitized by Google

*omnium Latinorum directa, cum fuit Trani exhibita fratri Humberto ſanctæ Eccleſiæ Sylluca candidæ Epiſcopo, in Latinum eſt tranſlata ejus ſtudio, atque delata Domino Leoni nono. Quæ etiam hic ad cautelam multorum & notitiam, non autem ad aliquam utilitatem inſerta, cunctis ſcire volentibus fideliter eſt conſervata.*

Acrida eſt Juſtiniani Imperatoris Patria, mediterraneæ Pannoniæ Metropolis, quam ille exaltatam volens titulavit primam Juſtinianam, ab Apoſtolicis Theſſalonicenſis Epiſcopi vicibus exemit, ipſiuſque Antiſtitem ſanxit eſſe non tantùm Metropolitam, ſed & Archiëpiſcopum, ſeu plurium Provinciarum Primatem. Quæ latè habes in novella lege ad Catellinum iſtius Juſtinianæ Epiſcopum. Poſtmodum à Bulgaris invaſa iſta cum vicinis Regionibus civitas eſt facta ipſorum Regia, ac ſimul ſedes Archiëpiſcopalis. Et de ejus ſuperbia ſcribit Georgius Acropolitanus: *Bulgariæ Archiëpiſcopus Demetrius, tamquam qui, ut ipſe fatebatur, ſui juris eſſet, neminiq; ſui facti rationem reddere teneretur, ideoq; in ejus poteſtate eſſe quoſlibet, & ubicumque, & quandocumq; illi libitum fuiſſet, Reges ungere,* Theodorum Comnenum, Imperii invaſorem, *coronat.* Quod eodem jure iſtius Theodori ex fratre nepotem Michaëlem coronaverit Jacobus Acridenſis Epiſcopus, teſtatur Georgius Pachymeres. Acridanus iſte uterque Epiſcopus oſtentavit ſe, licet non ut univerſalem, tamen ut ſupremum ac ab omni humana poteſtate exemptum Archiëpiſcopum, atque ita duplex commiſit Schiſma: Et Euſebianum, & Photianum. Euſebianum enim Schiſma neminem agnoſcit ſupremum Pontificem, ſed Eccleſiæ Hierarchiam blaterat eſſe Ariſtocraticam, in plures independentes ac ſupremos Epiſcopos diviſam. Orientalem Eccleſiam, Photiano Schiſmate laceratam ab Occidentali, Demetrius ille laceravit in duo capita, adeoque & in duo corpora, & ſic ipſam fecit biforme monſtrum. Acceſſit poſteà & exemptus Trinobi Epiſcopus, atque ita divulſa à nobis Latinis Græca Chriſtianitas cæpit eſſe Cerberus triceps. Eodem faſtu laboraſſe Leonem Epiſcopum demonſtrat communis ejus cum Michaële ad Joannem Trani Antiſtitem Epiſtola: *Michael univerſalis Patriarcha novæ Romæ, & Leo Archiëpiſcopus Acridæ, Metropolis Bulgarorum, dilecto fratri Joanni Tranenſi Epiſcopo.* Superba nominum conjunctio videtur aſſerere utrumque independentem.

Leg. 11.

Cap. 21.

Lib. 1. c. 30.

Quis & qualis fuerit iſte Joannes Tranenſis Epiſcopus, non habeo compertum. Forſan fuerit ille, de quo in litteris ad omnes Cardinales Epiſcopos, nimiam Pontificalium ornamentorum ſuperbiam notans in quibuſdam Epiſcopis, ſcribit ſanctus Petrus Damiani: *Numquam certè vidiſſe me memini Pontificales baculos tam continuo radiantis metalli nitore con-*

Lib. 2. Ep. 2.

*contectos, ſicut erant, qui ab Eſculano atque Tranenſi geſtabantur Epiſcopis. Uterque tamen, alter in Apulis finibus, Nicolao præſidente, alter in Lateranenſi Eccleſia coram Alexandro Romanis Pontificibus, ſunt dejecti.* Partim Romanæ, partim ex vigenti adhuc Leonis Iſauri violentia Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ parebant Apuliæ & vicinarum gentium Epiſcopi, videturque Joannes iſte fuiſſe è poſterioribus. Ita ſuadet Epiſtolæ præfatio: *Dei magna dilectio & jucunda compoſitionis viſcera flexerunt nos ſcribere ad tuam Sanctitatem, & per te ad univerſos Principes Sacerdotum, & Sacerdotes Francorum, & Monachos & Populos, & ad ipſum Reverendiſſimum Papam.* Videntur hæc non ad alienæ Diœceſios, ſed ad ſubditum Epiſcopum dirigi. Per Francos intellige Longobardos & Nortmannos: Hos enim tunc in Italia dominantes Græci paſſim appellabant Francos. Ex laudatis ſancti Petri Damiani verbis diſce à Nicolao ſecundo fuiſſe celebratam Synodum in Apulia. Et illic aut Tranenſem, aut Eſculanum Epiſcopum fuiſſe degradatum.

Quæ omnia confirmat in litteris ad Petrum Antiochiæ Patriarcham præfatus Patriarcha Michaël. Apoſtolicorum ad ſe Legatorum Acta exponit, ipſos de multo exceſſu calumniatur, ac pergit: *Hæc verò techna apertius fuit deprehenſa & manifeſtata ab Archiëpiſcopo Tranenſi & Syncello, qui inde ad nos venit, & veram eorum*, utique Romanorum, *mentem aperuit potenti & ſancto noſtro Imperatori.* Affirmat iſtum Joannem fuiſſe non ſolummodò fidum ſibi Symmiſtam, ſed & Patriarchalem Syncellum. Et hæc erat non modica dignitas. Largiùs exponit antiquus Schiſmatici Græci in Conſtantinopolitano Patrum Prædicatorum Conventu repertus Tractatus: *Romanus Pontifex, & omnes partium Occidentalium Latini Sacerdotes & Laïci, præter Calabros, ante multa tempora extra Catholicam Eccleſiam pervagantur, Evangelicarum & Apoſtolicarum traditionum ignari, & à fide alieni. Nam & Theutonici à Gentium ritibus parùm diſcordant, in Deum impii; ſed Calabri, & cæteri Orthodoxi, ſicut antiquiùs, & Apoſtolicæ & noſtræ Eccleſiæ alumni, ejus moribus informati ſunt.* Sub Calabris intelligit etiam Apulos & Brutios. Hi enim per Imperatorem Leonem Iſaurum à Romana avulſi Conſtantinopolitanam Patriarchalem Cathedram coluerunt zelosè, & Michaëlis factionem ſunt cum impetu ſectati. Et iſtorum Coryphæus erat Joannes Tranenſis Epiſcopus. Hinc ſuas ad ipſum litteras direxit Michaël: Hinc ipſius, quod Romam deduci non poſſet, degradandi cauſâ Nicolaus ſecundus perrexit in Apuliam.

A. 1052. Facta hæc eſſe ad memoratum quinquageſimum tertium annum diſertè ſcribit Sigebertus Gemblacenſis: *Græcis in Hæreſim multiformem declinan-*

Digitized by Google

*clinantibus, auctore Michaële Patriarcha Conſtantinopolitano, & Leone Acridano Bulgarorum Epiſcopo, Leo Papa errores eorum redarguens, ſcripſit contra eos librum firmis ſcripturarum teſtimonis roboratum. Nicetas autem Monachus Conſtantinopolitanus, qui agnominabatur Pectoratus, ſcripſit contra Romanos librum plenum erroris & ſtultitia, prætitulatum de Azymo, de Sabbatho, de nuptiis Sacerdotum.* Quod ipſum lucet ex ſancti Leonis noni adverſus Leonem Acridenſem & Patriarcham Michaëlem Reſcripto: *Ecce jam poſt mille ac fermè viginti à Paſſione Salvatoris noſtri annos incipit per vos diſcere Romana Eccleſia, qualiter memoria ejuſdem Paſſionis ſit recolenda.* Currebat enim tunc à Domini Nativitate annus milleſimus quinquageſimus tertius, ideoque à Paſſione vigeſimus necdum erat completus.

Nicetas iſte Pectoratus fuit in Conſtantinopolitano Studii Cœnobio Hieromonachus, de quo titulo in Scholiis ad Græcorum Euchologion ſcribit Joannes Goar: *Diaconos Monachos, Hierodiaconos, Presbyteros Monachos Græci Hieromonachos ſunt appellare conſueti.* Quod nempe variâ ſanctitate illi ſint Domino Deo conſecrati. De Studii Monaſterio ſcribit ad quinti ſæculi annum quinquageſimum quintum ſanctus Martyr Theophanes: *Hoc anno Præcurſoris templum Studius exſtruxit, & traductos ex inſomnium manſione Monachos illic poſuit.* Et in libro de originibus Conſtantinopolitanis Georgius Codinus: *Studii Monaſterium Studius Patritius condidit tempore Leonis Macelæ, & plurimis ditavit poſſeſſionibus, atque Monachos mille in eo inſtituit.* Addit tunc fuiſſe extra muros in Suburbano. Aucta poſtmodum civitas ipſum muro incluſit. Studium fuiſſe Roma advenam Patritium affirmat Nicephorus Calixtus. Quod ſub primi Nicephori Imperio ſeptingentos illud haberet Monachos, teſtantur laudatus Theophanes & Anaſtaſius Bibliothecarius. Nempe ab Iconoclaſtis Imperatoribus ſummas injurias ac ruinas pertulerat, ideoque numerus ad trecentos decreverat. Et ſemper abundavit viris doctiſſimis. Unde & hic Nicetas poſteà rediit ad ſanam mentem & doctrinam.

Sch. 12 Fol. 97.

## CAPUT V.

### *An Chriſtus Dominus primam Euchariſtiam confecerit in pane Azymo?*

HÆc fuit palmaris ac prima Michaëlis Cerularii & Leonis Acridani in Romanam ac omnem Latinam Eccleſiam calumnia: *Azyma myſticè indecenter cuſtoditis, & communicatis Judæis. Etenim Azyma ipſe*

*ipſi cuſtodire à Moyſe juſſi ſunt, noſtrum verò Paſcha Chriſtus eſt.* Adfirmant Dominum duas cum Apoſtolis in noviſſima ante Paſſionem veſpera feciſſe Cœnas: Aliam completivam veteris, aliam novi Teſtamenti inchoativam. In ſola priori volunt fuiſſe legale Azymum, in poſteriori autem uſuale fermentum. Hic enim Dominus fuit uſus vino & pane, de quo pergunt: *Vos quidem panem, nos verò ἄρτον dicimus. Ἄρτος autem interpretatur elevatus, & ſurſum portatus, à fermento & ſale calorem & elevationem habens. Azyma autem nihil diſtant à lapide ſine anima, & luto lateris deorſum conjuncta terræ, & ſicco luto comparata.* Aſſeverant Azyma non eſſe verum panem, ideoque nec aptam Sacramento materiam. Idem adfirmat Nicetas Pectoratus: *Azymum non eſt panis. Neque enim compoſitus, neque per ſeipſum perfectus eſt, ſed indigens, ſemiq; perfectus, indigens plenitudine fermenti. Panis autem compoſitus per ſeipſum perfectus eſt & pleniſſimus, ſicut ille qui totum habet in ſeipſo plenitudinis.* Verum panem vult non ſola farina & aqua, ſed inſuper conſtare fermento ac ſale. Addit Chriſtum Dominum nullis in noviſſima Cœna Azymis uſum. Et probat: *Quoniam quidem oportebat pati Chriſtum ſecundum diem legalis Paſcha, in qua & Agnus ab Hebræis immolabatur. Oportuit enim fieri Paſcha ab interfectoribus Dei in ſexta feria, in qua tandem & quarta decima Luna erat juxta primum menſem.* Adfirmat Chriſtum Dominum non quarta decima, ſed tertia decima Luna celebraſſe Paſcha, legale tempus die uno præveniſſe, atque ita in ejus menſa non fuiſſe Azymum. Paſchale feſtum vult incidiſſe in Sabbathum, non in ſextam feriam: Chriſtum Dominum debuiſſe occidi, & cruentè immolari ipſâ Paſchali veſperâ, ideoque & antiqui & novi Teſtamenti Sacramentale Paſcha fuiſſe ab ipſo & anticipandum & anticipatum. Laudat ſancti Lucæ verba, *Accepit panem & benedicens fregit*, atque proſequitur: *Ecce & Lucas accipere panem dixit Chriſtum, & non azymum. Non enim adhuc erat ſexta feria dies. Tertia decima erat Luna in illa quinta feria, & non erat azymum, neque adhuc ablatio fermentati.* Videtur cum Michaële Patriarcha & Leone Archiëpiſcopo circa hoc punctum non convenire. Quod enim Chriſtus Dominus legitimo die & antiquum Judaïcum & novum Chriſtianum Paſcha peregerit, videntur hi admittere: Et dumtaxat velle quod antiqui Paſchatis azyma à novo excluſerit. Eundem tamen ipſis errorem adſcribit Cardinalis Humbertus: *Hinc nihil tergiverſationum veſtrarum prætermittentes, quia conſideratis veſtro fermentato ſecundùm legem & Evangelium juſtè contradici, adſtruere nitimini Dominum non celebraſſe Paſcha cum Judæis quarta decima Luna menſis primi, ſed priuſquam fieret legalis abjectio fermentati.*

Quid-

Quidquid ſit de Michaële ac Leone, fuiſſe tunc inter Græcos Schiſmaticos iſtam ſententiarum varietatem, demonſtrant hæc laudati Humberti verba: *Hic ne quid minus factum videatur, etiam veſtratium ridicula opinioni obviamus, qui non invenientes quonam ſanctarum Scripturarum funiculo ſcapham aſſertionis ſuæ pertrahant ad alicujus ſtabilitatis littus, fluctuando pertrahuntur in illud divinæ Omnipotentiæ pelagus. Namque ſciſcitantibus nobis, unde Dominus* JESUS *in Cœna fermentatum habuerit, cum in omnibus finibus Iſraël non inveniretur, reſpondent: Si creditur Omnipotens, potuit ſubitò undecumque fermentatum exhibere, aut certè ipſum azymum benedicendo fermentare.* Fatebantur hi Dominum JESUM, ne legis tranſgreſſorem fatêri cogerentur, Judaïcum Paſcha & in legali die & in legali azymo celebraſſe, nolebant tamen ab ipſo vetera novis, aut Moſaïca permixta Evangelicis, ideoque novum Paſcha fuiſſe peractum in uſuali fermento. Quod quia iſto die reperiri non poterat in Iſraël, confugiebant ad divinam Chriſti Domini omnipotentiam, fingebant ſine fundamento miracula, & inſigniter nugabantur. Quæ omnia eruditè demonſtrat laudatus Humbertus. Etiam in Florentini Concilii Apologia Gennadius ſecundus Patriarcha Conſtantinopolitanus. Et hinc nugacitatem iſtam alii improbantes dixerunt Dominum præveniſſe legalem diem, atque ita in fermento primam Euchariſtiam conſecraſſe. Et hæc ſententia paſſim placuit zeloſioribus iſtius Schiſmatis Doctoribus. Commune omnium dogma eſt Chriſtum Dominum non confeciſſe in azymo. Omnes negant azyma eſſe aptam Sacramento materiam, ideoque nos carere verâ Euchariſtiâ, & eſſe Hæreticos Azymitas.

Eandem de prævento per Dominum Paſchali die ſententiam conſtanter defendit etiam Georgius Cedrenus: *Quo igitur tempore Chriſtus ſuo corpore pro nobis ſupplicium luit, eo legitimum Paſcha non edit, ſed ipſe pro nobis victima factus eſt. Quod autem non decimo quarto die Paſcha celebrarit, ſed ipſum antecaperit Myſtica Cœna inſtitutione, quo tempore infermentatorum ſanctificatio & feſtivitatis apparatus aguntur, argumento eſt, quia Diſcipulis non de victima & panibus infermentatis, ſed panem & vinum tradidit.* Etiam Michaël Glycas magnum illum Sabbathi diem adfirmat fuiſſe ipſum Paſchale feſtum, & concludit: *Quæ cum ita ſint, manifeſtò licet intelligere, id quod Chriſtus diſcipulis porrecto pane & vino dederit, ipſa magnæ quintæ feriæ Veſpera, fermentatum fuiſſe. Quippe necdum id tempus appetierat, quo non fermentatis panibus utendum eſſet, ut hominum vulgus exiſtimat. Eorum tu ſermonibus valere juſſis, ſerici ſacrorum Oraculorum inhæreto.* Addit ſancti Joannis Chryſoſtomi ſententiam fuiſſe variam: Poſteriorem ſuæ concordare, priorem ab iſta eſſe retractatam ac refor- Fol. 207.

Digitized by Google

reformatam, ideoque nullatenùs ſequendam. Ab ipſo notata, & caveri juſſa vulgi ſententia eſt illa ſuperiùs memorata, quæ Dominum adfirmat legitimo die egiſſe Paſcha, ideoque conſecratum ab ipſo fermentum debuiſſe à divina Omnipotentia poſtulari. Quam ſententiam etiam refert, ac alia tolerabiliorem ducit in ſacri belli Hiſtoria venerabilis Guibertus Abbas Novigenti. Adverſam & communem aliorum Græcorum ſententiam eleganter exponit in libris de Miſſæ ſacrificio Innocentius tertius: *Græci in ſuo pertinaces errore, de fermentato conficiunt, aſſerentes in Paraſceve Lunam quartam decimam exſtitiſſe, in qua verus Agnus eſt immolatus, ut legis impleretur figura, quæ quarta decima Luna primi menſis Paſchalem Agnum juſſerat immolari. Dominus ergo eà die ſe paſſurum eſſe prænoſcens, præcedente in Veſpera neceſſitate ductus anticipavit comedere Paſcha. Et quia tunc licitè poterat comedere fermentatum, & ipſi corpus Domini de fermentato conficiunt.*

L.4.c.4.

At verò Latina ſemper Eccleſia conſtanter docuit primam Euchariſtiam à Domino fuiſſe in azymo pane conſecratam. Ita in jam laudato loco aſſerit Innocentius tertius. Etiam in ſuis adverſus Michaëlem Cerularium ac ejus factionem opuſculis ſanctus Leo nonus & Cardinalis Humbertus. Dum Flandri noſtri ac alii Franci fuêre profecti ad ſacrum bellum, frequens nobis fuit cum Græcis commercium, frequentes ultrò citroque legationes ac diſputationes, quarum una Waleranum Naumburgenſem in Germania Epiſcopum permovit ad conſulendum hiſce de rebus ſanctum Anſelmum Archiëpiſcopum Cantuarienſem: Exſtat eruditiſſimum hujus Reſcriptum, affirmans ac demonſtrans opinionem, quæ Dominum aſſerit confeciſſe in fermentato, eſſe *turpiſſimum errorem.* Et olim repertus in Conſtantinopolitano Patrum Prædicatorum Conventu adverſum Græcos Tractatus habet: *Græci contra inſtitutionem Chriſti Salvatoris noſtri fermentata offerunt, cum ſupercilio enim ignorant, quis dux fuerit illius traditionis, Chriſto in Cœna benedicente Azyma, quod trium Evangeliſtarum firmatur teſtimonio.* Errat tamen fermentatorum oblationem eſſe contra Domini inſtitutionem. Et in Occidentalis Eccleſiæ Hiſtoria Jacobus Cardinalis de Vitriaco: *Secundùm inſtitutionem Domini de pane azymo debet confici Sacramentum. Dominus enim in Cœna ſecundum ritum legis Agnum Paſchalem comedit quarta decima die primi menſis ad Veſperam. Tunc autem non inveniebatur panis fermentatus apud Hebræos.* Quod ipſum in prima ſua ad Græcos Epiſtola demonſtrat Barlaamus Epiſcopus Gyracenſis. Et id ipſum doceri à ſancto Joanne Chryſoſtomo fatentur Græci, nec poſſunt inficiari. Et certè quocumque die Dominus celebraverit Paſcha, celebravit juxta legem. Quod nec legis

L.2,c.30

gis ἰῶτα aut apicem fuerit umquam prævaricatus, & Latini & Græci Patres conſtantiſſimè adfirmant. At verò Paſcha non tantum edi debebat cum pane azymo, ſed & fermentatum ſibi non compatiebatur. Et certè proditor Judas, qui enuntiavit Myſterium tranſubſtantiationis, & de ipſo tamquam de ridiculo commento accuſavit Dominum, de violata per fermentum lege non tacuiſſet. Quod in Dialogo adverſus Michaëlem Cerularium Cardinalis Humbertus, & in Florentini Concilii Apologia rectè advertit Gennadius ſecundus Patriarcha Conſtantinopolitanus. Et ad errorem ſuum deſerendum Florentina Synodus Græcos compulit. Eſt unum è Capitibus, quæ Marcus Epheſiorum Epiſcopus numquam voluit admittere. Ita habes in edito adverſus ipſum opere per Gregorium Protoſyncellum.

Ante omnia cavendus hic eſt antiquus error, adverſus quem in ſancti Matthæi Commentariis bene ſcribit Bulgarorum Archiepiſcopus Theophylactus: *Putant quidam, quod hoc anno Dominus non comederit Paſcha. Dicunt enim quod ſtantes comedebant Agnum, Chriſtus autem recumbebat: Igitur Paſcha non comedit.* Cap. 26. Urgebant ſancti Matthæi verba: *Et paraverunt Paſcha. Veſpere autem facto diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis.* Quod ipſum ſcribunt Marcus & Lucas. Hinc iſti noviſſimo Dominicæ prædicationis anno volebant Judaïcum Paſcha non fuiſſe celebratum à Dei Filio, ſed Evangelicum dumtaxat inſtitutum. Reſpondet verò Theophylactus: *Dicimus quod prius Paſcha ſtans comederit, ſed recumbens tradidit ſuum Sacramentum. Primum enim perfecit figuralia, deinde verum perfecit.* Cap. 14. Pergit in ſancti Marci Commentariis: *Quomodo Dominus & Diſcipuli accumbebant, cum lex præciperet à ſtantibus comedendum Paſcha? Veriſimile igitur primùm perfecta ea quæ ſunt legis, deinde recubuiſſe proprium Paſcha traditurum.* Et in ſancti Lucæ Commentario: *Paſcha ſtantes comedebant, quomodo igitur Dominus recumbere dicitur? Dicunt itaq; quod poſtquam comedit legale Paſcha, recubuerunt more vulgari, comedentes alios quoſdam cibos.* Non unicam, nec duas dumtaxat, ſed omninò tres Cœnas tunc Dominus cum Diſcipulis celebravit. Prima fuit legale Paſcha, eſum à ſtantibus & feſtinantibus, juxta omnes legales cæremonias, de quo Evangeliſtæ compendio locuti ſunt, ſed non penitùs tacuerunt. Hoc enim omninò eſt, de quo dicunt: *Miſit Dominus duos è Diſcipulis, & paraverunt Paſcha.* De inſtituendæ Euchariſtiæ paratura Diſcipuli tunc nec cogitarunt. Alteram Cœnam jam nobis laudavit Theophylactus, & de illa dixit Dominus: *Et ipſe vobis demonſtrabit Cœnaculum grande ſtratum.* Stratum Cœnaculum non ad ſtandum in Agni eſu, ſed ad ſequenti in refectione recumbendum. Hic enim erat



Digitized by Google

erat Judæorum feſtivus mos, quem Dominus duxit in nullo lædendum. Tertiam Cœnam nobis aperit ſanctus Evangeliſta Joannes: *Et* Cap. 13. *Cœnâ factâ, cùm Diabolus jam miſiſſet in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iſcariotes, ſurgit à Cœna, & ponit veſtimenta ſua, & cœpit lavare pedes Diſcipulorum.* Nulla in toto terrarum orbe ſemita eſt adeò munda, in qua, licet non luto, tamen pulveribus non maculemus pedes: Ita & nemo juſtus eſt hic mundus à peccatis venialibus. Et quia percipienda Euchariſtia etiam ab his optat nos eſſe purgatos, ipſam inſtituturus & daturus Dominus lavit Diſcipulis pedes. Iſta lotio erat non ſola ad noſtrum exemplum humilitas, ſed & magnum Sacramentum. Pergit Evangeliſta: *Poſtquam ergo lavit pedes eorum, cùm recubuiſſet, iterum dixit eis.* Et in hoc ſecundo recubitu ac tertia Cœna inſtituit Euchariſtiam. Quas omnes tres Cœnas differere eſt res longa, & non hujus loci. Quod ipſas interim tradiderit etiam ſanctus Joannes Chryſoſtomus, demonſtrat in Florentini Concilii Apologia Gennadius ſecundus Patriarcha Conſtantinopolitanus. Etiam laudata Theophylacti Commentaria non ſunt niſi ſancti Joannis Chryſoſtomi compendia.

Quod quinta ſeptimanæ feria ad veſperam Dominus has Cœnas fecerit, & ſexta feria pro nobis ſit crucifixus & mortuus, certum eſt apud omnes Chriſtianos. Verùm an eadem veſpera etiam Judæi fecerint ſuum Paſcha, eſt valde ambiguum ac intricatum. Ea de re ſcribit in ſuis ſuper ſanctum Matthæum Homiliis ſanctus Joannes Chryſoſtomus: Hom. 83 *Ipſa nocte, in qua comederant Paſcha, tanta inſania & tanto furore agitabantur.* Agit de Judæis Chriſtum Dominum captivantibus: Lucidè adfirmat ipſos tunc Paſcha celebraſſe. At verò in alia ibidem Homilia hæc Hom. 86 habet: *Cur* JESUM *ad Caypham duxerunt, ubi omnes erant congregati? Ut ex Pontificum ſententia facerent omnia. Idcirco ad eum omnes conveniunt, qui illo anno ſummum Pontificatum obtinebant, ubi pernoctarunt vigilantes, adeò ut Paſcha ea nocte comedere neglexerint.* Adducit ſancti Joannis Evangeliſtæ verba, *Et ipſi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha,* & proſequitur: *Unde liquidò patet cupiditate interficiendi Chriſtum, prævaricatos fuiſſe, ac alia die Paſcha comediſſe. Non enim Chriſtus tempus Paſchæ transgreſſus eſt; ſed illi audaciſſimi homines, & mille tranſgredientes legis præcepta, quoniam irâ inflammati erant, & ſæpè conati capere ipſum, nihil capere potuerant, ex inſperato nacti quod cupiebant, tempus Paſchæ tranſpoſuerunt, ut ardentes cade animos ſuos explerent.* Adfirmat hoc liquidò patere. Eadem ſancti Joannis *verba laudat* Hom. 82 *in ſuis ſuper* ipſius Evangelium Homiliis, ac pergit: *Sed quid ſignificat, ut manducarent Paſcha? Atqui* JESUS *jam id fecerat una die Azymorum.*

Sive

*Sive ergo Paſcha totam appellat ſolemnitatem, ſive quod tunc faciebant. Chriſtus autem pridiè, eadem ſuam in Paraſceve reſervans, quando antiquitùs celebratum erat.*

Quod Dominus feria quinta, Judæi autem feria ſexta ad veſperam celebraverint Paſcha, videtur manifeſtum. Etenim apud Matthæum Dominus ad Diſcipulos dixit feria quarta: *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet.* Utique à Judæis. Ipſe enim illud die proximo fecit. Et de ipſo trucidando Judæi dicunt: *Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo.* Concludunt iſtud opus, quod feria ſexta fecerunt, ante diem feſtum eſſe complendum. Eodem modo loquitur ſanctus Marcus: *Erat autem Paſcha & Azyma poſt biduum.* Et iterum: *Et primo die azymorum, quando Paſcha immolabant, dicunt ei Diſcipuli.* Verba, *Quando Paſcha immolabant*, exponi debent ex jam laudato ſancti Joannis Chryſoſtomi Commentario: *Quando antiquitùs celebratum erat.* Hoc eſt, quando ex legis præſcripto erat immolandum. Et de Judæis ad ſextam feriam ſcribit ſanctus Joannes: *Erat autem manè. Et ipſi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha.* Quod non de quotidiano dierum Paſchalium Sacrificio, ſed de ipſo Paſchali Agno Patres paſſim intelligunt. Pergit ſanctus Joannes: *Judæi, quoniam Paraſceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbatho, erat enim magnus ille dies Sabbathi, rogaverunt Pilatum, &c.* Addit ſanctus Lucas: *Et dies erat Paraſceves & Sabbathum illuceſcebat. Subſecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum poſitum erat corpus ejus. Et revertentes paraverunt aromata, & unguenta. Et Sabbatho quidem ſiluerunt, ſecundùm mandatum.* Et ſanctus Marcus: *Et cùm jam ſerò eſſet factum, quia erat Paraſceve, venit Joſeph ab Arimathia, & petiit Corpus* JESU. Lucem hæc accipiunt ex Moſaïca Paſchalis feſti lege: *Dies prima erit ſancta atque ſolemnis, & dies ſeptima eadem feſtivitate venerabilis, nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad veſcendum pertinent.* Quocircà ſi ſexta feria iſto anno fuiſſet Judæis prima Paſchalis, etiam in ipſa debuerant ſecundùm mandatum ſilere, non totam in varia, ſine quibus extremum Domini ſupplicium & ſepultura peragi non poterant, prohibita opera expendere. Non dumtaxat ad ſequens Sabbathum, ſed & ad iſtam feriam non profanandam debuerant feriam quintam aſſumere, & in ipſa uſque ad noctem occupari. Et Paſchale feſtum non poſſit eſſe ordinarii Sabbathi Paraſceve, ſed ipſum omninò habet Paraſcevem.

Cap. 26. Cap. 14. Cap. 23.

Et iſtius anni ac ſeptimanæ Sabbathum nequaquam vulgare fuit, ſed fuit magnus ille dies Sabbathi, ſeu Sabbathorum Sabbathum, de quo ad

Lib. 3. Ep. 110. ad Iſidorum Diaconum rectè ſcribit Iſidorus Peluſiota: *Sabbathum feſtum omne nuncupatur. Ac propterea dictum eſt Sabbatha Sabbathorum, quoniam interdum feſti principium aut finis in hebdomadæ Sabbathum incidebant. Quemadmodum etiam apud nos plerumque contingit. Nam cum Epiphania aut carnalis Domini Nativitas Dominico die occurrit, duplicem ſolemnitatem efficit, & velut feſtum in feſto. Eodem quoque modo apud illos, ſi feſtum in Sabbathi diem incidiſſet, Sabbatha Sabbathorum vocabantur.* Addit in quinquageſima ſuper ſancti Joannis Evangelium homilia ſanctus Joannes Chryſoſtomus: *Primus & ultimus* Paſchalis feſtivitatis *dies magnus erat, medii autem potius in deliciis conſumebantur.* Non igitur cujuſcumque, ſed primi dumtaxat, aut ultimi Paſchalis diei cum Sabbatho concurſus faciebat magnum illum Sabbathi diem, ſeu Sabbathum Sabbathorum. Et hinc feſti principium aut finem debere concurrere dixit Iſidorus Peluſiotes.

Omnia hæc eleganter exponit in libris de Hebræorum Republica Carolus Sigonius: L. 3. c. 9. *Cantum lege Synedrii fuit, ut traditur ab Hebræis in libro Seder Olam, ne Paſcha celebraretur die ſeptimanæ ſecundo, quarto, & ſexto, ſi in eos incidiſſet. Itaque ſi dies quinta decima menſis incurrebat in ſextum diem ſeptimanæ, Paſcha differebatur in poſterum diem, qui erat Sabbathi, quemadmodum factum ajunt eo anno, quo Chriſtus eſt paſſus. Ille autem, ut multi opinantur Interpretes, à lege Dei nolens recedere, celebravit illud feria quinta Veſperi, Judæi verò, morem novum aut traditionem Patrum ſecuti, feria ſexta Veſperi, unde ſolemnitas Sabbathi initium erat ductura. Neque verò Interpretes multi aliter congruere verba Joannis cum verbis aliorum Evangeliſtarum poſſe arbitrantur. Quorum hi Paſcha celebratum eſſe à Chriſto feria quinta Veſpere tradunt, ille verò ipſum in Paraſceve, id eſt, præparatione Paſchæ, id eſt, pridie Paſchæ eſſe paſſum exponit. Accedit, quod in ipſa Paraſceve, quæ dies eſt ſexta, Judæi dixerunt ſe nolle Prætorium ingredi, ne contaminarentur, & ut Paſcha comedere poſſent. Id quod eo die non mane, ſed Veſperè erant facturi, qui ad ſolemnitatem ſequentis Sabbathi pertinebat.* Judæi igitur paternas traditiones, Dominus legem ſervandam duxit, atque ita hic quinta, iſti ſexta feria ſuum Paſcha fecerunt. Hi legem Dei propter ſuas traditiones, uti ſæpè alias, ſunt prævaricati. Et uti legitimum diem, ita & legitimos cibos omninò ſervavit Dominus, atque ita lucet ipſum tunc non fermento, ſed ſolo azymo fuiſſe uſum.

CA-

Digitized by Google

# CAPUT VI.

## *Exponuntur Michaëlis Cerularii rationes contra Azyma?*

Michaël Cerularius & cuncta ejus factio pertinaciter aſſerunt Azyma non eſſe verum panem, ideoque nec aptam Sacramento materiam, ac proinde nos Latinos carere Euchariſtia, & non eſſe veros ac plenos Chriſtianos. Hinc ipſe Michaël fecit, quod ſcribit ſanctus Leo nonus: *A tanta amentia jam reſpirate, & Latinos verè Catholicos, atque maximi Petri familiares Diſcipulos, inſtitutioniſq́ ejus devotiores Sectatores, ceſſate ſubſannando Azymitas vocare, aut Eccleſias illis denegare, aut tormenta, ſicut cepiſtis, inferre, ſi vultis nunc & ſemper partem & portionem cum Petro habere.* Et infrà: *Vos alloquimur, qui tuliſtis clavem ſcientiæ, qui clauditis Regnum Cœlorum antè homines. Nec ipſi intratis, nec alios intrare permittitis, ſed potius prohibetis, dum matris venerandam faciem conſpuere quæritis, dum eam inſequimini conviciis & maledictis, dum Agnos ejus ab ea ſegregare, etiam anathemate & flagellis, ne vocem maternam agnoſcant & ſequantur, contenditis. Ut enim fertur, omnes Latinorum Baſilicas penes vos clauſiſtis, Monachis Monaſteria & Abbatibus tuliſtis, donec veſtris viverent inſtitutis.* Quæ omnia fecit & Leo Acridenſis Epiſcopus apud primam Juſtinianam. Pergit ſanctus noſter Leo in alia Epiſtola: *Illud quis non ſtupeat, quod poſt tot Sanctos & Orthodoxos Patres per mille & viginti à Domini Salvatoris Paſſione annos, novus calumniator Eccleſiæ Latinorum emerſiſti, anathematizans omnes, & publicam perſecutionem excitans, quicumque participarentur Sacramentorum ex Azymis.* Et in litteris ad Imperatorem Conſtantinum: *Noverit tua Claritas, qualiter Michaël aperta perſecutione in Latinam Eccleſiam exardeſcens, anathematizare non timuit omnes, qui Sacramenta attrectant ex Azymis.* Etiam Conſtantinus, magnæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ S. cellarius, fecit quod ſcribit Cardinalis Humbertus in Michaëlis excommunicatorio diplomate: *Conſtantinus Latinorum ſacrificium profanis conculcavit pedibus.* Quod nempe nos Latinos duceret Hæreticos, noſtramque Euchariſtiam eſſe vacuam & nullam. Et ad Synadenſem Armeniorum Archiëpiſcopum ſcribit Gregorius ſeptimus: *Cognovimus Eccleſiam veſtram in Azymo ſacrificare, & ob hoc à Græcis dumtaxat imperitis, quaſi de Hæreſi reprehendi. Volumus vos de temeraria garrulitate illorum multùm mirari, ſed nec ab inſtituto deſiſtere, ſcientes eorum procacitatem non modo vobis hanc quaſi calumniam objicere, verùm etiam ſimili de cauſa, graviori verò injuria, hucuſque contra ſan-*

Epiſt. 1. c. 20.

Epiſt. 6.

Epiſt. 7.

Lib. 8. Ep. 1.

*ſtam Romanam Eccleſiam inſurgere.* Azyma eſt una cauſarum, ob quas de Euthymio Græcorum Antiocheno Patriarcha ſcribit Georgius Pachy-
L. 4. c. 9. meres: *Euthymius ab Arſenio* Patriarcha Conſtantinopolitano *non recipiebatur in communionem. Cauſa ferebatur, quod communicaſſet quadam in re cum Armeniis.* Et Nicephorus Calixtus in ſuo Synaxiano Triodio hæc
C. 7. 8. poſuit: *Unde & panem vocat corpus ſuum, non tamen azymum. Erubeſcant qui ſacrificio azymos adhibent.* Ita habes apud Gennadium ſecundum Patriarcham Conſtantinopolitanum in Apologia Florentini Concilii. Et in prima ſua ad Græcos Epiſtola ſcribit Barlaamus Epiſcopus Gyracenſis: *Græcorum Gens propter duo Latinos accuſans, æſtimat oportere ſe ab eis dividi. Unum & principalius, quod ajunt Spiritum ſanctum ex Patre filioq; procedere. Secundùm, quod per Azymos panes ſacratiſſimam celebrant Hoſtiam.* Hic poſterior etiam articulus fuit apud Græcos adeò capitalis, ut ad Eugenium quartum Pontificem Marcus Epheſiorum Archiëpiſco-
L. 5 c. 2. pus ſcripſerit Eccleſiarum unionem fore facilem, *dummodò Sacramentum corporis abſque fermento emortui curaret aboleri.* Ita habes in Florentini Concilii Hiſtoria apud Sylveſtrum Sguropulum. Addit hic Latinos inter & Græcos eſſe quatuor capitales quæſtiones: Et primam de
Cap. 8. proceſſione ſancti Spiritûs, ſecundam eſſe *de azymo ac fermentato.* Adfir-
Cap. 9. mat etiam hanc eſſe *nobilem & tranſcendentem*, & laudata priori *nodoſiorem.* Et hinc Imperator Joannes Paleologus etiam ipſam voluit non in privatis congregationibus, ſed in ſolo totius Synodi conſeſſu examinari ac definiri. Poſt finitam, quæ & azyma & fermentum probaverat, Synodum ſolemne unionis ſacrificium cantaturus erat Pontifex, ac in veræ concordiæ ſignum quidam Græcorum Epiſcopi diſponebant azyma de illius manu communicare. Erat optima propoſitio, attamen de ipſa
L. 10. c 9 ſcribit memoratus Sguropulus: *Quod ubi auribus inſonuiſſet noſtris, cohorruimus.* Quomodo poſt Imperatoris & Epiſcoporum reditum Schiſmaticus Regiæ civitatis populus fuerit in Synodum & factam ab ipſa unionem debacchatus, multis refert in Byzantina Hiſtoria incognitus ac Orthodoxus Michaëlis Ducæ nepos, & adjungit de induratis iſtis cordibus etiam intra obſeſſam, & jam jam capiendam à Mahomete ſecun-
Cap. 36. do Turcorum Principe civitatem: *Infima forenſiſq; turba, è Monaſterii Clauſtris dilapſa in Ænopolia, manibus phialas mero plenas tenentes, Henoticos, id eſt, unioni adhærentes, diris devovebant. Et in honorem imaginis Deiparæ exhauſtis poculis, eam invocabant, ut urbi præeſſet & auxiliaretur, & quomodo olim adverſus Choſroem, Chaganum, & Arabes pugnaverat, ita nunc adverſus Mahometem præliaretur. Latinorum enim, inquiunt, auxiliis non eſt opus nobis: Procul ſit à nobis Azymitarum ritus.* Et

infrà:

infrà: *Plebs fera, bonis infenſa, arrogantiæ germen & radix, vanæ gloriæ ramus, ſuperbiæ flos, fax nationis Græcæ, quæ cæteras gentes, contemptibilis ipſa, deſpectui habet*, in unionis negotio *Acta omnia pro infectis reputabat. Qui ergo Henoticorum partes ſecuti cum Schiſmaticis colloquebantur, his ſermonibus uſi ſunt: Sinite & videamus, num Deus hunc hoſtem de medio tollat Draconem immanem, qui in acie contra nos ſtat, qui hanc urbem devoraturum ſe penitùs jactat. Si Deus eum perdiderit, compertum vobis tunc clarumq; erit, an cum Azymitis in concordiam & amicitiam redierimus.* Ita intra captivam civitatem blaterabant etiam factæ unionis Profeſſores. Nempe Deo mentiri, & ipſum fallere, ſtulta mentis cæcitate conabantur. Hæc verba, *E Monaſterii Clauſtris dilapſa*, reſpiciunt Pantocratoris ſeu Dei Omnipotentis Monaſterium, ejuſque ſeditioſum è Georgio Scholario Monachum Gennadium, qui miſerabilem populum in miſerando iſto adverſum Latinos odio & Schiſmate penitùs induravit, atque ita non ſolam Conſtantinopolitanam civitatem, ſed omnem Orientem deduxit in captivitatem Turcorum. Longè diverſus hic eſt à ſuprà laudato Florentini Concilii Apologo, qui etiam ex Georgio Scholario factus eſt Gennadius, verùm non Monachus, ſed Patriarcha. Nominum ac temporum identitas, & morum diverſitas facit quoſdam de ipſis ceſpitare. Patriarcha fuit inſigniter Orthodoxus, & in laudata Apologia eruditè demonſtrat Chriſtum Dominum non in fermento, ſed in Azymo Euchariſtiam conſecraſſe. Vide Leonem Allatium in Diatriba de claris Georgiis. Ex his interim lucet, quod Michaël Cerularius fermentum & Azyma voluerit eſſe primum ſuæ factionis fundamentum.

Et adduxit plures rationes. Hæc eſt prima: *Azyma myſticè indecenter cuſtoditis, & communicatis Judæis. Etenim Azyma ipſi cuſtodire à Moyſe juſſi ſunt. Noſtrum verò Paſcha Chriſtus eſt. Qui ut non juxta legem inveniretur adverſarius, & circumciſus eſt, & legale Paſcha celebravit primitus. Sic illo diſcedente noſtrum novum operatus eſt.* Vult à Chriſto Domino legale quidem in Azymo, Evangelicum verò Paſcha fuiſſe celebratum in fermento, hoc ipſum ab illo juſſum omnibus Chriſtianis, & cum aliis Judaïcis cæremoniis etiam Azymum fuiſſe proſcriptum ac interdictum. Hinc pergit Michaël: *Azyma per novum Teſtamentum, & per Chriſtum ſunt maledicta & derelicta.* Et infrà: *Qui Azyma cuſtodiunt, neque Judæi neque Chriſtiani ſunt, ſed ſimiles ſunt Leopardo, cujus capilli, ſicut dixit magnus Baſilius, nec nigri ſunt, nec omninò albi.* De illis qui Azyma à Judæis acceperint, ſtatuit ſeptuageſimus Apoſtolicus Canon: *Epiſcopus aut Clericus deponatur, Laicus ſegregetur.* Et ad ipſum ſcribit

Theo-

Theodorus Balſamon: *Ex hoc quod deponuntur vel ſegregantur, qui à Judæis accipiunt Azyma, dicunt multi eos argui, qui per Azyma Myſticum ſacrificium faciunt. Si enim ſimpliciter Azymum comediſſe Judaïci feſti; depoſitionem & ſegregationem inducit, eorum tamquam Dominici corporis eſſe participes, & ſimiliter ac illi Paſcha facere, quam non habebit condemnationem ſive reprehenſionem?* Adfirmat nos Judaïzare, eſſe Apoſtolici Canonis prævaricatores, ideoque degradatos ac excommunicatos.

Secunda Michaëlis Cerularii ratio fundatur in Domini verbis ad acceptum panem: *Hoc eſt Corpus meum.* Ea ſic commentatur: *Adſpicite quomodo Dominus panem Corpus ſuum ſub novo Teſtamento vocavit. Vos quidem panem, nos ἄρτον dicimus. ἄρτος autem interpretatur elevatus, & ſurſum portatus, à fermento & ſale calorem & elevationem habens. Azyma autem nihil diſtant à lapide, ſine anima, & luto lateris deorſum conjuncta terræ, & ſicco luto comparata.* Ita audivimus ſuprà ſcribentem & Marcum Epheſium: *Sacramentum corporis ſine fermento emortui.* Quod Schiſmatici iſti fermento adſcripſerint animam, adeò putarunt aliqui, ut in latæ adverſum illos excommunicationis diplomate Cardinalis Humbertus poſuerit hunc etiam articulum: *Sicut Manichæi, quodlibet fermentatum fatentur eſſe animatum.* Quod an verum ſit, ignoro. Ipſorum ſenſum videtur meliùs exponere antiquus in Conſtantinopolitano Patrum Prædicatorum Conventu repertus Tractatus: *Aſſerunt fermentati panis vitam & animationem conferre.* Fermentatum panem volunt non vivum eſſe, ſed vitalem ſeu verum, qui comedentem nutriat & animet, Azymum autem eſſe quaſi lapidem, humanæ nutritioni ac animationi ineptum, ideoque nec aptam Sacramento materiam.

Tertia Michaëlis ratio eſt hæc: *Azymas Moyſes cum amaritudinibus comedere miſeris Judæis ſemel in anno legem conſtituit. Quoniam mala paſſionis & tribulationis Symbola ſunt. At noſtrum Paſcha gaudium & lætitia totum eſt, & extollit nos ab humo ad Cœlum, ſicut & fermentum propter proprium calorem, panem qui omni ſuavitate repletus eſt.* Adfirmat Azyma Sacramentalibus ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſignificationibus atque effectibus non convenire. Primò, quod ſint non lætitiæ, ſed mæroris ſymbolum. Secundò, quia ſurſum non elevant, ſed deprimunt deorſum. Pergit Michaël: *Azyma neque ſal neque fermentum habentes lutum eſt aridum. An non audiſtis* JESUM *dicentem Diſcipulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ? Et ſimile eſt Regnum Cœlorum fermento, quod accipiens mulier abſcondit in farina ſatis tribus, uſque dum fermentaretur totum? Mulierem vocat ſanctam Eccleſiam. Satis verò tribus repletis, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. Quorum nequaquam lutulenta Azyma ſunt participes.*

*pes.* Symbolicas novi Teſtamenti Parabolas vult ſoli fermento, non Azymo quadrare.

Adducit Michaël & quartam rationem: *Dicit David de Chriſto, Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech. Qui ante Abraham & Moyſem, cæli & terræ & cæterarum rerum agnoſcens Deum, exurgens illi obtulit panem & vinum.* Urget Michaël tunc necdum fuiſſe Azyma aut ullum legale Sacramentum, proinde fermentum fuiſſe oblatum à Melchiſedech, ideoque etiam à Chriſto Domino & omnibus Chriſtianis fuiſſe ac eſſe offerendum. Et adjungit: *Et quia tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt ut legis tranſlatio fiat, quæ lex lutulenta Judæis conſtituit Azyma cuſtodire.* Vult Azyma eſſe Judaïcam cæremoniam, ideoque Chriſtianis ritibus adverſari. Ex ſancto Paulo Apoſtolo adjungit Euchariſtiam eſſe Dominicæ mortis commemorationem, ac pergit: *Azyma verò neque commemorationem habent ei, neque mortem illius annuntiant, ſicut Moſaïcæ, & ante mille quadringentos annos ex lege conſtitutæ, & per novum Teſtamentum maledictæ ac derelictæ.* Hinc & ipſarum Uſitatores vult eſſe maledictos ac à Deo derelictos.

Reſpondeo hæc argumenta eſſe parvi ponderis. Quod enim Chriſtus Dominus non in fermento, ſed in azymo confecerit, jam ſatis demonſtratum eſt, evinciturque memorata malitia Judæ Proditoris, de quo Lithurgia magni Baſilii: *Cœnæ tuæ myſticæ hodiè, fili Dei, aſſume me participem. Non enim tuis inimicis dicam Myſterium, non dabo tibi oſculum, ſicut Judas.* Et in vigeſima quinta ad Antiochenum populum Homilia ſanctus Joannes Chryſoſtomus: *Vultis dicam, cujuſnam opus perficiant illi, qui ante ſacrificii complementum ac finem diſcedunt, neque Cœnâ abſolutâ gratiarum actionis hymnos offerunt? Quando ultimæ Cœnæ communicavit Judas nocte illâ poſtremâ, cæteris omnibus recumbentibus, ipſe ſe proripiens exceſſit. Illum imitantur & iſti qui ante ultimam gratiarum actionem diſcedunt.* Et in ſua adverſum ſuæ gentis errores invectiva Iſaac magnæ Armeniæ Catholicus: *Judas accepto pane egreſſus, panis adminiculo Dominum prodidit.* Accepta Dominica Buccella, Judam continuò exiviſſe disertè adfirmat ſanctus Evangeliſta Joannes. Unde ſolius panis, non autem vini conſecrationi videtur adfuiſſe. Et ob perfidiam à Diabolo invaſus non manducavit Buccellam, ſed Judæis enuntiavit Myſterium, accuſans Dominum quaſi de inſania, qui iſtiuſmodi Buccellam adfirmaret ſuum corpus, & tanquam tale vellet à cunctis manducari. Et hinc non ad Corpus, ſed ad ſolum Calicem dixit Dominus: *Bibite ex hoc omnes.* Hoc eſt, Judam, qui ſanctum Panem non comedit, imitari nolite, ſed bibite omnes. Hinc & adjunxit: *Non bibam amodò de hoc geni-*



Digitized by Google

*mine vitis uſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum novum in Regno Patris mei.* Quod nempe nullus in Regno non bibiturus tunc adeſſet. Quidquid ſit, dumtaxat de confecto Myſterio, non de ſumpto contra legem fermento Judas accuſavit Dominum: Nec ullus poſteà Judæus. Qui omni ſtudio venati ſunt quævis accuſationis capita ac falſa etiam teſtimonia, ſanè hoc verum non neglexiſſent.

A Juda factam Myſterii enuntiationem inſigniter exponit Anonymus de Francis ac aliis Latinis Tractatus, atque proſequitur: *Chriſtus ac Deus noſter Judaïcum Paſcha comedit, adimplens legem. Ubi autem legem implevìſſet, tunc panem fermentatum poſuit, tunc dixit: Hoc eſt corpus meum. Ac quidem cum de legali ageretur, minimè ait, Accipite, comedite corpus meum, cum autem de fermentato, tunc dixit: Hoc eſt corpus meum. Idcircò invenit Judas, quo accuſaret Chriſtum. Cum enim accepiſſet panem ad communionem, non tamen eo communicavit, ſed illum ſervans oſtendit Judæis. Quamobrem videns Chriſtus ipſius malitiam, cum dixiſſet, Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum, non dixit, Omnes; at in calice ait, Bibite ex hoc Omnes. Sicq; liquet Chriſtum dixiſſe panem fermentatum fore ſuum corpus. Porrò hanc traditionem acceperunt ab Origine.* Schiſmaticus hic Auctor à Chriſto Domino, ne ipſum faciat legis prævaricatorem, fatetur legale Paſcha legitimo die celebratum. Hac in re Græci adeò non conveniunt. Videtur addere, quod Judas Dominum non de ſolo confecto Myſterio, ſed etiam de uſitato contra legem fermento accuſaverit. Laudatum Leonis noni, Cardinalis Humberti, ac ſui Patriarchæ Gennadii argumentum conatur hâc viâ evadere, & ſuæ factionis de fermento errorem ſtabilire. Verùm de ſuo loquitur, nullo fulcitur fundamento.

Eandem quæſtionem tractat Armeniorum Patriarcha Iſaac: *Eccum verò quid ajunt increduli Armenii? Nempe panem, quem Chriſtus dedit, azymum fuiſſe, ac idcircò azyma in ſacrificio offerre. Ergo, qui ſemper & ubique Chriſto adverſamini, impii homines, verbis pariter & factis veſtris Chriſtum nunc veſtræ impietatis ac nugationis teſtem producitis? Eſto, fuerit quem Chriſtus dedit panem, azymus. Equidem ille ob anguſtias temporis, ut ne tantum ſalutis myſterium ab eo non traditum relinqueretur, eò quod eâdem horâ Judæis tradendus eſſet, talem tradidit: Ut ne omninò nos tantâ ſalute privaret, quam nobis ad uſque ſæculi finem largitus eſt, ac dignatione, quâ ſanctiſſimum ſuum Corpus manducandum præberet, ac per illud vivificaret, ſuiq; comparticipes faceret. At neque decebat, ut id temporis perfectum panem in manus acciperet, eò quod dies illi azymorum eſſent, ut ne Judæis anſam præbere accuſandi velut impium, ac ſolutorem legis.* Chriſtum Do-

Dominum, ne legis prævaricatorem & Judæorum calumniis obnoxium faciat, fatetur confeciſſe in azymo, & nihilominùs in azymo conficientes Armenios appellat Chriſti hoſtes, & impiè Judaïzantes. Affirmat plura Chriſti Domini Acta nos nec debere imitari, nec poſſe. Et multis demonſtrare conatur exemplis. Tanta opinandi varietas evincit ac præſcribit Græcos circa verum ceſpitare.

Quod porrò non ſolus fermentatus, ſed etiam azymus panis ſit panis omninò verus, laudatus Gennadius inſigniter etiam demonſtrat. Etenim in Judicum libro dixit Angelus ad Gedeonem: *Tolle carnes, & azymos panes.* Et in Exodi libro lex mandat: *Tolle vitulum, panesq; azymos & cruſtulam abſque fermento.* Et de Diſcipulis apud Emmauntem cum Domino manducantibus ſcribit ſanctus Lucas: *Cognoverunt eum in fractione panis.* Utique Azymi. Erat enim tertia Paſchalis feſtivitatis dies, adeoque fermentum in Judæorum domibus non poterat reperiri. Et in ſancti Danielis Prophetæ Commentario ſcribit Theodoretus: *Panis dicitur fermentatus & Azymus.* Laudatus Gennadius inſigniter hæc exaggerat. Quod ipſum pluribus facit Cardinalis Humbertus, & adjungit panes Propoſitionis, *quos Azymos fuiſſe nemo dubitat, qui Moſaïcæ legis aliquam notitiam retentat,* tamquam veros panes fuiſſe Davidi datos à Sacerdotum Principe, & ab iſto manducatos. Et de Ægyptiorum panibus ſcribit in ſancti Antonii vita magnus Athanaſius: *Antonius ſumptis ad ſemeſtre ſecum panibus, qui mos eſt Thebanorum, durantque illi per integrum ſæpè annum incorrupti.* Et infrà: *Antonius vixit aſcetice, nec niſi ſexto quoque menſe panes è tecto demiſſos accepit.* Conſonat in quinta apud Joannem Caſſianum Collatione Abbas Serapion, adfirmans Gaſtrimargiæ vitium in nobis numquam exſtingui, nequidem *per quotidiani victûs providentiam, & annui panis præparationem.* Et in decima nona Collatione Abbas Joannes laudat vitam Cœnobiticam, quod libera ſit *ab annui panis inevitabili cura.* Et in ſecunda Collatione Abbas Moyſes affirmat quotidianam Monachi refectionem eſſe duo paximatia, id eſt, *duos parvulos panes, quos vix libræ unius pondus habere certiſſimum eſt.* Quod ipſum in duodecima Collatione Abbas Cheræmon, & in quarto Monaſticarum inſtitutionum libro teſtatur ipſe Caſſianus. Et in ſancti Pauli ſimplicis vita ſcribit Palladius Epiſcopus Helenopolitanus: *Fert panes Antonius, & imponit menſæ quatuor paximidia. Et ſibi quidem unum madefecit. Erant enim ſicci.* In libro de Catholicæ Eccleſiæ moribus addit de his Monachis ſanctus Auguſtinus: *Pane ſolo, qui eis per certa temporum intervalla adfertur, contenti ſunt.* Nempe non niſi ſemel in anno pinſebantur iſta paximatia, & cuique Monacho tum dabatur totius anni pro-

Cap. 6. Cap. 29. Cap. 6. Cap. 19. Cap. 15. Cap. 14. Cap. 32.



Digitized by Google

proviſio. Erant azyma & ſicca, ideoque intra annum non corrumpebantur. Et quin veri eſſent panes, nemo unquam dubitavit. Ad panis eſſentiam nemo unquam exquiſivit aliud, quàm farinam & aquam.

Licet verò Dominus Euchariſtiam in Azymo pane omninò confecerit ob dictas rationes, nequaquam tamen hoc ſuum factum fixit nobis in legem: Reliquit hoc arbitrio ſuorum Apoſtolorum, & ipſis ſuccedentium Epiſcoporum. Evangelium enim eſt avitæ libertatis reparatrix lex: Ab omni Moſaïcæ ſervitutis jugo nos ſolvit, conſtringit ad ſola ſeptem ſimplicia Sacramenta, certam Hierarchiam, ac naturæ legem, circa hujus aut iſtorum rituales veſtes permittit quemque cum ſuo populo Epiſcopum in ſuo ſenſu abundare. Et nos Latini nunquam receſſimus ab illa modeſtia, quam in Commentario de ſancta Communione laudat Georgius Metropolita Corcyrenſis. Apud Leonem Allatium in Diatriba de claris Georgiis hic eſt libri titulus: *Commentarius de ſancta Communione, in quo eſt ex ipſis Sacris Scripturis ſincera demonſtratio panem fermentatum Eccleſiæ traditum fuiſſe ab Apoſtolis ad oblationem, quemadmodum ad tempora ſancti Gregorii cognomento Dialogi in Romana Eccleſia offerebatur. Proſequitur præterea diſputationem de hac re Byzantii habitam, & quomodo illi contradicere noluerunt Latini, ſed potius ſanctum panem fermentatum laudarunt, & cum illius panis, quem Chriſtus in Cœna Diſcipulis tradidit, particula in magni Palatii Scevophylacio inventa eſſet, omnis contradicendi cauſa de medio ſublata eſt.* An ſub magni Gregorii Papatu Romana Eccleſia in fermentato obtulerit, ſuo loco eſt diſcutiendum. Interim fermentatam confectæ à Domino Euchariſtiæ particulam fuiſſe tunc inventam Conſtantinopoli, & probatam à Latinis, eſt omninò fabuloſum. Tantam rem quomodo Michaël Cerularius, Conſtantinus Sacellarius, Nicetas Pectoratus, aut quis ſimilis fermenti patronus ignorarit? Levis ac infirma eſt Græcorum fides circa multas Reliquias. Interim Latini nunquam damnarunt aut improbarunt fermentum, ſed ſemper laudarunt. Et hinc de Cardinale Humberto habent ejus Acta Conſtantinopolitana: *Humbertus anathema dedit cunctis, qui deinceps communicarent ex manu Græci Romanum ſacrificium vituperantis.* Nec Græcum nec Latinum ſacrificium voluit vituperari. Utrumque defendunt Stephanus Eduenſis Epiſcopus, Abbas Rupertus, ac in inſigni Epiſtola ad Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum Gregorius nonus. A ſenſu hoc Latina Eccleſia nunquam deceſſit.

Quod noſtrum ſacrificium non Judaïzet, in Reſcripto ad Waleranum Naumburgenſem Epiſcopum inſigniter demonſtrat ſanctus Anſelmus: Cap. 3. *Quod Græci ajunt nos Judaizare, non eſt verum. Quia non ſacrifica-*

Digitized by Google

*crificamus de Azymo, ut legem veterem ſervemus, ſed ut hoc diligentius fiat, & Dominum, qui hoc non Judaïzando fecit, imitemur. Cum enim facimus aliquid, quod Judæi ut Judaïſmum ſervarent faciebant, non Judaïzamus, quia non propter Judaiſmum, ſed propter aliam cauſam hoc agimus. Si enim in diebus Paſchæ Azymum panem aliquis comedat, ſive quia non habet alium, ſive quia illo magis delectatur quàm fermentato, aut ſi quis propter infirmitatem præputium circumcidere cogitur, aut ſi bovi ſuo quis trituranti, ne eſuriat, os non obturat, nullus niſi inſipiens hæc agentem Judaïzare judicabit. Cum ergo nos panem Azymum ſacrificamus, ut per Azymi figuram talem Dominum* JESUM *fuiſſe ſignificemus, vel ut ipſum panem in corpus ejus, divinâ operante virtute, ſicut ipſe fecit, ſanctificemus, nequaquam in hoc legis vetuſtatem ſervamus, ſed Evangelii veritatem celebramus.* Judaïca Sacramenta non ſunt ſola ac nuda, ſed certis, quæ jam evacuatæ & adimpletæ ſunt, ſignificationibus ac promiſſionibus veſtita elementa, ideoque qui ipſa ab hiſce dividit, & ſic diviſis utitur, nullo modo Judaïzat. Alioquin & Græcorum fermentum erit Judaïſmus. Res clarior eſt, quam ut elucidetur. Eam interim apud ſanctum Cyprianum inſigniter elucidat Auctor incognitus de cardinalibus Chriſti operibus in ſermone de Unctione Chriſmatis. Hinc fundamento caret etiam hæc Marci Epheſii calumnia: *Duo diverſa Symbola recitantur. Duo ſunt differentia ſacrificiorum genera: Alterum quod pane fermentato conficitur, alterum quod azymo.* Etenim non plus azymum & fermentum, quàm album & rubrum vinum, faciunt duo ſacrificia. Calumniam latiùs revincit Gregorius Protoſyncellus, poſteà Gregorius Patriarcha ob conſtanter defenſam Florentinæ Synodi unionem à Schiſmaticis ejectus ex Conſtantinopolitana urbe. Et tunc illa fuit capta à Turcis.

Cur autem nos Latini azymo potiùs utamur quàm fermento, duas jam rationes audivimus à ſancto Anſelmo. Prima eſt, ut per azymi figuram ſignificemus talem füiſſe Dominum JESUM Chriſtum. In quæſtionibus ſuper Exodi librum inſigniter elucidat magnus Græcorum Doctor Theodoretus: *Panes non fermentatos, id eſt, azymos Altari offerebant Judæi, fermentatos autem offerre Dominus prohibet, ex ſenſibilibus nos docens ea quæ pertinent ad intellectum. Cum enim panis azymus ex tempore fiat, fermentatus autem habeat aliquid fermenti veteris, prohibet lex, ne quid Ægyptiacæ doctrinæ rebus divinis admiſceatur, quemadmodum & Dominus ſacris Diſcipulis dixit: Cavete à fermento Scribarum & Phariſæorum.* Quod ipſum repetit in prima quæſtione ſuper librum Levitici. Affirmat & azyma eſſe verum panem, & fermentum eſſe vitioſæ ſignificationis. Hanc in prima ad Corinthios Epiſtola exponit Qu. 57.



Digitized by Google

Cap. 5. Apoſtolus: *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis, azymi. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaq; epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.* Ut ergo & verum & myſticum JESU Chriſti Corpus eſſe novam ſine macula & ruga Creaturam profiteatur Latina Eccleſia, ipſum ſemper duxit in azymo potiùs quàm fermento conſecrandum. Altera hujus moris per ſanctum Anſelmum laudata ratio eſt Domini exemplum, de quo jam oſtendi non eſſe dubitandum.

## CAPUT VII.

### *An Latina Eccleſia in ſuo Sacrificio ſit ſemper uſa pane azymo?*

JAcobus Sirmondus ſuum de azymo libellum donat hâc præfatione: *Sæpè mirari ſubit, qui factum ſit, ut in Euchariſtiæ Sacramento, quod ex pane vinoq; conſtat, cum de vino dubitet nemo, quin verum & ex uvis expreſſum eſſe debeat, quia id antiqui Canones docent, de altera parte, quam panem ſimpliciter Canones vocant, aliud potuerint quàm germanum atque uſitatum panem interpretari. Sed hominibus nimirum, qui ſola in Altari azyma contueri, ſola in ſcholis & exedris audire azyma ſolerent, difficilè fuit de ſuperioribus temporibus aliud ſuſpicari, quàm de ſuis.* Latinam per multa ſæcula Eccleſiam vult ſacrificaſſe in fermento, & ſpondet ipſum demonſtrare. Latinorum azyma affirmat nunquam à primo Schiſmatis auctore Photio, ſed primo ab ejuſdem reſumptore Michaële Cerulario fuiſſe impugnata, & concludit: *Quod ſi Photianis temporibus nulla de azymo fuit quæſtio, & hanc à Cerulario primùm Patriarcha excitatam res docet, quid verò propius, quàm ut azymorum initium apud Latinos ad intervallum illud referamus, quod Photium inter & Cerularium interceſſit?* Ugonem Thuſcum, *qui Eccleſiam Latinam azyma perpetuò*
Cap. 3. *immolaſſe*, aut Rupertum Abbatem, *qui Eccleſiam Romanam cenſet fermentum in ſacrificio nunquam admiſiſſe*, exiſtimat non audiendos, atque adjungit: *Nec Leo nonus Pontifex unquam, nec Cardinalis Humbertus cum azymorum cauſam agerent, iſta ſe perpetui moris præſcriptione defenderunt.* A ſe adducta pro antiquo Latinorum fermento argumenta atque exempla affirmat eſſe demonſtrantia ac manifeſta.

Verùm quod ſanctus Leo nonus iſtâ perpetui moris præſcriptione numquam fuerit uſus, eſt lucidè falſum. Etenim in prima adverſus Michaëlem Cerularium & Leonem Acridæ Antiſtitem Epiſtola ſcribit:

Dici-

*Dicimini Apoſtolicam & Latinam Eccleſiam, novâ præſumptione atque incredibili audaciâ, nec auditam nec convictam palam damnaſſe, pro eo maximè quod de azymis audeat commemorationem Dominicæ Paſſionis celebrare. Ecce incauta reprehenſio veſtra, quando ponitis in Cœlum os veſtrum, cum lingua veſtra tranſiens in terra, humanis argumentationibus & conjecturis antiquam fidem confodere & ſubvertere molliatur. Ecce jam poſt mille ac ferme viginti à morte Salvatoris noſtri annos incipit per vos doceri Romana Eccleſia, qualiter memoria ejuſdem ſit recolenda, quaſi ei nihil contulerit præſentia, converſatio, & diuturna inſtitutio, ſeu mors pretioſa illius venerabilis Senis, cui ſpecialiter Chriſtus filius Dei vivi dixit: Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui eſt in Cœlis.* Multis oſtendit Romanum hunc ritum eſſe inſtitutum ſancti Petri, ideoque venerandum ab omnibus, & à nemine rodendum. Adverſus eundem Michaëlem ac Leonem ſcribit Cardinalis Humbertus: *Quia ſufficiente auctoritate novi & veteris teſtamenti conſtat Dominum noſtrum* JESUM *Chriſtum commemorationem ſuæ Paſſionis recolendam in azymo Diſcipulis ſub ipſa Cœna commendaſſe, ſicut hodieq; ſancta Romana & Latina Eccleſia noſcitur recolere, dicere debetis, cujus inſtitutionem in fermentato tam obſtinatè defenditis. Nempe quicumque vel qualiſcumque ille fuerit, juxta beatum Job compoſitus Deo, qui eſt ipſa juſtitia ac ſapientia, nec juſtus nec ſapiens erat. Nec poteſt fieri, ut quilibet convenientius aut verius commendare prætuliſſet Sacroſanctum Myſterium fidei, quam ipſe qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.* Affirmat quod Romana ac omnis Latina Eccleſia azymi ſui ritum acceperit ab Apoſtolis & Chriſto Domino, ipſumque etiam hodiè citra interpolationem ſervari, Græcum autem fermenti ritum eſſe poſterioris ignoti hominis inſtitutum, ideoque iſtum eſſe & antiquiorem & longè ſanctiorem. Et in omni iſto libro hic eſt unicus Humberti ſcopus. Et hinc in ipſum ſcripſit Nicetas Pectoratus: *Si, ſicut dicitis, Apoſtoli à Domino acceperunt azyma, & illi iterum tradiderunt vobis, hæc in figura Corporis Chriſti in Myſterium novi Teſtamenti, dum nec oblatio panis fieret ſecundùm conſtitutionem Moyſi, neque erant tunc azyma, ubi reperta ſunt?* Vult Dominum non in quartæ decimæ, ſed in decimæ tertiæ Lunæ Veſpera celebraſſe Paſcha, ideoque non in azymo, ſed in fermento. Hinc infert, non noſtrum, ſed ſuum ritum eſſe Dominicum atque Apoſtolicum. Et pergit: *Valdè veritati obſiſtitis Fratres. Si enim traditum vobis fuit ab Apoſtolis comedere azyma, quomodo Agathon ſanctiſſimus Papa veſter, Præſeſſor cum eſſet ſextæ Synodi ſub Conſtantino Imperatore, & divinus Gregorius Agrigentinorum Epiſcopus non obſtitere, cum hujus Synodi*

divini

*divini Patres adverſum azyma legem conſtituiſſent, à nemine fidelium hoc fieri?* Et iterum: *Si aliquis dixerit de ſancta & univerſali Synodo, quæ Papam Romæ ſanctiſſimum Agathonem habuit Præſeſſorem, ipſa centum & ſeptuaginta Patrum, ſub Conſtantino Imperatore, nepote Heraclii, patre Juſtiniani. Quomodo non obſtitit divinus Agathon ſanctæ Synodo ſancienti adverſum hos impios, quos uſque nunc habetis? Si verò ab Apoſtolis haberetis has traditiones, obſtitiſſet forſitan, & non ſuſcepiſſet hæc, quæ apud nos ab ea promulgata ſunt. Papa cum eſſet veſter, quoniam adulteras cognoſcebat traditiones ipſas, & extraneas ab Apoſtolorum doctrina.* Affirmat ſexto Concilio ſanctum Agathonem, utique per Legatos, præſediſſe. Eidem addit adfuiſſe ſanctum Gregorium Agrigentinum in Sicilia Latinum Epiſcopum. Imperator enim Leo Iſaurus Siciliam tunc necdum laceratat à Romano Patriarchatu, nec tranſcripſerat in Diœceſim Conſtantinopolitanam. Subdit Nicetas azymi ritum fuiſſe damnatum à ſexta Synodo. Hinc concludit ipſum non fuiſſe perpetuam Latinorum conſuetudinem, nec Apoſtolicam traditionem. Hujuſmodi enim traditionem nec ſanctus Agatho, nec ſanctus Gregorius damnari ac ſuis Eccleſiis eripi permiſiſſent. Ex quibus omnibus lucet quòd Cardinalis Humbertus conſtanter aſſeruerit noſtrum azymum eſſe perpetuum Latinæ Eccleſiæ ritum, & ipſi traditum ab Apoſtolis. Lucet quod Nicetas Pectoratus admiſerit illum apud nos viguiſſe uſque ad ſextum Concilium, aſſerens ab ipſo proſcriptum, & tunc relictum à nobis, & poſteà reſumptum. Quocircà Jacobus Sirmondus nobis obtrudit, non avitam Patrum ſententiam, ſed errorem Nicetæ Pectorati. Diſertè profitetur ſibi probari ſententiam, quam in Reſcripto ad Conſtantinum Cabaſilam Dyrrachii Metropolitam aſſerit Demetrius Chomatenus Archiëpiſcopus Bulgariæ: ***Latinorum azymorum nullus unquam meminit canon. Quippe quod poſterius, ut probabile eſt, eorum mos in Romanam Eccleſiam ſe inſinuaverit.*** Et an ſancta, an profana eſſent noſtra azyma, quærenti repoſuit eſſe ſancta, & ob illa nos à Græcis non averſandos: Quod eſſent ſolius diſciplinæ diſcrimen, non dogmatis. Hic eſt ille Demetrius, qui Imperatori Joanni Laſcari rebellantem Theodorum Comnenum coronavit in Auguſtum, aſſeverans ſe eſſe autocephalum, ideoque non minus quàm Patriarcham Conſtantinopolitanum coronandi Principis poteſtate gaudere. Rem la-
Cap. 21. tiùs narrat Georgius Acropolita. Imperator Joannes Ducas, quo Flandros Conſtantinopoli exigeret, tentabat tunc, uti refert Georgius Pachymeres, exſtinguere Schiſma, & unire Eccleſias: Et bono operi favebat Demetrius. Hinc ut averſum ab illo Dyrrachienſem Epiſcopum ſibi adjungeret, contra ſuæ factionis errorem aſſeruit Latinorum azyma
eſſe

eſſe ſancta ſpectare ad ſolam diſciplinam, ideoque ob ipſa unionem non impediendam.

Quod eodem tempore Libros de eodem objecto ſcripſerint Nicephorus Blemmidas, & Nicetas Marronenſis, magnæ tunc Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Chartophylax, poſtea Theſſalonicenſis Archiëpiſcopus, teſtantur laudatus Pachymeres & Nicephorus Gregôras. Fuerunt Libri adeo eruditi, ut duriſſimi Schiſmatis contra Imperatorem Michaëlem Paleologum ac ab ipſo dilectam Eccleſiarum unionem defenſor Joannes Veccus fuerit ipſorum lectione converſus in carcere, profeceritque in eximiè orthodoxum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarcham, & conſtantiſſimum factæ per Lugdunenſem Gregorii decimi Synodum unionis Vindicem ac Protectorem. Nicephorus Blemmidas eſt ille magnus Monachus & Abbas, qui & oblatum ſibi Patriarchatum recuſavit, & qui Marceſinam, publicam Imperatoris Joannis Ducæ cum populi ſcandalo Concubinam, ab ingredienda ſui Monaſterii Eccleſia publicè projecit, & provocato ad vindicandum Principi extorſit has voces: *quid me ad virum Iuſtum puniendum impellitis? Nam ſi ego ſine probro & ignominia vivere voluiſſem, imperii Majeſtatem inviolatam conſervaſſem.* Quod hæc *mœrore affectus & lachrymis oppletus cum profundo ſuſpirio* dixerit, affirmat memoratus Gregoras. Hæc dicta ſint, ut luceat Orientali Eccleſiæ inſignes orthodoxos nunquam defuiſſe. Et hi, magnum Baſilium imitati, diſpoſuerunt Lib. 2. ſermones ſuos in judicio: Ne Schiſmaticam ſuam gentem nimis offenderent, Latinos ritus diſpenſatoriè non exaltarunt. Hinc dictus Demetrius, quo ſuum fermentum præferret, addidit azymi ritum non eſſe Apoſtolicum, ſed à nobis noviter inductum. Et hocce dogma laudat, probat, ac profitetur Jacobus Sirmondus. Sextæ Synodi circa hanc materiam Acta exponam ſuo loco. Ea interim habent & hunc articulum: *Oblatio munda debet eſſe à fermento, juxta quod in geſtis Pontificalibus à Beato Sylveſtro legimus eſſe ſtatutum.* Et qui non ſolùm Michaëlis Cerularii, ſed & Photii calumnias præceſſit, Alcuinus Flaccus ſcribit ad Lugdunenſem Eccleſiam: *Audivimus aliquos in illis partibus affirmare ſalem eſſe in Sacrificium Corporis Chriſti mittendum. Quam conſuetudinem nec univerſalis obſervat Eccleſia, nec Romana cuſtodit auctoritas. Tria ſunt, quæ in Sacrificio hujus teſtimonii offerenda ſunt: Panis, aqua, & vinum. Panis, qui in Chriſti Corpus conſecratur, abſque fermento ullius alterius* Epiſt. *infectionis debet eſſet mundiſſimus, & aqua abſque omni ſorde mundiſſima, &* 69. *vinum abſque omni commixtione alterius liquoris, niſi aquæ, purgatiſſimum. Igitur aqua utrique conveniat. Ex aqua & farina panis fit, qui conſecratur in*

 *Cor-*

*Corpus Chriſti.* Ante utrumque ſchiſma ſcripſit in libris de Clericorum inſtitutione etiam Rabanus Maurus: *Panem infermentatum, & vinum aqua mixtum in Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti ſanctificari oportet.*
Lib. 1. c. 31. Utique ex antiqua Latinæ Eccleſiæ conſuetudine. Et ſubdit illius cauſam: *Credimus & panem illum, quem primum Dominus in Cœna myſtica in myſterium ſui Corporis conſecravit, infermentatum eſſe, maximè cum in tempore Paſchæ nullum Fermentum cuiquam veſci, ſed nec in domo habere ulli licebat.* De incognito apud ſanctum Cyprianum Auctore Sermonum de cardinalibus Chriſti Domini operibus ſcribit Jacobus Pamelius: *Cujuſcumque ſit opus, certè ſcriptum conſtat ætate Cornelii & Cypriani, atque adeò eandem auctoritatem meretur.* At certum eſt non eſſe tam antiquum. Lucet ex Sermone de Unctione Chriſmatis: *Hodie patent carceres, & damnati libertate donantur. Severitate depoſita hodie judices manſueſcunt.* Laudat in Theodoſiano codice exſtantem Valentiniani primi legem ad Viventium Urbis Præfectum: *Ob diem Paſchæ, quem intimo corde celebramus, omnibus quos reatus adſtringit, carcer incluſit, clauſtra diſſolvimus. Attamen*
Lib. 9. tit. 38. cap. 3. *Sacrilegus, in Majeſtate reus, in mortuos, Veneficus, ſive maleficus, Adulter, Raptor, Homicida, communione iſtius muneris ſeparentur.* Exſtant ejuſmodi plures Leges Romanorum Principum. Judæi ob Paſchatis ſui reverentiam quotannis dimittebant unum vinctum. Hinc enim Chriſtum Dominum hoc titulo liberare volenti Pilato Præſidi reclamarunt: *Non hunc, ſed Barabbam.* Chriſtiani Romanorum Principes verum noſtrum Paſcha duxerunt largiùs honorandum: Cunctis, præter graviorum criminum reos, vinctis omnes ubique carceres reſerarunt. Quem morem laudant Innocentius primus Pontifex, Sanctus Ambroſius, magnus Leo, in precibus Epheſino latrocinio exhibitis Conſtantinopolitanum Eutychetis Monaſterium, Sanctus Gregorius Nazianzenus, & cum aliis Sanctus Joannes Chryſoſtomus, laudans magnum Imperatorem Theodoſium, quod ſuis Encyclicis Paſchalis indulgentiæ Litteris addidiſſet hanc Clauſulam: *Utinam mihi & mortuos revocare, atque ad priſtinam vitam reducere liceret.* Ita habes in Sermonibus ad Populum Antiochenum. Eſt mos inductus à magno Conſtan-
Lib. 11. Epiſt. 40. tino. Eundem continuarunt Gothorum in Italia Reges. Lucet ex larga ejus formula apud Aurelium Caſſiodorum. Alii, licet Chriſtiani, Barbarorum Reges gratiam aut abrogarunt, aut certè inſigniter mutilarunt. Quocirca laudatorum ſermonum auctor poſt magnum Conſtantinum vixit, & quidem eo tempore, quo adhuc integrum erat Romanum Imperium. Vivere debuit ante finem ſexti ſæculi. Et in ſermone de Domini cœna ſcribit de noſtro Sacrificio: *Panis hic azymus, cibus ve-*

*verus & ſincerus, per ſpeciem & Sacramentum nos tactu ſanctificat, fide illuminat, veritate Chriſto conformat.* Quin & ipſe Sanctus Cyprianus ſcribit ad Presbyterum Cæcilium: *Sic Calix Domini non eſt aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi utrumque ſibi miſceatur, quomodo nec Corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, aut aqua ſola, niſi utrumque admixtum fuerit, & copulatum, & panis unius compage ſolidatum.* Euchariſticum panem affirmat ex ſola aqua confici & farina, ideoque eſſe azymum. Quod ipſum frequenter ſcribit Sanctus Auguſtinus, & alii Latini Patres. Epiſt. 63.

Quidquid ſit, in Animæ Gemma ſcribit etiam Honorius Auguſtodunenſis: *Panis ſit abſque fermento, quia Chriſtus fuit ſine peccato.* Neſcio quis Andegavenſis Eccleſiæ Presbyter, *dum miniſtraturus ſacris adſtaret altaribus, nec in hoſtiam præparatum panem inveniret, de communi pane Sacrificium obtulerat*, atque ita per imperitiam aut incuriam fuerat Græcatus, & ipſum caſtigandum tranſmittenti ad ſe Metropolitam Epiſcopo Gaufredo reſcripſit Sanctus Hildebertus Epiſcopus Turonenſis: *Qua in re licet potiùs conſuetudo quam fides impugnetur, nos tamen non nullam in eo culpam attendimus, arbitrantes gravius puniendum eſſe Eccleſiæ ſcandalum, quam delictum; & Sacerdotis incuriam; quam reatus qualitatem.* Affirmat azyma eſſe avitam Eccleſiæ conſuetudinem. Loquitur enim in ſenſum, quo ſcripſit in opere de divinis officiis etiam venerabilis Tuitienſium Abbas Rupertus: *Cur Sancta Romana Eccleſia nunquam in Sacrificio fermentum admiſerit, non otioſè quæritur, nec inutiliter, maximè quia conſuetudini huic tota hactenus Græcia refragatur.* Exponit Michaëlis Cerularii calumnias, ac proſequitur: *Tantæ ſinceritatis fuit ſemper Romana Eccleſia, ut cui deſit ſcripturarum notitia vel argumentandi facultas, ſola illius de azymo contra Græcos ſufficere debeat auctoritas.* Conſonat in Orientalis Eccleſiæ Hiſtoria Jacobus Cardinalis de Vitriaco. Affirmat ac demonſtrat Chriſtum Dominum confeciſſe in azymo, ac pergit: *Unde hanc conſuetudinem Apoſtoli reliquerunt Eccleſiæ, & maximè hunc ritum ſacrificii Romana Eccleſia habuit à Beatis Apoſtolis Petro & Paulo, à quibus dum viverent ordinationem accepit, quos & mortuos uſque nunc cuſtodit. Hunc ſacrificii ritum Græci, poſtquam tunicam Domini inconſutilem invidia Latinorum diviſerunt, ne Romanam Eccleſiam imitari viderentur, pertinaci contumacia mutaverunt, & uſque hodie ex fermentato conficiunt, non attendentes myſterium, neque virtutem Scripturarum.* Demonſtrat azymum eſſe fermento longè aptiùs ad Chriſtianum Sacrificium. Affirmat non Latinos à fermento ad azymum, ſed poſt ſchiſma Græcos ab azymo ad fermentum eſſe digreſſos. Quod ipſum iiſdem verbis ſcribit in Libris de Miſſæ Sacrificio Innocentius tertius. Adeò diverſus uterque eſt à Jacobo Sir-

Lib. 1. c. 31.

Epiſt. 44.

Lib. 2. Cap. 22.

Cap. 38.

Lib. 4. C. 4.



Digitized by Google

mondo. Baſilianus Calabriæ Monachus Barlaamus à nobis apoſtatavit ad Græcos, & ſub Andronici ſecundi Paleologi imperio fuit Conſtantinopoli magnus Doctor. Gregorius Palamas, qui poſteà fuit Theſſalonicenſis Archiepiſcopus, movit tunc, aut potiùs à neſcio quibus imperitis Græcorum Monachis motam de transfigurati in Monte Thabor Domini noſtri Divino & increato Lumine quæſtionem defendit, & horrendos evomuit errores. Ipſos revicit Barlaamus, verum cœca Joannis Patriarchæ Conſtantinopolitani Synodus adhæſit Palamæ, & Barlaamum de hæreſi damnavit. Quæ omnia latè deſcribit in ſua Hiſtoria Joannes Imperator Cantacuzenus. Iſta vexatio Barlaamo dedit aliam mentem, ipſum reduxit ad Romanam Eccleſiam; ſcribitque dictus Imperator: *Barlaamus judicium valdè claudicaſſe clamitans, & aufugiens in Italiam, cum Latinis, ut antea, ſenſit, ab eiſque Hieracis Epiſcopus creatus eſt.* Hieracum ſeu Gyracum eſt Civitas in Peloponeſo. Illic Barlaamus omni ſtudio conatus eſt Græcos ad unionem ducere, ſcribitque in prima ad ipſos Epiſtola: *Græcorum Gens, propter duo Latinos accuſans, æſtimat oportere ab eis ſe dividi. Unum eſt principaliùs, quod ajunt Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere. Secundum, quod azymo pane Sacratiſſimam celebrant Hoſtiam. Ego autem tempora examinans, video quod ſchiſma quidem nondum quadringentorum eſt annorum. Sub Baſilio enim Macedone & Photio Patriarchâ, ut ajunt, incœpit. A quibus prædictorum annorum numerus necdum eſt completus. Romana verò Eccleſia ante inchoatum ſchiſma pluſquam ſeptingentis annis per azyma conficiebat Sacratiſſimam Theleten. Alexander enim Romanus Pontifex, qui ſub Adriano vitam glorioſo Martyrio finivit, Hoſtiam Romanæ Eccleſiæ de azymo ſtatuit. Poſt quem non paucos Romanos Pontifices Deus virtute, & Martyrio, & Miraculis glorificavit, ut utræque partes in Sanctis eos connumerent.* Circa Alexandri factum conſonat in Libro de Canonum obſervantiâ Radulphus

Lib. 2. c. 40.

Cap. 23. Decanus Eccleſiæ Tongrenſis: *Alexander Papa præcepit, ut oblatio ex azymo fieret in parva quantitate.* In Libro de expreſſo Dei Verbo exponit Dominus Cardinalis Staniſlaus Hoſius: *Sed nec illud ignoramus, quod in azymo Pane Sacramentum Euchariſtiæ Chriſtus confecit, qui ritus ali-*
Fol. 57. *quamdiu etiam fuit obſervatus in Eccleſia. Et obſervatur nunc quoque. Simul autem ut exorti fuerant Ebionitæ, qui Legalia ſimul cum Evangelio ſervari debere contendebant, quam etiam ob cauſam in fermentato Pane Sacramentum iſtud confici poſſe negabant, quod omnis oblatio, quæ offertur Domino, juxtà Legem abſque fermento eſſe debeat, contrarium eſt conſtitutum, nimirùm ut in fermentato Pane conficeretur Euchariſtia, cum natura tamen ſua ſit indifferens, nec referre quidquam videatur, in azymo conficias, an in fermentato. Poſt-*

*quàm verò ceſſavit Ebionitarum hæreſis, ad intermiſſum in azymo conſecrandi morem Latina Eccleſia ſibi redeundum putavit.* Hunc reditum aliqui ab Alexandro, aliqui decretum exiſtimant à Sancto Sylveſtro. Inchoaſſe poſſit Alexander, Sylveſter innovaſſe ac firmaſſe. Dominus Cardinalis iſta accepit à Doctore Angelico in Commentariis ad quartum Librum Petri Lombardi.

Fateor iſtam fermenti & azymi mutationem nullo fulciri antiquo teſtimonio. Attamen non caret omni fundamento. Nam & ad Aquileiæ Epiſcopum ſcripſit Petrus Antiochiæ Patriarcha: *Quod ſi etiam dictorum vim moleſtè fertis, & contentioſiùs obnitimini, dicentes accepiſſe à ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo azymi traditionem, hoc quoque concedemus veſtræ Fraternitati, & Deo favente oſtendemus quædam ab Apoſtolis tradita, aut à Patribus aut ab illis ipſis poſtmodum fuiſſe correcta, ac in id quod magis pium videretur mutata, tanquàm fide in Chriſtum jam confirmata, ac Eccleſiâ per Dei gratiam roborata ac dilatata. Nam & Sabbatum perindè atque Dominicam Diem juſſi ſumus honorare atque ſervare, nihilque operis in eis facere: Nec tamen id modò obſervatur. Sed & Petrus accedentes ex gentibus ad inculpatam Chriſtianorum Fidem, primùm circumcidebat, ſicque demùm baptizabat.* Fatetur azymum non tantùm à Chriſto Domino, ſed etiam à ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo uſitatum, ac traditum Latinæ Eccleſiæ, verùm non uti perpetuum Chriſtianitatis ritum, ſed tanquàm adhuc honorandas mortuorum Legalium reliquias, cum gratiâ proſcribendas ſuo tempore ac ſepeliendas. Quæ azymi temporanea ſepultura omninò poſſit propter Ebionem, quod ipſum non Evangelicâ libertate, ſed legali ſervitute uſitandum vellet, contigiſſe. Et hoc inſinuat ſanctus Epiphanius, ſcribens de Ebionitis: *Ex Chriſtianorum & Eccleſiæ imitatione myſteria quædam quotannis celebrant, in quibus panes azymos, & alteram myſterii partem adhibent meram aquam.* An azymi panis uſum Epiphanius improbet, non liquet. Si improbet, non improbat niſi uſum Judaicum. Et hac de cauſa poſſit ipſum omnis tunc Eccleſia deſeruiſſe. Quidquid ſit, hæc omnia evincunt azymi uſum apud Latinos eſſe antiquiſſimum. Lib. 30. Cap. 16.

# CAPUT VIII.

## *Exponuntur aliæ de Azymo Lites.*

MIchaël Cerularius nequaquam fuit primus de azymo contra Latinos Litigator. Etenim hac de re ſcribit Nicetas Pectoratus: *Si traditum vobis fuit ab Apoſtolis comedere azyma, quomodo Agathon Sanctiſſimus Papa veſter, Præſeſſor cum eſſet Sextæ Synodi ſub Conſtantino Imperatore, & Divinus Gregorius Agrigentinorum Epiſcopus non obſtitêre, cum hujus Synodi Divini Patres adverſus azyma legem conſtituiſſent, à nemine fidelium hoc fieri?* Laudat undecimum Trullanum Canonem: *Nemo eorum, qui in Sacerdotali ordine enumerantur, vel Laïcus, Iudæorum azyma comedat.* Affirmat noſtri Sacrificii azyma de Judaïco contagio per iſtum Canonem damnari. Demonſtrare hoc conatur in Canonis commentario Theodorus Balſamon: *Non dicat quiſpiam, quod illa azyma vetiti ſint comedere quæ dantur ab Hæreticis, non autem Sacrificium facere per azyma, vel abſolutè comedere azyma, quoniam nos quoque diverſo modo azyma comedimus quæ dicuntur* λειτάνα βόζα. *Audiet enim quod non azyma comedere ſit prohibitum, ſed per azyma more Iudaïco Feſta celebrare. Quod eſt majus Feſtum incruento Sacrificio, quod Dominus noſter* JESUS-CHRISTUS *tradidit tempore mortis ſuæ & Feſti Paſchalis? Quia autem ſanctis Patribus ne in mentem quidem venit nos per azyma celebraturos, ex eo clarum eſt, quod omne Feſtum Iudaïcum aboleverint.* Cum Niceta Pectorato non plenè convenit. Affirmat noſtrum in azymo Sacrificium iſtius Synodi Epiſcopis nec veniſſe in mentem, ideoque nec fuiſſe directè damnatum. Affirmat ab illis damnari omnem cum Judaïcis Feſtis ac ritibus communionem, ideoque & Latini Sacrificii azyma: *Verum per ſolam conſequentiam.*

Reſpondeo à Niceta Pectorato ſextam Synodum cum Trullana imperitiſſimè confundi. Et quis unquam audivit Trullanæ Synodo præſediſſe Agathonem Pontificem, aut Gregorium Agrigentinum Epiſcopum interfuiſſe? Et Romani Sacrificii azyma nullo pacto improbavit iſta Synodus. Abſit ut ipſum de Judaico contagio damnarit. Varios Armeniorum ritus damnavit de iſto contagio, & tamen ipſorum azyma nec verbo uno tetigit: Quod nempè ipſum accepiſſent à Romana Eccleſia, & Chriſtianâ in Romanum morem libertate uſurparent. Fateor tamen in ſextâ Synodo fuiſſe à Latinis & Græcis diſputatum de azymo & fermento. Diſputationem, quam Actis ſuis non inſeruit laudata Synodus, ex Romanis Archivis produxit adversùs præfatum

Ni-

Nicetam Cardinalis Humbertus. Synodalia de fide adverſùm Monothelitas Acta exponit compendio, & proſequitur: *Tanta gratia Legatos Apoſtolicæ Pacis comitata eſt, ut Joannes Portuenſis Epiſcopus, qui erat unus ex ipſis, Dominicâ octavæ Paſchæ Miſſas publicas in Eccleſia ſanctæ Sophiæ coram Principe & Epiſcopo ipſius Vrbis Latinè celebraret.* Celebravit in azymo, atque hinc factum videtur quod Humbertus ſubdit. *Tunc piiſſimus Princeps Conſtantinus interrogavit Legatos, qualiter Romana Eccleſia de Sacrificio Corporis & Sanguinis Domini noſtri* Jesu-Christi *ordinem teneret. Illi reſponderunt: In Calice Domini non ſolet ſolùm offerri Vinum, ſed Aqua mixtum. Nam ſi ſolùm Vinum offertur, Sanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis. Et ſi aqua pura offertur, ſola plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Quando utrumque admiſcetur, id eſt, Vinum & Aqua, tunc Sacramentum ſpiritale perſititur. Oblatio verò, quæ in Sacrificio Altaris offertur, nullam commixtionem aut corruptionem fermenti debet habere, ſicut Beata Virgo Maria abſque omni corruptione Chriſtum concepit & peperit. Hinc in Eccleſia mos obtinuit, ut Sacrificium Altaris, non in ſerico aut panno tincto, ſed in lino terreno celebretur, ſicut Corpus Domini fuit in Syndone munda ſepultum. Sic & munda debet eſſe à fermento, juxtà quod in Geſtis Pontificalibus à beato Sylveſtro legimus eſſe ſtatutum. Tunc placuit piiſſimo Principi Conſtantino hæc traditio Apoſtolicæ Sedis.* Placuit & Græcorum Epiſcopis. Et hæc eſt ratio, cur eidem ipſi in Trullana poſtmodùm Synodo adunati dàmnarint in ſolo Vino offerentes Armenios, & de damnando aut notando Latinorum azymo ne vel ſomniarint. Hinc nec ſomniavit Photius. Eandem rem refert Græcus Monachus Hilarion: *Vbinam eorum ſomnia, quæ dicunt in ſexta Synodo, celebrata Imperatore Conſtantino, Agathonem Papam, & Gregorium Agrigentinenſem Epiſcopum lege ſancire adverſùs azyma, ut ne quis deinceps Fidelium utatur? Ex quo enim Latini cœperunt ſacrificare in azymis, nunquam receſſerunt ab eo ritu. Quin verò, quod ſpectat ad ſextam Synodum, legi Patres poſt reprobatam hæreſim Monothelitarum in Octava Paſchæ, in Vrbe Conſtantinopoli, ac Templo ſanctæ Sophiæ, gratias Deo agentes, celebraſſe latinè, Græcis omnibus laudantibus modum Sacrificii ritu latino.*

Quæſtio eſt, an ſub magno Gregorio Romana Eccleſia obtulerit in fermento? Affirmat Georgius Metropolita Corcyrenſium. Etenim in Diatriba de claris Georgiis Leo Allatius memorat ejus commentarium de ſancta Communione, in quo ex ipſis Scripturis demonſtratur, aut certè demonſtrari tentatur, *Panem fermentatum fuiſſe traditum ab Apoſtolis ad oblationem, quemadmodum ad tempora ſancti Gregorii cognomento Dialogi in Romana Eccleſia offerebatur.* Conſonat in Libro de Miſſa & Templo Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis: *Sanctus Gre-*

Digitized by Google

*Gregorius*, *Auctor ille Dialogorum*, *cum fermentato Sacrificium offerri teſtatur*. Quod ipſum vult Jacobus Sirmondus. Sacras ſanctæ Radegundis in Gallia oblationes affirmat fuiſſe è communi pane, & pergit: *Romæ verò veſana illa Matrona occurrit*, *quam in ſancti Gregorii Vita narrat Ioannes Diaconus interrogatam cur riſiſſet*, *Gregorio reſpondiſſe*, *quia panem*, *quem propriis manibus me feciſſe cognoveram*, *tu Corpus Dominicum perhibebas. Vtraque videlicet uſitati panis oblationes parabat*, *atque hanc Romæ & in Gallia fuiſſe conſuetudinem utraque confirmabat*. Reſpondeo hæc inſigniter refutari à Gennadio ſecundo Patriarcha Conſtantinopolitano: *Nunc demonſtrabitur*, *quo pacto Romana Eccleſia azymum*, *& Orientalis Eccleſia fermentatum conficit*, *per Gregorium Dialogum*, *Virum ſanctiſſimum*, *qui ante Eccleſiarum ſchiſmata vixit*, *cujus commemorationem noſtra etiam Eccleſia unoquoque anno cum laude facit. Hic enim optimè cauſas reddit azymi & fermentati*, *traditque Occidentalem Eccleſiam azymum*, *Orientalem antiquitùs in uſu habuiſſe fermentatum*, *bonâque & laudabili ratione utramque ad id efficiendum fuiſſe permotam. Scribit enim: Solet multos perturbare*, *quamobrem quidam in Eccleſia panes azymos*, *quidam offerunt fermentatos. Romana Eccleſia offert azymos panes*, *proptereà quod Dominus ſine ulla commixtione ſuſcepit Carnem*, *ſed cateræ Eccleſiæ offerunt fermentatum*, *pro eo quod Verbum Patris indutum eſt Carne*, *& eſt verus Deus & verus Homo. Item: Et fermentum commiſcetur farinæ*, *& efficitur Corpus Domini noſtri* JESU-CHRISTI *vivi. Sed ſive in azymo*, *ſive in fermento conficiatur*, *Domini Corpus & Salvatoris noſtri ſumimus. Audite quomodò magnus hic Pater nullum inter azymum & fermentatum judicat eſſe diſcrimen*. Et ad Haytonem ex ſuo nuper Rege Cœnobitam ſcribit Gregorius Siſenſis Patriarcha Armeniorum: *Nos à ſancta Romana Eccleſia acceptum habemus azymum*, *Mitram Epiſcopalem*, *& modum ſignandi Cruce*. Armenii non cum Græcis à dextro in ſiniſtrum, ſed cum Latinis à ſiniſtro in dextrum pectoris latus ductâ manu formant ſignum Crucis. Quos omnes mores à magno Gregorio admiſerunt. Procurarat hæc Domitianus Melitinenſis Epiſcopus, ſecundæ Armeniæ Metropolita, Imperatoris Mauritii Cognatus, Gregorio amiciſſimus. Quocircà conſtat Romanam ſub Gregorio Eccleſiam non in fermentato, ſed omninò obtuliſſe in azymo. Item conſtat de hac ritus differentia tunc aliquid fuiſſe controverſiæ. Quare non primam de ipſa quæſtionem fecit Michaël Cerularius, ſed primum ſchiſma.

Jacobi Sirmondi argumentum non pro ſola Romana & Gallicana, ſed pro omni Latina concludit Eccleſia. In omni enim olim Eccleſia per Sacerdotem conſecranda, & à ſe tunc ſumenda elementa offerebat po-

populus, cujus moris lucida teſtimonia etiam nunc hodie ſuperſunt in Romano Miſſali. Dicit enim illic Sacerdos: *Orate, Fratres, ut meum ac veſtrum Sacrificium fiat acceptabile.* Et in Canone: *Memento Domine Famulorum, Famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium Laudis.* Et iterum: *Hanc oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ Familiæ tuæ.* Et in Secreta Paſchali: *Suſcipe Domine preces populi tui cum oblationibus Hoſtiarum.* Et in alia Secreta: *Quod ſinguli obtulerunt.* Obtulerant enim Panem & Vinum. Et pergit de illis Jacobus Sirmondus: *Quo argumento clariùs doceri poterat Latinos tunc azymis in Altari uſos non eſſe, quàm undè conſtat oblatum à populo Panem conſecraſſe, quem minimè dubium eſt uſitatum ſibi ac fermento de more temperatum obtuliſſe?* Et hoc eſt ejus palmare fundamentum.

Reſpondeo nullius eſſe firmitatis. Faciebat enim olim Latinus Populus, quod ipſe à ſe viſum affirmat in Armoricis: *Nunc ſi quando in Miſſa Panis offertur, ideò non conſecratur, quia azymus non eſt, & ſola apud nos hodie azyma conſecrantur. Quod ſi azymus offerretur, conſecrari fas eſſet. Vidimus aliquando ipſi, non injucundo ſpectaculo, in Armoricis apud Leonices, antiqui moris imaginem referentes Matronas aliquot, quæ die Feſto communicaturæ cum in Dominicum veniſſent, adſtantique ad Altare Miſſam celebraturo Sacerdoti ſuam ſingulæ Oblatam, ſed puram & azymam, vel domo allatam, vel è Sacrario petitam obtuliſſent, ubi peracta conſecratione ad Communionem ventum eſt, ita omnes communicarunt, ut mutatas inter ſe Hoſtias participarent, nec culpari ulla poſſet, ſi de alterius, ut loquitur Cyprianus, Sacrificio ſumeret, cum ſuam ipſa viciſſim alteri concederet.* Quantâ curâ atque munditiâ ſuam olim Oblatam pararet fidelis Populus, docet decima ſexta Toletana Synodus, mandans ipſam *ſtudio parari.* Ut per cumprovinciales Eccleſias fiant ad formam Metropolitanæ Eccleſiæ, mandat quinta Synodus Arelatenſis. Sui temporis morem inſigniter exponit Cardinalis Humbertus: *Quod calumniamini azyma deorſùm terræ conjuncta, non negamus vulgò hæc eadem ſic parari, lapidibus aut argillâ ſuperpoſitâ, aut ſicut dicitis, terræ conjuncta. Verum hæc ad communes uſus hominum, & cæterorum animalium tranſeunt. Nam ad magnam Chriſti menſam non accedunt, ſed illud ſolum quod Diaconi cum Subdiaconis, ſeu ipſi Sacerdotes ſacris amicti Veſtibus, cum melodiâ Pſalmorum, conſperſum & in ferro paratum, ex Secretario proferunt.* Et iterùm: *Romana & Occidentalis Eccleſia à Miniſtris ſacri Altaris in Secretario confectum offert azymum.* Azyma noſtra nihil diſtare à lapide, & tanquàm lateres coqui dixerat Michaël Cerularius. Et ad hanc calumniam Humbertus fatetur id verum de profanis, non de ſacris azymis, affirmans non in terra, ſed in ferro, nec à Laïcis parari

 in

in ſuis domibus, ſed à ſolis Clericis in Secretariis Eccleſiarum. Media ſæcula voluerunt Oblatas eſſe non tantùm ejuſdem materiæ, ſed & ejuſdem formæ. Hinc ipſarum paraturam in ſolos Clericos tranſtulerunt. Avitam de ipſis curam latiùs expoſui ad Trullanos Canones, & exponam ad Dictatum ſeptimi Gregorii. Et hæc omnia evincunt ipſas non uſualem fuiſſe panem, ſed penitùs ſingularem.

Aliud Jacobi Sirmondi argumentùm deſumitur ex ſexto Canone decimi ſexti Toletani Concilii: *Ad conventus noſtri agnitionem delatum eſt, quod in quibuſdam Hiſpaniarum partibus quidam Sacerdotum, non panes mundos & ſtudio præparatos, ſuprà Menſam Domini in Sacrificio offerunt, ſed de panibus ſuis uſibus præparatis cruſtulam in rotonditatem auferant, eamque ſuper Altare cum Vino & Aqua pro ſacro Libamine offerant. Quod factum nequaquam ex ſacræ auctoritatis Hiſtoria geſtum perpenditur. Undè id unanimitatis noſtræ delegit Conventus, ut non aliter panis in Altari Domini Sacerdotali Benedictione ſanctificandus proponatur, niſi integer & nitidus, qui ex ſtudio fuerit præparatus. Nec grande aliquid, ſed modica tantùm oblata, ſecundùm quod Eccleſiaſtica conſuetudo retentat.* Jacobus Sirmondus Canonem commentatur in hunc modum: *Quid hoc tandem eſt quod Concilii hujus Antiſtites in his Sacerdotibus reprehendunt? An quod azymum panem non conſecrarent? Minimè gentium. Atqui hoc ante omnia redargui oportuit, ſi azyma requirebatur, quia panes ipſorum uſui præparati, quos immolabant, azymi non erant, ſed fermentati. Quo ergò nomine reprehendunt? Quia panes hi, quibus utebantur, nitidi non erant, nec ſtudio in eam rem parati, quod conſuetudo poſcebat.* Anno Domini ſexcenteſimo nonageſimo tertio fuit celebrata iſta Synodus, ideòque Latinam Eccleſiam eo uſque abſtinuiſſe ab azymo Scriptor iſte exiſtimat. Reſpondeo longè aliud ſentire beatum Alcuinum Flaccum in Epiſtola ad Fratres Lugdunenſes. Affirmat *Hiſpaniam, quæ olim Tyrannorum fuit nutrix, tunc fuiſſe nutricem Schiſmaticorum contra univerſalem Sanctæ Dei Eccleſiæ conſuetudinem.* Et adducit rationes. Primò, quod Chriſtum Dominum doceret aſſumptæ Humanitatis causâ eſſe adoptivum Dei Patris Filium. Secundò, quod Conſtantinopolitano Symbolo adderet vocem, *Filioque.* Tertiò, quod Chriſtianæ regenerationis Baptiſma cenſeret unica merſione complendum. Quarta ratio eſt hæc: *Audimus quoque aliquos in illis partibus affirmare ſalem eſſe in Sacrificium Corporis Chriſti mittendum.* Nec tacet erroris fundamentum: *Hujus Sectæ Auctores dicunt aquam & ſalem eſſe ejuſdem naturæ.* Azymum Latinæ Euchariſtiæ panem ex ſola farina & aqua coquendum aſſerit cum omni Latina Eccleſia Alcuinus, & ab iſto principio Hiſpani Errones non ſunt auſi deviare. Hinc dixerunt ſalem eſſe

Epiſt. 69.

aquam,

Digitized by Google

aquam, ſeuejuſdem cum aquâ naturæ. Verùm pergit Alcuinus: *Quam conſuetudinem nec univerſalis obſervat Eccleſia, nec Romana cuſtodit auctoritas.* Et iterùm: *Panis qui in Corpus Chriſti conſecratur, abſque fermento alicujus alterius infectionis debet eſſe mundiſſimus. Ex aqua & farina ſit panis, qui conſecratur in Corpus Chriſti.* Et pergit: *Novas Hiſpanici erroris Sectas totâ vobis cavete intentione. Sanctorum Patrum ſequimini Veſtigia, & univerſali Eccleſiæ ſanctiſſimâ vos adjungite unanimitate.* In Euchariſtico pane aliud eſt ſal, aliud fermentum. Hinc enim inter ſuæ gentis errores Armeniorum Patriarcha Iſaac ponit hos diſtinctos articulos: *Armenii azymum, mortuam Hoſtiam, impudenti facie in conſpectu Dei juxta Hebræorum traditionem ſiſtunt. Panem abſque ſale habent, nec audiunt Dominum dicentem Diſcipulis, Vos eſtis ſal terræ.* Etiam incognitus, qui ſe Joannem Damaſcenum vult videri, de azymis Auctor ſcribit contra Armenios: *Armenii maſſam mortuam manducantes, gloriantur ac nobis dicunt; Non ſicut vos, ſale & fermento & aquâ farinam ſubigimus, ſicque oblationem fermentati facimus, ſed aquâ ſolâ & farinâ, & igne azymum conficimus.* Cur Græci non ſolùm fermentatum, ſed & ſalem ſuo pani admiſceant, exponit in Litteris ad Aquileiæ Epiſcopum Petrus Patriarcha Antiochenus: *Qui percipiunt azyma, periculum eſt ne errore in Apollinarii incidant hæreſim. Ille enim præſumpſit dicere, accepiſſe Dei Filium ac Verbum ex Sacrâ Virgine Corpus animâ ac mente deſtitutum, ſatis inquiens eſſe Deitatem loco animæ ac mentis. Planè etiam qui offerunt azyma, carnem mortuam, & non vivam offerunt. Si quidem enim præjacens fermentum animæ loco efficitur, ſalque loco mentis. Azymum iis carens non revera inanime eſt atque mortuum, quodque mortuum deceat? Quippe Dominus noſter* Jesus-Christus, *qui eſſet perfectus Deus ac Homo perfectus, natura duplex, non hypoſtaſi, cum corpus animâ ac mente præditum ex ſancta ſemper Virgine aſſumpſiſſet, meritò perfecti panis Symbolo tradidit novi Teſtamenti myſterium.* Ex quibus inſigniter firmatur noſtra aſſertio, quæ cenſet fermento non animationis, ſed ſolius ſignificationis vitam à Græcis fuiſſe adſcriptam. Porrò Hiſpani non fermentum, ſed ſolum ſalem videntur miſcuiſſe Euchariſtico pani. Et tamen Alcuinus appellat ſchiſmaticos, auctores monſtrorum, ac paternæ atque univerſalis diſciplinæ prævaricatores. Exiſtimo damnatos à ſexta decima Toletana Synodo Presbyteros non obediiſſe, & converſationis lapſum firmaſſe in errorem prædicationis, atque Græcizaſſe. Sanctus Hildephonſus Toletanus Archiëpiſcopus fertur ſcripſiſſe opuſculum de Oblatis, & illic azymi uſum inſigniter defendere. Latet iſtud: Quandoque vulgatum poterit nos plura docere. Quidquid ſit, fuit ille ſolius Hiſpaniæ lapſus & error, quem Jacobus Sir-

 mon-

Digitized by Google

mondus peſſimè tranſſcribit in omnem Latinam Eccleſiam. Longa & nimia cum Arabibus commixtio poſſit Hiſpanos circumſcripſiſſe, poſteà tamen fuerunt correcti. Nam quod & Africæ & Hiſpaniæ Mozarabes cum Romana Eccleſia in azymo ſacrificarent ſuo tempore, in Orientalis Eccleſiæ Hiſtoria diſertè affirmat Jacobus Cardinalis de Vitriaco. Et hæc eſt tertia de azymo antiqualis. Verùm inter ſolos Latinos.

Cap. 11.

# CAPUT IX.

## *Exponitur aliud argumentum.*

QUod Romana ac omnis Latina Eccleſia olim in fermento ſacrificarit, ſuadere videtur Liber Pontificalis, ſcribens de ſancto Papa Melchiade: *Hic fecit ut Oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Et de Siricio Pontifice: *Hic conſtituit ut nullus Presbyter Miſſas celebraret per omnem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum, quod nominatur fermentum.* Et ad Decentium Eugubinum Epiſcopum ſcribit ſanctus Innocentius primus. *De fermento, quod Die Dominico per titulos mittimus, ſuperfluè nos conſulere voluiſti, cum omnes Eccleſiæ noſtræ intrà Civitatem ſint conſtitutæ. Quarum Presbyteri, quia die ipſa propter Plebem ſibi creditam nobiſcum convenire non poſſunt, idcircò fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut ſe à noſtrâ Communione, maximè illâ die, non judicent ſeparatos. Quod per Parochias fieri debere non puto. Quia non longè portanda ſunt Sacramenta. Nec nos per Cœmeteria diverſa conſtitutis Presbyteris deſtinamus. Et Presbyteri eorum conficiendorum jus habent atque licentiam.* Et circà hoc fermentum ſunt variæ quæſtiones.

Cap. 5.

Prima quæſtio eſt, Quis fuerit ejus tranſmittendi ſcopus? Reſpondeo ſcopum eſſe nobis jam dictum à ſancto Innocentio: *Ut ſe à noſtrâ Communione, præſertim illâ die, non judicent ſeparatos.* Eccleſia, juxtà ſanctum Martyrem Ignatium, non eſt aliud, quàm populus Epiſcopo adunatus. Epiſcopus Chriſtum Dominum, aut etiam Deum Patrem repræſentat, ideòque ab illo per laceratam Communionem diſſociari eſt exordium atque imago illius tremendæ ſeparationis, qua Ventilator & Paſtor in magno illo die paleas à tritico, & hædos ab agnis ſeparabit in ignem æternum. Quæ diſſociatio præſertim cavenda eſt in noſtra Eccleſiaſtica ante Divinam Majeſtatem Apparitura. Cavenda illic eſt omnis paraſynagoga & Altarium diviſio. Et hinc nobilibus

ſibus Pagorum Domicellis, ut præcipuas anni Feſtivitates, non in ſua Parochia apud ejus Presbyterum, ſed apud ſuum Epiſcopum agant in Cathedrali Civitatis Eccleſia, rigidè mandant Gallicanæ Synodi: Agathenſis, prima Aurelianenſis, Epaonenſis, Aruernenſis, & prima Matiſconenſis. Unitas eſt Eccleſiæ adeò neceſſaria, ut ipſum tanquàm fundamentalem articulum & in Niceno ſeu Conſtantinopolitano, & in Apoſtolico Symbolo quotidiè profiteamur. Eccleſia eſt illius adeò amans, ut tota ſub uno Epiſcopo & ad unum Altare adorare velit, atque ita ad inſtar ſuæ cæleſtis Sororis ſuas ſynaxes ſeu Apparituras celebrare. Verùm quia per omnes mundi plagas diffuſa eſt, & multiplicata ſuprà numerum, iſtud eſt impoſſibile, dividi debuit in varias Claſſes ſeu Diœceſes, quibus tamen præeſſet unicus ſeu Epiſcopus ſeu Presbyter, atque ita quiſque ſub ſuo populus ſupernæ Civitatis unitatem repræſentaret. Ex eodem principio plures olim Civitates non habuerunt niſi Baſilicam unicam & unicum Altare: Quo ejus omnis Epiſcopo adunatus Populus Domino Deo in dies appareret. Quin & pluribus Epiſcopalibus Diœceſibus nullas aliquando fuiſſe ruſticanas Baſilicas aut Aras, faciliter poſſit demonſtrari. Et hinc Donatiſtas, quod ob ſuum ſchiſma ſecundam in ſuis Civitatibus exſtruxiſſent Baſilicam, uti de perniciociſſimo opere arguit ſanctus Optatus Epiſcopus Milevitanus. Sic enim Altare erexerant contra Altare, & Populum in diverſa Altaria ac Epiſcopos diviſerant. Hinc item Altare erigere contra Altare eſt phraſis, quâ antiqui Chriſtiani conſueverunt ſchiſma exprimere. Eâdem de cauſâ duos in eâdem Civitate Epiſcopos diſciplina noſtra fuit ſemper averſata. Numeroſa Chriſtiani populi multiplicatio tandem coëgit in eadem etiam Civitate multiplicari Baſilicas, & unam per Epiſcopum, alias regi per Presbyteros, atque ita populum dividi in diverſas Apparituras. Eandem ob unitatem antiquus Dei populus non habuit niſi unicum Altare & Templum, alibi ſacrificare aut apparere non potuit, & omnis ſimul junctus debuit in quovis anno ad iſtud apparere. Noſtra multitudo hoc non patitur: Hinc cunctos ſaltem Nobiles ac Honoratos cum ſuo, licet non Papâ aut Patriarchâ, ſaltem Epiſcopo apparere Domino Deo in præcipuis Feſtivitatibus, laudatæ Synodi juſſerunt. Quod ipſum ab omnibus Presbyteris, Diaconis, & Clericis, quos utique propriæ Eccleſiæ neceſſarium miniſterium non detinuerit, fieri mandat laudata Synodus Matiſconenſis. Et in ſancti Juonis Decreto habemus hunc Canonem: *Sacerdotes, qui in circuitu Vrbis ſunt, aut in eadem Vrbe, & populus in unum* Parte 2.
*ad publicam Miſſarum Celebrationem conveniant.* Et jure meritò. Etenim c. 119.

 uti

uti Apoſtoli à Chriſto Domino, aut ſancti Angeli à Divina Majeſtate numquam abfuerunt aut abſunt, ita & Clerici ab Epiſcopo, præſertim dum publicam Apparituram celebrat, nunquàm deberent diſgregari. Certè qui ob neceſſarium aliarum Baſilicarum miniſterium non poſſunt non diſgregari corpore, congregari debent ſpiritu & mente. Hinc ut illis pro Dominicis publicæ Apparituræ diebus mitteretur ab Epiſcopo Symbolicum Communionis fermentum, ſanxit Melchiades. Siricius voluit tantam eſſe ejus neceſſitatem, ut Presbyter, qui ipſum non accepiſſet in die Dominica, per omnem ſequentem ſeptimanam eſſet à Miſſarum celebratione ſuſpenſus. Quod diebus Dominicis mitteretur, diſertè affirmat ſanctus Innocentius.

Altera quæſtio eſt, An S. Melchiades hunc tranſmittendi fermenti morem primus inſtituerit? Reſpondeo negativè. Mos iſte eſt longè antiquior. Etenim de S. Romanæ Eccleſiæ Acolytho & Martyre Tharſitio ſcribit Romanum Martyrologium: *Romæ, via Appia, ſancti Tharſitii Acolythi, quem Pagani cum inveniſſent Corporis Domini Sacramenta portantem, cœperunt diſquirere quid gereret. Ille indignum judicans porcis prodere Margaritas, tamdiu ab illis mactatus eſt fuſtibus & lapidibus, donec exhalaret ſpiritum. Et revoluto ejus corpore ſacrilegi diſcuſſores nihil Sacramentorum Chriſti in manibus aut in veſtibus invenerunt.* Ut hæc Paganorum inſolentia intra Urbem fieret, urbica diſciplina non fuit paſſa. Facta fuit extrà portas circà Cœmeteria. Nempè Tharſitius ad horum Presbyteros deportabat ſacrum fermentum. Quod enim per Acolythos deportaretur, diſertè affirmat ſanctus Innocentius. Si conjecturandi detur facultas, dicam iſtud Martyrium fuiſſe cauſam, ex qua ſacrum fermentum deinceps ad ſolas Urbis Baſilicas, non foras ad Cœmeteria deferri ſtatuerint Romani Pontifices. Hoc ſacro plenæ cum ſuo Epiſcopo communionis Symbolo plus indigebant forenſes Presbyteri, quàm Civitatenſes: Utpotè remotiores ab oculis Epiſcopi, ideòque in lapſum faciliores. Quod igitur ipſum non longè portandum duxerit Romana Eccleſia, ſuaſit Tharſitii caſus, cui nec ſuos Acolythos nec ipſum Sacramentum paterna Pontificum providentia voluit ampliùs ſubjacere. Quidquid ſit de hoc puncto, iſtum deportandi ritum apud alias etiam gentes eſſe antiquiſſimum, ſuadet in ſecunda apologia ſanctus Martyr Juſtinus, Euchariſtiæ veritatem deſcribens inſigniter, atque adjungens: *Poſtquàm Præſidens gratiarum actionem complevit, qui apud nos vocantur Diaconi, diſtribuunt unicuique præſentium, in quo actæ ſunt gratiæ, panem, vinum & aquam, & ad abſentes perferunt.* Et infrà: *Diſtributio & Communicatio fit eorum, in quibus gratiæ ſunt actæ, cuique præſenti, abſentibus autem per*

*Diaco-*

*Diaconos mittitur.* Morem hunc eſſe non dumtaxat ſanctorum Apoſtolorum, ſed & ipſius Domini inſtitutum, tradit qui ſub Heraclii imperio floruit Georgius Metropolita Nicomedienſis. Affirmat Deiparam ſemper adhæſiſſe lateribus ſui Filii, ac pergit: *Deipara, nec cum celebrata ſunt myſteria, defuit. Non ita ut recubuerit cum duodecim, ſed ut ejuſdem cum eis tecti particeps fuerit. Ipſe quidem, quoniam feſtinabat Diſcipulis myſteria præbere, ſolos ſecum duodecim fecit recumbere, Matrem autem ſivit habere curam Mulierum, quæ miniſtrabant, ac eis præeſſe, ejuſque opera eas ſuo convivio viciſſim impartivit.* Utique Euchariſtico convivio. Lucidè affirmat Euchariſtiam à Domino fuiſſe Matri tranſmiſſam. Utique in plenæ Communionis Symbolum. Et ita locum iſtum intelligit etiam Franciſcus Combefis. Serm. 8.

Laudata Juſtini verba non de Symbolico ad ſubjectarum Baſilicarum Presbyteros fermento, ſed de tranſmiſſa ad abſentes fideles domeſtica Euchariſtia quidam intelligunt: Ad abſentes, quos perſecutio aut aliud impedimentum publico Dominicæ diei Sacrificio non ſinebat adeſſe. De hocce enim ſacrificio palàm agit Juſtinus. At certum eſt labi. Etenim utriusque ſpeciei tranſmiſſionem laudat Juſtinus: At verò Domeſtica Laïcorum Communio ſemper & ubique fuit ſub ſola ſpecie panis. Nullum, qui utramque ſpeciem domi ſervaret aut ſumeret, novi Laïcum, niſi Gorgoniam Nazianzeni Gregorii Germanam. Erat Virgo ſanctiſſima, paſſim infirma, ſancti Epiſcopi Soror, ſanctique Epiſcopi Filia: Hinc habuit ſingulare privilegium. Quare omninò ſuadeor Juſtinum loqui de tranſmiſſo ad Parochiales Presbyteros fermento. Eundem in ſenſum accipio ab Euſebii Cæſareenſis Eccleſiaſtica Hiſtoria laudatas ſancti Irenæi Lugdunenſis Epiſcopi Litteras ad ſanctum Pontificem Victorem. Laudant varium Eccleſiarum in celebranda Paſchali Feſtivitate morem, & addunt de anterioribus Romanorum Epiſcopis: *Licet ipſi hoc Feſtum eo die, quo Aſiæ Epiſcopi non obſervarint, nihilominùs tamen cum iſtarum Eccleſiarum Epiſcopis ad ſe accedentibus pacem & concordiam perpetuò tenuerunt, & illis Euchariſtiam miſerunt.* Quod nempè ante acceptum iſtud Communionis Symbolum nec cum Pontifice procedere in primaria Romanæ Eccleſiæ Apparitura poſſent advenæ Græcorum Epiſcopi, nec in aſſignatis ſibi Baſilicis Divina celebrare. Nempè lex, quæ Cardinales Presbyteros, etiam advenas Epiſcopos obſtringebat. Lib. 5. c. 24.

Hanc ergò fermenti tranſmiſſionem Papa Melchiades nequaquàm inſtituit, ſed labentem aut lapſam ſtabilivit dumtaxat aut revocavit. De Alexandrina Eccleſia ac ejus Presbytero Ario ſcribit ſanctus Epiphanius: Lib. 69. cap. 1.

Digitized by Google

nius: *Ferunt Arium ex Lybia oriundum Alexandriæ Presbyterum eſſe factum, qui tum Baucalenſis cujuſdam Eccleſiæ Præfecturam gerebat. Etenim quotquot Alexandriæ Catholicæ Communionis Eccleſiæ ſunt, uni Archiëpiſcopo ſubditæ, ſuus cuique præpoſitus eſt Presbyter, qui Eccleſiaſtica munera adminiſtrat iis qui circà Eccleſias illas habitant, eorumque Conventicula ab Alexandrinis vici ſeu lauræ vulgò nominantur.* Arium de devia prædicatione fuiſſe à Meletio Lycopolitano Epiſcopo accuſatum, & Alexandro Patriarchæ delatum ſcri-
Lib. 68. cap. 4. bit in alio loco, & adjungit: *Arius Baucalæ cujuſdam apud Alexandriam Eccleſiæ Presbyter erat. Nam unicuique Eccleſiæ, quæ tunc multæ erant, hodiè verò plures ſunt, ſuus attribuebatur Presbyter.* Uti Roma, ita & Alexandria, diviſa erat in plures Presbyterales titulos. Et quidem Arius Patriarchæ ſuo fuit adeò rebellis & contumax, ut opus fuerit hocce per
Lib 5. c 21. Socratem & Zozomenum relato remedio: *Alexandriæ non concionatur Presbyter. Qui mos eo tempore initium habuit, quo Arius Eccleſiam perturbavit.* Quod antea concionati fuerint Presbyteri, docet Pierius ejuſdem Eccleſiæ Presbyter, quem ſub Theona Patriarcha fuiſſe florentiſſi-
Cap. 76. mum Concionatorem ſcribit in Illuſtrium Virorum Catalogo ſanctus Hieronymus. Eadem Presbyterorum contumacia, aut ſimilis contuciæ pericula poſſint fuiſſe in aliis etiam Eccleſiis. Et iſtud remedium erat durum, ac ſubjectum incommodis. Hinc Melchiades iſtis ſeu malis ſeu periculis occurrere maluit per firmatum aut reſtitutum morem Symbolici fermenti. Erat medicina efficax. Nam ſine illo Parochialis Presbyter nec concionari poterat iſtâ Dominicâ, nec offerre, nec celebrare Collectam. Erat quaſi ab officio ſuſpenſus. Dico, *iſtâ Dominicâ*, Melchiades enim videtur pro ſola iſta die ſuſpendiſſe. Hinc enim, quod morbo aut periculo ſic non eſſet ſatis cautum, Siricius per totam ſubſequentem ſeptimanam ſuſpendit à Miſſis celebrandis.

Inſigniter hæc illuſtrant in exhibitis magno Imperatori Theodoſio precibus Fauſtinus & Marcellinus, Romanæ Eccleſiæ ſchiſmatici Presbyteri, agentes de perſecutione, quam Luciferianæ factioni movit ſanctus Papa Damaſus: *Eodem tempore gravis adversùm noſtros perſecutio inhorruerat, infeſtante Damaſo egregio Archiëpiſcopo, ita ut fidelibus Sacerdotibus per dies ſacros plebis cœtus ad deſerviendum Chriſto Deo convocare liberè non liceret. Sed quia pro conditione rerum quolibet tempore, vel clam noſtræ ſalutis Sacramenta facienda ſunt, ſanctus Presbyter Macarius dat vigilias in quadam domo convocare Fraternitatem, ut vel noctu divinis lectionibus fidem plebs ſancta roboraret. Sed Diabolus qui favet impiis, quia & impii favent Diabolo, nec in occulto patitur Divina Sacramenta celebrari. Denique tendunt inſidias Clerici Damaſi, & ubi cognoverunt quod ſacras Vigilias celebrat cum*

Digitized by Google

*tum plebe Preſbyter Macarius , irruunt cum Officialibus in iſtam domum , & plebem diſſipant non reſiſtentem , ipſumque Preſbyterum comprehenſum , non jam ducere dignantur , ſed per ſilices trahunt , ita ut in coxa ejus pernitioſum vulnus fieret. Atque alio die ſiſtunt eum ante Iudicem , ut magni criminis reum. Cui quidem Iudex veluti ſub Imperiali Reſcripto & minis extorquere contendit, ut cum Damaſo conveniat.* Veritatis limites excedit hæc ſchiſmatica narratio : Interim nos docet ſeveritatem, quâ Romani Pontifices celebrantem ſine accepto fermento Preſbyterum ſunt olim conſueti tractare.

Quæſtio tertia eſt, Quid ſint Romanæ Eccleſiæ Cœmeteria ? Reſpondeo exſtare inſignem ſancti Joannis Chryſoſtomi Homiliam *de appellatione Cœmeterii.* Habita fuit in Dominicæ Crucis ac Mortis memoria , ſeu in ſexta Feria ſancta. Porrò Dominus noſter extrà portam fuit crucifixus , ideòque & extrà Antiochiam in ſuburbano , & quidem non in aliqua Eccleſia , ſed in Cœmeterio celebrata fuit iſta memoria. *Extrà* , inquit laudatus Doctor , *hac de cauſa congregamur. At cujus gratia in hoc Martyrio , non in alio ? Etenim divino munere , quocumque ex latere Vrbs noſtra Sanctorum Reliquiis circumdatur. Cujus igitur gratia hic , non in alia Martyris alicujus Eccleſia nos convenire voluerunt Majores noſtri ? Quia hic mortuorum multitudo ſita eſt. Cum igitur hodiè Dominus ad mortuos deſcenderit , eâ de causâ hic colligimur. Ob id etiam locus ipſe nominatur Cœmeterium : Vt diſcas mortuos , & eos qui hic ſiti ſunt , non mortuos , ſed ſomno ſopitos eſſe ac dormire. Nam ante Chriſti adventum mors nomen mortis habebat , at poſtquàm Chriſtus venit & pro mundi vitâ mortem ſubiit , mors non ampliùs vocatur mors , ſed ſomnus & dormitio.* Hinc noſtra Defunctorum ſepulchralia loca appellantur Cœmeteria , ſeu dormitoria. Quod ipſum in Lib. 10.
gemma animæ advertit Honorius Auguſtodunenſis. Sunt longè anti- cap. 147.
quiſſima. Ipſa enim in libro adversùs Scapulam Africæ Proconſulem laudat Tertullianus : *Sub Hilariano Præſide Gentiles de Areis ſepulturarum noſtrarum acclamarunt , Areæ non ſint , Areæ ipſorum non fuerunt.* Illatas Cap. 3.
tunc noſtris Cœmeteriis injurias affirmat divinitus fuiſſe vindicatas. Vocem , *Cœmeterium* , factumque in ipſo miraculum laudat etiam in libro de anima. Sanctos Apoſtolorum Principes Petrum & Paulum , fuiſſe Cap. 51.
Romæ à Nerone Auguſto trucidatos ſcribit in Eccleſiaſtica Hiſtoria Euſebius Cæſareenſis , atque adjungit : *Inſignis ac teſtata Petri & Pauli inſcriptio , quæ in Cœmeteriis Romæ ad hoc uſque tempus manet , hujus rei geſtæ* Lib. 2.
*fidem facit.* In ſeptimo ejuſdem operis libro adducit hoc Æmiliani Au- cap. 24.
guſtalis Præfecti adversùs ſanctum Dionyſium Alexandriæ Patriarcham Edictum : *Omninò vel vobis vel aliis quibuſcumque poteſtas non erit aut cele-* C. 10.
*brandi conventus , aut in ea , quæ Cœmeteria appellantur , ingrediendi.* Et

infrà laudat Edictum, quo Imperator Gallienus loca illa, quæ nominabantur Cœmeteria, adeundi & occupandi fecit nobis integram poteſtatem. Quæ nempè anteceſſor Valerianus redegerat in Fiſcum. Et
Cap. 2. in nono libro ſcribit de Imperatore Jovio Maximino: *Nos conventu, qui in Cœmiteriis fieri ſolet, interdicere armatur.* Et de proſcripto per Imperatorem Conſtantium Pontifice Liberio habet antiqua ſancti Damaſi Vita: *Liberius habitavit extrà, milliario tertio, in Cœmiterio quod dicitur Noella, via Salaria.* Et infrà: *Non longè à Cœmiterio Noellæ eſt Cœmiterium Oſtrianum, ubi beatus Petrus baptiʒaverat.* Hanc vitam ex Romanis Vaticanæ Eccleſiæ Archivis deſcripſit Conſtantinus Cajetanus, vulgavit Martius Mileſius. Et de Anacleto Pontifice ſcribit liber Pontificalis: *Hic conſtituit loca, ubi Epiſcopi recondantur ſepulturæ.* Et de ſancto Fabiano: *Hic multas fabricas per Cœmiteria fieri præcepit.* Et de ſancto Dionyſio: *Hic Presbyteris diviſit Eccleſias & Cœmiteria.* Et de Symmacho Pontifice: *Hic fecit Cœmiterium Iordanorum in melius propter corpus Alexandri.* Pontificis ibidem ſepulti. Et de Joanne tertio: *Hic ampliavit ac reſtauravit Cœmiteria ſanctorum Martyrum. Hic conſtituit ut Oblationes & amulæ in eadem Cœmiteria per omnes Dominicas de Lateranis miniſtrarentur.* Oblationes conſecrandi panis & amulæ conſecrandi vini. Quo levaretur inops populus. Et de Bonifacio quarto habet idem Liber: *Hic perfecit ſancti Nicodemi Cœmiterium, & dedicavit.* Cœmeteria erant non Pagi aut Parochiales Pagorum Baſilicæ, ſed ſuburbanæ aut campeſtres ſine domibus areæ, in quibus primi cum ſuo Epiſcopo aut Presbytero Chriſtiani agebant divini Sacrificii ac Verbi Synaxes, & ſanctorum Martyrum ac aliorum fidelium cadavera ſepeliebant. Hinc in ipſis primum Cryptas, deindè domos, tandem Eccleſias aut Monaſteria Majores noſtri exſtruxerunt. Cur non Pagos, ſed areas elegerint, edicit in primo adversùs Celſum libro Origenes: *Primum criminationis caput Celſo eſt, à Chriſtianis clancularios conventus haberi ſolere, legibus vetitos.* Erat vera criminatio. Etenim quod perſecutionis tempore etiam Epiſcopi & Clerici conſueverint clandeſtinè conſecrari, profitetur, ac ex authenticis Martyrum Actis demonſtrat in edito poſt Car-
Cap. 14. thaginenſem Collationem libro ſanctus Auguſtinus. Hinc quo curioſos, à quibus omnia noſtra fuiſſe obſeſſa queritur in libro Apologetico Tertullianus, Gentilium Frumentarios laterent, non Civitates aut Pagos deſiderabant primævæ noſtræ Synaxes. Aliam rationem adducit in ſcripta ad Pammachium Conſtantinopolitanæ Urbis Præfectum Lege Imperator Gratianus: *Omnia, quæ ſuprà terram urnis clauſa vel ſarcofagis corpora detinentur, extrà urbem delata ponantur.* Exſtat Lex in

nono

Digitized by Google

nono Theodoſiani codicis libro ad titulum de ſepulchris violatis. Antiquum, qui intrà Civitates non admiſit cadavera, morem reparat ac firmat. Cujus moris Gentiles præſertim fuerunt tenaciſſimi. Hunc ergò ne violarent, etiam primi Fideles ſua Cœmeteria juſſerunt eſſe campeſtria aut ſuburbana. Urbani Cœmeterii prima mentio eſt apud Evagrium Epiphanienſem, qui circà Imperatoris Juſtiniani tempora affirmat Antiochiæ aliud extrà, aliud intrà Civitatem fuiſſe Cœmeterium. Porrò Romanorum Epiſcopus eſt variæ poteſtatis: Eſt almæ Urbis Epiſcopus, Provinciæ ſuæ Metropolita, Italiæ Primas, multarum Diœceſium Patriarcha, ac totius Chriſtianitatis Papa Oecumenicus. Hinc quo omnium Eccleſiarum ſollicitudini poſſet vigilantior intendere, Apoſtoli adſcripſerunt illi modicam Parochiam: Romanam dumtaxat Civitatem. Extrà muros nullam habet Parochialem Eccleſiam, ſed quædam dumtaxat Cœmeteria. Quæ forma Conſtantinopolitano, dum in invaſas trium Autocephalorum Primatum Diœceſes Patriarcham agere cœpit, Epiſcopo etiam placuit. Quod enim extrà muros nullam etiam Parochiam habeat, lucet ex machinis, quas adversùm Patriarchales Eccleſiarum ac Monaſteriorum exemptiones & Patriarcham Joannem Veccum movit Iſaac Archiëpiſcopus Epheſinus. Ipſas refert in ſexto ſuæ hiſtoriæ libro Georgius Pachymeres. Hinc ergò intellige hæc ſuperiùs memorata ſancti Innocentii ad Decentium verba: *Quod per Parochias fieri debere non puto. Quia non longè portanda ſunt Sacramenta. Nec nos per Cœmiteria diverſa conſtitutis Presbyteris deſtinamus.* Affirmat Symbolicum fermentum à Romanis Pontificibus nec per Parochias mitti, nec etiam per Cœmeteria. Quod nempè Romana Diœceſis nullas haberet forenſes Parochias, & omnia Cœmeteria eſſent extrà muros. Decentii relatio ſupponit laudatum fermentum à quibuſdam Epiſcopis fuiſſe omninò miſſum etiam ad Parochias. Et exiſtimo hunc morem olim fuiſſe univerſalem. Cur Romana Eccleſia illum mutaverit, non poſſim certus affirmare. Suprà dixi meum ſenſum.

Cap. 6.

Lib. 4. cap. 34.

C. 10. 11.

Quæſtio quarta eſt, An iſtud fermentum fuerit Euchariſtia? Dominus Cardinalis Cæſar Baronius negat. Affirmat fuiſſe ſimplicem Eulogiam: Quod Romana Eccleſia Euchariſtiam nunquàm confecerit in fermentato. Reſpondeo tamen fuiſſe Euchariſtiam. Nam quod Eccleſia olim Euchariſtiam in Catholicæ Communionis Symbolum tranſmiſerit, jam oſtendi ex ſancto Irenæo, ex ſancto Juſtino, ac per exemplum ſancti Tharſitii: Et confirmat in Lauſiaca hiſtoria Palladius Epiſcopus Helenopolitanus. Variam, quâ Ægyptii Monachi con-

conſueverunt ſeſe invicem hoſpitio ſuſcipere, charitatem exponit, &
C. 9. adjungit de ejus complemento: *Viris magnis mos eſt nihil carnis admittere,*
*priuſquàm ſpiritale alimentum animæ tradiderint. Hæc autem eſt Chriſti Com-*
*munio. Cum ejus ergò fuiſſent participes & egiſſent gratias, Or Abbas hortatus eſt ad menſam.* Uti Romani Pontifices advenis Epiſcopis, ita hi
Monachi advenis Collegis in fraternitatis teſſeram dabant hoc Sacra-
mentum. Et de duobus per Æginam in Cilicia Stylitis Monachis,
quomodò ſibi mutuò eundem in finem tranſmiſerint Euchariſtiam,
in Prato Spirituali refert ſanctus Sophronius Patriarcha Hieroſolymi-
Cap. 29. tanus. Et de noviter conſecratis Presbyteris ſtatuit antiquus Ordo Ro-
Fol. 97. manus: *Tollat Pontifex Oblatas integras, & det ſingulis Novitiis Presbyteris,*
*& indè communicent uſque dies octo.* Et de recens conſecratâ Virgine:
Fol. 161. *Poſtquàm communicavit, reſervet de ipſa Communione, undè uſque ad octavum*
*diem communicet.* Et de noviter conſecrato Epiſcopo ſcribit apud Alcui-
num Flaccum auctor de Eccleſiaſticis officiis: *Ad communicandum Ponti-*
*fex* Conſecrator *porrigit ei formatam atque ſacram oblationem. Quam accipiens*
*communicat ſuper Altare, catera verò reſervat ſibi ad communicandum uſque ad*
Fol. 113. *quadraginta dies.* Quod ipſum ſtatuit laudatus Ordo Romanus, addens
formatam illam atque ſacratam oblationem debere eſſe integram. Quod
ipſum habent plures, per Joannem Morinum in opere de ſacris Ordi-
nationibus adducti, antiqui Eccleſiarum libri Rituales. Idem ritus
ſervatus olim fuit in Moguntina Eccleſia: Verùm novellus Epiſco-
pus ex ſacrata oblata per ſolos triginta dies communicabat. Lucet ex
Rituali per laudatum Morinum adducto iſtius Eccleſiæ libro: *Cum*
*ventum fuerit ad communicandum, Electus communicabit de manu Epiſcopi,*
*accipiens Hoſtiam integram. Si quid reſiduum fuerit, ſervabit ſibi ad communi-*
*candum quotidiè per triginta dies.* Quod Gallicani Epiſcopi cunctis à ſe con-
ſecratis Presbyteris ſacratam pro quadraginta dierum Communione
Hoſtiam impartirent, affirmat in litteris ad Finardum, & datis rationi-
Epiſt. 2. bus probat ſanctus Fulbertus Epiſcopus Carnutenſis. De ordinato
noviter Presbytero habet etiam Græcorum Euchologium: *Accedit*
*Ordinatus, & Pontifex ſanctum Panem ei tradit, dicens, Accipe depoſitum*
*iſtud, & cuſtodi illud uſque ad adventum Domini noſtri* JESU-CHRISTI, *cum*
*à te repetetur.* Et infrà: *Cum dicturus es, Sancta Sanctis, tunc Ordinatus*
*panem ſanctum reſtituat.* In Chriſtianiſſimi Regis Bibliothecâ, ac in
Cryptæ ferratæ Monaſterio exſtans exemplar addit: *Et per ſeptem dies*
*continuos quotidiè celebrat.* Utique ex accepto ſacro Pane. An hic fuerit
Euchariſtia quidam dubitant: Nec ſine fundamentis. Quidquid ſit,
datas à Latinis Epiſcopis Formatas certùm eſt fuiſſe Euchariſticas. Hæc
enim

Digitized by Google

enim verba, *Formata & Sacrata Oblatio*, non patiuntur alium ſenſum. At verò iiſdem verbis utuntur & Melchiades & Syricius, atque adjungunt: *Ex conſecratu Epiſcopi.* Innocentius addit eſſe *Sacramenta non longè portanda.* Utique ob factum illis caſum in ſancto Tharſiſio. Et tam tranſmiſſi fermenti, quàm donatæ Formatæ ritus erant ejuſdem ſignificationis & effectus. Hæc legitimam legitimâ conſecratione datam miſſionem, illud liberam in Parochiali officio executionem, plenamque donantis aut mittentis cum accipienti Communionem teſtabantur, & toti populo annuntiabant. Nec enim poſſit ambigi, quin ſolemni ritu fermentum deferretur. Dabat *conficiendorum Sacramentorum jus atque licentiam.* Quocircà exiſtimo fuiſſe Euchariſtiam.

Verùm his obſtare videtur quartus decimus Canon Laodicenæ Synodi: *Quod Sancta, inſtar Eulogiarum, in Feſto Paſchæ ad alias Parochias tranſmitti non debeant.* Canonem Theodorus Balſamon commentatur hoc modo: *Quod fit hodiè à Latinis. In Feſto enim Paſchæ diſtribuunt Laicis azyma, poſtquàm ſanctificata fuerint, perindè ut communia. Hoc etiam olim fiebat à noſtris, ut eſt vero ſimile, in ſanctis Myſteriis. Canon ergò hoc prohibet, & ſtatuit non eſſe huc & illuc transferenda Sancta, perindè ut communia & vulgaria.* Affirmat non eſſe Euchariſtiam, ſed ſimplicem Eulogiam. Et quidem quod Latini Epiſcopi in Paſchali olim Feſto conſueverint ſibi mutuo Eulogiam tranſmittere, docet apud Marculphum quadrageſima ſecunda formula, cui eſt hæc Epigraphe: *Indiculus Epiſcopi, qui ad alium in Reſurrectione Domini Eulogias dirigit.* Iſtæ formulæ ſunt irrefragabile teſtimonium conſtantis Gallicanæ conſuetudinis. Eſſe inſigniter antiquam conſuetudinem docet ſancti Paulini Nolenſis Epiſcopi ad Sulpitium Severum Epiſtola: *Panem Campanum tibi de Cellula noſtra pro Eulogia miſimus.* Addit fuiſſe Siligineum. Etiam ad ſanctum Auguſtinum ſcribit: *Panem unum, quem unanimitatis indicio miſimus Charitati tuæ, rogamus accipiendo benedicas.* Et ad ſanctum Alypium Tagaſtenſem Epiſcopum: *Panem unum Sanctitati tuæ unitatis gratiâ miſimus, in quo etiam Trinitatis ſoliditas continetur. Hunc panem eſſe Eulogiam tu facies dignatione ſumendi.* In pane hoc contentam ſanctæ Trinitatis ſoliditatem exiſtimo eſſe tribus farinæ ſatis commixtum in Evangelio fermentum. Exiſtimo hunc panem, uti ſiligineum, ita fuiſſe & fermentatum. Pergit Paulinus ad nobilem Virum Romanianum: *Ne vacuum fraternæ humanitatis officium videretur, de buccellato Chriſtianæ expeditionis, in cujus procinctu quotidiè ad frugalitatis annonam militamus, panes quinque tibi pariter & filio noſtro Licentio miſimus.* Quid ſit Buccellatum ſeu Buccellatus panis, edicit apud Photii Bibliothecam Olympiodorus: *Buccellarii vocabulum,*

Epiſt. 1.

Epiſt. 30.

Epiſt. 36.

*Honorii Imperatoris temporibus, tributum militibus, non Romanis tantùm, ſed &*
Lib. 8. *Gothis quibuſdam.* Exponit ipſe Photius: *Panem ſiccum Scriptor hic buccellatum*
*vocari tradit, illuditque Militum cognomini, ut qui hinc Buccellarii ſint appel-*
Lib. 17. *lati.* Et Ammianus Marcellinus: *Conſtantius viginti dierum frumentum, ex eo quod erat in ſedibus conſumendum, ad uſus diuturnitatem excoctorum, Buccellatum ut vulgò vocant, humeris impoſuit lubentium Militum.* Erat enim panis levis & bis coctus, quem antiquæ Ægyptiorum Monachorum regulæ, ac ex ipſis Joannes Caſſianus videntur appellare paximacia. Fuiſſe expeditionis tempore datum Militibus affirmat in Theodoſiano codice Conſtantii Lex ad Elpidium Prætorio Præfectum. Ejus
Lib. 7. formam prodit in libro de Thematibus Conſtantinus Porphyrogeni-
tit. 4. tus: *Buccella panis dicitur in modum circuli factus.* Juxtà Romanos mores
cap. 6. etiam Evangeliſtæ frequenter loquuntur: Quare & ſanctus Joannes datam Judæ à Domino partem poſſit hoc ſenſu titulaſſe Buccellam. Quod ſi verum ſit, hodierna Latinæ Euchariſtiæ forma eſt valdè authentica atque antiqua. Quidquid ſit, Romanum morem reſpexit ſanctus Paulinus: Sacram Eulogiam appellavit Chriſtianæ expeditionis Buccellam. Eodem ritu uſum fuiſſe ſanctum Auguſtinum docet improperata per Petilianum Donatiſtarum Conſtantinenſem Epiſcopum calumnia: Quo ejus Epiſcopalem conſecrationem impediret quiſpiam
Lib. 3. calumniator, finxit quod neſcio cui Mulieri *ſub panis Eulogia* filtrum
cap. 16. miſcuiſſet. Et ad Juvenalem Hieroſolymæ Epiſcopum reſcripſit ma-
9. 72. gnus Leo: *Particulam Dominicæ Crucis cum Eulogiis Dilectionis veſtræ dignanter accepi.* Utique cum benedicti panis Eulogiis. An omnes hæ tranſmiſſiones fuerint factæ in Paſchali Feſtivitate, non poſſim affirmare. Interim lucet ipſas viguiſſe in omnibus Eccleſiis, & factas de fermentato pane, adeòque non fuiſſe Euchariſtiam. Per omnia conſonat Dominus Cardinalis Cæſar Baronius, cujus ſententiam compendio exponit Severinus Binius: *Paſchalibus diebus interdictum eſt Eulogiis communicare, quia eiſdem temporibus ad Euchariſticam Communionem ſumendam obligati erant.* Hinc à Melchiade & Siricio fermentum uterque ille Scriptor exiſtimat in Paſchali Feſto non fuiſſe tranſmiſſum.

Reſpondeo Laodicenſem Canonem omninò agere de Euchariſtia. Hoc evincit vox, *Sancta* Eſt antiquiſſimus ſacroſanctæ Euchariſtiæ titulus. Sic in libro de Spectaculis loquitur Tertullianus: *Quale eſt ex ore, quo* Amen *in Sanctum protuleris, gladiatori teſtimonium reddere?* Et in Sermone de Lapſis S. Cyprianus: *Cum quædam arcam ſuam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, inde igne ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere.* Et infrà: *Alius, quia & ipſe maculatus, Sacrificio à Sacerdote*

Digitized by Google

*cerdote celebrato, partem cum cæteris auſus eſt latenter accipere, Sanctum Domini edere & contrectare non potuit, cinerem ferre ſe apertis manibus invenit.* Et in libro de unitate Eccleſiæ; *Caro Chriſti & Sanctum Domini ejici foras non poteſt.* Quæ phraſis etiam apud Græcos fuit uſitatiſſima. Hinc enim apud illos communicaturo populo acclamabat Diaconus: *Sancta Sanctis.* Eâdem phraſi uſus eſt in litteris ad Innocentium primum Pontificem ſanctus Joannes Chryſoſtomus. Eſt phraſis deſumpta ex ſancti Archangeli Gabriëlis ad Deiparam verbis: *Quod naſcetur ex te Sanctum.* Aliud enim ſunt ſanctus Homo, ſanctus Angelus, ſanctus Panis, ſanctus locus, aut ſanctum tempus, aliud ipſum Sanctum: Cujus utique participatione ſanctificantur, quæcumque ſanctificantur. Hoc autem eſt ipſe Deus benedictus in ſæcula. Qui quia per perſonalem cum aſſumpto homine unionem eſt in Euchariſtia, hoc magnum ſuum nomen illi communicat. Ex eodem fonte illa ab antiquis vocata fuit, non bonus panis aut bonum vinum, ſed ipſum *Bonum*. Hinc & vulgarem in candenti ferro probationem poſteriores Græci titularunt *Sanctum*. Ita teſtatur Georgius Pachymeres. Quod nempè ipſa divina Juſtitia adeſſe illic crederetur & judicare. (Lib. 1. cap. 12.) Quocircà certum eſt Laodicenum Canonem loqui de iiſdem Sanctis. At cur ipſa vetat in Paſchali Feſto tranſmitti ad alias Eccleſias? Neſcio firmus aliquid affirmare. Donanda eſt conjecturandi facultas. Illata ſancto Tharſitio violentia poſſit & alibi eveniſſe. Hinc non Romàna ſolùm ac pleraque Latina, ſed etiam Græca Eccleſia deſiit Euchariſtiam ad forenſes Paræcias mittere, quædam tamen exceperunt Feſtivitatem Paſchalem. Laudabilem hanc Chriſtianæ inter Epiſcopum & populum Communionis teſſeram judicarunt in principali Chriſtianitatis Feſto non intermittendam. Verùm iſthæc etiam tranſmiſſio non carebat incommodis: Hinc & ipſam Synodus abſtulit ac interdixit. Quod in iſto Feſto Epiſcopi ſibi invicem Eulogiam mitterent, videtur non fuiſſe univerſale. Extrà Gallicanam Eccleſiam non reperio exemplum. Erat optima conſuetudo. Nec dubito, quin olim Euchariſtiam tranſmiſerit. Ita perſuadent adducta ſuperiùs exempla. Verùm & hic incommoda non defuerunt. Hinc poſterior diſciplina ſanxit tranſmitti ſolas Eulogias. Quod antiqua ſit iſta mutatio, ſuadent exempla ſancti Auguſtini & ſancti Paulini. Poſſit eſſe ſtatutum aut ſancti Melchiadis, aut alterius circà iſta tempora Pontificis. Nam qui Euchariſtiam deportari vetuit ad forenſes Parochias, multò magis vetuit mitti ad alias Cathedrales Eccleſias. Et ex hoc ſtatuto emanaſſe poſſit Canon Laodicenſis. Quidquid ſit, ad civitatenſes Parochias deportatio omninò permanſit.

Quinta

Quinta quæſtio eſt, An iſtud fermentum fuerit revera fermentum, adeóque Romana Eccleſia tunc in fermento confecerit Euchariſtiam, & conficiendam juſſerit? Reſpondeo non fuiſſe. Etenim Melchiades Pontifex non dicit fuiſſe fermentum, ſed illud quod aut quo *declaratur fermentum.* Et Papa Siricius: *Declaratum quod nominatur fermentum.* Exponit, & rectè, Jacobus Sirmondus: *Euchariſtiam hic conſtat fermentum ex eo dictam, non quod ex pane eſſet fermentato, ſed quod ipſa, quocumque ex pane fieret, Eccleſiis ad quas mitteretur, fermenti vicem præſtaret, eiſque unionis inter ſe vinculum eſſet, ſicut fermentum maſſæ, cui commiſcetur.* Omnes in Chriſto ſumus unus panis, & unum corpus: Uti farina partim per aquam, partim per fermentum in unum panem, ita nos per ſanctum JESU CHRISTI ſpiritum, ac ejus in cordibus noſtris diffuſiva, Euchariſtiam præſertim, Sacramenta cumpaginamur in unum corpus. Hinc Euchariſtia rectè aſſeritur declarare fermentum. Et quod ſimplex Eulogia ſemper fuerit ex fermento confecta, non eſt verum. Theodorus enim Balſamon affirmat nobis fuiſſe azymam. Nullus Canon illi imponit fermentum. Fuiſſe frequenter azymam demonſtrat Hincmari Rhemenſis Metropolitæ ad ſuos Parochianos Presbyteros Capitulare: *De oblatis quæ offeruntur à populo & conſecrationi ſuperſunt, vel de panibus, quos Fideles deferunt ad Eccleſiam, vel certè de ſuis Presbyter convenienter partes inciſas habeat, ut poſt Miſſarum ſolemnia, qui communicare non fuerint parati, Eulogias accipiant.* Quod Capitulum Namnetenſis Synodus admiſit in ſuum Canonem. Panes, quos Fideles deferebant tunc ad Eccleſiam, erant uſuales in eleëmoſynam Pauperum. Ejuſmodi erant & Presbyterorum domeſtici panes. Proindè & Hincmarus & laudata Synodus Eulogiam fieri permittunt, vel ex azymâ, Oblatâ vel ex fermento. Quod ipſum permittunt antiquæ conſtitutiones Cœnobii Cluniacenſis. Et de ſolemnium dierum Monachali Eulogia habet antiquus manuſcriptus Afflegemienſis Monaſterii Codex: *Offerunt ſinguli Religioſorum in Patena Hoſtiam, & aliquantùm vini. Vtrumque autem à Sacerdote cum Diacono & Subdiacono accipitur. Omnibus autem oblatis Hoſtiis, unam Sacerdos eligit, & ſeorſim ad conſecrandum ponit.* Omnes erant ejuſdem cum iſta ad Conſecrationem electa naturæ, ideòque azymæ. Quem modum fuiſſe etiam in Rhemenſi Eccleſia ſervatum affirmat Guilielmus Marlot. (Lib. 2. cap. 45.) Quocircà licet Melchiades ac Siricius loquerentur de ſimplici Eulogia, nequaquàm tamen ſancirent ipſam debere confici ex fermento. Hinc ſtudio dixerunt: *Quod declaratur*, aut *nominatur fermentum.*

Sexta quæſtio eſt, An tranſmiſſam ab Epiſcopo Euchariſtiam Parochialis

rochialis Preſbyter omni olim Dominicâ debuerit ſumere ? Et quandò ? Reſpondeo debuiſſe ſumere. Hic enim eſt unicus Euchariſtiæ uſus. Sumendæ tempus & modum ignoramus. De data novellis Preſbyteris ab Epiſcopo, & per quadraginta dies ſumenda Euchariſtia ſcribit ad Phinardum Preſbyterum ſanctus Fulbertus Carnutenſis Epiſcopus : *Quidam inter cæteros ad Sacerdotalem gradum admiſſus, Hoſtiam, ſicut alii, de manu Epiſcopi ſuſcepit, quam in pergameno, in hos uſus parato, involutam quotidianâ celebratione ſolvebat, & portiunculam parvam, juxta inſtantium dierum numerum computatam ſumebat. Accidit verò ut quadam die expletis myſteriis, dum veſtimenta cum Syndone Altaris incautiùs colligaret, immemor Hoſtiæ ſacræ, diligentiam nequaquàm adhibens, theſaurum cœleſtem infœlix amitteret. Veniens ad Diverſorium, quæque neceſſaria curat, tranſigitur dies in craſtinum, repetitâ celebratione, inſtante horâ communicandi, Hoſtiam ſanctam Frater ille non inveniens, turbatus nimiùm & conſternatus ſurſùm deorsùm curſitans, nec etiam ſignum aliquod invenire potuit.* Videtur novellus Sacerdos Epiſcopalis Hoſtiæ particulam cum conſecratâ à ſe Hoſtiâ quotidiè ſumpſiſſe. Eodem igitur modo fecerit omni Dominicâ Parochialis etiam Preſbyter. Et ut ita non in ſola Dominica, ſed per totam ſeptimanam faceret, videtur Siricius præcepiſſe. Ep. 2.

## CAPUT X.

### *Exponuntur alia argumenta.*

Objici nobis poſſint quædam Sanctorum Patrum loca. Etenim in habita adversùm illos qui Paſcha jejunant, Homilia ſanctus Joannes Chryſoſtomus antiquorum & novorum Sacramentorum differentiam inſigniter exponit, & pergit de Chriſto Domino : *Chriſtus idcircò cum Judæis Paſcha fecit, non ut nos cum illis faciamus, ſed ut per umbram introduceret veritatem. Nam & Circumciſionem paſſus eſt, & Sabbatha ſervavit, & Feſta celebravit, & azyma comedit. Sed nulli tamen horum nos obnoxii ſumus. Clamat Paulus :* Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. *Et rursùm de azymis :* Feſtum celebremus non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis. *Noſtra enim azyma non ſunt farina commixta, ſed converſatio ſincera, & vita per virtutem tranſacta.* Eundem Apoſtoli de azymis locum laudat in Sermone de Martyribus, & pergit : *Sunt azyma apud Iudæos,*



Digitized by Google

*ſunt & apud nos. Verùm apud illos quidem azymum ex farinâ confectum, apud nos autem vitæ puritas, & converſatio ab omni nequitia aliena.* Non iſtud, ſed hanc affirmat eſſe azymum, in quo mandat Apoſtolus Chriſtianas Feſtivitates celebrari. Affirmat Judaïcum azymum non reperiri in Eccleſia. Reſpondeo hæc omnia eſſe veriſſima. Plura enim hic affirmat Chryſoſtomus. Primò, quod Dominus azymum cum Judæis manducarit, & in ipſo Paſcha celebrarit. Disertè enim exponit & Judaïcum Paſcha, & Chriſtianum. Secundò affirmat quod nos azymo, licet Dominus ſervaverit, non ſimus obnoxii. Tertiò, quod nobis ab Apoſtolo prædicatum ac impoſitum azymum non ſit panis aut quid corporeum, ſed Judæis per ipſum præſignificata, & nobis Chriſtianis promiſſa puritas mentis. An autem à Judaïco & fermento & azymo ſemper libera Eccleſia tunc in hoc aut in illo offerret ſuum ſacrificium, nec negat nec affirmat.

Alter ejuſdem magni Chryſoſtomi locus eſt in vigeſima quarta Homilia ſuper primam epiſtolam ad Corinthios. Euchariſtiæ noſtræ veritatem ac dignitatem amplè exponit, atque proſequitur: *Neque ſolummodò Corpus ſuum Dominus dedit, ſed quoniam prior carnis natura è terra ficta, à peccato priùs erat morte affecta, & vitâ privata, aliam, ut ita dicam, maſſam & fermentum induxit, ſuam Carnem, quæ natura quidem erat eadem, à peccato autem libera, & vita plena. Et dedit eam omnibus participandam, ut eâ nutriti, priori, quæ erat mortua, depoſita, per hanc menſam in vitam immortalem contemperaremur.* Carnem ſuam lucidè affirmat eſſe fermentum. Reſpondeo illic à Chryſoſtomo prædicari duos homines, duo humani generis oppoſita capita & fontes, Adamum & Chriſtum Dominum. Utrique affirmat eſſe ſuum corpus ſeu maſſam, & utrique corpori ac maſſæ ſuam unitatem, ſeu unionis fermentum. Chriſtiani corporis ſeu maſſæ fermentum affirmat eſſe aſſumptam à Domino Carnem, ideòque ipſam ſub ſymbolico panis elemento ſumi à nobis omnibus & manducari. Et exponit panis Symbolum: *Quomodò panis ex multis granis compoſitus eſt unitas, ut nuſquam appareant grana, ſed ſunt quidem ipſa, non manifeſta autem ſit ipſorum differentia propter conjunctionem, ita etiam inter nos & Chriſto conjungimur.* Non itaque panem, in quo Chriſtum conſecramus, ſed ipſam ejus ſubſtantiam affirmat eſſe noſtræ maſſæ fermentum. Vocem, *Fermentum*, ſupponit in eo ipſo ſenſu, quo ipſam ſupponunt Pontifices Melchiades, Siricius, ac Innocentius: Pro principio efficiente noſtram cum Chriſto Domino & nobis invicem unionem. Hinc addit Euchariſtiam ſumi ab omnibus: Ut nempè ſit iſtius unitatis ac fermenti Sacramentum. Quod fermenti uſus ſit anti-

quiſ-

quiſſimus apud Græcos, omninò profiteor: Verùm antiquiſſima Patrum teſtimonia illis etiam omninò deſunt.

Objici nobis poſſit etiam ſanctus Auguſtinus. Antiquæ legis mandata affirmat eſſe varia, & exponit: *Horum quæ jubendo & vetando ſcripta ſunt, alia ſunt Sacramentorum velata myſteriis, quæ à populo Chriſtiano nunc non fiunt, ſed tantummodò intelligenda leguntur atque tractantur, ſicuti eſt Sabbathum ad viſibilem vacationem, ſicut azyma in pane ſine fermento.* Fratricidam Cain divina Juſtitia non ſolùm juſſit non occidi; ſed inſuper in ipſo poſuit ſignum, quo per alienas terras vagus occidi non poſſe indicaretur. Erat magnum futuræ rei Sacramentum. Fratricida ille ſignificavit Judaïcum populum, qui Deo placentem ſuum Fratrem Dominum noſtrum Jesum Christum occidit: Et quidem etiam ex invidia, & in agro extra portas. Ipſum etiam caſtigari per Romanum Imperium juſſit divina Juſtitia, attamen non occidi, ſed dumtaxat diſpergi toto terrarum orbe, & quidem cum ſigno, quo vaga gens demonſtretur non poſſe exterminari. Signum hoc exponit in trigeſimi noni Pſalmi commentario laudatus Auguſtinus: *Judæa gens manet cum ſigno ſuo. Cum ſigno Circumciſionis, cum ſigno azymorum. Sic manet. Non eſt occiſus Cain, habet ſignum ſuum.* Quod ipſum ſcribit in prima Concione ſuper Pſalmum quinquageſimum octavum: *Hoc eſt ſignum quod habent Iudæi. Tenent omninò Reliquias legis ſuæ. Circumciduntur, Sabbatha obſervant, Paſcha immolant, azyma comedunt.* Affirmat azyma eſſe jam Judæis per novi Teſtamenti gratiam converſa in divinæ maledictionis ſignum, ideòque & negat à Chriſtianis uſitari. Reſpondeo aliud eſſe azymi ſubſtantiam, aliud ipſius Judaïcum uſum. Quæ duo diſtingui debent etiam in lactucis agreſtibus, Paſchali Agno, Ovibus & Bobus, aliiſque Judaïcorum Sacrorum elementis. Non ipſorum ſubſtantia aut eſus Chriſtianus, ſed ſolus Judaïcus uſus eſt demutatus in divinæ maledictionis ſignum, ideòque nobis interdictus.

Objici nobis poteſt etiam Ernulphi Roffenſis Epiſcopi, per Lucam Dacherium publicata, ad Lambertum epiſtola. Affirmat Apoſtolos, non de lapideâ aut ſolemniter conſecratâ, ſed de ligneâ, aut forſan etiam nullâ menſâ accepiſſe Euchariſtiam, ac pergit: *Ibi panes quotidianos comederunt, de genimine vitis biberunt.* Loquitur ex communi ſui temporis ſenſu, adeòque Eccleſia tunc non cenſebat azymum eſſe traditionem Apoſtolicam. Eandem ſententiam ſequitur in ſua adverſum ſuæ gentis errores Invectiva Iſaac Patriarcha Armeniorum. Fatetur Dominum confeciſſe in azymo, addit omnia Domini Acta nobis non imitanda, adducit exempla varia, & proſequitur: *Non tanquam* Tom. 2. Cap. 8.

 *Chri-*

*Chriſto adverſarentur, ac ei hoſtes eſſent, ejuſque res attenuarent ac deprimerent, univerſa hæc Apoſtoli & Patres in Eccleſia tradiderunt, ſed potiùs augentes & magnificantes, extollenteſque, ac honorantes & glorificantes myſteria, atque ad ejus gloriam & magnificentiam, noſtramque ſalutem, ac gloriationem, res hujuſmodi conſtituentes ac diſponentes. Qui ergò perfecti panis traditionem reſpuunt, nec volunt admittere, panemque azymum in Sacrificio volunt offerre, etiam reſpiciant ac negent hæc à nobis dicta, quæ quidam Chriſtus per ſemetipſum nequaquàm tradidit, ſed Apoſtoli & Sancti Patres.* Panem fermentatum, licet Dominus in azymo confecerit, affirmat ab Apoſtolis fuiſſe uſitatum, ac impoſitum Eccleſiis. Reſpondeo Ernulphum eſſe duodecimi ſæculi Epiſcopum, ideòque non validæ circà res adeò antiquas auctoritatis. Azymum eſſe Apoſtolicam traditionem affirmant multi teſtes authentici, quidam tamen cenſent eſſe Inſtitutum ſancti Alexandri, aut ſancti Sylveſtri. Alii volunt ab illis non inſtitutum, ſed poſt exſtinctos Ebionitas reductum. Res incerta eſt. De Apoſtolis in Synodalibus ad Haytonem ex Armeniæ Rege ſanctiſſimum Cœnobitam litteris rectè ſcripſit Gregorius Siſenſis, Orthodoxus Armeniorum Patriarcha: *Etſi fermentatum non ſit à Canonibus ſtabilitum, attamen eo utentes improbandi non ſunt, juxtà Præceptum Domini Patriarchæ Nierſeſis, dum etiam Apoſtoli illo interdum uſi ſunt.* Affirmat ab Apoſtolis nec azymum nec fermentum impoſitum Eccleſiis, & quandoque illud, quandoque hoc fuiſſe ob varias loci aut temporis rationes uſitatum. Quod non abhorret à vero. Azymum interim eſt Inſtitutum longè antiquiſſimum, rectèque adversùs Michaëlem Cerularium ſcribit Cardinalis Humbertus: *Quia ſufficienti auctoritate & veteris & novi teſtamenti conſtat Dominum noſtrum* JESUM-CHRISTUM *commemorationem ſuæ Paſſionis in azymis recolendam Diſcipulis ſub ipſa Cœna commendaſſe, ſicut hodièque Sancta Romana & Latina Eccleſia noſcitur recolere, dicere debetis, cujus inſtitutionem in fermentato tam obſtinatè defenditis.* Affirmat Græcorum fermentum eſſe incerti auctoris, Latina autem azyma niti ipſius Domini exemplo, ideòque eſſe firmiùs fundata.

## CAPUT XI.

### *An ſoli Latini utantur Azymo?*

RESpondeo negativè. Etenim quod Hieroſolymitana Eccleſia circà varios Euchariſtiæ ritus differat à reliquis Græcis, & tenues ex ſimila oblationes cum Latinis conficiat, affirmat Cardinalis Humber-

bertus, & proſequitur: *Luce clariùs intelligi datur eundem ritum Divini Sacrificii ſanctam Hieroſolymitanam Eccleſiam obſervaſſe antiquiùs, quam Sacro-ſancta Romana Eccleſia obſervare non ceſſat hactenùs.* Ex quo fonte hæc hauſerit Humbertus, ignoro. Interim ejus aſſertio non caret fundamento. Etenim uſque ad Adriani Imperium, deſtructaque ab ipſo Civitatem ac Templum, & uſque ad aſſumpti è Gentibus Marci Epiſcopatum Judaizavit iſta Eccleſia, & mortua Legalia deduxit cum honore ad ſepulturam. Et ſic Paſchale Sacrificium non niſi in azymo potuit offerre. Et ne nunc in azymo offerret, nunc in fermento, poſſit Paſchalem morem ſemper tenuiſſe: perſuaſa à Domini exemplo. An Epiſcopus Marcus morem mutaverit ac induxerit fermentum, non poſſim affirmare. Altum de his eſt apud antiquos Scriptores ſilentium. Interim exiſtimo Humberrum locutum non fuiſſe ſine fundamento. Quin & ejus aſſertionem firmat in litteris ad Petrum Antiochiæ Patriarcham ipſe Michaël Cerularius. Expoſtulat quòd & Alexandriæ & Hieroſolymæ Patriarchæ Romanum Pontificem è ſacris tabulis commemorent ad Sacrificium, & adjungit: *Nec hoc ſolùm, verùm etiam ad aures noſtras pervenit, quod prædicti duo Patriarchæ non ſolùm alios azymis veſcentes recipiunt, ſed etiam ipſi aliquando in azymis ſacrum conficiunt Sacrificium. Et nos quidem cùm non haberemus in promptu hominem, per quem de hac re illos ſciſcitaremur, quin etiam nec aliis confidere volentes, rem totam tuæ Sanctitati requirendam relinquimus, ut de hac re, cum omnia diligenter fuerint ſcrutata, Humilitati noſtræ ſingula facias manifeſta.* Et Patriarcha Petrus non fuit hæc inficiatus. Latinis advenis ſemper abundavit Hieroſolymitana Eccleſia: Propter illos Patriarcha quandoque poſſit in azymo celebraſſe. Suas item cauſas habuiſſe debet Alexandrinus.

De Maronitis, quos in libro de Tartaris Haytonus, è Regio Armeniorum Sanguine Præmonſtratenſis Canonicus, vocat Maronianos, ſcribit in recipiendorum ad Eccleſiam Hæreticorum modo & ritu Timotheus Presbyter Conſtantinopolitanus: *Appellati ſunt Maronitæ à Monaſterio ſuo, dicto Maro, in Syria.* Alii à neſcio quo Marone, quem aliqui Eutychianiſtam aut Monothelitam, aliqui Sanctum volunt, cenſent appellatos. Maronitas, quos conſtat laboraſſe iſta hæreſi, volunt ſeductos poſt ejus mortem. In Syria ad Libani montem degunt, per Biblienſem, Botrienſem, ac Tripolitanum Epiſcopatum diſperſi. Antiochenæ Eccleſiæ tertius è Latinis Patriarcha ad duodecimi Chriſtiani ſæculi trigeſimum ſeptimum annum fuit Aymericus: Quod ſub illo ad Romanæ Eccleſiæ fidem atque obedientiam redierint, teſta-



Digitized by Google

Lib. 22. Cap. 8. teſtatur in ſacri Belli hiſtoria, ac modum exponit Guilielmus Metropolita Tyriorum. Et uſque huc in recta via firmi ambulant. Quod enim ipſorum Patriarcha Lateranenſi Innocentii tertii conſilio adfuerit, teſtatur in Orientalis Eccleſiæ hiſtoria Jacobus Cardinalis de Vitriaco. Cap. 77. Addit plures ipſorum ritus eſſe Latinos. Undè ipſis inſigne Collegium Romæ erexit Gregorius decimus tertius. Et in libro de ſacris ordinationibus ſcribit Joannes Morinus : *Maronitæ Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti in azymis conficiunt, ut Latini, licet cæteri Orientales, ut Neſtoriani & Iacobitæ, fermentato pane utantur. Ajunt conſuetudinem illam eſſe in eorum Eccleſiis antiquiſſimam, licet fateantur panis conſecrandi figuram, quam nunc uſurpant, à paucis annis ad Latinorum formam eſſe mutatam. Antiquos Maronitas azymis fuiſſe uſos demonſtrat Abraham Ekellenſis, teſtimonio cujuſdam Davidis Archiëpiſcopi Maronitæ, qui anno Chriſti milleſimo quinquageſimo tertio ſcribebat, in annotationibus ad Catalogum librorum Chaldäicorum Hebed* Jesu. Azymum igitur à propriâ antiquiſſimâ conſuetudine habent, non ab unione cum Latinis.

Eandem conſuetudinem à multis ſæculis habent Armenii. Etenim de ipſis ac de Germanis noſtris ſcribit in Iſaacio Angelo Nicetas Choniates : *Hi commercia inter ſeſe agitant, & in pleriſque Religionis dogmatibus conſentiunt. Quippè apud Alemannos & Armenios ſacrarum Imaginum adoratio æquè interdicta eſt, & azymis utrique in ſacris utuntur, & alia quædam Orthodoxis Chriſtianis improbata, opinionis errore, pro legitimis obſervant.* (Lib. 2. cap. 3.) Quod ſalutatoriam ſacrarum Imaginum Venerationem nos Latini damnemus, eſt antiquiſſima & mendaciſſima Schiſmaticorum Græcorum calumnia. De ſuis Armeniis ſcribit etiam Patriarcha Iſaac : *Armenii, Iudæorum more, panem azymum offerentes nullâ unione commixtum, unius naturæ, ſolius, inquam, Deitatis myſterium faciunt.* (Lib. 1. cap. 7.) Et infrà : *Nihil aliud impii molientes, quàm ut Chriſto perfectam humanationem negent, omnia hæc nugantur & prætexunt.* (Cap. 8.) Et inter articulos, quorum cauſa vult damnari Armenios, ponit & hunc : *Panem azymum, Iudæorum more, in Sacrificium offerunt.* (Lib. 2.) Et iterùm : *Azymum, mortuam hoſtiam, impudenti facie in conſpectu Dei juxtà Hebræorum traditionem ſiſtunt.* Et infrà : *Panem abſque ſale habent.* Et quibuſdam Judaïcis ritibus, & Eutychiana hæreſi quandoque laborarunt Armenii : Iſaac affirmat in utroque errore ſordere pertinaces, utpotè qui per ſuum ſine fermenti unione panem profiteantur eſſe unicam in Chriſto Domino ſine Hypoſtatica unione divinam naturam, atque ita in ipſo ſacrificio & judaïzent quotidiè, & ſeſe clament Eutychianiſtas. De eiſdem ſcribit Nicephorus Caliſtus : *Armenii in re divinâ faciendâ utuntur azymo, non pane.* (Lib. 18. cap. 53.) Cum Michaële

Ceru-

Cerulario affirmat azymum non eſſe panem. Et pergit : *Atque illi quidem nunc ex traditione , quæ ratione nullâ nititur , hæc faciunt. Veteres autem eorum Doctores magnæ Armeniæ Gregorium illum Antiſtitem ritus ejuſmodi eis per manus tradidiſſe, calumniosè jactant, maximè verò oblationem azymam, propterea quod in myſtica Domini Cœna azymum etiam Sacrificium fuerit.* Cap. 54.

Quod Armenii azymo pane ſint uſi à multis ſæculis , eſt omninò certiſſimum. Diſertè enim hoc affirmat in litteris ad ipſorum Patriarcham Vejajaſer & laudat Pontifex Gregorius ſeptimus. Et ad duodecimi ſæculi annum ſeptuageſimum Imperator Manuël Comnenus Armenios à Romana Eccleſia ad Conſtantinopolitanum Michaëlis Cerularii ſchiſma pervertere ſtuduit , ideòque ad illos miſit Doctorem Theorianum. Egit & diſputavit hic cum Patriarcha Nierſeſe , & res non malè ſucceſſit. Hinc ejuſdem ſæculi anno ſeptuageſimo ſeptimo idem Imperator Legatos alios miſit ad Nierſeſis ſucceſſorem Gregorium Deghiam , & varios unionis articulos , quorum ſextus fuit hic : *Quærimus ut in pane fermentato , & in vino cui admixta ſit aqua , ſacrificetis.* Hâc de causâ Armenii indixerunt Tarſenſem Synodum , & per ſuum Patriarcham iſthic repoſuerunt : *Circà hunc articulum , quod ſanè juſtum eſt , Reverentiæ veſtræ ſuademus , ut nimirùm cum Apoſtolica Petri Sede , & cum noſtra adhuc Humilitate , concordes efficiamini , atque ita ſubmiſſi legem Charitatis inſtauretis. Sunt namque illi , non ſecus ac vos , Apoſtolicæ hujus traditionis Diſcipuli , cum quibus & nos azymum panem in ſacrificio conſecramus. Quod ſi tantam humilitatem vobis Deus conceſſerit , ut hâc in re nobiſcum conveniatis , debitum nobis erit , ne quid obſtaculi Eccleſiæ unitati opponatur , aquam puro vino miſcendi ad gloriam Dei.* Et quartus , quem illi à Græcis poſtularunt , articulus fuit hic : *Vt Sacro-ſanctum Sacrificium azymo pane perficiatur , juxtà veram magnæ Romanorum Eccleſiæ , atque noſtræ traditionem.* Terram Sanctam tunc poſſidebant Franci ac alii Latini , & non ſolummodò per Catholicum dogma , ſed etiam per variam affinitatem habebant ſibi obnoxios Armenios. Fraterna inter ipſos concordia graviter urebat Manuëlem Comnenum , ideoque per Eccleſiaſticæ unionis fucum conatus eſt ipſam diſſolvere. Et hinc cum Romanâ Eccleſiâ ſeſe unitos repoſuerunt Armenii, atque ita nullam eſſe unionis ſpem , niſi & Græci velint Michaëlis Cerularii Schiſma proſcribere , & cum debita humilitate ſeſe reddere obedientiæ Romanæ, & ejus azyma admittere. Attamen Græcum fermentum non damnarunt. Lucet ex Patriarchæ Gregorii Siſenſis epiſtola ad Haytonem ex Rege Cœnobitam : *Quidquid apud nos antiquum & à principio traditum , conſervare accuratè debemus , ne quando rei noſtræ contingat*

Epiſt. 1. Lib. 8.

*id ,*

Digitized by Google

*id, quod ſæpè numero vineæ evenire ſolet, in qua aditus anteà anguſtus, ex incuria tamen omiſſus, paulatim deinde à tranſeuntibus aperitur, ac undique dilatatur. Propterea nos excommunicationem, quæ in miſcentes aquam iniquè lata fuerat, penitus abrogamus & abolemus, ne fortè quiſpiam è populo noſtro Armenio, qui ſuum azymum inveteratâ conſuetudine ſervat, incidat ultrò in fermentatum, aut etiam in loram quamvis. Etſi fermentatum non ſit à Canonibus ſtabilitum, eo tamen utentes improbandi non ſunt, juxtà Præceptum Domini Nierſeſis, dum etiam Apoſtoli illo interdum ſunt uſi.* Lucidè laudat Acta & Diſputata Nierſeſis cum Theoriano. Exiſtimo quod à Latinis ad Græcos deficere nolentes Armenii poſtularint azyma admitti in ſacrificio, quod ſcirent eſſe articulum impoſſibilem, ideòque nunquàm admittendum. Quidquid ſit, hæc omnia clamant azymi uſum eſſe illis antiquiſſimum.

Quæſtio eſt, A quo illum acceperint? Reſpondeo eſſe varias ſententias. Ipſorum antiqui, ſi Nicephoro Calixto credimus, Doctores dixerunt eſſe à Sancto ſuo Apoſtolo & Patriarcha Gregorio, qui ſub Tyridate Rege & magno Imperatore Conſtantino prædicavit iſthic & fundavit Evangelium. Idem ſcribit in opuſculo de Jacobitarum & Chatzitzariorum ſeu Armeniorum hæreſi Demetrius Cyzicenus: *Armenii quum oblationem offerunt, faciunt azymam. Et juniores quidem Chatzitzarii ex cauſa irrationabili id ceremoniæ inductum nugantur, veteres autem eorum Doctores Sanctum à Deo afflatum ac Martyrem Gregorium, magnæ Armeniæ Epiſcopum, oblationem ejuſmodi ſine fermento ideò tradidiſſe calumniantur, quia quem Chriſtus panem tribuit in Cœna Myſtica, dicunt azymum fuiſſe.* Opuſculum hoc nuper vulgavit Franciſcus Combefis. Et favet per eundem publicata de Armeniæ rebus narratio. Affirmat Armenios à Julianiſtis, ſeu Eutychianis Juliani Halicarnaſſi Epiſcopi ſectatoribus fuiſſe ſeductos in iſtam hæreſim, & pergit de ipſorum Patriarcha Moyſe ac Imperatore Mauritio: *Imperator Mauritius juſſit Epiſcopos omnes ac Moyſen Catholicum unà cum militaribus copiis venire Conſtantinopolim.* Utique ad iſtas quæſtiones Synodaliter componendas. *Verùm ille juſſis haudquaquàm adhibuit animum, dicens: Abſit ut tranſeam fluvium Azat, vel furno coctum comedam, aut calidum bibam.* Palam alludit ad Græcos, qui Euchariſtiam ſacrabant ex fermento, & immiſſâ ferventi aquâ ſacratum Calicem calefaciebant, atque ita affirmat azymum apud ſuas Eccleſias eſſe antiquiſſimum. Et certè ipſorum Apoſtolum ſanctum Gregorium fuiſſe apud Romanos educatum affirmat ejus vita. Et Gregorius Polydorus apponit hoc marginale Scholion: *Romæ nutritur Gregorius.* Quocircà poſſit non ſolummodò Romanam fidem, ſed & diſciplinam ad ſuos detuliſſe.

Verùm

Digitized by Google

Verùm hæc omnia præfatus Nicephorus improbat. Nec ſine fundamento. Etenim laudatus Gregorius non fuit Romæ enutritus. Ejus vita aliud non vult, quàm fuiſſe non apud ſuos adhuc Barbaros, ſed in Romano ſolo, utiquè in Oriente, nutritum. Ad Ponticam Diœceſim & Primatialem Cæſareenſis in Cappadocia Eccleſiæ Cathedram ſpectavit olim Armenia, & hujus Epiſcopos per illius Exarchum conſecrandos ſanxit Gregorius, ideòque videntur in aliis etiam ritibus concordaſſe. Et de Armeniorum Patriarchâ Joanne Oznienſi ſcribit, Cap. 17. antiqua Armeniorum Hiſtoria: *Hic juſſu Homaris Saracenorum Ducis Synodum congregavit in Vrbe Manaſchierti, ubi cum Armeniis convenientibus ſex Aſſyriis Epiſcopis definita fuit in Chriſto una natura, una voluntas, & una operatio. Fueruntque è ſacris Myſteriis ablata fermentum & aqua.* Homar fuit tertius Saracenorum poſt Mahometem Dux, Imperatori Heraclio coætaneus. Joannem hunc laudata de rebus Armeniis narratio appellat Joannem à Pacrana. Eſt iſte Joannes, quem Muſiles Romani exercitus in Armenia Dux promovit in Primatem. Choſroas Perſarum Rex ob reſtitutum ſibi per rebelles expulſo Regnum gratificaturus Romanis, Imperatori Mauritio reddidit omnem ferè Armeniam, atque ita hic hæreſim exſtincturus omnes ejus Epiſcopos vocavit Conſtantinopolim, & induxit ad recipiendam ac profitendam Synodum Chalcedonenſem. Utiquè Epiſcopos Romanæ Armeniæ. *Reverſos autem non receperunt* Primas *Moyſes ac alii Epiſcopi in Perſide & Armenia*, ſeu in Perſica Armenia. *Muſiles verò Catholicum* ſeu Primatem *creavit Joannem à Cocoſta Regionis Pancratorum.* Armeniam diviſit in duos Primates: Romanum & Perſicum, Orthodoxum & Eutychianum. Poſt trucidatum à Phoca Imperatorem Mauritium Choſroas Romanis iratus invaſit ac recepit Armeniam, atque ita Moyſis ſucceſſor Abraham reduxit Eutychianam hæreſim, & cum ſequacibus Orthodoxis Epiſcopis Joannem ejecit & proſcripſit. Hujus ſucceſſor Comitas eiſdem ambulavit pedibus, & ſedis poſt ſuam mortem promiſsâ ſucceſſione Joannem in ſuas vias ſeduxit. Et promiſſa adimplere non potuit. Etenim Comitæ Chriſtophorus, & Chriſtophoro ſucceſſit Eſdras, qui ex Imperatoris Heraclii juſſu apud Theodoſiopolim celebravit magnam Synodum, admiſit & profeſſus eſt Synodum Chalcedonenſem, ac duas in Domino integras ſub una perſona naturas, abjuravit Eutychetem ac Julianum, & viſus eſt fieri Orthodoxus. Verùm latuit anguis in herba. Etenim ex Julianiſta factus eſt Monothelita, atque ita optimum Principem circumſcripſit in falſam unionem. Hæc eſt unio, ad quam cooperatus plurimum eſt Paulus Monoculus, in litteris ad Hono-



Digitized by Google

Honorium Pontificem laudatus à Sergio Patriarcha Conſtantinopolitano. Ipſam interim Julianiſta Joannes deteſtatus eſt, tentavit Primatum reſumere, cum Stephano Cartamanenſi & aliis. plenè Eutychianiſtis Epiſcopis fecit præfatam Synodum, & memorata Decreta. Nempè unico & in Calice & in pane elementi ſymbolo profitendam ſanxit unicam in Domino naturam, voluntatem ac operationem. Et ex hoc principio ſuos Armenios Patriarcha Iſaäc ſuprà accuſavit. Et ad laudatam de Armeniis narrationem ſcribit Franciſcus Combefis: *Gregorius, Armeniorum Apoſtolus, videtur à Græcis accepiſſe fermentum, quod poſtmodum ſucceſſores facti Julianiſtæ commutarint in azyma, in ſignum aliquod hæreſis Eutychianæ. Quo ſenſu etiam Sancti reprobant ipſorum azyma, ut S. Damaſcenus tractatu de ea re necdum edito in Bibliotheca Regia.* Verùm quando? Etenim primus ad Eutychianam Juliani Sectam lapſus contigit ſub Juſtini primi Imperio: Et poſteà ſæpiùs fuerunt & reconciliati & relapſi, & nullam in ullis Actis reperimus memoriam aut azymi admiſſi, aut recepti fermenti. Unica memoria eſt in Actis dicti Joannis. Et neque Julianus Halycarnaſſi Epiſcopus, neque Jacobus Syrus, nec quis alius Eutychianæ blaſphemiæ Dux antiquum fermentum mutavit in azyma. Quin imò Demetrius Cyzicenus inter Jacobitas & Monothelitas Armenios hanc lucidè ponit differentiam, quod hi in azymo offerrent, illi in fermento. Eſt res intricata: Invenire originem eſt difficile.

Forſan & ipſi Armenii ignorant. Etenim tertiam adhuc ſententiam adducit, & ſcribit Patriarcha Gregorius Siſenſis: *Nos à ſancta Romana Eccleſia aquæ admixtionem modò recipimus, ſicut ab eadem acceptum habemus azymum, Mytram Epiſcopalem, & modum ſignandi Cruce.* Etiam Romano ritu Epiſcopos ſuos & Clericos conſecrant, & iſtâ de re ſcribit ipſorum Doctor Gregorius Cæſareenſis: *Armeniorum Eccleſia ritum conferendi ordines à Gregorio Papa ſuſcepit, ut in noſtro Rituali manuum impoſitionis compertum habetur, quoniam eo ritu accipimus eorundem ordinum poteſtatem.* Ab eodem igitur Gregorio habent azymum, & plures Ritus Latinos. Nec obſunt hæc ſubſequentia dicti Armenii Doctoris verba: *In ritibus tamen Miſſarum & aliarum orationum cum Romanis minimè concordamus.* Etenim azymi admiſſio non compellit ad omnes & ſingulos Latinorum ritus. Quidquid ſit, azymum apud ipſos, adeòque & apud Latinos eſt omninò antiquum. Et licet ipſum Armenii ex pravo forſan principio admiſerint, poſſunt poſteà rectum in finem continuaſſe. Apud Latinos eſſe Apoſtolicum Inſtitutum, ſuprà nobis dixerunt plures etiam Græci, & Anonymi in Patrum Prædicatorum Conſtantino-

ſtinopolitano Conventu repertus Tractatus confirmat: *Latini pro fermento azyma offerunt, & calumniantur S. Petrum & Sanctos Patres Romanos Pontifices exſtitiſſe auctores talis traditionis.*

Verum hiſce graviter obviat in generali hiſtoria Otho Friſingenſis Epiſcopus. Affirmat Armeniorum Eccleſiam conſtare mille Epiſcopis, Gregorii Patriarchæ ad Eugenium tertium Pontificem legationes & profeſſam obedientiam exponit, ac ſubdit: *Inter ipſos & Græcos quadam de ritu Sacrificii habitudo eſt in quibuſdam, in aliis verò diſcrepantia. Ponunt enim panem fermentatum, ſicut illi, aquam autem vino non admiſcent, ſicut nos & illi. Pro his & aliis, dum inter ſe diſſentirent, Romanam Eccleſiam judicem eligentes, conſultum veniunt, formamque Sacrificii juxta conſuetudinem ejus ſibi tradi depoſcunt. Quos Romanus Antiſtes gratanter ſuſcipiens, Miſſarum ſolemniis ac ſecretis ſacrificiis adhibuit, diligenterque ea, quæ fiebant ibidem, eos animadvertere monuit. Quod dum facerent, intentique ſacro Altari adſtarent, unus ex eis Pontificali dignitate præditus, ſicut poſtmodum in plena curia retulit, ſummo Pontifice divina myſteria agente, ſplendido fulgore radium ſuper caput ejus coruſcare, & in ipſo duas columbas adſcendentes & deſcendentes vidit, cumque diligentius hac & illac oculos circumferret, nullumque aditum, per quem lux illa transfunderetur, inveniret, Deificum hoc eſſe cognoſcens, ac ad obedientiam Romanæ Sedis magis accenſus, cunctis quæ viderat aperuit.* Hinc affirmat Romanorum azyma fuiſſe ab Armeniis admiſſa. Conſonat in opuſculo de Sacramentorum diverſitate S. Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis: *Armenii de fermentato ſe laudem ſacrificare putant, ſed in novitate vitæ cum Chriſto non ambulant.* Sub Paſchalis ſecundi Pontificatu ſcriptum eſt hoc opuſculum, adeòque Othonis Friſingenſis relationem ſtrenuè confirmat.

Lib. 7. c. 32.

Reſpondet in opere de Armeniorum cum Romana Eccleſia unione Clemens Galanus: *Otho in eo ſolum, quod refert Armenios in ſacris myſteriis pane fermentato uti fuiſſe hoc tempore ſolitos, atque ob id conveniſſe cum Græcis, erroris manifeſti convincitur.* Eſt vera reſponſio. Etenim paucis poſt hanc legationem annis habita fuit inter Theorianum Imperatoris Manuëlis Comneni Legatum & Nierſem Armeniorum Patriarcham diſputatio, & celebrata Tarſenſis Synodus, quæ altè clamant azymi uſum tunc apud Armenios fuiſſe antiquum. De memorata legatione ſcribit antiqua Armeniorum hiſtoria: *Ad Dominum Gregorium Patriarcham Pontifex Romanus,* Utique tertius Eugenius, *litteras quaſdam miſit, quibus ab ipſo poſtulabat, ut eo planè ritu Nativitatis & Epiphaniæ Domini feſta perageret, & in ſacris Myſteriis aquam vino miſceret, quo & ſancta Romana Eccleſia, & omnis alia Chriſtianorum natio id præſtare conſueverant.* De fermento & azymo

Cap. 20.

Ibidem.



Digitized by Google

mo nullam facit mentionem. Quod nempe in ipſo Armenii cum Romanis concordarent. Quocirca aut memoria aut errore lapſus eſt etiam S. Anſelmus.

Rem admirandam refert ad tertii decimi ſæculi ſecundum annum ac Innocentii tertii Pontificatum etiam magnum Belgii Chronicon: *In partibus Aſiæ majoris verſus Meſopotamiam & Armeniam quidam Ionas vir venerabilis erat Patriarcha in Civitate Suſis. In cujus Ionæ manibus, dum Miſſam celebraret more ſuæ gentis, hoc eſt, ſecundum conſuetudinem Surianorum, tale fertur accidiſſe miraculum, ut panis ille magnus fermentatus, unde fiebat ſacrificium, in parvam & pulchram hoſtiam, ad morem ſacrificii Latinorum, converteretur, & calix ligneus deſtrueretur cum cochlearibus, reperto vero ſanguine in argenteo calice. Et hoc accidit in Feſto beati Ioannis Baptiſtæ hujus anni. Undè plures Surianorum Eccleſiæ, Armenii, Georgiani, & Iacobitæ ad conſuetudinem ſanctæ Catholicæ & Romanæ Eccleſiæ de die in diem per hoc miraculum cœperunt converti. Et iſte Ionas Patriarcha magno concilio Romano interfuit, & poſtmodùm in Patriarcham Alexandrinum eſt promotus.* Magnum illud Romanum Concilium fuit Lateranenſe Innocentii tertii.

# CAPUT XII.

## *Exponuntur Schiſmaticæ Græcorum in Latinos injuriæ.*

ERrores & calumnias, quas nobis Latinis Photius impegit, expoſui ad octavam Synodum, ideòque hic nolim repetere. Michaëlis Cerularii ſchiſma & Romani Pontifices & Conſtantinopolitani Imperatores ſunt frequenter conati exſtinguere. Horum enim plures fuerunt ſimiles Conſtantino Monomacho ac ejus Auguſtæ domui, de quibus in ſua adverſus iſtum Michaëlem ſententia dixit Cardinalis Humbertus: *Quantùm ad columnas Imperii, & ejus Honoratos, atque cives ſapientes, Chriſtianiſſima atque orthodoxa eſt civitas.* Verùm Patriarchæ, Epiſcopi, Clerici, & Monachi, quos oportebat eſſe populi ſalem & lumen, fuerunt paſſim cæcus & durus grex in vario errore. Iſtorum Imperatorum unus fuit Joannes Ducas, qui poſt captam à Flandris Conſtantinopolim ſecundus regnavit apud Nicæam. Tunc Germanus Patriarcha varias, nobis ſervatas à Matthæo Pariſienſi, anno 1237. pro unione litteras ſcripſit ad Romanam Eccleſiam, & in prima ad Gregorium nonum Pontificem adducit tres capitales ſchiſmatis cauſas:

*Dogma-*

Digitized by Google

*Dogmatum contrarietas, & Canonum deſtructio, & Rituum, quos tradiderunt Patres, immutatio, ſunt materia ſepis, quæ ſeparat priùs unita.* Et in epiſtola ad Dominos Cardinales: *Eramus omnes, tam Italici quam Græci, aliquando in eadem fide, & in eiſdem Canonibus, pacem habentes inter nos, & pugnantes alter pro altero, & inimicos Eccleſiæ confundentes.* Ex iſtis fontibus affirmat proceſſiſſe miſeriam, de qua pergit: *Heu, Heu, quàm amarâ diviſione ſequeſtramur, unus detrahit alteri, & alter alterius, velut animæ periculum, vitat conſortium.*

Primùm ergò, quod nobis Græci imponunt, crimen eſt Paternorum rituum immutatio. Et horum omnium caput eſt azymus in ſacrificio panis. Quod ipſum Patriarcha Germanus improperarit, lucet ex ſecunda noni Gregorii ad ipſum epiſtola, quæ demonſtrat utrumque ritum eſſe legitimum & fundatum, ideòque hujus diſcrepantiæ causâ Eccleſias non fuiſſe lacerandas. Quam deteſtati fuerint etiam tunc Græci noſtram Euchariſtiam, demonſtrat repertus Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores Tractatus: *Latinus cum Græca muliere volens contrahere matrimonium, juramento compellitur deſerere communionem ſuam, confeſſionem, baptiſmum, jejunium Sabbathorum, & carnis Chriſti edulium. Omnis enim, qui in Regia urbe de fratribus Græcorum uxorem ducit, ſcripto ſpondet juramento, quod deindè non manducabit in azymis carnem Domini, nec filios ſecundum Latinum ritum faciet baptizari, neque ſacerdoti Latino peccata confitebitur, neque in Sabbatho jejunabit, præter unum ſolum.* Et edicit Herodiani juramenti cauſam: *Græci contradicunt Chriſto patenter, & ſuper ſanctiſſimo illius corpore verbis operibuſque occurſant. Nam cum ipſe in azymorum panis ſpecie carnem ſuam Diſcipulis dederit, hi aſſerunt azymos panes in carnem non poſſe converti per benedictionem. Quæ ex re Sacramenti Corporis Domini Latinos ajunt expertes.* Et ex hoc errore duodecim, quos Georgius Cyprius Patriarcha meritò curavit vivos exuri, Monachi dicebant *Sacramentum Latinorum eſſe lutum & non Sacramentum, & quod ſacrificantes, vel ſumentes ex eo, more Gentilium dæmoniis immolarent.* Ex eodem principio ſcribit in Orientalis Eccleſiæ hiſtoria Jacobus Cardinalis de Vitriaco: *Tam Græci quam Suriani Sacramentis noſtris nullam exibent reverentiam, nec adſurgere volunt, quando Corpus Domini ad viſitandos infirmos noſtri deferunt Sacerdotes.* Lib. 1. cap. 75. Verum laudatus Tractatus rectè reponit: *Attendere debet Chriſtianus, quod ſicut diverſa vina verbum Dei in Sanguinem, ita panes azymos & fermentatos, non ita differentes, permutat in carnem.* Quod ipſum ſcribit adverſus Marci Epheſii calumnias, & largius illuſtrat Gregorius Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Protoſyncellus. Etiam de Latinis ſcribit Nicephorus Gregoras: *Cum Imperator Andronicus primus Paleologus conjugem*

*non haberet, Legatos ad Hiſpaniæ Regem mittit, qui libenter ei miſit, non filiam ſuam, ſed aliam ſibi cognatam. Idque factum contra veterem Latinorum morem, Papa inconſulto.* Nam Latini Proceres *affinitates cum Romanis jungere, non niſi Papa prius aſſenſo, conſueverunt. Sed cum ei delicti cujuſdam prætextu ſacris interdictum eſſet, per eam cauſam clam puellam ablegavit, futuram Romanorum Imperatricem.* Rex ille fuit Petrus ſecundus Aragoniæ Rex, à Papa Martino quarto ob ejectos è Sicilia Francos excommunicatus. Et Latini Græcos, & Græci Latinos cenſebant ſchiſmaticos atque hæreticos, ideòque mutua matrimonia deteſtabantur. Et hinc liquet iſtiuſmodi conjugia apud omnem ſub Cælo Eccleſiam peſſimè ſemper fœtuiſſe.

Nec dumtaxat ob azyma, ſed etiam ob multa alia Græci nos Latinos cenſuerunt paternorum rituum immutatores. Enumerat in litteris ad Petrum Antiochiæ Patriarcham Michaël Cerularius: *Certò ſcito, quod non unicâ tantùm ſagittâ, azymorum ſcilicet errore, quod omnibus apertè patet, confoſſi ſunt Romani, ſed multis & aliis diverſis. Quapropter illos omninò averſari neceſſe eſt. Et quæ quidem Iudæorum more peragunt, talia ſunt, ut error, qui illis tribuitur, de azymo. Et quod ſuffocatum comedunt. Et barbas radunt. Et Sabbatha cuſtodiunt. Et comedunt immunda. Monachi carnibus veſcuntur, nidore videlicet ſuis, & larido omni, quod ad carnem pertinet. Et quod etiam attinet ad primam hebdomadam Quadrageſimæ, & aliam etiam hebdomadam Quinquageſimæ, quâ nos ovis tantùm & lacte veſcimur, & propterea caſei hebdomadam illam appellamus. Sed præter hæc talia & hujuſmodi habentia, in ſacro Symbolo hanc etiam adhibent additionem, malè & perversè ſentientes. Ita enim ſe habet:* Et in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificationem, qui ex Patre Filioque procedit. *In ſacra etiam Miſſa,* Unus Sanctus, unus Dominus JESUS-CHRISTUS in Gloria Dei Patris per Spiritum ſanctum, *altâ dicunt voce. Præter hæc, nuptias Sacerdotum prohibent, illos videlicet, qui uxores habent, ut nullo pacto Sacerdotium conſequantur, permittunt, ſed innuptos manere volunt eos, qui Sacerdotes eſſe cupiunt. Duo etiam fratres ducunt duas ſorores. Et in ſacra Miſſa, tempore Communionis, alter Miniſtrorum comedens azyma, alios amplexatur, & pacem illis largitur. Epiſcopi etiam annulos geſtant in manibus, quaſi uxores Eccleſias accipientes, & arrhabonem ſe ferre dicunt. Ad bellum etiam exeuntes, manus ſuas ſanguine coinquinant, & in conſpectu ſuo animas occidunt, & occiduntur. Quemadmodùm etiam à nonnullis, qui hoc affirmant, accepimus. Sacrum Baptiſma ita peragunt, ut eos qui baptizantur, unicâ merſione baptizent, dicentes* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. *Sale etiam prætereà eorum qui baptizantur, ora implent. Male etiam Apoſtolicum illud accipientes,*

*quod*

Digitized by Google

*quod ait* modicum fermentum totam maſſam fermentare, *ipſi ita ſcriptum habent:* Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. *Contendentes hac modici hujus verbi occaſione tollere fermentum, quod panem ſublevat & attollit. Quin imò Sanctorum Reliquias illorum nonnulli non venerantur, nec Sanctas etiam Imagines. Sanctos etiam illos & magnos Patres noſtros, Baſilium & Chryſoſtomum, cum reliquis Sanctis non connumerant, nec illorum doctrinam omninò recipiunt. Alia etiam faciunt multa, quæ ſingula enumerare eſſet moleſtum.* Hi ſunt partim Ritus, partim Canones, de quorum immutatione & prævaricatione nos accuſat Michaël: E tribus enim per Germanum Patriarcham adductis noſtræ accuſationis capitibus duo conjungit. Longè plures utriuſque capitis articulos adducit antiquus Tractatus repertus Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores.

Tertium & principale accuſationis caput eſt *Dogmatum contrarietas.* Nempè illa, ex quâ Symboli additamentum fecimus, *malè ſentientes.* Utiquè de Spiritu ſancto. Nos hunc ex Patre & Filio, illi ex Patre per Filium docent procedere. Et hæc dogmata volunt ſibi invicem adeò adverſari, ut de magno illo Patriarcha Joanne Vecco, qui ad Eccleſiarum per Gregorium decimum Pontificem & Imperatorem Michaëlem Paleologum in Lugdunenſi Synodo factam unionem firmandam non adverſari demonſtravit ex antiquis ſuæ gentis Patribus, ſcribat Georgius Pachymeres: *Hæc incredibiliter efferebant plerorumque animos, opinioque multorum non inveriſimilis fuit, ſi ab his Veccus temperaſſet, futurum fuiſſe, ut ſenſim fervor ſchiſmatis conſeneſceret, & cuncta tempore ad tranquillitatem componerentur.* Lib. 6. cap. 25. Etenim Schiſmatici pertinaciter cenſebant nos Latinos ſentire omninò hæretica de Spiritu ſancto, ideòque adversùs laudatum Patriarcham, tanquàm Latinæ hæreſios ſeminatorem, turbidiſſimè tumultuabantur. Eâdem de causâ Filius & in Imperio ſucceſſor Andronicus defunctum Patrem Auguſtum Michaëlem, tanquàm hæreſiarcham projecit in campum, & aſini ſepultura ſepelivit. Longa eſt hæc res, ſuo loco elucidanda. Interim ex his capitibus nos non tantùm de paternorum rituum immutatione, nec tantùm de fundamentalium Canonum prævaricatione, ſed etiam de hæreſi damnavit Michaël Cerularius, voluitque tanquàm à Canone Anathematizatos eſſe ab omnibus tractandos. Nam Epheſinus Canon quodvis Symboli additamentum vetuit ſub rigidiſſimo Anathemate. Et hinc Marcus Alexandriæ Patriarcha magno Canonum Doctori & Antiocheno Patriarchæ Theodoro Balſamoni propoſuit hanc quæſtionem: *Captivi Latini, & alii ad noſtras Catholicas Eccleſias accedentes petunt Divinæ ſanctificationis Communionem. An ſit concedendum hoc, ſcire volumus.* Et Bal-

Balſamom reſpondit Romanam ac omnem Latinam Eccleſiam jam pridem eſſe divulſam à cunctis Orientalibus, ideòque Papæ nomen apud hos non recitari, & adjungit: *Non debet homo Latinus Sacerdotali manu per Divina & immaculata Myſteria ſanctificari, niſi priùs Latinorum dogmata & mores velit ejurare.* Ad quæ verba in ſuis ad omnes ubiquè Chriſtianos adversùs Florentinam Synodum litteris declamat Marcus Epheſiorum Archiëpiſcopus: *Audis? Divulſi ſunt non ſolùm per mores, ſed etiam per dogmata, quæ non agnoſcit Eccleſia. Quæ verò non agnoſcunt Orthodoxi, hæretica certè ſunt.* Uterque nos affirmat non tantùm varii Canonis, ſed & Chriſtiani dogmatis ſchiſmaticos atque hæreticos prævaricatores, ideòque per errorum noſtrorum abjurationem, & oppoſitæ veritatis profeſſionem, nec non & Chriſma accipiendos in Eccleſiam, juxta ſeptimum primæ Conſtantinopolitanæ Synodi Canonem, mandantem ita recipi Arianos ac Macedonianos. Illi enim his nos adnumerant: Utpotè qui erremus circa Spiritum Sanctum. Et hinc adverſùm nos, & adverſus Florentinam, quæ nos in noſtris ritibus ac dogmatibus perſeverantes univit cum Græcis, exclamat memoratus Marcus: *Vndè ergo nobis repentè Orthodoxi apparuerunt, qui per tot tempora, & per tot Patres & Doctores hæretici judicati ſunt?* Et adverſùm ſuos in laudata Synodo Græcos Coëpiſcopos: *Quis illos tam facilè Orthodoxos fecit? Aurum: Lucra tua. Imo verò aurum non illos fecit Orthodoxos, ſed te, reddens illis adſimilem, in hæreticorum partem detruſit.* Græcos in Florentina Synodo Epiſcopos aluerat Romana Eccleſia: Hinc Marcus blaterat illos auro fuiſſe ſeductos. Et hæc calumnioſiſſima & multifaria, quam plurimis per Orientem & Septemtrionem populis perſuaſerunt, detractio eſt prima, & non parva, Cerulariæ factionis in Latinam Eccleſiam injuria.

Secundam injuriam refert Nicephorus Gregoras. Andronicus Paleologus Imperator, qui defunctum Patrem Michaëlem ad aſinos projecit, omnes ab illo ob perduellem in ſchiſmate pertinaciam deportatos Epiſcopos & Proceres etiam revocavit, ac in poteſtatem cum fœnore reſtituit, & hi in Blachernenſi Eccleſia fecerunt latrocinalem Synodum, & omnes factam à Lugdunenſi Synodo unionem amplexos Collegas ſine reparationis ſpe degradarunt. Retinendi Epiſcopatus cupiditas quoſdam retrahebat in lapſum: Et hi ſeptimæ, quæ cunctis de Iconoclaſtico lapſu pœnitentibus Epiſcopis reddiderat & communionem & gradum, Synodi pietatem implorabant, ſupplicantes etiam ſibi impendi. Verùm adeò non fuerunt exauditi, ut poſt horum Actorum relationem pergat durus Schiſmatis patronus Gregoras: *Quis adeò durus eſt animo adamantino, ut contumeliam illam & maximam inhumanitatem* Lib. 6.

*referre*

Digitized by Google

*referre queat qua contra miſeros Epiſcopos & Sacerdotes uſi ſunt? Nam poſt verborum convicia Præſides inferioribus imperabant, ut direptos illis pileos humi abjicerent, ter acclamantes:* Indignus eſt. *Aliis verò aliorum veſtes exuere, eaſque à fimbriâ inverſas ad caput applicare, atque iterum ter acclamare juberent:* Indignus eſt. *Deindè alapis impactis tanquam ſicarios vi extrudere ſacro loco. At humanus* Jesus *& ſervator etiam Latronem admiſit: Et proditoris pœnitentiam, modò ipſe voluiſſet, deſideravit ac expectavit.* In Agarenam impietatem, aut Paganam etiam Idololatriam lapſos Epiſcopos reparari indulgent poſteriores Græcorum Canones, verùm ad Latinos converſi Epiſcopi debent cum Caïn dicere: *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Et hinc Patriarcha Joannes Veccus poſt Lugdunenſem ab Andronico excuſſam unionem non ſolùm degradari, ſed & laniari timens à Schiſmaticis, fugit Conſtantinopoli, & ſe clauſit in Panachranti Monaſterio. Ipſe enim unionem fuerat conſtantiſſimè tutatus. Poſteà nihilominus per ſucceſſorem Georgium Cyprium degradatus fuit ac deportatus. Quin & ipſe Georgius, quòd diceretur à Latino Epiſcopo promotus in Lectorem, fuit de degradatione ac indiſpenſabili irregularitate non parum periclitatus. Græcorum Epiſcopi, præſertim Patriarchæ, nunquam fuerunt permiſſi ultrà fixum à Canonibus tempus differre conſecrationem, nec antè ipſam adminiſtrare. Primò id indultum fuit huic Georgio. Quòd nempè Heracleënſium Metropolita admiſiſſet unionem, ideoque per ejus degradationem vacaret Eccleſia. Et quia omnes etiam Con-Provinciales unionem admiſerant, vacavit uſque ad unius è Bulgaria, & alterius è Naupacti Provincia Schiſmatici Epiſcopi adventum: Hi ex Imperiali juſſu conſecrarunt novum Heracleæ Metropolitam, & hic Georgium Patriarcham. Quod ſatius ſit ſpinas, quam Hæretici Epiſcopi manus in caput admittere, affirmant antiqui Canones. Hoc ipſum Schiſmatici Græci clamant de Latino non tantùm Epiſcopo, ſed etiam de Græco per Latinam Communionem polluto.

Tertiam injuriam adducit incognitus Michaëlis Ducæ Nepos. Gravidæ Græcorum mulieres ex avita pietate conſueverunt confiteri antè partum, Euchariſtiam ſumere, & ſe quaſi ad mortem præparare. Eſt laudanda pietas, & ab omnibus imitanda. Intra obſeſſam à Mahomete ſecundo Conſtantinopolim quædam nobilis, verùm Schiſmatica Matrona fuit Schiſmatico ſuo Confeſſario confeſſa iſtam ob cauſam, an ab admittente Florentinam unionem Sacerdote Euchariſtiam poſſet accipere poſtulavit, & accepit hoc Reſponſum: *Tibi conceſſum eſt, Deus condonabit tibi, abi, & Communionem omni dubio remoto percipe. Ipſe Sacer-*

*dos eſt ac Miniſter, diſcrimine illo omiſſo communica.* Mollior erat iſte Confeſſor, ideòque & publicæ & privatæ neceſſitatis gratiâ cenſuit diſpenſatoriè id poſſe indulgeri. Verùm non plenè quietata conſcientia mulierem coëgit ad alium Pœnitentialem Presbyterum nomine Neophytum, à quo accepit hanc ſententiam: *Id tibi haud licet.. Si enim ex iſtius manibus Communionem ſumpſeris, panem manducabis, & vinum bibes.* Aſſeruit non ſolùm à Latino, ſed etiam à Græco per Latinam Communionem maculato Sacerdote & Euchariſtiam & quodvis Sacramentum non poſſe validè confici, atque ejus conſilium eſt mulier ſecuta.. *Mulier nobilis inter contraria Præcepta fluctuans Communione abſtinuit illo die, ita ut nocte ſequenti non ſumptâ Euchariſtiâ pepererit.* Pluribus hæc refert laudatus Ducas, admiratur Chriſti Domini patientiam, & pergit adversùs Neophytum: *Si Sacerdos Latinus eſſet, ſtultitia tua, aliquâ, quamvis abſurdâ, ratione excuſari poſſet. Quod ſcilicet Latino ſermone ad Deum preces recitaſſet, quòd non eſſet fermentatus panis, nec aqua calida adhibita, aliaque abſurda allegare potuiſſes, quæ Orthodoxus tamen ore nunquam proferet, nec vel minimùm adversùs peracta hoc modo divina Myſteria murmurabit. Talia enim quilibet auſus eſt lapidibus obruendus. Quid vel quomodo obloqui potes divinis Myſteriis tuo idiomate celebratis? Quid illis precibus opponere, quibus tibi cum cæteris Orientis Sacerdotibus communis eſt uſus? Aliud allegare non potes, ô Phariſæe vane, niſi quòd purus es & intactus, & à cæteris Chriſtianis ſegregatus. Addam ego: Et excommunicatus.* Illum meritò vocat mente excæcatum.

Nec illa fuit ſolius Neophyti ſententia. Etenim de omnibus paſſim Græcis poſt captam Conſtantinopolim ſcripſit ad omnes ubique Chriſtianos Imperator Balduinus: *Hæc eſt Gens, quæ omnes Latinos non hominum nomine dignatur, ſed canum, quorum ſanguinem effundere penè inter merita reputatur, nec ullâ ſatisfactione ſatisfaciunt Laïci Monachi, penes quos, Sacerdotibus ſubmotis, tota ligandi atque ſolvendi conſiſtit auctoritas.* Addit Legatum Apoſtolicum nuper ab illis fuiſſe occiſum: *Græci, ſicut eorum qui viderunt recens recolit memoria, Legatum Apoſtolicum morte tam turpiſſimâ condemnarunt, ut nec inter Martyres legatur ulla conſimilis, licet pœnas incredibiles invenerit ingenioſa crudelitas.* Exſtat epiſtola apud Arnoldum Abbatem Lubecenſem in Chronico Sclavorum. Quòd apud Græcos ſoli paſſim Monachi Confeſſiones audiant, eſt omnino verum. Conjugatis enim Sacerdotibus detrectant confiteri. Etiam quòd Laïci Monachi fungantur iſto munere, non errat Balduinus: Paſſim tamen ſolis Presbyteris creditum ſemper fuit iſtud miniſterium. Et ad Thomam Conſtantinopolitanum Patriarcham ſcribit Innocentius III. *Græci Latinos omnes canes appellant.* Trucidatus ab illis Legatus videtur fuiſſe Joannes Alexandri tertii

Lib. 6. c. 20.

tertii

Digitized by Google

tertii Legatus, de quo ſcribit in Sacri Belli Hiſtoria Guilielmus Metropolita Tyriorum: *Græci virum venerabilem, Joannem nomine, S. Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum, quem pro negotiis Eccleſiæ Dominus Papa illuc direxerat, comprehendentes, in contumeliam Eccleſiæ decollaverunt, caput ejus ad caput immundæ canis alligantes.* Agit de invaſo per Andronicum Comnenum Imperio, demonſtratque Latinos reverà ab illo fuiſſe tractatos uti canes. Quæ omnia pluribus refert in Sigiberti Gemblacenſis appendice Robertus Abbas Montenſis, addens laudatum Joannem fuiſſe Alexandri tertii Legatum, apud Conſtantinopolim ſtetiſſe ad faciendam Eccleſiarum pacem, & occiſum multis coruſcaſſe miraculis. Ab Alexandro fuerat miſſus, & à ſucceſſore Lucio tertio ibidem continuatus. Et de habitantibus in Syria ſub Latinorum tunc dominio Græcis ſcribit in Orientalis Eccleſiæ Hiſtoria Jacobus Cardinalis de Vitriaco: *Latinorum Prælatis, in quorum Diœceſibus commorantur, non corde, ſed ore tantùm & ſuperficialiter ſe dicunt obedire, timore ſcilicet Sæcularium Dominorum. Habent enim proprios Epiſcopos Græcos. Nec Latinorum excommunicationes, vel alias quaſcumque ſententias in aliquo formidarent, niſi ab eorum Communione in contractibus & in aliis neceſſitatibus Laïci noſtri ſe ſubtraherent. Dicunt enim inter ſe, quòd Latini omnes excommunicati ſint, ideóque non poſſint aliquos aliquâ ſententiâ innodare.* E Florentina Synodo reverſi Epiſcopi in Patriarcham elegerunt Metrophanem Cyzici Epiſcopum, ejuſque inthronizationi adfuit Chriſtophorus Coronenſis Epiſcopus, Eugenii quarti Pontificis Legatus, ac Apoſtolicâ vice ipſam probavit & confirmavit. Neſcio cujus propè Conſtantinopolim pagi Presbyter Theophylactus ad eoſdem, quòd nunquam vidiſſet, ſacros & ſolemnes ritus curioſus ſpectator advenerat. Ad Dominicæ Adſcenſionis Feſtum redux in pagum, pulſatis de more campanis populum ſuum convocavit primò ad Veſperas, deinde ad ſolemnem Miſſam: Verùm nemo comparuit. Et ſuo Parocho dixerunt cauſam: *Quia tu Patriarcham ſecutus es Romanâ novitate initiatum, & nos te eâdem Latiniſmi leprâ contactum ſuſpicamur.* Non Communionis, ſed ſolius curioſitatis gratiâ ſe adfuiſſe proteſtatus eſt Theophylactus, & nihilominus reſpondit populus: *At te ſaltem turbæ immiſcuiſti in Latina dogmata degeneranti, coram Patriarcha Romani Pontificis aſſecla, cujus etiam inter cæteros te afflavit benedictio.* Non quòd Legati, ſed quòd Legato communicantis Patriarchæ benedictioni adfuiſſet, arguunt ſuum Parochialem Presbyterum, ipſius Communionem affirmant ſcabioſam, ac penitus deteſtantur. Ejuſmodi benedictionem cenſebant peſſimam maledictionem. Latè hoc deſcribit in Florentini Concilii hiſtoria, & mirificè extollit homo Schiſmaticus Sylveſter Sguropulus.

Lib. 22. Cap. 12.

A. 1128.

Lib. 10. cap. 75.

Lib. 12. cap. 5.



Digitized by Google

Florentina unio non diu duravit. Ejus prævaricatio Imperatorem Joannem Paleologum mœrore exſtinxit. Interim Turcorum Princeps Mahometes ſecundus, & Divina per ipſum vindicta quotidie magis & magis accedebant Conſtantinopolim, ideoque Joannis frater & ſucceſſor Conſtantinus ad Nicolaum quintum Pontificem miſit novos Legatos, unionem reparari ſupplicavit, & ſuo prævaricatori populo placari divinam Majeſtatem. Et Pontifex legavit virum Græcum, venerabilem Iſidorum Ruſſiæ Archiëpiſcopum, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem. Et hic poſt multa nomen Pontificis reddidit ſacris Eccleſiarum tabulis, Schiſma iterum exſtinxit, & in ſanctæ Sophiæ Eccleſia ſolemnem unionis Miſſam cantavit. At de ipſa ſcribit inſignis ille Orthodoxus, cujus pronomen ignoramus, Ducas: Cap. 36. *Multi ſacris donis oblatis abſtinuerunt, quòd illa Liturgia concordiæ reconciliandæ celebrata, impium & abominandum Sacrificium peractum exiſtimarent.* Hoſce Schiſmaticos animabant Gennadius in Pantocratoris Cœnobio Monachus, in Palatina capella Pœnitentialis Presbyter Neophytus, aliique ferè omnes Clerici & Monachi, de quibus pergit laudatus Ducas: Cap. 37. *Ad eos accedentes Chriſtiani peccata ſua confeſſuri, interrogabantur an cum eis, qui ab Eccleſiæ Communione reſciſſi ſunt, communicaſſent? An ab Henotico celebratæ Liturgiæ interfuiſſent? Et fatentibus pœnitentiæ causâ dura pœna inflicta, mulctaque gravis dicta. Peractâ deinde ex more pœnitentiâ, qui participatione corporis & ſanguinis Dominici dignus cenſebatur, illa percipere à Sacerdote Henotico, gravi pœnâ indictâ vetabatur. Talem enim Sacerdotem non eſſe, nec perfectè ab eo oblationem peragi. Ad funus porrò efferendum, vel mortui commemorationem faciendam vocati, ubi Henoticus Sacerdos illic comparuiſſet, ſtolis ſubito exuti velut è flammis mediis ſe proripiebant. Magna etiam Eccleſia Dæmoniorum ſpecus & Græcorum gentilium delubrum cenſebatur. Vbi cerei? Vbi oleum in lychnis accendendis? Omnia tenebris plena. Nec ullus, qui eas diſſiparet, aderat. Templum Sacrum deſertum conſpiciebatur: Solitudinem, qua mox propter peccata & iniquitates in eo habitantium erat complendum, portendens.* Et infrà: *Aprilis die ſexti, Paraſceve poſt Paſcha, obſidione Vrbem cinxit Mahometes. Conſtantinopolitani à quo die in magna Eccleſia facta eſt concordiæ reconciliatio, illam ut Iudæorum Synagogam refugiebant, nec in ea oblatione, holocauſto, aut incenſo litabatur. Si quis Sacerdotum Divinam Liturgiam die aliquo inſigni celebrare voluiſſet, qui precabantur, quo uſque ad oblationem Sacrorum donorum ventum fuiſſet, adſtabant: Deinceps omnes tam mulieres quàm viri, Monachi atque Moniales exibant. Quid pluribus eſt opus? Templum illud pro delubro & ara gentilium, & Sacrificium perinde ac Apollini factum exiſtimabant.* Quòd Græcus, verum Orthodoxus & Romanæ Ec-

Eccleſiæ communicans, Epiſcopus & Cardinalis in ipſo celebraſſet. Iſtum ab acceptata unione cenſebant exutum Sacerdotio, & oblatum ab ipſo Sacrificium eſſe vacuum ac maledictum Attentatum. Hæc capitalia in Latinos odia exercuerunt etiam in obſeſſa Civitate. Etiam Clerici & Monachi. Quòd etiam hi adversùs factam in Lugdunenſi Synodo unionem fuerint pertinaciſſimi, teſtantur Georgius Pachymeres & Nicephorus Gregoras. Nempè etiam tunc iniquitas eſt egreſſa à Senioribus, qui videbantur regere populum. Verùm Divina Juſtitia non dormitat. Quomodo capta Urbe Schiſmatici illi ad laudatam Sanctæ Sophiæ Baſilicam confugerint turmatim quaſi ad azylum, & quomodo illic à Turcis oppreſſi & capti fuerint crudeliſſimè, accuratè refert laudatus Ducas. Nempè in quæ quis peccat; in his merito & punitur. Dum barbarus Gothorum Rex Alaricus cepit Romanam urbem, etiam Pagani Romani ad Sanctorum fugerunt Baſilicas, & has iſte fuit veneratus; at verò captæ Conſtantinopoleos nulli Baſilicæ pepercerunt Turci: Quod nempè Schiſmatica turbulentia excedat omnem idololatriam.

Quartam Michaëlis Cerularii in nos Latinos injuriam adducit in ſcripto adversùs ipſum Libro Cardinalis Humbertus: *Verè omninò aqua furtiva eſt, in qua rebaptizatis Latinos Catholicè baptizatos, quod nullus Catholicus adhuc præſumpſit, ſcilicet ut rebaptizaret aliquos in nomine S. Trinitatis ab ipſis etiam Hæreticis baptizatos.* Et in ſuorum apud Conſtantinopolim Geſtorum breviculo: *Græci, ſicut Ariani, rebaptizant in nomine S. Trinitatis baptizatos, & maximè Latinos. Sicut Donatiſtæ affirmant, exceptâ Græcorum Eccleſiâ, Eccleſiam Chriſti, & verum Sacrificium atque Baptiſmum ex toto mundo periiſſe.* Blaterarunt non ſolam Euchariſtiam & Ordinationem, ſed etiam Baptiſma apud Latinos eſſe vacuum & nullum. Labitur tamen Humbertus, quòd nemo unquàm Catholicus aſſeruerit datum in legitimo verbo ac elemento etiam ab Hæreticis baptiſmum eſſe repetendum. Id enim aſſeruerunt non ſoli cum ſuis Synodis S. Cyprianus ac S. Firmilianus, ſed etiam poſt Nicenam Synodum magnus Baſilius. Et adversùs hunc Conſtantinopolitana Synodus Niceno Symbolo indidit hoc additamentum: *Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Ex Græco in nos odio etiam Theodorus Balſamon ad Marcum Alexandriæ Patriarcham ſcripſit captivum, aut alium quemvis Latinum, antequàm à Græcorum Sacerdotibus admittatur ad Euchariſtiam, compellendum *ejerare Latina dogmata, canonicè Catechiſmo initiandum, & ſic referendum in numerum Orthodoxorum.* Utique novo poſt novum Catechiſmum Baptiſmo. Et Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores repertus Tractatus habet:



Digitized by Google

bet : *Græcorum Sacerdotes omnibus modis laborant oſtendere plus factis quàm dictis , quòd inviolata fides ſacro-ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſit irrita. Nam quemcumque Latinum ſibi aſſociant per fidem , ſive latenter ſive patenter baptizant. Unde Latinorum Filios , mediantibus Matribus , dicti Sacerdotes, neſcientibus Patribus , rebaptizant , baptizatos jam ſecundùm ritum Latinorum. Quod omnibus abominationibus eſt deteſtabilius.* Et in laudatis ad omnes ubique Orthodoxos litteris Latinus Græcorum Imperator Balduinus : *Græca gens inter ritus nefandos , quos ſibi ſpretâ Scripturarum auctoritate confinxit , etiam lavacri ſalutaris plerumque facere præſumit iterando jacturam.* Et in ſua Lateranenſi Synodo Innocentius tertius : *Poſtquàm Græcorum Eccleſia cum quibuſdam complicibus ac authoribus ſuis ab obedientia Sedis Apoſtolicæ ſe ſubtraxit , Græci cœperunt abominari Latinos. Baptizatos à Latinis rebaptizare auſu temerario præſumebant , & adhuc , ſicut accepimus, quidam agere hoc non verentur.* Lucidè agit de noviſſimo Michaëlis Cerularii ſchiſmate. Nec enim Photius , aut quis Photianus id unquàm vel cogitavit. Et ipſi etiam Michaëliſtæ de infami facinore tandem erubuerunt. Hinc addit Pontifex : *Et adhuc quidam agere non verentur.*

Lib. 5. cap. 5.

Nempè in libris adversùm Donatiſtas & cunctos rebaptizatores rectè ſcribit S. Auguſtinus : *Huc accedit , quia ſic homines occultâ neſcio quâ inſpiratione Dei deteſtantur , ſi quis iterùm Baptiſmum accipiat quem ubicumque acceperat , ut eidem ipſi Hæretici , dum indè diſputant , frontem confricent , & propè omnes eorum Laïci , qui apud eos inveteraverunt , & animoſam pertinaciam adversùs Catholicam conceperunt , hoc ſolùm illic ſibi diſplicere fateantur. Et multi , qui propter adipiſcenda aliqua commoda ſæcularia tranſire ad eos volunt , occultis conatibus ambiant , ut hoc eis quaſi peculiari & domeſtico beneficio præſtetur , ne rebaptizentur. Et nonnulli cæteris eorum vanis erroribus & falſis criminationibus adversùs Catholicam Eccleſiam credentes , hoc uno revocentur,ut eis ſociari nolint, ne rebaptizentur.* Et ex hoc ineluctabili omnis Chriſtianæ mentis horrore ipſi etiam Donatiſtarum Principes Primianiſtæ Maximianiſtarum Baptiſmum contra ſua principia cenſuerunt ratùm , & admiſerunt. Nec unquam integras in Paſchate turmas , ſed hinc inde dumtaxat unum rebaptizarunt aut alterum : Quòd nempè in uno per diverſa loca aut altero *facti horror non ita ſentiretur.*

Cap. 6.

Quod ipſum Auguſtinus repetit etiam in commentario Pſalmi quinquageſimi quarti. Et hic horror omninò invaſit etiam Græcos. Hinc enim Marco Epheſiorum Archiëpiſcopo , Baptiſma noſtrum eſſe irritum & repetendum blateranti, reſpondit Gregorius Protoſyncellus : *Quid multa ? Unum & ipſe Vir egregius novit Baptiſma noſtrum & Latinorum, non duo. Cùm enim alumnus Eccleſiæ ſit, nunquàm vidit Latinos iterùm baptizari à no-*

*à nobis. Verùm hæc ille profert iratior.* Affirmat Marcum ex ira loqui adverſùs proprium judicium, nunquàm vidiſſe rebaptizari Latinos, nec fore auſum prorumpere in iſtud facinus.

Quintam Michaëlis Cerularii in nos injuriam exponit in litteris ad ipſum Michaëlem S. Leo nonus: *Romanæ Eccleſiæ agnos ab ea ſeparare, etiam anathemate & flagellis contenditis, ut enim fertur, omnes Latinorum Baſilicas penes vos clauſiſtis, Monachis Monaſteria & Abbatibus tuliſtis, donec veſtris viverent Inſtitutis.* Et in latæ adverſùs Michaëlem excommunicationis diplomate Cardinalis Humbertus: *Michaël Apoſtolicis Nuntiis præſentiam ſuam & colloquium denegavit, & Eccleſias ad Miſſas agendas interdixit. Sicut & priùs Latinorum Eccleſias clauſerat.* Et in ſuprà laudatis litteris Imperator Balduinus: *Græca gens in odium ſummi Pontificis Apoſtolorum Principis nomen audire vix poterat, nec unam eidem inter tot Græcas Eccleſiam concedendo, qui omnium Eccleſiarum ab ipſo Domino accepit Principatum.* Hujus ſchiſmatis mala enumerat in litteris ad Gregorium nonum Pontificem etiam Conſtantinopolitanus Græcorum Patriarcha Germanus, habetque & hunc articulum: *Sigilla januis Eccleſiarum impreſſa.* Utique Sigilla Imperialia. Latinas Baſilicas Græcorum Epiſcopi & Principes tractarunt, quomodò Chriſti Domini Sepulchrum tractarunt Judæorum Pontifices ac Pontius Pilatus. Eandem injuriam urget in litteris ad Thomam Latinum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarcham Innocentius tertius, & adjungit de Imperatore Iſaàcio Angelo: *Iſaàcius* Lib. 1.
*Imperator ob gratiam Saladini fieri fecit in urbe Conſtantinopolitana Meſkitam.* Epiſt.
Saladinus iſte fuit Turcorum in Syria Sultanus, qui nobis Hieroſoly- 184.
mitanam Civitatem & omnem ferè Terram Sanctam eripuit, & de quo ſcribit Matthæus Pariſienſis: *Accedit ad cumulum iniquitatis, & opprobrium ac deſolationem Chriſtianitatis, familiaritas quæ viget inter Saladinum & Imperatorem Conſtantinopolitanum, cui idem Saladinus tradidit omnes Eccleſias Terræ Promiſſionis, ut in eiſdem ſerviatur ſecundùm ritum Græcorum. Inſuper etiam idem Saladinus miſit Idolum ſuum Conſtantinopolim Imperatoris aſſenſu, ut ibi publicè coleretur. Sed per Dei gratiam eſt captum in mari à Ianuenſibus, & cum ipſa navi perductum eſt Tyrum. Nuper etiam exercitus conſtructus eſt copioſus ante urbem Antiochiæ, & dictus Imperator promiſit centum Galæas Saladino. Saladinus quoque dedit ei totam Terram Promiſſionis, ita ſcilicet ut impediat viam Chriſtianorum, maximè autem Francorum, ad ſucceſſum Terræ Sanctæ properantium. Nec eſt aliquis apud Conſtantinopolim, qui crucem accipiat, quin ſtatim capiatur & carceretur.* Hujuſmodi abominanda adverſùm Latinos fœdera cum Turcis iniit iſte, quem Nicetas Choniates meritò vocat terreſtrem, Angelus. Quid per Saladini Idolum Matthæus

Digitized by Google

thæus intelligat, ignoro. Turci enim à Saracenis, ex quibus iconoclaſtia per Leonem Iſaurum Imperatorem ducit originem, licet gente differant, erroribus concordant, & ambo ſacras Imagines deteſtantur. Exiſtimo à Matthæo intelligi ipſius Saladini effigiem, in Conſtantinopolitana Aula figendam ac venerandam. Quidquid ſit, Meſkita fuit omninò ædificata: Fuiſſe ad ſeptemtrionalem Urbis portam,
Cap. 2. circa mare, propè S. Irenes Baſilicam, ſcribit in memorato Iſaâcio præfatus Nicetas. Et de Urbis invaſoribus Flandris pergit: *Quidam è Francis, qui olim Flaminii vocabantur, ad diripiendas Saracenorum facultates trajiciunt. Ea ſcelerata factio, cùm ad Vrbem appuliſſet, in Saracenorum Synagogam irrumpunt, & per vim omnia diripiunt. Eam inexſpectatam injuriam Saraceni armis obiter arreptis ulciſcuntur, Romanis etiam, ejus mali famâ excitatis, adjuvantibus.* Quòd nullam Latinis Eccleſiam, Saracenis autem & Turcis eſſe ſuam Meskitam viderent Parentes noſtri, indignati hanc lacerarunt penitus & everterunt. Et hanc ita dilexerant Græci, ut in ipſa tutanda Saracenos & Turcos contra Chriſtianos Latinos adjuvarent. Et hinc acriùs incenſi noſtri Parentes ignem injecerunt in omnem Conſtantinopolim, & Regiam urbem fœdè deformarunt. Et tunc Studii Monaſterio evênit calamitas, quam refert Nicephoras Gregoras: *Conſtantinus*, Imperatoris Michaëlis Paleologi
Lib. 6. Porphyrogenitus Filius, *Templo Studii ſplendidum addidit tectum (locus enim is deſolatus erat à Latinis, & longo jam tempore oves paſcebat) & firmo muro circumducto, & magnis impenſis Monachorum habitationi accommodavit ædificium, ut parum à vetere forma differret.* Flandri noſtri iſtud Monaſterium poſſint ob Nicetam Pectoratum ſingulariter odiſſe. Quidquid ſit, lucet quòd ſchiſmatici Græci Turcicam Meskitam permittere maluerint, quàm Latinam Eccleſiam.

Latinas Eccleſias & Latina in ipſis officia Michaël Cerularius adeò odit, ut ipſas etiam Apoſtolicis Legatis *ad agendas Miſſas interdixerit.* Quæ Cardinalis Humberti verba reſpiciunt ſimile facinus Pauli Patriarchæ Conſtantinopolitani, de quo ad Lateranenſem ſuam Synodum dixit S. Papa Martinus primus: *Paulus pravitatem ſuam defendens, quòd nunquam à prioribus Hæreticis præſumptum eſt, illicitè præſumere ſtuduit. Altare enim ſanctæ Noſtræ Sedis, in domo Placidiæ ſacratum in venerabili Oraculo, ſubvertens diripuit, prohibens ne adorandam & immaculatam hoſtiam, id eſt, ſacram celebrationem Apocriſarii noſtri ibidem Deo offerre valeant, & vivificæ Communionis Sacramenta percipiant. Quos videlicet Apocriſarios, qui ex præceptione Sedis Apoſtolicæ auctoritatis commonuerant eum, ut de hæretico intentu recederet, nec non conteſtari viſi ſunt, perſecutionibus diverſis, cum aliis Ortho-*

*Orthodoxis viris & venerabilibus Sacerdotibus inſectatus eſt, quoſdam cuſtodiæ retrudens, alios in exilio deportans, alios verberibus ſubmittens.* Quæ verba in Librum etiam Pontificalem ac laudati Martini vitam tranſtulit Anaſtaſius Bibliothecarius. Et idem facinus Michaëli Cerulario in faciem objecit S. Leo nonus. Illuſtrem in Blachernis & Divinam & humanam Baſilicam exſtruxit Imperatrix Pulcheria: Idque in uſum Sedis Apoſtolicæ. Apoſtolici enim & Legati & Apocriſarii illic deinceps habuerunt domicilium aut hoſpitium, & Latino ritu Sacra faciebant. Etiam ipſi Romani Pontifices. Quin & de S. Joanne primo Pontifice, quem Theodoricus Italiæ Rex Arianus legaverat ad Imperatorem Juſtinum primum, ſcribit in Chronico Marcellinus Comes: *Ioannes Papa Conſtantinopolim venit, miro honore reſumptus eſt. Dexter dextro Eccleſiæ reſedit Solio, diemque Domini noſtri Reſurrectionis plenâ voce Romanis precibus celebravit.* Et Agapetus Pontifex, dum Conſtantinopoli in ejecti Anthymi locum conſecravit Mennam Patriarcham, non eſt dubitandum quin omnia egerit ritu Latino. Quod item S. Agathonis poſt peractam ſextam Synodum Legati, non in Blachernenſi, ſed in ipſa S. Sophiæ Patriarchali Baſilica Latinam Miſſam celebraverint, eſt ſuprà oſtenſum, & in litteris adversùs Nepotem ſuum Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum confirmat Hincmarus Metropolita Remenſis. Et haud dubiè Joannes etiam & Agapetus iſtic celebrarint. Et antiquiſſimus tam Latinæ quàm Græcæ Eccleſiæ Canon eſt, ut advena Epiſcopus invitetur ad ſolemne & verbum & ſacrificium. Quod S. Polycarpo Smyrnenſi Epiſcopo honorem iſtum etiam Romæ obtulerit Anicetus Pontifex, teſtatur apud Eccleſiaſticam Euſebii Cæſareenſis hiſtoriam S. Ireneus. Quod ergò & Latini Græcis, & Græci olim Latinis omnibus Epiſcopis iſtud ipſum fecerint, non eſt ambigendum. Et hinc Legatis ſuis factam etiam in proprio Templo & Altari injuriam meritò tulit ægerrimè S. Martinus. Monothelita Paulus videtur Romanos non ſolùm de Neſtorio, ſed etiam arguiſſe de azymo, ideòque Legatis clauſiſſe Eccleſiam. Quidquid ſit, de azymo iſthic diſputatum fuit, ipſum probatum etiam à Græcis, & in injuriæ compenſationem Legati non ſolùm in Blachernenſi, ſed etiam in S. Sophiæ Baſilica ſolemniter in azymo celebrarunt. Et iſtud Pauli facinus reſumpſit Michaël Cerularius. Et poſteriores Patriarchæ continuarunt adeò pertinaciter, ut etiam de facta per Imperatorem Michaëlem Paleologum & Lugdunenſem Gregorii decimi Synodum unione ſcribat Nicephorus Gregoras: *Nullus Latinorum ad Papæ rationem celebravit Liturgiam, niſi quod Freriorum nonnulli poteſtate datâ ſemel in Blachernio Templo*

Epla. 1. cap. 10.

Epl. 33. cap. 20.

Lib. 5. cap. 24.

Lib. 5.



Digitized by Google

*id fecerint, ſuffragio cujuſdam è familiaribus.* Hujus unionis mediatores & Apoſtolici ad Michaëlem Legati fuere ſemper Fratres Prædicatores aut Minores: Hinc illis antiquum jus non fuit redditum, ſed facta quaſi ſingularis gratia ſemel in Blachernenſi Eccleſia Latinam Miſſam celebrandi. Hujus celebrationis cauſâ, quivis Latinus debebat transfretare ad Sycas, quæ hodiè vocatur Galatha aut Pera. Etiam iſti nobis uniti Græci Latinam Miſſam fuerunt adeò averſati. Nempè apud plurimos erat non vera, ſed ſimulata & diſpenſatoria unio, uti pluribus oſtendit Georgius Pachymeres, & poſt Michaëlis Auguſti mortem demonſtravit eventus.

Sextam Michaëlis Cerularii in nos injuriam edicit in ſua Lateranenſi
Can. 4. Synodo Innocentius tertius: *In tantum Græci cœperunt abominari Latinos, ut ſi quando Sacerdotes Latini ſuper eorum celebraſſent Altaria, non prius ipſi ſacrificare volebant in eis, quàm ea tanquàm per hoc inquinata lavaſſent.* Et Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores repertus Tractatus habet: *Si fortè Latinus Sacerdos, quod vix permittitur, in Græcorum Eccleſiis Dominica peragat, Græcus non niſi abluto Altari ibidem celebrat.* Et Jacobus Cardinalis de Vitriaco: *Suriani Altaria, ſuprà quæ Latini celebraverunt Divina, priuſquàm ipſi celebrent, abluere conſueverunt.* Quod cunctas clauſiſſent Latinorum Eccleſias, compulſi ſumus apud ipſos celebrare: Et tunc iſtud injuriæ genus nobis addiderunt. Addiderunt à primo ſui ſchiſmatis auctore Photio, de quo ſcribit in S. Patriarchæ Ignatii vita Nicetas Paphlago: *Mandavit Photius*, ut per S. Ignatium conſecrata *Ara, ad littus maris deportata, quadrageſies unda tingeretur, atque ita demùm reducta reponeretur.* Et de Timothei Æluri in S. Patriarcham Proterium, cujus trucidati Alexandrinam Sedem invaſerat, odio ſcribit ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum Orthodoxa Ægypti Synodus: *Timotheus ad tantam inſaniam inſiluit, ut etiam Pontificales Sedes, in quibus reſedit ſanctæ memoriæ Proterius, poſtquàm fregit eas, igni contraderet, & venerabilia ac ſancta Altaria in ſanctis Eccleſiis, ubi ædifica-*
Epl. 23. *ta ſunt atque dicata, aqua marina diluerit.* Exſtat epiſtola poſt Synodum Chalcedonenſem. Quod item Donatiſtarum in nos odium fregerit aut raſerit noſtra Altaria, noſtros Calices conflaverit, & noſtrarum Baſilicarum etiam pavimenta ac parietes marina aqua expurgaverit, teſta-
Lib. 6. tur ac deteſtatur S. Optatus Epiſcopus Milevitanus. Nempè ſe cenſebant per omnia mundos, ideòque à maculatis noſtro miniſterio Vaſis, Altaribus, aut Baſilicis nolebant contaminari. Ex quo Schiſmatico & Phariſaico faſtu etiam Pneumaticus, ſeu Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Pœnitentialis Presbyter Ferrariæ adversùs Patriarcham ſuum Joſe-

Joſephum, dum ab Eugenio quarto Pontifice ad celebrandum Paſcha peteret ſibi ac ſuis Epiſcopis Eccleſiam, fecit quod in Florentini Concilii hiſtoria ſcribit Sylveſter Sguropulus: *Quamplurimis noſtratium viſum id eſt indignum, maximè Pneumatico Gregorio. Qui multum detonuit, vehementerque deſpuit in hoc facinus, omnigenis injectis probris & querimoniis.* Lib. 4. Cap. 31. *Quin & à ſe repulit, quos novit huic incæpto favere, tanquam Sycophantas unionem cum Latinis ambitioſè nimis & intempeſtivè procantes.* Et hanc ejus interceſſionem Sguropulus omninò probat ac laudat. Quæ omnia ſciens Eugenius meritò negavit illis Baſilicam, & ægrè tandem indulſit modicum S. Juliani Sacellum, non ad Divina officia, ſed ad ſolam ſepulturam mortuorum.

De iſto ſpirituali Gregorio pergit Sguropulus: *Quin Gregorius & hoc inſuper adjecit memorabile dictum coram Patriarcha, & Archiepiſcopis, & nobis omnibus; Quoties aſcendo in aliquam Latinorum Sacram Ædem, nullam adoro Imaginem alicujus Sancti ex iis omnibus, quos illic contemplor, quia illorum Sanctorum novi neminem. Chriſtum fortaſſe ſolùm novi. Sed nec Chriſtum in eorum Templis adoro. Quia neſcio quibus fidei titulis deſinitus mihi proponitur adorandus. Sed me ipſum Cruce inſignitum munio, & tunc adoro. Adoro igitur quàm mihi præfiguravi Crucem, & nihil ultrà eorum omnium, quæ meis oculis obverſantur. Tam averſum & crudum animum Gregorius in initio ſe concepiſſe monſtrabat contra omnia commercia cum Latinis habenda. Et in conſpectu noſtro profuſè flevit, quod in Latinorum territoria Græci unquam penetraſſent.* Quod duplicis Divinitatis fabulones, Sabelliani, Ariani, Apollinariſtæ, Eutychiani, aliique omnes circa Divinæ Majeſtatis ſubſtantiam errantes Hæretici ſint veri Idololatræ, eſt conſtans doctrina Patrum. Iſti enim non vivum & verùm, ſed à ſe confictum Deum habent & adorant: Faciunt Idola non manu in ara, ſed intellectu in ſua phantaſia. Hinc etiam Calviniſtas, qui Deum optimum maximum blaſphemant eſſe auctorem peccati, & plura aliena illi affingunt, eâdem maculari Idololatria non dubitamus. Porrò de Divina Majeſtate non ſolùm cum Calviniſtis, ſed etiam cùm Judæis & Sabellianis ſentiunt Mahometani, ideoque & ipſos eſſe Idololatras, antiqui Græcorum Doctores & conſtantiſſimè & veriſſimè cenſuerunt. Et antiqui ipſorum Catechiſmi Lib. 7. continent *Anathema in Mahometi Deum, quem nec genuiſſe nec genitum ille* Cap. 6. *affirmat, ſed Holoſphyrum.* Verùm de Schiſmatico Imperatore Manuële Comneno ſcribit Nicetas Choniates: *Manuël id Anathema ex omnibus Catechiſticis libellis aboleri voluit, ab ipſa magnæ Eccleſiæ tabula auſpicatus. Idque ratione probabili ſcilicet. Ajebat enim blaſphemiis in Deum qualibuſcumque offendi Agarenos, qui ad piam noſtram Religionem deficerent.* Conſtanter &



Digitized by Google

dudum illi obſtiterunt cum multis Epiſcopis Patriarcha Theodoſius & Euſtatius Metropolita Theſſalonicenſis, verùm Principis ſententia tandem per potentiam obtinuit, ſcribitque de iſtis Nicetas: *Epiſcopi tandem ægrè aſſenſerunt, ut Anathema à Deo Mahometi in ipſum Mahometem, & omnem ejus doctrinam & Sectam, in Catechiſticis libellis transferretur. Quo decreto & firmato poſt multos congreſſus, tandem quieverunt.* Et hoc Decretum haud dubiè ſervavit iſte etiam Spiritualis Gregorius. Mahometanis verum Deum, nobis autem Latinis cenſuit eſſe falſum Chriſtum; ideoque ipſum noluit adorare. Dum iter ad Florentinam Synodum pararet Imperator Joannes Paleologus, ad ejus Legatum Paulum Aſanen Turcici Sultani Amurathis Baſſæ dixerunt. *Quid rei eſt quod veſtrum Imperatorem tantopere impellit ad Latinorum opem implorandam? Si neceſſitas urgeat, exprimat mentem Imperatori noſtro, qui actutum ſubveniet. Et opportuniora ſubſidia à noſtro Domino inveniet, quam à Latinis.* Lib. 3. C. 14. *Et magis profuerit veſtro Imperatori fœdus iſtum cum Amurathe, quam cum Latinis.* Imperatorem Joannem, quod hæc conſilia non probaverit, arguit Sguropulus. Nempè & ipſi magis placebat Mahometi Deus, quàm Chriſtus Latinorum. Ex eodem fonte quidam intrà obſeſſam à Mahomete ſecundo Conſtantinopolim clamabant ſe malle intra muros admitti tiaram Turcicam, quàm galerum Latinum. Ita ſcribit Orthodoxus Ducas.

# CAPUT XIII.

## *Exponitur alia Græcorum in Latinos Injuria.*

EX eodem odio profectum eſt facinus, quod poſt Florentinam Synodum in Sancti Marci apud Venetos Baſilica patravit Antonius Heracleënſis Epiſcopus, Europæ Metropolita. Ad factæ unionis honorem & firmitatem Venetiarum Dux Græcorum Imperatori obtulit laudatam Cathedralem Baſilicam, in quâ ejus Epiſcopi Græco ritu agerent Liturgiam. Gaviſus fuit Catholicus Princeps, & quòd Patriarcha Joſephus Florentiæ obiiſſet, per dictum Antonium, utpotè primum à Patriarcha Antiſtitem, celebrari voluit, & non niſi poſt longas preces & minas Schiſmaticum hominem ad obtemperandum perduxit. Tandem ergo ille peregit ſacrificium, & de ipſo ſcribit Sylveſter Sguropulus: Lib. 11. Cap 4. *Dux & quotquot eum circumſtipabant, noſtris ritibus applauſerunt. Quamquam alii obtrectatores, quod Latinorum in Eccleſiis Sacra peregiſſemus, nobis immeritò quidem & invidè calumniabantur. Nam non niſi noſtra*

*uſur-*

*uſurpavimus Antimenſia, & noſtra ſacra vaſa, ut anteà in profanis Latinorum ædibus adſuevimus.* Eandem Liturgiam refert, & ab omni Venetiarum populo laudatam ſcribit Orthodoxus Ducas: Affirmat tamen non poſt, Cap. 31.
ſed antè Florentinum Concilium fuiſſe celebratam. Verum Sguropulo, qui fuit unus ex Altaris & Antonii celebrantis Miniſtris, eſt potiùs credendum. Et antè peractam unionem nec Eugenius Pontifex, nec Ferrarienſis Epiſcopus illis ad celebrandum Paſcha voluit vel ullam Monaſterialem permittere Baſilicam: Quomodo igitur Venetorum Patriarcha permiſiſſet & obtuliſſet ſuam Patriarchalem?

Antimenſiorum frequens eſt & antiqua memoria. Græcorum quippè Euchologium habet & hunc titulum: *Ordo fieri conſuetus in Antimenſiorum conſecratione.* Et conſecrationis preces ipſa aſſiduè vocant Dei Thronum, & Altare. Antimenſium enim eſt Græcis iſtud ipſum, quod nobis Altare portatile. Et in jure Græco-Romano exſtat hæc quæſtio: *Quid Græcè ſignificent Antimenſia? Et quomodò ſcribendum ſit, per Eta, an Iota?* Lib. 5.
Et Joannes Cithri Epiſcopus reſpondet: *Apellatio ipſa deducitur à minſo*, quod ſecundùm Græcos ſignificat Caniſtrum, & ſecundùm Italicam linguam præparatum à quovis edulium. Hâc enim ratione & in menſis explicatæ mappæ dicuntur menſalia, ad ornatum puta menſæ & minſorum, id eſt Eduliorum, ornatum poſitæ. Vulgari autem ſermone dicuntur Antimenſia, ut in veſtimentis Antipana, vel quæcumque propter effectus reflexionem ſunt appellationem ſortita. Hæc autem in ſanctis ponuntur menſis, quas conſecratio non ſanctificavit. Nam ex Antimenſiis ipſa nobis conſecrata menſa, & ſacrificata oblatio Sanctificationem ſumunt. Quæ enim ſanctificata eſt ex ſeipſa ſanctificat dona: Cum per ſe non ſint ſancta.* Ad vocem, *Antipana*, addit in ſuis Euchologii Scholiis Joannes Goar: *Pravè interpres vertit fimbrias ante annos, cum potiùs pannos veſtibus ſubductos vox ſignificet.* Pergit Cithri Epiſcopus: *Si igitur haud dedicatum eſt Templum, quod ei deeſt, ſanctificatoria Antimenſii vis ſupplet, ideòque in Templo non conſecrato Sacris operari ſine Antimenſio nunquàm conceſſum eſt. Quonam enim modo Altare ſanctificabit donum, ſi ſanctificationis non fuerit particeps? Et Sacerdoti, qui hoc auſus fuerit, pœna erit depoſitio.* Alii Græci meliùs aſſerunt vocem non à minſo, ſed à menſa derivari, & hinc Theodori Balſamonis Interpres ipſam rectè vertit: *Super-Altaria.* Sylveſtri Sguropuli Tranſlator Robertus Creygthonus vertit: *Inſtrata Menſalia.* Eſt vox partim Græca, partim Latina, ideòque palam non antiquiſſima. Res tamen videtur antiquiſſima. Etenim de ſeſe invicem impugnantibus Arianis ſcribit ad ſuos Monachos magnus Baſilius: *Si Orthodoxus eſt Baſilides, quamobrem* Epiſt.
*cum è Dardania redirent, Altaria ipſius ſubverterunt in agro Gangrenorum, Men-* 73.



Digitized by Google

*ſaſque ſuas ſubſtituerunt*? Per haſce menſas videtur omninò intelligere deportata ab Epiſcopis per viam Antimenſia.

Antimenſia item laudat antiqua notitia dignitatum & officiorum magnæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ. Etenim in quinto Quinario hic eſt ultimus: *Præfectus Antimenſiis, eos qui ſanctam Communionem percipere volunt introducit*. Et Matthæi Jatri Monachi catalogus: *Præpoſitus Antimenſiis*. Ad quæ verba ſcribit Joannes Goar: *Antimenſia, quaſi ſacræ Menſæ vice aſſumpta, ſunt Græcorum Altaria portatilia. Lintea nimirum Sacris Reliquiis ditata, unguento quoque ſacro delibuta, & Pontificis benedictione ad Miſſam in eis celebrandam dedicata.* Iconoclaſtæ non ſolùm ſacras Imagines, ſed & Sanctorum Reliquias ſpernebant, & ſine ipſis contra perpetuum Eccleſiæ morem dedicarant plura Altaria. Hinc adCap. 7. verſùm ipſos ſtatuit ſeptima Synodus: *Si à præſenti Canone inventus fuerit Epiſcopus abſque Lypſanis conſecrare Templum, deponatur*. Et ad iſtum Canonem ſcribit Theodorus Balſamon: *Dixit quiſcumque, Quomodo Oratoria hodiè ſine Reliquiarum depoſitione conſecrantur? Et audivit, quod quæ fiunt ab Antiſtitibus Antimenſia eo tempore, quo fit Templi conſecratio, Oratoriis tradita ſufficiunt pro conſecratione ſive dedicatione, inthronizatione, encæniis, & apertione*. Græci non Capellas, ſed ſolas Baſilicas, & ſola harum Altaria plenè cum Reliquiis conſecrant, ideòque in iſtis non licet ſine Antimenſio celebrare. Etiam in trigeſimi primi, qui in privatis nobilium domorum Oratoriis Presbyteros ſine Epiſcopi veniâ celebrare vetat, Trullani Canonis commentario pergit dictus Theodorus: *Is qui non eſt expreſsè prohibitus, videtur tacitè ex Epiſcopi ſententiâ hoc facere. Propterea enim, ut eſt veriſimile, excogitata ſunt Antimenſia, & fiunt ab Antiſtitibus qui ſunt in regione, quo tempore faciunt inthronizationem, ut ponantur ſuprà ſacras Menſas Oratoriorum, & ſufficiant non ſolùm pro iis, quæ ſanctum Altare perficiunt, ſed & ſanctæ Menſæ tabulæ exiſtimantur, ſcilicet inthronizatione apertionum & dedicationum, ſed ut oſtendatur ex Epiſcopi permiſſione fieri hoc ſacrificium*. Affirmat Antimenſia eſſe non ſolùm vicaria Altaria, ſed inſuper plenæ cum Epiſcopo communionis ſymbola: Ad illum fermè modum, quem Melchiades & Syricius Pontifices adſcribunt tranſmiſſæ Euchariſtiæ fermento.

Aliam de Antimenſiis quæſtionem proponit Jus Græco-Romanum: *An Antimenſia etiam valeant in aliis Provinciis & Diœceſibus, an ſolùm in Diœceſi Epiſcopi Antimenſia illa conſecrantis*? Et Joannes Cithri Epiſcopus denuò reſpondet *valere ubique, ſicut & ipſum ſacrum Unguentum, & alia Sacra, quamvis uno in loco ſanctificata, ſemel tamen ſanctificationem adepta, ubique eam retinent & exſerunt*. Et S. Nicephorus Patriarcha Conſtanti-

tinopolitanus : *Antimenſia , ubicumque eis fuerit opus , mittuntur. Nec hìc vel illâ regione circumſcribuntur , ſed in aliam quoque Provinciam transferuntur , ſicut & ſacrum Vnguentum.* Et hinc Ariani illi ex Dardania per Paphlagoniam in ſuam Regionem redeuntes Epiſcopi etiam propè Gangras fuerunt uſi ſuis Antimenſiis. Ipſos non fuiſſe Paphlagones lucidè ſupponit magnus Baſilius. Et non quod ipſis uſi fuerint, ſed dumtaxat quod in alienis Parochiis Altaria ſibi ſubjugaverint, arguit. Loquitur de Euſtatio Sebaſteno apud Armenios , Acacio Cæſarienſi apud Paleſtinos , Georgio Laodicenſi apud Syros Epiſcopo , & aliis ejuſmodi turbinibus , de quibus ſcribit etiam ad Evaſenos : *Baſilidis Paphlagonis Altaria , dum Paphlagoniam tranſiret , ſubvertit Euſtatius , & propriis menſis Miſſæ officium celebravit.* Epiſt. 27. Utitur verbis , συςρέφω & καταςρέφω quæ hic non ſubverſionem , ſed commotionem potiùs aut diſſolutionem ſignificant : Nam ſacrati Lapidis motione aut diſſolutione Græca præſertim Altaria fuerunt ſemper prophanata. Et hinc ipſorum reconciliatio paſſim apud ipſos vocatur *ſtabilitio Menſæ.* Magnus ergo Baſilius iſtam Epiſcoporum factionem culpat , quod Baſilidis Altaria , tanquàm hæretica , prophanaverit , & tunc ſuper ipſa in ſuis Antimenſiis celebrarit. Et Baſilidis Altaria vocat θυσιαςήρια iſtorum verò Antimenſia vocat τραπέζας. Vocabulorum diſtinctio clamat res fuiſſe diſtinctas. Et integros Altarium lapides factioſi iſti non potuerunt per omnem Orientem circumferre. Scio voce τραπέζα non Antimenſium , ſed menſam ſignificari. Verùm quod ipſam etiam Antimenſis applicarint Græci , eſt manifeſtum. Etiam portatilia apud nos Latinos Altaria extrà Diœceſim conſecrari non poſſunt à noſtris Epiſcopis , extrà illam tamen deportata perſeverant conſecrata & plenè ſancta.

Aliam inſuper quæſtionem propoſuit Bellæ Epiſcopus : *Antimenſia ſcimus fieri ſolita , quando Epiſcopus conſecrato & dedicato Templo , pannum menſæ ſubſtratum , menſamque ſeu Altare tegentem , in fruſta diſſectum , pictumque Sacerdotibus diſtribuit , ut eo præditi ſacrificium offerre queant. Quid faciendum , ſi deſint Antimenſia , cum ſine his celebrare non liceat ?* Alia tranſlatio habet : *Et ſcripto Sacerdotibus diſtribuit.* Et rectè. Græcum quippè Antimenſium eſt quid ſimile noſtro Latino Corporali , quod nec penicillo , nec acu pingi permittunt noſtri Canones. Bellæ Epiſcopus cum Theodoro Balſamone ſupponit ipſum eſſe non dumtaxat vicarium Altare , ſed etiam plenæ inter Presbyterum & Epiſcopum Communionis characterem , ideòque debere per codicillum ſeu teſtimoniales litteras tradi , & transferri non poſſe de perſona in perſonam. Sup-

Digitized by Google

Noſtri in novo Teſtamento Sacrificii Altaria, licet forſan non divinum, omnino tamen ſunt inſtitutum atque mandatum Apoſtolicum. Nam ipſa laudat in ſuis Epiſtolis S. Paulus Apoſtolus, & vetuſtiſſimi Eccleſiæ Patres. Ipſam *Altaris* vocem habet ille in epiſtola ad Hebræos. Et quòd in epiſtola ad Corinthios per Domini menſam intelligat Altare, rectè affirmat vigeſima ſecunda ſeſſio Tridentini Concilii. Cap. 10. Durantibus Gentilium perſecutionibus illa erant non tantùm in Baſilicis, ſed inſuper in Cœmeteriorum cryptis & privatis ædibus. Erant non ſolùm lapidea, ſed etiam lignea, ac faciliter tranſportabilia. Nobis Latinis eſſe lapidea, * ac in ſolis Baſilicis figi juſſit ſanctus Sylveſter. Et Decretum omnis etiam Orientalis Eccleſia conſtanter admiſit. Etenim ſub ejus Pontificatu ſtatuit Laodicenſis Synodus: *Quòd non oportet in domibus oblationes celebrari ab Epiſcopis vel Prebyteris.* Privata, ad quæ Gentilium perſecutio compulerat, ſacrificia vult jam pacatis Eccleſiæ temporibus proſcripta penitus ac eliminata. Attamen ſemper fuit locus Epiſcopali diſpenſationi. Nam de S. Anachoreta Mari ac ſemetipſo Epiſcopo ſcribit in Monaſtica hiſtoria Theodoretus: Cap. 20. *Cum Maris ſpiritualis & myſtici ſacrificii videndi deſiderio diuturno teneretur, rogavit ut illic divini doni fieret oblatio. Ego verò libenter obtemperavi, & ſacra vaſa adferri juſſi, Diaconorumque manibus uſus pro Altari, myſticum & divinum ac ſalutare ſacrificium obtuli.* Quin & celebrandæ in ruſticana domo Miſſæ facultatem & juſſionem Presbyteris ſuis dedit S. Auguſtinus. Sic ipſe teſtatur Cap. 8. in noviſſimo Libro de Civitate Dei. Sunt plurima hujuſmodi exempla. Et quòd nobiles Viri domeſticam Capellam, ſuumque illic Altare & à proprio Sacerdote ſacrificium habeant, eſt antiquus uſus omnium Eccleſiarum. Porro nec publica Oratoria, nec ipſorum Altaria conſecrari unquàm permiſerunt Græci: Hinc domeſticis privatorum Capellis aut Altaribus honorem hunc longè minùs detulerunt. Et uti iſtius Anachoretæ cella, ita longè magis iſta ruſticana domus non habuit Altare. Et extrà verum vel vicarium Altare nunquàm licuit ſacrificii oblatio. Quocircà videtur certum, quòd ſuorum Diaconorum manibus Theodoretus Antimenſium, & ruſticanæ menſæ vel portatile Altare vel quid ſimile impoſuerit Presbyter S. Auguſtini.

Noſtra enim portatilia Altaria, licet nullum huc uſque noverim lucidum teſtimonium, credo eſſe antiquiſſima. Antiquus eſt Eccleſiæ Canon: *Altare ſi motum fuerit, Eccleſia denuò conſecretur.* Altare enim, quod unicum habebat olim omnis Eccleſia, ſignificat fidem: Et ſicut mota fides omnem hominis juſtitiam, ita motum Altare omnem evertit Baſilicæ Sanctitatem. Et hinc ob lapidis motum longè

magis debebat ipſum Altare iterùm conſecrari. Verùm aliqui objiciebant Altaria portatilia, quæ *licet de loco ad locum moveantur, non tamen denuò conſecrantur.* Et reſpondit in litteris ad Gerardum ſancti Gan-
Ep. 72. dregeſili Abbatem ſanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus: *Portatilia Altaria non aliter conſecramus, niſi vel in tabulis ligneis, vel in aliquo competenti ſubſtratorio compacta & firmiter ſint affixa. Undè licet de loco ad locum portentur, non tamen de loco, in quo conſecrata ſunt, moventur. A quo ſi avulſa fuerint,*
Ep. 80. *ſicut cætera Altaria, denuò ſunt conſecranda.* Quod ipſum repetit in litteris ad Guilielmum Abbatem Fiſcanenſis Monaſterii. Loquitur de his Altaribus, tanquàm de re antiqua. Apud Gregorium nonum Ho-
Cap. 30. norius tertius ad titulum de privilegiis vocat *Altare Viaticum*, & ipſo ubicumque utendi facultatem concedit Fratribus Prædicatoribus & Minoribus, & queritur ſuam gratiam pravâ interpretatione à quibuſ-
Conſtit. 7. dam Epiſcopis truncari. Eandem gratiam Prædicatoribus firmavit Gregorius undecimus, Carthuſienſibus quoad ſuas Gangrias Urbanus quintus, Benedictinis Pius quartus, Societati JESU etiam quoad Caſtrenſes miſſiones Gregorius decimus tertius, degentibus in Africa Trinitariis dedit Urbanus octavus. Orthodoxis Græcis Clemens octavus fecit libertatem vel ſuis Antimenſiis, vel noſtris portatilibus Altaribus utendi. In concedenda hac gratia largus adeò fuit Bonifacius nonus, ut inter ejus exceſſus Thomas Walſinghamenſis ponat hunc ar-
Fol 247. ticulum: *Bonifacius Altaria portatilia nulli pecuniam offerenti negavit.* Quòd etiam Epiſcopi poſſint facere hanc gratiam, lucidè ſupponit in laudato Decreto Honorius tertius. Eiſdem, quòd quandoque Diœceſes ſuas egredi ex cauſis, & quotidiè Miſſam audire debeant, ubicumque locorum in viatico Altari celebrandi facultatem impertivit
Lib. 5. tit. 70. cap. 12. Bonifacius octavus. Et ita fuit uſque ad Tridentinum Concilium, à quo & omnia hæc Regularium privilegia, & Epiſcoporum etiam poteſtatem eſſe ſublata, diſertè affirmat in laudato Clericis Societatis JESU dato privilegio Gregorius decimus tertius. Concilii verba ſunt in Decreto de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ: *Ordinarii non patiantur privatis in domibus, neque omninò extrà Eccleſiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab eiſdem Ordinariis deſignanda & viſitanda, ſanctum hoc Sacrificium à ſæcularibus aut Regularibus quibuſcumque peragi.* Non qualemcumque, ſed ſolùm extrà Eccleſias aut Oratoria portatilis Altaris uſum interdicit. Et Oratoria, quæ in ſuis Conventibus erigunt exempti Regulares, nec deſignari debent ab Epiſcopo, nec vi-
Lib. 1. ſitari. Addit Dominicus Cardinalis Thuſcus: *Epiſcopus poteſt concedere*
cap. 311. *hoſpitali prophano Oratorium cum Altari viatico ſeu portatili, in quo celebretur*

*pro*

Digitized by Google

*pro infirmis. Amplia, quòd etiam poteſt concedere hoc in aliis privatis domibus ſine conſenſu Rectoris Parochiæ.* Quod ipſum docent hodiè plures Canonum periti. Undè quidam Epiſcopi exiſtimant ſibi eſſe, quidam exiſtimant non eſſe hanc poteſtatem.

Quæſtio eſt, An apud antiquam dignitatum & officiorum magnæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ notitiam verba, *Præfectus Antimenſiis eos, qui ſanctam Communionem percipere volunt, introducit*, intelligantur de jam laudatis Antimenſiis? Negat Balduinus Junius. Intelligi affirmat *Præfectum anteceſſui menſa, adducentem eos qui erant venturi ad ſacram Communionem.* Vult hîc intelligi non Antimenſia, ſed Antemenſales, qui ad ſacram Menſam recipiebantur & Communionem Euchariſtiæ. Hi enim priuſquàm admitterentur, ſolebant ante Menſam ſiſti, coram Antemenſalium Præfecto, & poſteà eodem præeunte adduci ad Communionem, ut palam teſtatum ille faceret hos ſuos comites in unum Corpus coaluiſſe cum Chriſto & ejus Eccleſiâ. Hic autem ritus apud Græcos dicebatur τὸ Ἀντιμένσιον. Verùm hæc Commentaria Jacobus Gretſerus in ſuis ad Georgium Codinum ſcholiis affirmat eſſe imperitas, quas ſatis nequeat admirari, ineptias, & pluſquàm Æſopicas fabulas, quibus refellendis non ſit immorandum. Lib. 1. cap. 9. Porrò in ſuis ad Sylveſtrum Sguropulum notis Robertus Creycthonus conſtanter defendit Junium, & dentato Gretſeri calamo reddit talionem. Laudat locum, in quo Sguropolus refert ſui Principis & Patriarchæ ad Venetos ingreſſum, ſuamque cum Bis-Conſule legationem ab illis & acceſſum ad Ducem, & pergit: *Dux nos peramanter recepit, vultu ſereno,* Lib. 4. cap. 11. *ſermone blando, & medium inter utrumque ſe interſerens, unâ manu Bis-Conſulem, alterâ me comprehendit. Cujus ad exemplum pariter & monitum Senatores primarii, qui aderant, utrumque utriuſque manibus alteris ſuis implicuerunt. Et pari ſitu Senator alter ejus Senatoris ſiniſtram tenuit, qui mihi dexteram accommodarat. Vt ordine expanſo in latum, ſeu acie ad frontem compoſitâ, è meditullio cubiculi ad interiorem parietem progrederemur conſeſſuri, omninò ad formam Antemenſalium.* Hunc locum Creycthonus ſic commentatur: *Venetiarum Dux, Legati, & Senatores manus manibus intexebant ad inſtar Antemenſalium, cùm ſe coram Menſa Domini in latitudinem expandebant communicaturi. Hic eſt loci ſenſus, nec alium ferre poteſt: Quo non datur alter in hac hiſtoria aut celebrior, aut dignior animadverſione ad Antemenſalium ritus demonſtrandos, novitios aut vetuſtos dicam, non conſtat.*

Reſpondeo Robertum Creycthonum vera ſcribere & erudita. Apud Græcos enim aliud omninò ſunt Antimenſia, aliud Antemenſales. Et

 lau-

laudatus antiquæ notitiæ locus lucidè agit de Antemenſalibus. Antimenſia enim & ipſorum cuſtodia non ad iſtum Præfectum, ſed ſpectabant ad Schævophylacem, unum è Crucigeris magnæ Eccleſiæ. Licet & dictus Robertus & Balduinus Junius ſint homines Calviniſtæ, dedignari non debemus ipſorum eruditionem agnoſcere. Eandem gratiam & ipſi nobis deferant, & brevi Catholicâ pace gaudebimus. Certè Robertus in Sguropuli tranſlatione eſt peſſimè hinc inde meritus. In ſuperiùs adducto loco, ubi Sguropulus affirmat Antonium Heraclëenſem Epiſcopum fuiſſe apud Venetos uſum ſuis Antimenſiis & vaſis, diſertè habet: τὰ ἱερὰ σκεύη, id eſt, ſacra vaſa. Et Robertus vertit: *Vaſcula*. Alium locum, in quo Eugenii quarti Legatus aſſeritur populo Conſtantinopolitano paſſim in plateis benedixiſſe, hoc modo vertit: *Notarius ſequeſter Legatum ab hac benedicendi geſticulatione inhibuit*. Sacerdotales benedictiones tanti ſemper fecit Eccleſia, ut ex ipſis, tanquàm irrefragabili argumento, victricis gratiæ neceſſitatem adversùm Pelagianos confirmet frequentiſſimè S. Auguſtinus. Verùm Roberto iſti magis placet magnus Martini Lutheri Diſcipulus Joannes Brentius, qui formatam ductâ manu crucem etiam cenſet eſſe inanem geſticulationem; quæ non magis proſit ad ſalutem, *quàm ſi circulum deſcripſeris in aëre*. Ita in quarto adversùs illum Libro teſtatur Dominus Cardinalis Staniſlaüs Hoſius. Pluribus iſtiuſmodi ſordibus tranſlationem ſuam fœdavit Robertus. Etiam ſuas ad Carolum ſecundum magnæ Britanniæ Regem, & ad Lectorem procemiales litteras. Redeamus ad ſuprà memoratam Græcorum in Latinos injuriam: Cum ſuis aſſeclis Heraclëenſium Antiſtes Antonius Cathedralem Venetorum Baſilicam duxit prophanam & pollutam, ideoque non in ipſius Altari, ſed in ſuo ſuper illud ſtrato Antimenſio celebravit. Et ob has & alias plures in nos injurias non ſine fundamento Parentes noſtri Græcos Schiſmaticos, quod queritur Georgius Pachymeres, appellarunt *albos Saracenos*.

Lib. 11. cap. 4.

## CAPUT XIV.

### *Quando cœperit Græcorum in Latinos ritus tam capitale Odium.*

RESpondeo illud antiquis fuiſſe penitus ignotum. Etenim quòd & Latini Græcis, & Græci Latinis advenis Epiſcopis olim publicè ſacrificandi & concionandi locum obtulerint, atque ita mutuos ritus honorarint, ſuprà oſtenſum eſt, & ſuo loco pluribus oſtendendum. Etiam

Digitized by Google

Etiam Legatis ſibi Clericis Epiſcopi exhibuerunt honorem illum, de quo in litteris ad Alexandriæ Patriarcham Dioſcorum magnus Papa Leo: *Filius noſter Poſſidonius Presbyter noſtris proceſſionibus atque ordinationibus frequenter interfuit, & toties ad nos miſſus quid in omnibus Apoſtolicæ Sedis auctoritatis teneremus, agnovit.* Ep. 80. cap. 2. Et de Anteceſſore ſuo Pelagio ſecundo ſcribit ad Eulogium Alexandriæ, & Anaſtaſium Antiochiæ Patriarcham magnus Gregorius: *Pelagius Diaconum, qui juxtà morem pro Reſponſis Eccleſiæ faciendis piiſſimorum Dominorum veſtigiis adhærebat, cum Ioanne Conſtantinopolitano Epiſcopo Miſſarum ſolemnia celebrare prohibuit.* Lib. 4. Ep. 36. Joannes ille *Vniverſalis Epiſcopi* nomen ſibi ſuperbè arrogaverat, ideoque ad ipſum excommunicandum progredi quidem Pelagius noluit, ſuum tamen Diaconum Apocriſarium cum illo procedere noluit, atque ita ipſum à Romanæ Eccleſiæ non modicâ Communione ſuſpendit. Quod ipſum ſuo Diacono injunxit Gregorius. Hæc omnia repetit in litteris ad ipſum Joannem, & pergit in litteris ad Sabinianum Diaconum ſuum & Apocriſarium: Ep. 39. *Sicut tibi jam tranſactis epiſtolis ſcripſi, nunquàm cum Ioanne procedere præſumas.* Et de Joanne & de ejus in Cathedram ac ſuperbiæ titulum ſucceſſore Cyriaco ſcribit ad laudatos Alexandriæ & Antiochiæ Patriarchas: Lib. 6. Ep. 31. *Fratris & Coëpiſcopi noſtri Cyriaci Reſponſales, quia hoc omninò humiliter precabantur, Miſſarum ſolemnia mecum celebrare feci; meus verò Diaconus cum prædicto fratre noſtro Cyriaco Miſſarum ſolemnia celebrare non debet:* Et hujus diverſitatis dat rationes. Ad Patriarchales Eccleſias concurrebant plures Legati Diaconi: Omnes procedebant cum Patriarcha, & quiſque locum habebat juxtà dignitatem ſuæ Eccleſiæ. Hinc ad Joannem Ravennæ Archiëpiſcopum ſcribit idem Gregorius: *Ne credas, quia ego Eccleſiam tuam in aliquo gravari aut minui volo. Recordare in Romanarum Miſſarum Solemnibus ubi Ravennas Diaconus ſtabat, & require ubi hodiè ſtet, & cognoſces quia Ravennatem Eccleſiam honorare deſidero.* Lib. 4. Ep. 15.

Proindè advenam Diaconum cum loci Epiſcopo procedere eſt illum huic miniſtrare in ſolemni Miſſa, & cum illo celebrare. Hinc & S. Ambroſius duos non optimè moratos Clericos non permiſit ſecum procedere. Ita ſcribit in Libris officiorum. Et de Arſenii Patriarchæ Conſtantinopolitani in ordinatos ab intruſo Patriarcha Nicephoro Epiſcopos vindicta ſcribit Georgius Pachymeres: *Ordinatis à Nicephoro omnem functionem Sacerdotii permiſit Arſenius, excepto ſolùm ſecum unà pariter, ubi Sacris ſolemniter operabatur, miniſtrandi uſu.* Lib. 3. cap. 2. Etenim cum Patriarcha non ſolum Diaconi procedebant & Presbyteri, ſed etiam Epiſcopi. Hinc de Dorothæo Marcianopolitano Epiſcopo, ſecundæ Mœſiæ Metropolita, ad S. Cœleſtinum Pontificem ſcripſit S. Cyrillus



Digitized by Google

Alexandriæ Patriarcha : *Dorothæus , dum Sacra peragerentur , Reverendiſſimo Neſtorio in Cathedra Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſedente , ſurrexit , & magnâ ac elatâ voce inclamare auſus eſt* , &c. Nempè Patriarcham oſtentabat Neſtorius , feceratque Dorothæum ſecum procedere. Et de Alexandro Baſilonopolitano apud Bithynos Epiſcopo , qui motam in S. Joannem Chryſoſtomum & ipſi adhærentes Epiſcopos perſecutionem fugiens advenerat Ptolomaïdem Pentapolios , ſcribit iſtius Civitatis Epiſcopus S. Syneſius ad ſuum Alexandriæ Patriarcham Theo-
Ep. 66. philum : *In Eccleſiam quidem illum admittere nolui , nec ſacram cum eo Menſam communem habui , domi verò juxtà atque innocentes honoravi. Quæ mea agendi cum indigenis ratio eſt.* Alexandrum non permiſit ſecum procedere. Syneſius enim , licet non Patriarcha , erat tamen Metropolita. Et Zacharias Chalcedonenſis ac Theophilus Tauromeniæ in Siciliä Epiſcopus , ut Photii Patriarchæ , à quo ad Nicolaum primum Pontificem fuerant Legati , Conſtantinopolitanam conſecrationem fuiſſe à dicto Papa admiſſam perſuaderent populo , dixerunt ad octa-
Act. 4. vam Synodum : *Diximus & iterùm dicimus , quia ut ſummi Sacerdotes ſumus ſuſcepti à Papa Nicolao , & comminiſtravimus ei , & ſuſcepti ſumus ab eo.* Et de Zacharia & Rothaldo Epiſcopis , ſuis ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam Legatis , ſcribit ad omnes eidem Eccleſiæ ſubjectos Epiſcopos laudatus Nicolaus : *Cum Photio adultero Eccleſiæ invaſore atque Neophyto , quod illis multipliciter fuerat prohibitum , inter Sacro-ſancta Myſteria communicaverunt.* Hoc eſt , cum Photio proceſſerunt.

Græci in Miſſa habent duplicem introitum : Magnum & parvum. Magnus eſt ſolemniſſimus. Omnes præſentes Epiſcopi , Presbyteri , Diaconi præcedunt ac deducunt Patriarcham aut Metropolitam ad Altare cum ſumma gravitate & pompa. Et quò ſolemnior eſt Miſſa , eò plures Epiſcopi ſolent miniſtrare. Et hæc proceſſio repræſentat Domini noſtri Incarnationem , quâ comitantibus Angelis è Patris dextera deſcendit in uterum Virginis. Introitum hunc eleganter depingit in libro de Miſſa & Templo Simeon Archiëpiſcopus Teſſalonicenſis , & adjungit : *Sicut ab ipſo Salvatore inſtituta eſt , & ab Apoſtolis ac Patribus tradita , ita & Miſſam celebramus. Et ſicut quidem Dominus cum Diſcipulis adhuc commorans conſecravit , & panem fregit , & calicem ſimiliter , ita & nunc Eccleſia exequitur , Pontifice cum Sacerdotibus conſecrante , & omnibus diſtribuente , vel certè Sacerdote cum Collegis celebrante.* Affirmat omnes Epiſcopos ac Presbyteros cum Epiſcopo , omnes item præſentes Presbyteros cum celebrante Presbytero procedere , celebrare , conſecrare , & communicare. Ritum in omnibus ſub Cælo Eccleſiis eſſe

& ve-

& vetuſtiſſimum, & olim fuiſſe univerſalem, demonſtrat octavus decimus Canon Nicenus, quorumdam Diaconorum, ſacræ Communionis gratiam ante Epiſcopos contingere, & Presbyteris impartiri præſumentium, audaciam damnans, atque adjungens: *Diaconi per ordinem poſt Presbyteros gratiam ſacræ Communionis accipiant, aut Epiſcopo eis aut Presbytero porrigente.* Lucidè agit de ſolemni Epiſcopi Miſſa. Eundem morem laudant antiquus Ordo Romanus, Alcuinus Flaccus, Amalarius Fortunatus, aliique Latini Eccleſiaſticorum rituum Expoſitores. Lib. 4. cap. 25. Et ſuo adhuc tempore viguiſſe in Romana Eccleſia teſtatur in libris de Miſſæ Sacrificio Innocentius tertius. Et ita etiamnum hodiè faciunt Græci in feſto ac in Romana Baſilica S. Athanaſii. Quocircà olim & Græci apud Latinos in azymo, & Latini apud Græcos in fermento celebrabant & communicabant. Et ita adhuc fuit ſub Photio Patriarcha. Nam ejus Epiſcopi Zacharias & Theophilus de iſto ſibi per Nicolaum Pontificem delato honore gloriabantur, & Photii conſecrationem conabantur ex ipſo firmare. Proindè certum eſt, quòd hodiernum Græcorum in Latinos ritus odium induxerit Michaël Cerularius. Nam & ante illum nemo Patriarcha clauſit Latinas Eccleſias.

Et à ſimili in Græcorum ritus odio alieniſſima ſemper fuit Romana Eccleſia. Hinc enim plura Græcorum Monaſteria ſemper fovit intrà & circà Urbem, & de ipſis ad Latinorum Monaſteriorum everſorem Michaëlem Cerularium ſcripſit S. Leo nonus: *Ecce in hac parte Romana Eccleſia quantò diſcretior, moderatior, & clementior vobis eſt.* Epiſt. 1. cap. 29 *Siquidem cùm intrà & extrà Romam plurima Græcorum reperiantur Monaſteria ſive Eccleſiæ, nullum eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur à paterna traditione, ſive ſua conſuetudine, quin potiùs ſuadetur & admonetur eam obſervare.* Græcos ritus tanti fecit Pelagii ſecundi Diaconum Apocriſarium Conſtantinopoli agens magnus Gregorius, ut factus Pontifex ipſorum quoſdam traduxerit in Romanam Eccleſiam, & quoſdam contra opus iſtud murmuratores compoſuerit hâc ſanctiſſimâ regulâ: *Si quid boni vel Conſtantinopolitana vel altera Eccleſia habet, ego & minores in bono imitari paratus ſum. Stultus enim eſt, qui in eo ſe primum exiſtimat, ut bona, quæ viderit, diſcere contemnat.* Lib. 7. indict. 2. Ep. 64. Et addit ſibi in hoc opere S. Damaſum & alios magnos Pontifices præluxiſſe. Quæ omnia laudat in ejus vita etiam Joannes Diaconus. Latinos ritus Græcis imponere conatus eſt Innocentius tertius: Nempè ob captam à Flandris Conſtantinopolim. Sperabat à Latini Principis auctoritate facilitandum negotium, atque ita vetus ſchiſma radicitùs evellendum. Verùm quàm non ſucceſſe-

ceſſerit, ſuprà audivimus à Georgio Acropolitano. Et ad unionis poſtulatorem Germanum Patriarcham Gregorius nonus reſcripſit Græcis & Latinis propter azyma & fermentum, ac alios diverſos ritus, non eſſe diverſa Sacramenta, ideoque illis utrimque manentibus offert unionem. Exſtat epiſtola apud Matthæum Pariſienſem. Et hinc novo etiam ſuo Canonum Codici inſeruit plures decretales epiſtolas, quæ Græcos ritus non tantùm permittant, ſed etiam probent & confirment. Etiam in Civitatibus, quæ mixtum ex Græcis & Latinis Populum, & Latinum habeant Epiſcopum. Ejuſmodi in Civitatibus vetat contra Nicenum Canonem eſſe duos Epiſcopos, attamen contra octavæ Synodi conſtitutionem indulget, ut Latinus Epiſcopus ſibi ordinet Græcum Suffraganeum. Et pleraque hæc firmavit in ſuo ad ſuum in Cypro Cardinalem Legatum Reſcripto Innocentius quartus. Etiam in facta per Lugdunenſem Synodum unione, & poſt ipſam firmavit Gregorius decimus. Et de Eugenio quarto Pontifice, & Joſepho ſecundo Patriarcha Conſtantinopolitano ſcribit in Florentini Concilii hiſtoria Sylveſter Sguropolus: *Ferrariam advectus Patriarcha miſit ad Papam, qui hoc ei ſuo nomine ſignificarent. Venimus te exoratum, ut nobis liceat, concedente Beatitudine tuâ, ordinaria officia noſtra, & totam ſacræ Liturgiæ conſequentiam in dies Deo perficere eiſdem ritibus, quos noſtra Græcia non ita nuper, & à naſcentis Eccleſiæ primordio uſurpavit.* Timebat Papam ſuis ritibus adverſaturum. Verùm ille *ultro conſenſit, & ſimpliciter edixit, Patriarcha ut ſua haberet Sacra, quocumque velit modo & ritu.* Ex eodem principio idem Eugenius, dum factæ unionis Miſſam celebravit, Græcorum Epiſcopos ad de azymo ſuo Sacrificio communicandum eſt adhortatus: Ad ſecum antiquo more procedendum & comminiſtrandum. Nam & Nicolai quinti Legatus Cardinalis Iſidorus reſumptæ unionis Miſſam in S. Sophiæ Eccleſia celebravit non Latino ritu, ſed Græco. Et quoſdam Latinos Epiſcopos, qui ſubjectos ſibi Græcos volebant ad Latinum ritum cogere, graviter compeſcuerunt, & ad ſervandam Florentinæ Synodi unionem compulerunt Leo decimus & Clemens ſeptimus. Utriuſque diploma ſuo de ſacris ordinationibus operi inſeruit Joannes Morinus. Quæ omnia evincunt Græcorum ritum à Latinis ſemper fuiſſe probatum ac defenſum.

[Margin: Anno 1238.] [Margin: Lib. 4. cap. 23.] [Margin: Parte 1. cap. 4.]

Ex eiſdem principiis ab uno ritu tranſiri ad alium, facilè permiſit olim Eccleſia. Imò & quandoque præcepit. Etenim de Theodoro Tharſenſi apud Cilices Monacho, quem Vitalianus Pontifex Cantuarienſibus miſit Archiepiſcopum, ſcribit in Cantuarienſium Pontificum Geſtis Gervaſius ejuſdem Eccleſiæ Monachus: *Vitalianus Theodorum ſacra-*

*ſacravit hâc interpoſitâ conditione , ne Anglicanas inſtitutiones Græcâ novitate mutaret.* Coëgit Theodorum è Græco fieri Latinum. Ita dum ſanctus Irenæus Lugdunenſium, Auxentius Mediolanenſium, ſanctus Valerius Hipponenſium, aliique Græci alias Latinorum acceperunt regendas Eccleſias, etiam tranſierunt ad ritum Latinum. Nam & plures Græci fuerunt Romani Pontifices. Et Gerontius, quem ex Mediolanenſi S. Ambroſii Diacono Nicomedienſem in Bithynia Archiëpiſcopum conſecravit Helladius Cæſarienſis in Cappadocia Primas, omninò tranſivit ad ritum Græcorum. Gerontii promotionem exponit Hermias Zozomenus. Lib. 8. Cap. 6. Etiam Græci ac Latini Principes frequenter inter ſuos filios & filias miſcuerunt Matrimonia, ideoque & hi de ritu ad ritum tranſierunt. Etiam dum quis Latinus ad Græcos, aut Græcus ad Latinos transfert domicilium, poſſit & ritum mutare. Niſi tamen tranſeat ad locum ex Græco ac Latino populo & Clero mixtum. Tunc enim ſervanda eſt Pii quinti Pontificis conſtitutio : *Cùm ad notitiam noſtram pervenerit, quòd nonnulli Presbyteri, tam Græci quàm Latini, antiquum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ritum, tam in celebratione Miſſarum, quàm aliorum Divinorum officiorum, pervertere ſatagentes, diverſas licentias & facultates, Miſſas & alia Divina officia Græci Latino more, ac Latini Græco ritu celebrandi ab Apoſtolica ſede, vel ejus Legatis, ac etiam majori Pœnitentiario, variis prætextibus impetrarint, illiſque jam pridem utantur, hoc ab antiquo Catholicæ Eccleſiæ Inſtituto, Sanctorumque Patrum Decretis deviare conſiderantes, propterea hunc abuſum ab Eccleſia Dei exſtirpare volentes, omnes hujuſmodi licentias & facultates revocamus & caſſamus.* Conſtit. 12. Etiam datas Eccleſiis aut Monaſteriis. Præſertim vetat, ne uxorati Græcorum Presbyteri celebrent ritu Latino. Et tam Græco quàm Latino prævaricatori infligit perpetuam ſuſpenſionem. Et fidei profeſſioni, quam à Græcis exigi & præſtari ſanxit, Gregorius decimus tertius inſeruit hunc articulum : *Credo in azymo ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici, Sacerdoteſque in altero ipſum conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ, ſive Occidentalis, ſive Orientalis, ritum.* Conſtit. 33. Et Latinis Epiſcopis, ex Græcis & Latinis populos mixtos habentibus, Clemens octavus fixit has regulas : *Maritus Latinus Græcæ Vxoris ritum non ſequatur. Latina Vxor non ſequatur ritum Mariti Græci. Græca Vxor ſequatur ritum Mariti Latini. Quòd ſi id fieri non poſſit, quiſque conjugum in ſuo ritu, Catholico tamen, manere permittatur. Proles ſequatur ritum Patris : Niſi prævaluerit Mater Latina.* Conſtit. 34. Ita utrumque ritum ſemper dilexit, & tamen ab uno ad alium faciliter transferri ſemper noluit Latina Eccleſia. Pius quintus rectè affirmat

hunc eſſe antiquum morem, & Patrum Inſtitutum. Nam & hic locum habet: *Quiſque in ſua vocatione maneat.*

## CAPUT XV.

### *Exponuntur variæ Michaëlis Cerularii in Latinos Calumniæ.*

AD Petrum Antiochiæ Patriarcham, quo ſuæ factioni adjungeret, Michaël Cerularius ſcripſit varias de nobis Latinis calumnias, quas oportet elucidare.

### CALUMNIA I.

*Latini ſuffocatum comedunt.*

EAndem Calumniam repetit Michaël in litteris ad Joannem Tranenſem Epiſcopum. Et Græci Schiſmatici repertus in Conſtantinopolitano Patrum Prædicatorum Conventu Tractatus: *Latini comedunt ſuffocata, capta à beſtiis, morticina, ſanguinem.* Affirmat eſſe contra Canonem & Synodale Decretum ſanctorum Apoſtolorum, qui fideles etiam gentes juſſerunt abſtinere ab immolatis ſimulacrorum, à fornicatione, ac à ſanguine & ſuffocato. Et hinc inter vulgares Apoſtolicos ſexageſimus tertius Canon carnes in ſanguine animæ ipſorum, quod à feris captum, vel morticinum vetat comedi: Comedentem Laïcum ſegregari mandat, Epiſcopum aut Clericum degradari. Theodorus Balſamon in ſuo commentario laudat canonem, & adjungit: *Quæ à venatoriis avibus vel canibus capiuntur & ſuffocantur, quomodò à quibuſdam comedantur, neſcio. Nota canonem propter Latinos, qui ſuffocata indiſcriminatim comedunt.* Ex ejus prævaricatione vult omnes Latinos eſſe ſegregatos aut excommunicatos, & mutuâ communione pollutos. Apoſtolicæ Synodi Decretum laudat etiam ſexageſimus ſeptimus Trullanus Canon, & addit: *Eos qui propter lautum & delicatum ventrem cujuſcumque animalis ſanguinem arte aliquâ eſculentum condiunt ac inſtruunt, incuſamus ac punimus.* Clericum deponi etiam mandat, Laïcum ſegregari. Et Theodorus iterum exponit: *Quoniam nonnulli ſanguinem non comedebant; nonnulla autem eſculenta ex aliis & ex ſanguine faciebant, & ſe ſacram Scripturam obſervare dicebant, quòd non ſanguinem nullâ re intercedente comederent, ſtatuerunt Sancti Patres ejuſmodi ſacræ Legis circumſcriptionem ceſſare oportere, cumque qui quavis arte vel ratione animalis ſanguinem comederet, ſi ſit*

Digitized by Google

*ſit quidem Clericus, deponendum; ſi verò Laïcus, ſegregandum. Et hæc quidem Canon. Latini verò indiſcriminatim ſuffocata comedunt. Sed etiam Adrianopolitani, ut audio, animalium ſanguine cum quibuſdam eſculentis utuntur. Quære & Imperatoris Leonis ſapientis Novellam quinquageſimam octavam, quæ ſtatuit eos, qui quamcumque ſanguinolentam ſpeciem comedunt, publicandos & corpore puniendos, & impreſſâ cuti tonſurâ notandos, & perpetuo exilio condemnandos.* Dicta Lex habet & hæc verba: *Perlatum ad aures noſtras eſt, quòd inteſtinis, tanquam tunicis, ſanguinem infartum, velut conſuetum aliquem cibum, ventri præbeant.* Item hujuſmodi botulos vetat non tantum edi, ſed etiam fieri aut vendi: Negligentes item Magiſtratus durè caſtigari. Cujus diſciplinæ Græci ſemper fuerunt, ac etiamnum ſunt adeò tenaces, ut in ſuo Euchologio habeant & hos titulos: *Oratio ſuper execrandos & vetitos cibos comedentes. Oratio pro illis, qui in cibis ſcandalum paſſi ſunt, & offenderunt.* A vicinis Barbaris capti in bello Græci quandoque per famem adacti, quandoque dolo circumventi edebant cum Barbaris immundos cibos: Et ambos Eccleſia judicabat lapſos in immunditiam, ideoque Sacerdotaliter purgandos. Et quia nos Latini non tantùm ex neceſſitate aut deceptione, ſed omni cum libertate edimus ſuffocata & apertum etiam ſanguinem, Michaëlis Cerularii factio cenſet nos eſſe inexpurgabiles. Suffocata enim non niſi ob incluſum ſanguinem fuerunt nobis interdicta.

Apoſtolicæ hujus conſtitutionis adeò obſervans olim fuit etiam Latina Eccleſia, ut de Gentilibus noſtrorum Parentum perſecutoribus ac tortoribus ſcribat in libro Apologetico Tertullianus: *Inter tentamenta Chriſtianorum botulos etiam cruore diſtentos admovetis, certiſſimi ſcilicet illicitum eſſe penes illos, per quod exorbitare eos vultis.* Hujuſmodi botulos edentibus Tortores promittebant impunitatem. Ex quo liquet, quòd nec ad evadendam mortem talis tunc cibus licuerit. Qui rigor cur etiam hodie quoſvis cum Calviniſtis aut Lutheranis degentes fideles non liget ad fixis ab Eccleſia diebus abſtinendum ab eſu omnis carnis? Singularis tamen ratio parentibus noſtris perſuaſit tantum rigorem. Ut nempè demonſtrarent ſeſe remotiſſimos à tribus, de quibus patiebantur calumniam, famoſis criminibus, quorum unum erat infantis trucidatio in nocturnis Sacrificiis. Quo argumento eandem Apologiam firmant Minutius Fœlix, Athenagoras, aliique Chriſtianæ Religionis antiqui Defenſores. Cap. 9.

Etiam dudum poſt exſtinctas Gentilium perſecutiones nos Latini ſervavimus iſtam Diſciplinam. Etenim ex Theodori Cantuarienſis Archiëpiſcopi Libro pœnitentiali Sanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus


Digitized by Google

Lib. 9. Cap. 97. ſuo Decreto inſeruit hunc canonem : *Aves & animalia cætera, ſi in retibus ſtrangulantur, non ſunt comedenda. Nec ſi oppreſſerit accipiter, & ſi ſic mortua inveniuntur. Quia in actibus Apoſtolorum præcipitur abſtinere à fornicatione, ſanguine, ſuffocato.* Et Alvredi Anglorum Regis antiquæ leges habent : *Carnem à beſtiis laceratam ne guſtatote, ſed ad canes projicitote.* Eandem legem ſuo adhuc tempore viguiſſe in Germania affirmat & probat Lib. 2. d. Ditmarus Merſeburgenſis Epiſcopus : Arguit & culpat pauperes, qui ſanguinem cenſebant à ſe poſſe edi ſine peccato. Et ad quartum decimum duodecimi ſæculi annum habet in Chronico Gilbertus Genebrardus ; *Hiſtorici ſcribunt tempore Calixti ſecundi Pontificis Pomeranis tunc ad fidem converſis injunctum, ne quid immundum comederent, nec morticinum, nec ſuffocatum, nec ſanguinem animalium* Utique ex antiquo Wormatienſis Cano. 6. 5. Synodi canone : *Aves & alia animalia, ſi retibus ſtrangulantur, non ſunt comedenda.* Qualia Decreta reperies etiam apud Rhabanum Moguntinum, Hincmarum Rhemenſem, & Halitgarium Epiſcopum Cameracenſem. Et ad præſentem Michaëlis Cerularii calumniam reſpondit Cardinalis Humbertus : *Suffocatum & ſanguinem nobis contra vos non defendimus. Antiquam enim conſuetudinem ſeu traditionem Majorum noſtrorum diligenter retinentes, nos quoque hæc abominamur. Adeo ut ſanguine, vel quocumque morticino, aut aquis ſeu quacumque negligentiâ humanâ præfocato, apud nos aliquando veſcentibus abſque extremo periculo vitæ hujus, pœnitentia gravis imponatur. Pro eo maximè, quia antiquas conſuetudines & traditiones Majorum, quæ non ſunt contra fidem, Leges Apoſtolicas arbitramur. Nam de cæteris, quæ aucupio, aut canibus, aut laqueo venantium moriuntur, Apoſtoli præceptum ſequimur : Omne quod in macellum venit manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. Verùm ne ſcandalizetur frater infirmus in fide, qui putat aliquid commune vel immundum eſſe, ſi quis dixerit, Hoc ſuffocatum eſt vel morticinum, non eſt comedendum, ut Apoſtolus de Idolotheto ait.* Eodem modo reſpondit Petrus Antiochiæ Patriarcha : *Quòd ſuffocata Latini comedunt, puto fieri abſque Papæ permiſſione, vel ab aliis Pontificibus hæc parvi pendi. Id verò contigit fieri propter eorum audaciam, qui hæc facere non dubitant. Qualia etiam in noſtro Romano Imperio præter leges, etiam execranda, fieri contingit, quæ nos ignoramus. Et invenies ſi quidem in ipſa etiam Conſtantinopoli, & extra eam multos, qui ſanguinem ſuillum comedunt. Vide itaque venerabiliſſime Domine, quomodo nos multa eorum, quæ in noſtris perperam fiunt, negligentes & prætermittentes; diligentiùs quàm par eſt res alienas curioſè indagamus, & de illis verba facimus.* Fortiter ac ſuaviter affirmat à Michaële, qui trabem in oculo habeat, alieni oculi feſtucam caſtigari. Cum Cardinale Humberto affirmat Apoſtolicum Canonem om-

Digitized by Google

omninò ſervari in pleriſque latinis Eccleſiis: Michaëli relatas tranſgreſſiones eſſe ſolius carnalis populi, ex quibus omnis Latina Chriſtianitas nec damnari poſſit nec devitari. Nam & de Græcis ſcribit repertus Conſtantinopoli Tractatus: *Græci inteſtina porcino ſanguine implentes, pro deliciis veſcuntur, contra Apoſtolorum Decreta.* Utique per prævaricationem. Interim circa tertii decimi ſæculi exordia ſcriptus videtur iſte Catholici Tractatus, atque ita evincit Apoſtolicum Decretum tunc apud nos adhuc viguiſſe.

Cardinalis Humbertus diſtinguit inter grandia & inter parva ſuffocata animalia: Venatorum artibus ſuffocatas aves, lepores, & ſimiles feras affirmat à fidelibus licitè manducari. Quas tamen rigidè interdixit Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus. Etiam laudata Wormatienſis Synodus. Utique adversùm ſuos Francos & Anglos, iſtâ diſtinctione etiam utentes. Eadem diſtinctio viguit apud Græcos. Etenim laudatus Tractatus habet: *Græci nec ſuffocatorum abſtinent ſanguine. Nam turdos comedunt laqueis ſtrangulatos, & alias aves.* Et de Imperatore Andronico ſecundo Paleologo ſcribit Nicephorus Gregoras: *Andronicus canes & aves venaticas magno alebat numero, quibus ita erat deditus, ut ſi quis eum aditurus canem aut avem adferret, facillimè compos redderetur.* Lib. 11.
Addit grandem Auguſtorum proventuum portionem eiſdem alendis fuiſſe impenſam. Et quòd nimia venandi cupiditas Avo Andronico primo ipſum odioſum fecerit, affirmat Imperator Joannes Cantacuzenus. Nec dubium, quin habuerit collegas. Et venationes ſuas illi omninò comederunt. Nec ullus Patriarcha legitur corripuiſſe. Et hinc ſupra dixit Theodorus Balſamon: *Quæ à venatoriis avibus vel canibus capiuntur, quomodo à quibuſdam comedantur, neſcio.* Eſt reverà contra Apoſtolici canonis litteram, quæ generatim loquitur de quovis ſanguine, nec inter parva animalia ſuffocata diſcernit & magna. Et hinc de religioſioribus etiamnùm hodiè Græcis ſcribit in Euchologii Scholiis Joannes Goar: *Etiam piſces, niſi ſanguine illorum diligenter abluto, contingere non audent.*

Quòd interim antiquiſſima ſit iſta diſtinctio, docet in libris adversùs Fauſtum Manichæum S. Auguſtinus. Apoſtolicum de non edendo ſuffocato aut ſanguine Decretum affirmat à quibuſdam ſecundùm litteram, à quibuſdam intelligi de non patrando homicidio, & proſequitur: *Hoc nunc diſcutere longum eſt, & non neceſſarium. Quia & ſi tunc* Lib. 32.
*hoc Apoſtoli præceperunt, ut ab animalium ſanguine abſtinerent Chriſtiani, ne* cap. 13.
*præfocatis carnibus veſcerentur, elegiſſe mihi videntur pro tempore rem facilem, & obſervantibus nequaquam oneroſam, in qua cum Iſraëlitis etiam Gentes pro-*

 *pter*

*pter angularem illum lapidem, duos parietes in ſe condentem, aliquid communiter obſervarent, ſimul & admonerentur, in ipſa Arca Noë, quando Deus hoc juſſit, Eccleſiam omnium gentium fuiſſe præfiguratam, cujus facti Prophetia, jam gentibus ad fidem accedentibus, incipiebat impleri. Tranſacto verò illo tempore, quo illi duo parietes, unus ex circumciſione, alter ex præputio venientes, quamvis in angulari lapide concordarent, tamen ſuis quibuſdam proprietatibus diſtinctiùs eminebant. At ubi Eccleſia gentium talis effecta eſt, ut in ea nullus carnalis Iſraëlita appareat, quis hoc jam Chriſtianus obſervat, ut turdos vel minutiores aviculas non attingat, niſi quarum ſanguis effuſus eſt? Aut leporem non edat, ſi manu à cervice percuſſus, nullo cruento vulnere, occiſus eſt? Et qui fortè pauci adhuc tangere iſta formidant, à cæteris ridentur. Ita omnium animos in hac re tenuit illa ſententia veritatis: Non quod intrat per os veſtrum, vos coïnquinat, ſed quod exit. Nullam cibi naturam, quam ſocietas admittit humana, ſed quæ iniquitas committit, peccata condemnans.* Eandem diſtinctionem laudat in Ezechiëlis Prophetæ commentario S. Hieronymus. Hæc Prophetæ verba, *Omne morticinum & captum à beſtia, de avibus & de pecoribus, non comedent Sacerdotes*, commentatur, & adjungit: *Hæc præcepta conveniunt, ut morticinum non comedat Sacerdos, tam de avibus quàm de pecoribus, cujus nequaquam ſanguis effuſus eſt, quod in actibus Apoſtolorum dicitur ſuffocatum. Et quæ neceſſariò obſervanda, Apoſtolorum de Hieruſalem epiſtola monet. Et condemnat Sacerdotes, qui in turdis, ficedulis, gliribus, & cæteris hujuſmodi, hac aviditate gulæ non cuſtodiunt.* Arguit neſcio quos Epiſcopos, non quòd majora, ſed dumtaxat iſta minora

Cap. 90. animalia ſuffocata comederent. Et laudatum Sancti Auguſtini locum commendant & ſequendum ſanciunt Nicolaus primus Pontifex in Reſcripto ad Bulgarorum Conſulta, & in publicata nuper per Henricum Caniſium epiſtola Evantus Archiëpiſcopus Viennenſis.

Et iſtum Evantus extendit ultrà Sancti Auguſtini mentem. Auguſtini tempore laudatam Apoſtolicam conſtitutionem quidam non de cibis intelligebant, ſed de homicidio. Cenſebant per ipſam gentilibus ſingulariter interdici tria apud ipſorum pleroſque graſſantia crimina: Idololatriam, homicidium, & mœchiam. Ita intellexit in libro de pudicitia Tertullianus, & in exhortatoria ad pœnitentiam Paræneſi Sanctus Pacianus Epiſcopus Barchinonenſis. Sententiam Auguſtinus non damnat, magis tamen probat Apoſtolos de ſuffocato & ſanguine ſanxiſſe litteraliter, & iſtam ſanctionem fuiſſe primævæ, partim ex Judæis, partim ex gentibus vocatæ, Chriſtianitati quandam unionis fibulam, quoddamque ſepulchrale ornamentum, quo mortua Legalia cum decôre ad ſepulturam deducerentur. Et hunc ſenſum probant etiam

Digitized by Google

etiam Sanctus Hieronymus, in ſermone de Machabæis S. Gaudentius Brixienſis Epiſcopus, & alii paſſim Patres, Latini & Græci. Et hinc poſt exciſam ab Imperatore Adriano & raſam Hieroſolymam, plenè everſum Judaïcum Templum, proſcriptos ex illa terra Judæos, impoſitos illi gentiles Epiſcopos, atque ita poſt completam Legalium ſepulturam, variæ Chriſtianæ Gentes redierunt ad avitam conſuetudinem, & hunc Apoſtolicum canonem: *Omnia munda mundis.* Avito more cæperunt ſanguinem & ſuffocata edere.

Et ita omninò fecerunt in Africa. Laudato in loco lucidè id affirmat S. Auguſtinus. Et hinc adversùm nos ſcripſit Fauſtus Manichæus: *De mandato abſtinendi à cibis communibus viſum vobis eſt & vehementer creditum, morticina quidem & immolata eſſe immunda.* Nos notat, non quòd à cunctis ſuffocatis, ſed quòd à ſolis morticinis abſtineremus. Quia nempè quidam cuncta violenter ſuffocata, & ipſorum ſanguinem liberè manducarent. Eandem libertatem fuiſſe à quibuſdam reſtitutam in mores, docet Gangrenſis Synodus: *Si quis carnem edentem, præter* Cap. 2. *ſanguinem, & idolis immolatum, & ſuffocatum, cum religione & fide, condemnat, velut ſpem propter hujuſmodi perceptionem non habentem, anathema ſit.* Carnis eſum affirmat licitum adversùs novas Euſtatii Sebaſtenſis Epiſcopi nugas, addit tamen abſtinendum à ſanguine & ſuffocato: Quòd nempè aliqui tunc liberè illis veſcerentur. Idem eſt ſcopus vulgaris Apoſtolici canonis, qui non ſolùm ſanguinem aut ſuffocatum, ſed etiam à feris captum vetat manducari. Quod additamentum altè clamat ipſum non eſſe Apoſtolicum. Etenim de captâ aut lacerata à feris carne nec Apoſtolica Synodus, nec ullus vetuſtus Eccleſiæ Doctor facit memoriam. Iſtorum canonum quinquaginta priores ſunt ſæculi quarti: Quòd reliqui non niſi quinto aut ſexto ſæculo apparuerint, demonſtrat Joannis Scholaſtici, quem in Conſtantinopolitanam ſancti Eutychii Cathedram intruſit Imperator Juſtinianus, canonica collectio. Hæc prima iſtorum fecit mentionem. Sunt Græcum opus. Et memoratus canon altè clamat in avitam & ſanguinis & ſuffocati edendi libertatem reſpiraſſe quoſdam, & ipſos compeſcit. Verùm nec Latini nec Græci potuerunt plenè compeſci. Minora ſuffocata animalia perrexerunt ambo comedere. Nam illi Epiſcopi, quos de hac re notat S. Hieronymus, omnino videntur fuiſſe Græci. Et circa ipſam dudum manſit ſententiarum varietas: Iſtam quippe libertatem S. Hieronymus damnavit, probavit S. Auguſtinus. Et certè quiſquis voluerit adhærere S. Hieronymo, debebit Chriſtianis omnem venationem interdicere. Nam quomodò perſuadeas toti Chriſtianitati, ut lepores aut turdos capiat, & non comedat?

Pri-

Digitized by Google

Prima fidei rudimenta Pagani & Barbari Bulgari, partim à Romanæ, partim à Conſtantinopolitanæ Cathedræ Apoſtolis acceperunt, ideoque circa multos utriuſque Eccleſiæ diverſos ritus & mores anxiè fluctuarunt. Hinc inter varias quæſtiones Nicolao primo Pontifici propoſuerunt & hanc: *Animalia ſive volatilia, ſi ſine ferro mactentur, & ſolo ictu hominis percuſſa moriantur, ſi liceat comedi?* Non de quibuſcumque, ſed de ſolis ſuffocatis volatilibus rogant: Proindè & de iiſdem ſolis per laudata ſuperiùs S. Auguſtini verba Pontifex reſpondit. Quòd nempè à grandibus ſuffocatis animalibus & Latini tunc & Græci concorditer abſtinerent. Ad quæſtionem edita per Severinum Binium Concilia habent hoc marginale Scholion: *De ſuperſtitionibus*. Peſſimè. Nec enim ſuperſtitioſa unquam, ſed omninò religioſa ſemper fuit à ſuffocatis & ſanguine abſtinentia. Nicolao concordat Adrianus primus. Etenim ad Egilam Hiſpaniæ Epiſcopum ſcribit: *Inſinuavit Dilectio veſtra, quòd quidam in errore perſeverantes prædicant, ut qui non ederit pecudum & ſuillum ſanguinem & ſuffocatum, rudis eſt atque ineruditus. Nos quidem Apoſtolicis præceptis imbuti atque eruditi, confirmantes prædicamus, quòd ſi quis pecudum aut ſuillum ſanguinem, vel ſuffocatum manducaverit, non ſolùm totius eruditionis alienus, ſed ipſius quoque communis intelligentiæ prorſus extraneus, ſub anathematis vinculo obligatus, in laqueos incidat Diaboli.* Quòd nempè vigentem tunc in Eccleſia morem & legem contemnere talis præſumeret ac damnare. Quod ipſum Pontifex repetit in alia ad omnes Hiſpaniæ Antiſtites epiſtola. Has nuper vulgavit Jacobus Gretzerus. Et ex hoc anathemate natus videtur error Epiſcopi Evanti: *Ad agnitionem noſtram venit, quòd exſurgentes in quibuſdam Cæſar-Auguſtæ partibus reperiſſe vos aſſeritis Chriſtianos, necdum eruditos paginis ſacris, Judaïco more ſequi litteram occidentem, & poſtponere ſpiritum vivificantem, qui dicunt immundum fieri hominem alicujus animalis ſanguinem comedentem, neſcientes neque intelligentes Præcepta priſca magis mores hominum demonſtrare, quàm in natura ſervare.* An Cæſar-Auguſtani plenè Judaïzaverint, ignoro. Videntur inflictum ab Adriano Pontifice anathema dumtaxat crudiùs intellexiſſe. Quid quid ſit, pergit in ipſos Evantius: *Legant libros Doctorum, & maximè S. Auguſtini contra Fauſtum Manichæum, in quo iſta, quæ illi evacuant, & faciebant & dicebant, & ſe convictos erubeſcebant.* Affirmat à nullo ſanguine aut ſuffocato abſtinendum. Avitam libertatem plenè reſtituit, atque ita Sancti Auguſtini locum extendit ultrà ejus mentem. Et ultra mentem Romanæ Eccleſiæ. Nam quòd hæc grandia ſuffocata animalia necdum ederet ſub Leone nono, ſupra dixit Cardinalis Humbertus.

Epiſt. 97.

Quæſtio

. Quæſtio eſt, Cur vulgaris Apoſtolicus Canon ſanguini & ſuffocato addat captum à beſtia? Etiam addit ſecunda Aurelianenſis Synodus. Idolothetorum manducatores arcet ab Eccleſiæ cœtibus, & pergit: *Similiter & hi, qui beſtiarum morſibus exſtincta veſcuntur.* Et Alvredi Anglorum Regis Lex: *Carnem à beſtiis laceratam ne guſtatote, ſed projicitote ad canes.* Sub Rabani Mauri Moguntino Epiſcopatu tanta fames vexavit Germaniam, ut plures ex ipſa morerentur, & proprios devorarent filios. Duos conjuges ab tam horrendo facinore liberavit per duos lupos lacerata cerva. Ipſam comederunt, ſcribuntque de ipſis Fuldenſes Francorum Annales: *Tunc Mater reſumpto ſpiritu gratias Deo egit, quia filium ſuum recipere meruit, nec minus Pater, quod eum Deus à liberi interfectione innocuum dignatus eſt conſervare. Ambo tamen de carnibus lege prohibitis, neceſſitate coacti, ſe recrearunt.* Videtur tanta neceſſitas tunc à peccato non excuſaſſe. Et in Pœnitentiali libro habet Theodorus Cantuarienſis Epiſcopus: *Animalia, quæ à lupis ſeu canibus lacerantur, non ſunt comedenda.* Addit & aves, *quas oppreſſerit accipiter.* Et fundat in conſtitutione Apoſtolica. Et infra pergit: *Qui manducat carnem laceratam à beſtiis, quadraginta dies pœniteat.* Exſtant hæc in Decreto S. Ivonis. Et Bulgarorum poſtulatio fuit de ſolis animalibus, *quæ ſine ferro mactantur, & ſolo ictu hominis percuſſa moriuntur.* Quod nempe à beſtiis occiſa ſupponerent non poſſe manducari.

Cap. 20.

Anno 850.

Part. 15. Cap 97. 100.

Reſpondeo hæc in Apoſtolico Conſtituto non fuiſſe expreſſa. Videntur tamen fuiſſe ſubintellecta. Etenim Propheta Ezechiël ſcripſit: *Omne morticinum, & omne captum à beſtia, de avibus & pecoribus, non comedent Sacerdotes.* Et S. Hieronymus commentatur: *Iuxta litteram omni generi electo, & Regali & Sacerdotali, quod propriè ad Chriſtianos refertur, qui uncti ſunt oleo ſpirituali, hæc præcepta conveniunt.* Fundat ſe in Apoſtolica conſtitutione, & pergit de capto à beſtiis: *Et ipſum ſimiliter ſuffocatum eſt.* Lacerantes beſtiæ laceratam omni ſanguine non evacuant, ideoque & hæc habet aliquid ſuffocati. Et quia tam inter Græcos quam inter Latinos quidam olim de hoc puncto diſceptarunt, prodierunt laudati Canones, & ſancti Hieronymi judicium confirmarunt. Verum quoad turdos, lepores, & alios ſimiles per aves & accipitres venationis fructus fuit difficilis obſervantia, & jam pridem à pluribus Chriſtianis gentibus excuſſa.

Cap. 44.

Altera quæſtio eſt, An ſanctus Hieronymus in laudato loco rectè ſcribat *morticinum in actibus Apoſtolorum eſſe ſuffocatum*? Reſpondeo locutionem iſtam, ſi rigidi ſimus, eſſe juſto largiorem. Suffocatum enim à violenta, morticinum à naturali morte dicitur. Et de hujuſmodi morticino ſcribit in laudato adverſus Fauſtum Manichæum libro ſan-

ctus Auguſtinus: *Morticinum puto quod ad eſcam uſus hominum non admiſit, eo quod non occiſorum, ſed mortuorum animalium morbida caro eſt, nec apta ad ſalutem corporis, cujus cauſa ſumimus alimentum.* Et laudata Aurelianenſis Synodus: *Qui quolibet morbo aut caſu ſuffocata veſcuntur, ab Eccleſiæ cœtibus arceantur.* Et Theodori Cantuarienſis Epiſcopi liber Pœnitentialis: *Nec cervus, nec capreus comedendi ſunt, ſi mortui inventi fuerint, niſi fortè ab homine adhuc vivi occidantur prius, ſed porcis & canibus dentur.* Et iterum: *Qui manducat carnem morticinam, quadraginta dies pœniteat. Si neceſſitate ſanus contingat, multò levius eſt.* Attamen peccatum. Et infra: *Piſcis mortuus in flumine inventus non eſt edendus, quia non eſt venatio hominis. Si verò piſcando tactus fuerit, & ipſo die inventus fuerit mortuus, qui non hæſitat, manducet; Qui autem dubitat, non manducet.* Ex quibus lucet morticinum tunc non à ſola corporali ſalute, ſed ab Eccleſiaſtica etiam lege fuiſſe interdictum. Etenim morticinum, non minus quam ſuffocatum, eſt plenum ſanguine. Scribit item Cardinalis Humbertus: *Suffocatum & ſanguinem abominamur, adeo ut ſanguine vel quocumque morticino, aut aquis ſeu quacumque humana negligentia ſuffocato, apud nos aliquando veſcentibus abſque extremo periculo hujus vitæ, pœnitentia gravis imponantur. Pro eo maximè, quod antiquas conſuetudines & traditiones Majorum, quæ non ſunt contra fidem, leges Apoſtolicas arbitramur.* Ob ſolam extremam famis neceſſitatem affirmat licere. Quæ diſciplina viguit etiam apud Græcos. Etenim Leo Cephala, à Boadmundo Siculorum Principe obſeſſæ Lariſſæ Præfectus, ad Imperatorem Alexium Comnenum ſcripſit: *In extrema quædam ventum eſt. Nam cibis, quibus veſci Chriſtianos fas eſt, deficientibus, ad feros & inſuetos verſi, horum quoque copia jam deſtituimur.* Exſtat epiſtola apud Annam Comnenam. Quod ipſum de obſeſſa per Turcos Antiochia ſcripſit ad eundem Principem idem Boadmundus. Et Latinis & Græcis hæc diſciplina fuit tunc maniſeſtè communis. Et hinc non quod morticinis, ſed dumtaxat quod ſuffocatis veſceremur, objecit nobis Michaël Cerularius.

Lib. 5.

Lib. 11.

Tertia quæſtio eſt, An per eundem Michaëlem adducta adverſus ſuffocati & ſanguinis eſum ratio ſit valida? Eſt verò hæc: *An neſcitis, ut omnis animalis ſanguis ſit anima ipſius, & qui comedit ſanguinem, animam comedat? Et idcirco ſecundùm hoc Latini nec Gentiles ex toto ſunt. Illi enim occidunt, aut plagantes comedunt.* Affirmat nos Gentilibus pejores. Et quidem brutorum animam eſſe ipſum ſanguinem docere videtur etiam Theodoretus. In quæſtionibus ſupra Levitici librum verſat hunc locum, *Anima omnis carnis eſt ſanguis illius*, & adjungit: *Si ut tu immortali anima præditus es, ſic animal irrationale ſanguinem habet loco animæ.*

*Hunc*

Digitized by Google

*Hunc ſi edis, animam comediſti. Rationalis enim animæ locum ille obtinet. Idcirco talem eſum lex cædem appellavit. Eandem ob cauſam arcet ab edendis animalibus mortuis: Eo quod ſanguis non fuerit ſeparatus à corpore.* Conſonat in tertia decima ſuper Geneſim homilia S. Joannes Chryſoſtomus. Advertit Adami corpus Divinis formatum manibus, & formato inſpiratam divinitùs animam, at verò de brutis eſſe ſcriptum: *Producat terra animam viventem.* Et adjungit cauſam: *Idcirco de brutis dicebat Moyſes, Sanguis ejus anima ejus eſt, in homine autem ſubſtantia quædam eſt incorporea & immortalis.* Quam proinde terra non poſſit producere. Et in vigeſima ſeptima homilia exponit datum Noë Præceptum, *Verumtamen carnem in ſanguine animæ ne comedatis*, & proſequitur: *Quid eſt caro in ſanguine animæ? Hoc eſt ſuffocatum. Bruti enim anima eſt ſanguis.* Ex quo vides, quod vulgaris Apoſtolicus canon per carnem in ſanguine etiam intelligat ſuffocatum. Item quod ſuffocati abſtinentia non ſit ex lege, ſed ex Patribus. Eſt toti humano generi datum in Noë Præceptum. In quæſtionibus ſuper Leviticum etiam ſanctus Auguſtinus hunc legis locum, *Anima omnis carnis eſt ſanguis ejus*, examinat, concludit ſanguinem eſſe bruti animam, non per ſubſtantiam, ſed per ſignificationem: *Sanguis, quoniam propter vitalem quandam corpulentiam animam ſignificat, anima dictus eſt:* Locutionem iſtam affirmat ſimilem huic: *Petra erat Chriſtus.* Verumtamen adjungit: *Verum ſi quiſquam putat animam pecoris eſſe ſanguinem, non eſt in iſta quæſtione laborandum.* Ad quæ verba Renati Cartheſii Symmiſtæ exultant, creduntque ſua de inanimatis brutorum horologiis ſomnia non proſcribi à ſancto Auguſtino, & à ſancto Chryſoſtomo probari.

Quæſt. 23.

Quæſt. 47.

Reſpondeo hæc paradoxa dogmata non eſſe nata in Renati cerebro aut chartis, ſed tantum renata. Primus auctor fuit Epicurus, de quo Georgius Cedrenus: *Epicurus principia rerum poſuit atomos ac inane. Hoc ut locum rebus natis recipiendis, atomos ut omnium materiam. Earum atomorum congreſſu & Deum & elementa, & quæ in eis ſunt omnia exſtitiſſe: Nec quidquam aut ortum, aut conſtare, niſi ex atomis. Ita vocant tenuiſſima corpuſcula, quæ centro aut puncto nullo dividi poſſunt. Animas eſſe ſanguinem. Et cum corporibus, ut naſci, ſic etiam interire.* Effuſum in corde ſanguinem eſſe ipſam rationalem animam docuit apud Ciceronem in primo Tuſculanarum quæſtionum libro etiam Empedocles. Et huc in nono Æneidos libro reſpexit Virgilius: *Purpuream vomit ille animam.* Alludit ad illos Philoſophos, de quibus in primo Chriſtiani Pædagogi libro ſcripſit poſtea Clemens Alexandrinus: *Sanguis invenitur primum genitus in homine, quem multi auſi ſunt dicere eſſentiam animæ.* Monſtroſum commentum

Fol. 161.

tum Carthesiani contrahunt ad ſolas animas brutorum. Quod nempe ſe profiteantur Christianos. Verum ex tali cloaca quis ſibi ſperet purum veritatis aurum ? Et laudatum Levitici teſtimonium illis nullo modo favet. Ejus ſenſum exponit idem Cedrenus. *Brutorum anima ex terra nata eſt, hominis autem orta eſt ex Divina inſpiratione. Eſſe brutorum animam terrenam, ex ipſa poteſt intelligi Scriptura. Dixit enim: Anima omnis pecoris eſt ſanguis ejus. Porro ſanguis concretus in carnem mutatur, caro ſuo interitu in terram diſſolvitur.* Aliud nos iſta phraſi docere Moyſes non voluit, quam brutorum animas eſſe corporeas atque mortales. Qui ſenſus omnino eſt etiam ſancti Joannis Chryſoſtomi ac Theodoreti.

Alter iſtorum ſomniorum Patriarcha eſt cum omni ſua factione Cap. 12. Manichæus, de quo in libro adverſus Adimantum ſanctus Auguſtinus: *Quæſtio non de corpore, ſed de anima propoſita eſt, quam putant ſic accipi in lege, ut ſanguis eſſe exiſtimetur, quod nos nullo modo ſic intelligimus, ſed quamvis de pecorum animis non curemus, cum quibus non habemus rationis aliquam ſocietatem, tamen illud, quod lex dicit fundendum non eſſe ſanguinem, nec in eſcam adſumendum, quia ſanguis eſt anima, eſſe poſitum dicimus ſicut alia multa. E penè univerſa antiquarum ſcripturarum Sacramenta ſignis & figuris plena ſunt futuræ prædicationis, quæ jam per Dominum noſtrum* JESUM-CHRISTUM *declarata eſt. Sic eſt enim ſanguis anima, quomodo petra erat Chriſtus.* Brutorum animas eſſe corporeas omnis Chriſtianus novit, eſſe tamen inſectiles conſtanter docet in libro de quantitate animæ ſanctus Auguſtinus. Etiam vermium animas. Quod ergo ſint ſanguis, quomodo poſſit vel dubitaſſe? Nos ipſi adhæremus, Renatum Cartheſium cum Epicuro, Manichæo, Michaële Cerulario permittimus delirare. Elegantem, ex qua bruti anima dicitur ſanguis, rationem adducit in libro de jejuniis Tertullianus: *Anima per ſanguinem effunditur.*

Quarta quæſtio eſt, Quâ igitur de cauſa Dominus Deus Noë, & omni humano generi, dum carnis eſum indulſit, interdixerit ſuffocatum & ſanguinem? Quâ de cauſâ Apoſtoli iſtud ipſum Præceptum omnibus Chriſtianis impoſuerint? Reſpondeo carnis eſum non niſi poſt diluvium nobis fuiſſe permiſſum. Lucidè hoc docet in adducto de jejuniis libro Tertullianus: *In primordio herbidum ſolummodo & arboreum homini pabulum addixit Deus, poſtea verò ad Noë enumerata omni ſubjectione omnium beſtiarum terræ, & volatilium Cœli, & moventium in terra, & piſcium maris, & omnis viventis, erunt vobis, inquit, in eſcam, velut olera fœni dedi vobis univerſa. Verum in ſanguine animæ ſuæ non comedetis.* Quod ipCap. 10. ſum in libro adverſus Tryphonem Juſtinus Martyr, in primo & ſecundo contra Jovinianum libro ſanctus Hieronymus, in pluribus ſuper

per Geneſim homiliis ſanctus Joannes Chryſoſtomus, variis in locis Theodoretus, ac alii antiqui docent Græci & Latini. Geneſis locum, qui bina ex immundis, ex mundis ſeptena animalia juſſit induci in arcam, laudat Theodoretus, & adjungit: *Cum Deus hominibus eſſet permiſſurus manducare carnes, & homines pii ſacrificaturi eſſent illi, majorem numerum mundorum animalium cuſtodiri juſſit, nempe tres conjugationes ad augmentationem generis, unum vero reliquum animal ad ſacrificandum.* Quæſt. 50. Cuncta intra arcam animalia affirmat victitaſſe ex fœno, & addit de omni anteriori tempore: *Manifeſtum eſt, quod & homines & animalia ab eſu carnium abſtinebant, pro alimento verò fructibus è terra naſcentibus utebantur.* Quod nec piſces uſque ad diluvium potuerimus manducare, addit in Quæſt. 53. 54. 55. ſequentibus quæſtionibus. Latiùs hæc exponit Michaël Glycas: *prima lex homini fructuum tantum uſum concedebat, cum adhuc Paradiſo dignus eſſet. Itaque tam homines, quam aëriæ volucres, & terreſtres beſtiæ fructibus arborum, herbis & gramine veſcebantur. Et quamquam hodiè leo, pardalis, aliæ feræ cruentis mactationibus & cibis delectentur, tamen id temporis hæc etiam animalia legi naturæ ſubdita fructibus tantum alebantur. At poſtquam Deus hominem jam factum intemperantiorem vidit, altera lege poſt diluvium poteſtatem ei fecit omnibus veſcendi. Propter hanc conceſſionem reliqua etiam animalia quibuſlibet veſci cœperunt. Ita leo carnivorus ab eo tempore fuit, & morticina vultures obſervant. Nec enim id temporis, quo primum oriebantur animalia, terram vultures circumſpectabant, ut ad paſtum cadavera conſequerentur, ſed in pratis alimoniam quærebant.* Et Abelem fuiſſe opilionem objicientibus reſpondet: *Scire debes pecudum curam inventam fuiſſe veſtimentorum cauſa, quemadmodum in oratione nona de ſex dierum operibus Chryſoſtomus inquit.*

Et huic alimentorum mutationi cauſa aſſignatur à variis varia. Glycas adſignat majorem depravati hominis intemperantiam. Et ſanè multiplicata & ad originale addita plurima actualia crimina naturam noſtram ſemper depravarunt in fortiores libidines. Eandem cauſam adducit in ſecundo adversùs Jovinianum libro S. Hieronymus. Primævi mundi abſtinentiam laudat, ac proſequitur: *Poſteà videns Deus, quòd diligenter ad malitiam eſſet appoſitum cor hominis ab adoleſcentia, & ſpiritus ejus in his permanere non poſſet, quia erant caro, opera carnis diluvio condemnavit, & audaciſſimam hominum gulam, dedit eis licentiam comedendarum carnium, ut dum ſibi intelligunt licere omnia, non deſiderent magnopere quod licebat, ne mandatum verterent in cauſam prævaricationis.* Quidam adversùs primævum mandatum videntur attentaſſe carnes, atque ita cataclyſmum advocaſſe: Et huic à ſimili lapſu præſervandæ infirmitati videtur Deus carnes indulſiſſe. Hanc ipſam cauſam adducit, &

 cum

Digitized by Google

cum alia conjungit in quæſtionibus ſuper Geneſim Theodoretus: Quæſt. 55. *Mox ubi Deus creaſſet hominem, dedit ei terræ fructus, jubens illum veſci fructu ſeminum & arborum. Poſt diluvium autem majores illi delicias munificè largitur, jubens occidere & comedere volatilia, & natatilia, & terreſtria animalia, affectum affectu repellens, & leviori curans graviorem. Prævidens enim Deus homines in extremam dementiam delapſos, hæc omnia pro Diis habituros, permiſit illorum eſum, ut iſtam impietatem cohiberet. Summa enim inſania eſt adorare quod comeditur.* Loquitur ex ſententia, quæ exiſtimat nullam antè diluvium fuiſſe idololatriam. Verùm haſce cauſas refutat, & aliam adducit in vigeſima ſeptima ſuper Geneſim Homilia S. Joannes Chryſoſtomus, laudans Divinæ Majeſtatis ad Noë verba, ac pergens: *Hic eſt initium edendarum carnium. Non ut ipſos ad ventris ingluviem paret & inſtruat, ſed quia ex ipſis Noë erat ſacrificaturus, & Deo gratias acturus, ut ne videamur à conſecratis quaſi abſtinere. Idcircò edendi facultatem concedit, & valdè ſecuros reddit.* Verùm neque hæc ratio concludit. Etenim etiam primævi homines Deo ſacrificarunt animalia, nec tamen ex ipſis participarunt. Omne tunc ſacrificium erat holocauſtum.

Michaëlis Glycæ rationem probat in laudato adverſùs Jovinianum opere etiam S. Hieronymus, ac inſuper inſinuat aliam: Lib. 10. cap. 10. *Dicæarchus in libris antiquitatum & deſcriptione Græciæ refert ſub Saturno, id eſt, aureo ſæculo, cum omnia humus funderet, nullum comediſſe carnes, ſed univerſos vixiſſe frugibus & pomis, quæ ſponte terra gignebat.* Aurea Saturni ſæcula ſunt vana Poëtarum figmenta, attamen non carent omni fundamento. Sacras Hebræorum litteras aut traditiones illi in ſuas nugas paſſim tranſtulerunt. De primævo uſque ad diluvium mundo ſcribit in ſuis ſuper Quæſt. 135. Geneſim quæſtionibus B. Alcuinus Flaccus: *An pluviæ ante diluvium eſſent? Reſpondeo, videtur non fuiſſe. Quia arcus non erat, niſi ex radiis Solis & humidâ nube. Poteſt autem fieri, ut ex roris & fontium, ſicut in Ægypto, irrigatione terra fœcundaretur.* Pluviæ, venti, nives, aliæque elementorum tempeſtates peſſimè vexant ac deterunt noſtra corpora. Iſtorum nihil, ſed nobis fovendis commodiſſima tunc ſemper fuiſſe omnia elementa, plures Scriptores affirmant. Et hinc primævi homines vitam ad mille ferè annos protraxerunt. Aliam hujus rei cauſam adducit in ſuis ſuper Geneſim commentariis Ephrem Syrus, agens de ejecto extrà Paradiſum Adamo: *Benignitas atque gratia eſt perpetuus ſcopus Deo. Habitationem ipſi dederat in Paradiſo, ſed prævaricatus eſt. Rurſus ergò extruſit Paradiſo, ſed in propinquo. Sed & hic perditiſſimi homines deliquerunt, & qui juxtà Paradiſum habitarent, indigni evaſerunt. Arcæ igitur imperavit, ea in Armeniam illos portavit.* Latiùs in libro de Paradiſo exponit Moy-

ſes

Digitized by Google

ſes Barcepha: *Alii exiſtimant indè ex quo deliquerat Adamus, & ex Paradiſo fuerat eliminatus, uſque ad diluvium mortales omnes manſiſſe in ea terra, quæ trans Oceanum circum Paradiſum exſtabat, hanc verò, quam nos jam habemus, terram ad id uſque tempus fuiſſe vacuam prorsùs hominibus, & deſertam. Illos omnes diluvio obrutos propter vitæ impuritatem periiſſe, uno Noë viro juſto cum tribus liberis atque conjugibus ſuperſtite, ut reliqui tunc fuerint ſoli octo mortales. Cæterum Noë cedros in illa, quæ ultrà oceanum eſt, terra ſeviſſe, atque ex illis arcam illic ſtruxiſſe, eaque vectos octo iſtos homines, cum à diluvio ſervati eſſent, ex illa Paradiſi regione in hanc noſtram perveniſſe, non autem pedibus maris vadum pertranſiiſſe.* In illa, quam hodiè dicimus Americanam Indiam, terra uterque Scriptor affirmat fuiſſe Paradiſum. Et certè iſta Regio eſt totius mundi fertiliſſima. Ejus ſolas Paradiſo vicinas partes addunt habitaſſe primævos poſt lapſum homines, ac non niſi per diluvium veniſſe in Armeniam, hinc diſperſos in Aſiam, Africam, & Europam. Certè in iſto clymate poſſit fuiſſe plena clementia omnium elementorum. Joſephus Antonius Gonzalez nuper publicavit diſſertationem, quâ conatur demonſtrare primævam terram nunc eſſe, & noſtram hodiernam olim fuiſſe Mare. Hæc indigent longo examine. Quidquid ſit, certum eſt omnia elementa eſſe diluvio corrupta, ideòque rectè pergit Beatus Alcuinus: *Cur eſus carnium poſt diluvium homini conceditur, & non anteà? Reſpondeo,* Quæſt. 122. *propter infœcunditatem terræ, ut æſtimatur, & hominis fragilitatem.* Etiam quærit, cur de primævis hominibus Deus dixerit, *Diſperdam eos cum terra*, & reſpondet: *Tradunt Doctores terræ vigorem & fœcunditatem longè inferiorem eſſe poſt diluvium, quàm antè, & idcircò hominibus carnem edendi licentiam eſſe datam, & antè diluvium fructibus terræ ſolummodò victitaſſe homines.* Ab elementis non tantùm cinguntur noſtra corpora, ſed etiam ex ipſis formantur, organizantur, ac nutriuntur: Quare illis deterioratis etiam hæc non potuerunt non deteriorari. Hinc ergò poſt diluvium brevior cœpit eſſe noſtra vita, & ſolidiori carnium alimento indigere. Hinc qui aquam anteà biberamus, cœpimus vineas plantare & vinum bibere. Hinc à Gentilibus, Dei myſteria cæco mentis oculo palpantibus, ficta eſt fabula aureorum ſæculorum.

Cur verò Divina Bonitas, dum carnem indulſit, ſuffocata & ſanguinem exceperit, varii adducunt varias rationes. De quibuſdam ſui ævi Doctoribus ſcribit in vigeſima ſeptima ſuper Geneſim Homilia S. Joannes Chryſoſtomus: *Dicunt aliqui brutorum ſanguinem gravem, terreſtrem, & multarum ægritudinum cauſam, ſi comedatur.* Similem rationem adducit in quarta Catecheſi S. Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus:



Digitized by Google

pus : *Apoſtoli & Seniores omnibus gentibus communem Catholicam ſcribunt epiſtolam, ut abſtineant ſanguine & ſuffocato. Nam homines multi feri & immanes, moreque canino viventes, ſanguinem lambunt, aggreſtium & ferocium inſtar, ſuffocata devorant abundè.* Eandem rationem haud dubiè adſcripſerit primævæ prohibitioni. Verùm haſce rationes improbavit idem S. Joannes Chryſoſtomus, & hanc adduxit : *Vide, obſecro, Dei benignitatem, quomodò priùs magna beneficia donat, & tandem unicum & leve dat mandatum. Et ſicut de Adam dictum eſt, poſtquàm ei conceſſit ut habitaret in Paradiſo, & tot ac tantis frueretur, tandem ei præcepit, ut ab unico ligno abſtineret, ita & hic, poſtquàm promiſit non ultrà ſe talem illaturum generalem ſtragem, & poſtquàm ipſi benedictionem ſunt conſecuti, donatique priſtinâ ſuper bruta omnia poteſtate, & carnium eſu ſecurè permiſſo, tunc inquit, verumtamen carnem in ſanguine animæ non comedetis.* Et in eadem Homilia : *Hoc autem facit ideò, ut primis illis temporibus comprimat illorum impetum & propenſionem ad homicidia.* Uti primus in Paradiſo lapſus fuit ſuperbia, ac indè nata curioſitas & multa inobedientia, ita extrà Paradiſum prima ad cataclyſmum præparatio fuit fraterna invidia, ac indè natum homicidium. Hinc à Dei Filiis hominum filii cœperunt diſcerni, omni flagitii & facinoris genere maculare terram, & generali ablutioni reddere obnoxiam. Hinc nos adversùs ſimiles inpoſterum calamitates muniens divina clementia, ſtatim vetuit humanum fundi, beſtialem verò ſanguinem manducari. Ita ab illo fundendo voluit nos eſſe remotiſſimos. Quare Apoſtolicarum conſtitutionum auctorem, qui etiam primævos antè diluvium homines affirmat vixiſſe eâdem lege, non ſatis intelligo. Etenim qui nullam carnem poterant edere, à ſanguine & ſuffocato non debuerunt ſingulariter prohiberi.

Lib. 6. cap. 12.

Porrò de Apoſtolica conſtitutione rectè ſcribit in trigeſima tertia ſuper Apoſtolorum Actus Homilia laudatus Joannes Chryſoſtomus : *Hæc nova Lex non præcipit. Nuſquàm enim de his diſſerit Chriſtus. Sed à lege hæc ſumunt Apoſtoli.* Hâc legis modicâ, quod & dudum antè legem fecerat Divina Majeſtas, portione cenſuerunt uniendos Gentiles & Judæos, atque ita totam legem cum reverentia paulatim ſepeliendam. Ex Evangelio deſumptum S. Pauli Dictum, *Omnia munda mundis*, cum laudata Apoſtolorum conſtitutione confert & examinat in octava ſententiarum parte Cardinalis Robertus Pullus, & concludit : *Nemo Apoſtolos Apoſtolo quaſi contrarios objiciat, qui dum cætera conceſſerunt, ſuffocatum cum ſanguine prohibuerunt, non Decretum ſancientes, verùm ut opinor, aliquorum imbecillitati condeſcendentes.* Quæ doctrina non eſt con-

Cap. 10.

tem-

Digitized by Google

temnenda. Ipſam omninò docuit etiam Cardinalis Humbertus. Etenim ſuffocati & ſanguinis abſtinentiam non ſolùm in antiquo, ſed etiam in novo per Apoſtolos teſtamento eſſe nobis impoſitam clamanti Michaëli Cerulario repoſuit : *Nec nos neſcimus. Tamen pro loco & tempore nonnulla carnalia veteris legis mandata Apoſtolos obſervaſſe ſcimus, quando adhuc quaſi in matutino crepuſculo tenebræ & lux conſulgebant, & intuentium oculos nunc huc, nunc illuc reducebant. Sic Apoſtoli in Judæa commorati, aliquando claritate Evangelii expergefacti, ab umbra legis recedebant, aliquando neceſſitate vel conſuetudine torpente in eam recidebant.* Per non ſatis ſanctis Apoſtolis dignum torporis vocabulum intelligit diſpenſatorium condeſcenſum. Quod ipſo intrà Iudæam frequenter illi fuerint uſi, demonſtrat exemplis, atque proſequitur : *Sed ubi ab anguſtiis Iudeæ excluſi, amplitudine gentium fuerunt potiti, mox quaſi catenis ſervitutis palàm erepti, quotquot ad ſpiritualem gratiam attrahebant, à carnalibus cæremoniis legis avertere non ceſſabant.* Præſentem conſtitutionem affirmat à ſancto præſertim Apoſtolo Paulo nec prædicatam, nec miſſam in executionem apud gentes, ideóque dumtaxat in diſpenſatorium Iudaïci pro ſuis ritibus Zeli temporale ſolatium emanaſſe. Interim Michaëlis Cerularii tempore iſta conſtitutio quoad ſolorum grandium animalium ſuffocata & ſanguinem ſervabatur & à Latinis & à Græcis. Eramus per omnia pares. Etenim in litteris ad Nicolaum Diaconum, magnæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Caſtrenſium, Theophylactus Bulgariæ Archiëpiſcopus affirmat Latinos in quibuſdam rectè, in quibuſdam perperàm accuſari, & adjungit de eſu ſuffocatorum : *Hujus neque nomen Latinis temperantibus tolerabile eſt, ſicut nec nobis.* Ita teſtatur Demetrius Chomatenus, Bulgarorum item Ar- Q. 3.
chiëpiſcopus, in Reſponſis ad Conſulta Conſtantini Cabaſilæ Metropolitæ Dyrrachienſis. Exſtant apud Joannem Leunclavium in jure L. 5.
Græco-Romano. Atque ita præſens Michaëlis calumnia nullum tunc habuit fundamentum aut colorem.

## CALUMNIA II.

*Latini barbam radunt.*

AD hanc calumniam repoſuit Petrus Antiochiæ Patriarcha : *Quid noſtra intereſt, quòd Romanorum Sacerdotes barbam radant? Nos enim etiam geſtamus in capite coronam, pro veneratione procul dubio Principis Apoſtolorum Petri; ſuper quem Dei Eccleſia eſt ſuperædificata.* Et barbæ & verticis raſuram affirmat adiaphora ac ſibi invicem ſimilia, ideóque Latinos

nos non plus de barbæ, quàm Græcos de verticis raſura poſſe notari. Verùm Michaëlis mentem videtur non penitus percepiſſe. Etenim barbæ raſuram in ſolis Sacerdotibus aut Clericis arguere eſt antiqua Photii calumnia: Hanc auxit Michaël, & eandem raſuram in Latinis Laïcis culpavit. Eandem culpat in Alexio Duca Murzuflo Nicetas Choniates, inter Latinorum militum vitia ponens *juveniliter raſam maxillam*. Etiam Anna Comnena. Etenim Boadmundum Siculorum Principem deſcribit à capite ad calcem, & addit hunc ſarcaſmum: *Barba cujus coloris eſſet non poſſim dicere. Genæ quippe ac mentum ejus acie novaculæ ad cutem raſa ſuperficiem habebant quovis gypſo lævìorem*. Etiam Nicephorus Gregoras. Etenim è Matre Latina natum, & apud Latinos
Libro 9. diu verſatum Theodorum Paleologum affirmat Patri Andronico primo Imperatori fuiſſe ingratum, quod animo, religione, habitu, & *raſa barba eſſet germanè Latinus*. Raſuram hanc quanti fecerit Michaël Cerularius, lucet ex latæ in ipſum à Cardinale Humberto excommunicationis Edicto: *Michaël & Leo Acridenſis, capillos capitis & barbas nutrientes, eos qui comas tondent, & ſecundùm inſtitutionem Romanæ Eccleſiæ barbas radunt, in Communionem non recipiunt.*

Quòd Græci barbas alant, & frequens eſt & antiquum. Etenim Latinorum Militum, dum ſub Guilielmo Siciliæ Rege ceperunt Theſſalonicam, petulantias exaggerat in Andronico Comneno Nice-
Lib. 1. cap. 8. tas Choniates, & urget hunc articulum: *Obviorum barbas & capillos ambabus manibus comprehendebant, & hirtas ac promiſſas illas barbas eſſe malas, capillis verò opus eſſe dicebant, ut ipſorum more in orbem tonderentur.* Imperatorem Iſaacium Angelum, dum Alexii Branæ compeſcuit tyrannidem, Conrardi Imperatoris Milites ac etiam Urbani Latini ſtrenuè adjuverunt, & ex cauſis fecerunt grandem Græcorum Civium ſtragem. Et quo ſe invidiâ liberarent, uſi ſunt hâc per eundem Nicetam memoratâ arte: *Romanos, qui in pugna ceciderant, Latinis veſtibus*
Lib. 1. cap. 10. *indutos, raſiſque barbis in ſuarum ædium veſtibulis collocatos, pro popularibus ſuis lamentati ſunt.* Et de Tartarorum Principe Tamerlane, qui Turcorum Ducem Bayazetem duxit captivum, ſcribit Theodoricus à
Lib. 3. cap. 42. Niem: *Barbam protenſam habebat, pendentibus in illa pluribus pretioſis lapidibus, prout Magnatum Græcorum & partium Orientalium conſuetudo vetus obſervat.* Et in ſacri Belli hiſtoria ſcribit Guilielmus Tyriorum Metropolita: *Mos eſt Orientalibus, tam Græcis quàm aliis Nationibus, barbas*
Lib. 11. cap. 11. *totâ curâ & omni ſollicitudine nutrire, pro ſummoque probro, & majori quæ unquàm irrogari poſſit ignominiâ reputare, ſi vel unus pilus quocumque ſibi caſu de barba detrahatur.* Et hinc aſtutus Edeſſæ Comes Balduinus militibus ſuis

ſuis pro ſtipendiorum ſecuritate obligavit opulentiſſimi ſoceri ſui Gabriëlis barbam, atque ita ab illo extorſit triginta millia aureorum Michaëlitarum. Nempè omne aurum, quàm ſolam barbam illuſtris Armenius perdere maluiſſet. Rei ſeriem pluribus deſcribit laudatus Guilielmus. Eandem Balduini aſtutiam refert, & omnium Orientalium pro barba zelum exponit Jacobus Cardinalis de Vitriaco, & adjungit: *Sicut apud Latinos Eunuchi, qui barbâ penitus carent, indecentes & quaſi effæminati cenſentur, ita Orientales pro ſummo habent opprobrio, non ſolum ſi barbâ radantur, ſed etiam ſi unus ab eis pilus extrahatur. Unde nuntii* Lib. 1. *David, quibus Naas Rex Ammonitarum in contemptum David dimidias barbas* cap. 75. *raſit, aliam partem radere noluerunt, ſed abſconderunt ſe in Iericho, donec barbarum recuperaſſent honorem.* Et quòd Aſſyriorum Regi Sennacherib in ſummam, ex qua judicaretur Regno indignus, ignominiam Angelus barbam raſerit, apud S. Hieronymum affirmant Hebraïcæ ſuper ſecundum Paralipomenon librum traditiones. Cap. 32. Barbæ raſuram apud Græcos fuiſſe fœdiſſimum ſupplicium, oſtendi poſſit vario teſtimonio Annæ Comnenæ, Joannis Cantacuzeni, ac aliorum recentiorum Græcorum. Nec deſunt antiqua teſtimonia aut exempla. Etenim de ducendis in captivitatem Moabitis ſcribit Propheta Hieremias: Cap. 48. *Omne caput calvitium, & omnis barba raſa erit.* Et addit Theodoretus: *Is erat captivorum habitus.* Eadem de ipſis verba Iſaïæ laudat S. Hieronymus, & adjungit: *Apud antiquos barbæ, capitiſque raſura luctus indicium* Cap. 15. *fuit. Per hæc ergò magnitudo mæroris oſtenditur.* Quod repetit etiam in Hieremiæ & Ezechiëlis commentario. Et de quibuſdam Meſopotamiæ Monachis ſcribit S. Epiphanius: *Deterius quiddàm ab illis agitur. Siquidem barbam, hoc eſt, propriam viri formam reſecant. Atqui in Apoſtolorum conſtitutionibus divino ſermone ac dogmate præſcribitur, ne ea corrumpatur.* Lib. 80. *Hoc eſt, ne barba ponatur, nevè meretricius cultus & ornatus uſurpetur.* cap. 1. Apoſtolicæ apud Romanum Clementem conſtitutiones vetant barbam Lib. 1. radi. Et in Chriſtiano Pædagogo habet Clemens Alexandrinus: cap 3. *Eum, qui vir eſt, pecti & tonderi crines componentem ad ſpeculum, genaſque radi, velli, ac deglabrari, quomodò non eſt plenè muliebre? Et certè niſi eos* Lib. 3. cap. 3. *nudos videris, mulieres eſſe putaveris.* Et infrà: *Deus voluit fœminam quidem eſſe glabram ac levem, ſola coma, ſicut equum juba, ſponte naturæ exultantem; virum autem cum ſicut leones barbâ ornaſſet, virilem etiam fecit hirſuto pectore, quod quidem & roboris & imperii eſt indicium.* Pluribus hæc confirmat, & Raſorum & Vulſorum mercenarias officinas addit eſſe *artifices meretriciæ fornicationis.* Et pergit in alio capite: *De pilis ita videtur. Virorum quidem caput ne ſit hirſutum, niſi fortè pilos criſpos habeat, barba*

*autem hirſuta. Intorti autem capilli ne à capite nimium dimittantur, in comam muliebrem delabentes. Viris enim barba ſufficit. Quòd ſi quis etiam barbam non nihil tondeat, ea tamen non eſt omninò denudanda. Eſt enim turpe ſpectaculum. Et barbæ ad cutem uſque tonſura videtur non multum abeſſe à vulſione & lævore.* Et hæc ſunt fundamenta, ex quibus Michaël Cerularius nos cenſuit Apoſtolici Canonis prævaricatores, ideoque anathematizandos.

Verùm mos iſte etiam apud Græcos non fuit univerſalis. Etenim adversùm Chriſtianos Antiochenos, à quibus hircina ejus barba deridebatur, ſcribit in Miſopogone Imperator Julianus: *Ne quiſquam exiſtimet me ex maledicto iſto gravius commoveri. Ipſe enim cauſam prætereo, qui hircorum ſimile mentum gero, cùm poſſim hoc læve glabrumque efficere, quale habent formoſi pueri omneſque mulieres, in quibus naturâ ineſt amabilis decor & venuſtas. Nam vos in ſenectute veſtra etiam veſtros Liberos imitamini, & pro iſta veſtra delicatiſſima vita, & ſimpliciſſimis fortaſſe moribus, ſtudioſè illud glabrum facitis, & virum non ut ego ex genis, ſed ex fronte oſtenditis.* Et infrà: *Omnes ſint formoſi, proceri, glabri, & imberbes.* De Gentilium Philoſophis ſcribit in prima Oratione de Divina Providentia Theodoretus: *Philoſophorum Phalanx pallio albo, & barbæ prolixitate, & capitis capillitio Philoſophiam metitur.* Cyrenſis ad Euphratem Epiſcopus fuit Theodoretus, ſpectans ad Patriarchatum Antiochenum. Et dum ob dejectas Principis Statuas crudelia à magno Theodoſio ad ipſam Patriarchalem Civitatem venerunt cum armatis executoribus Edicta, ad omnem populum declamavit Joannes Chryſoſtomus adhuc Presbyter: *Vbi nunc ſunt pallia geſtantes, & profundam oſtentantes barbam, externorum Philoſophi? Omnes nunc Civitatem deſeruerunt.* Non per Cives, ſed neſcio quos advenas fuerat facta dejectio, ideoque & Clerus & populus animis ſuis infixerunt Sapientis Monitum: *Iuſtus confidit ut Leo.* Conſtantes manſerunt in Civitate, ſeſe expurgaturi, & deprecaturi iram Principis. Quin & omnes per vicina deſerta commorantes Monachi ſe adjunxerunt. At verò gentilis ſapientiæ animalia, quod ſuæ pelli metuerent, ſe dederunt in fugam. Hinc ipſorum barbam deriſit Chryſoſtomus. Quod nempè Antiocheni eſſent paſſim raſi, aut tonſi ad cutem. Hinc & Imperatorem Julianum, qui etiam tonſurâ & veſte ferebat ſe Philoſophum, omnis Civitatis Chriſtianitas antea deriſerat. Hinc pergit Chryſoſtomus in tertio Sermone de S. Propheta Job: *Oppreſſus Iob circumtotondit comam. Nunc inter nos flentes multi nutriunt comam. Ille autem abſcidit. Quare? Id nimirùm eſt propoſitum ei qui flet, ut contrariam in formam conſtituat habitum. Vbi enim honoratur coma, ſignum fletus eſt tonderi; ubi verò tondetur, ſignum fletûs eſt non tonderi. Vbique enim à flen-*

Digitized by Google

*à flentibus contraria ſumitur forma.* Nequaquàm de Occidente & Oriente loquitur, ſed de ſolo Oriente, atque ita lucidè affirmat alios iſtic fuiſſe raſos, alios longobarbos. Et in trigeſima ſeptima ſuper Apoſtolorum Actus Homilia ſcribit de Perſarum exploratoribus: *Perſæ tiarâ ſublatâ, & gladiis peculiaribus, & barbaricis calceamentis dimiſſis, alieno in habitu Regionem noſtram ingrediuntur, & raſi in corpore, & familiari linguâ loquentes bellum occultant.* Vicinam ſibi Antiochiam, ac Syriam Perſæ præſertim explorabant. Hinc erant barbâ raſi. Quod nempè Romanus iſthic populus illo ſchemate paſſim uteretur. Quod etiam tunc multi per Ægyptum & Gentiles & Chriſtiani barbam raſerint, lucet ex adductis Clementis Alexandrini teſtimoniis. Affirmat, licet ex cauſis improbet, iſthic fuiſſe plures ubique Raſorum officinas.

Quin imò de Imperatore Heraclio ſcribit Georgius Cedrenus: *Heraclius barba fuit lata atque prolixa, ſed Imperator factus extemplo comam totondit, ac mentum raſit, qui eſt Imperatorum habitus.* Et de Imperatore Juſtiniano Faſti Alexandrini: *Iuſtinianus erat mento raſus, ritu Romanorum.* Omnes enim antiqui Romanorum Principes radebant barbam. Quòd primus ipſam aluerit Adrianus, Dio teſtatur. Raſuram à ſucceſſoribus fuiſſe reſumptam ſuadent Antiochenorum ſarcaſmi in Julianum. Inſuetam Imperio formam in ipſo riſerunt. Et adducta de Juliano ac Heraclio teſtimonia evincunt Jovianum & Succeſſores ad raſuram rediiſſe. Et duravit illa uſque ad Conſtantinum quartum, ab Imperialis barbæ novo more dictum Pogonatum, ſeu Barbatum. Scio ab aliis adduci aliam agnominis cauſam: At hæc videtur fundatior. Exindè Succeſſores aluiſſe putantur barbam: Et paulatim in omnem populum traduxiſſe. Sanè hæc Alexandrini Chronici verba, *Ritu Romanorum*, videntur omnem deſignare populum. Nam & Arcana Procopii hiſtoria Venetam Circenſium factionem notat de alieno, ac non Romano Cæſarici habitu, & addit de barba: *Erat mento & alis intonſis.* Interim Græcorum Euchologion etiamnum hodie habet hunc titulum: *Oratio in barbæ abraſionem.* Et oratio concludit ad Dominum Deum: *Ad tuam gloriam barbæ detonſioni principium dat ſervus tuus.* Et Joannes Goar commentatur: *Græcorum juvenibus, myſtacibus ſervatis, mentum radere conſuetum eſt, & ab anno trigeſimo barbam omnem enutrire.* Ritus originem habemus in libro Levitici: *Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam.* Ad quæ verba Theodoretus: *Moris eſt apud Græcos capita puerorum non attondere, ſed ſinere capillos promitti, & hos poſteà Dæmonibus dedicare.* Mos fuit etiam apud quoſdam Germanos. Etenim de Cattis ſcribit in libro de Germanorum moribus Cornelius Ta- Cap. 19. Cap. 31.

 ci-

citus : *Vt primum adoleverint , crinem barbamque ſubmittere , nec niſi hoſte cæſo exuere votum , obligatumque virtuti oris habitum.* Solemni tonſurâ aut raſurâ judicabantur antea non eſſe digni. Et avita conſuetudo in Oriente permanſit apud Chriſtianos. Etiam hi filiis ſuis & primam tonderi comam & primam barbam radi ſolemniter curarunt per Sacerdotem , & iſtas primitias offerebant Divinæ Majeſtati , atque ita illos hujus ſervitio iterùm mancipabant. Eſt ritus antiquiſſimus. Etenim de hoc exiſtimo loqui Ammianum Marcellinum , ubi Diodorum Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyterum affirmat fuiſſe à gentilibus trucidatum , quòd

Lib. 22. cap. 28.

*puerorum cirros licentiùs detonderet , ad Deorum honorem exiſtimans pertinere.* Hæc verba , *Ad Deorum honorem* , continent paganam Ammiani phraſim. Diodorus enim , licet Arianus , Gentilium Deos deteſtabatur. Clericalis tonſura ſemper & cum ſtudioſo delectu , & per ſolos Epiſcopos fuit olim data , ideoque paſſim omnibus per Diodorum data videtur fuiſſe jam laudata ab Euchologio. Diodorus videtur etiam gentilium filiis ſecuiſſe , & Deo vivo ac vero obtuliſſe primos cirros , ideoque ab ipſorum parentibus fuiſſe occiſus.

Ad hunc etiam ritum ſpectat quòd liber Pontificalis ſcribit de Imperatore Conſtantino quarto , & Benedicto ſecundo Pontifice : *Hic ſuſcepit Mallones capillorum Domini Iuſtiniani & Heraclii , filiorum Clementiſſimi Principis , ſimul & juſſionem , per quam ſignificat eoſdem capillos direxiſſe.* Et de Carolo Martello habet in Centulenſis Monaſterii Chronico Frater Richarius :

Lib. 2. cap. 2.

*Carolus pepigit fœdus cum Luitprando Longobardorum Rege , eique filium ſuum Pippinum miſit , ut more fidelium Chriſtianorum ejus capillum primus attonderet , ac Pater illi ſpiritualis exiſteret.* Quod ipſum teſtantur & alii Francorum Scriptores. Etiam à Pippino Rege filium Carolum fuiſſe eodem fine miſſum ad eundem Regem , affirmat Chronicon Monaſterii Novaliacenſis. Et de Michaële Bulgarorum Rege ſcribit in octavi Concilii præfatione Anaſtaſius Bibliothecarius : *In tantum crevit pietas Principis , & abundabat circâ Beatum Petrum venerationis affectu , ut quadam die manu propriâ ſuos capillos apprehenderet , & contemplantibus cunctis traderet Romanis Miſſis , dicens ; Omnes Primates & cuncti populi Bulgarorum terræ cognoſcant ab hodierna die me ſervum fore poſt Deum Beati Petri & ejus Vicarii.* Non igitur ſoli fideles Græci , ſed etiam nos olim Latini noſtris pueris ſolemni & ſacro ritu abſcidimus cirros , & Divinæ Majeſtati dedicavimus. Nam & ipſos ſibi abſcidit Michaël Rex , quod licet non poſt veteres ex Matris utero , tamen poſt novos ex ſancto Fonte natales eſſent primi. Poſſit apud gentiles Bulgaros viguiſſe mos gentilium Batavorum , de quorum Principe Gentile ſcribit in quarto hiſto-

Digitized by Google

hiſtoriarum libro Cornelius Tacitus: *Civilis barbaro voto, poſt cœpta adverſùm Romanos arma, propexum & rutilatum crinem, patratâ demum cæde legionum, depoſuit.* Poſſit Michaël votum, quod ante ſuis Diis paganus quandoque fecerat, etiam S. Petro Chriſtianus expleviſſe. Quidquid ſit, Græcorum juvenes, dum uſque ad trigeſimum annum radunt barbam, Apoſtolicos Canones non prævaricantur. Cap. 61.

Eadem varietas fuit apud Latinos. Nequaquàm omnes olim fuerunt barbâ raſi. Lucet ex Longobardis. Quod enim etiam Chriſtiani barbas ſuas alere perrexerint, demonſtrat in Adriani primi vita liber Pontificalis. Spoletinos ac Reatinos, quos à civili Romanæ Eccleſiæ Dominio & obedientia abſtraxerant Longobardi, affirmat à Rege Deſiderio rediiſſe ad laudatum Pontificem, & adjungit: *Omnes more Romanorum tonſurati ſunt.* Eadem in vita exponit Ciacconius: *Spoletini & Reatini Romam perrexerunt, ſe ad pedes Pontificis proſtraverunt, atque in ejus verba perpetuam Romanæ Eccleſiæ fidem & obſequium juraverunt, depoſito capillo & barba, quod apud eam gentem deditionis veræ maximum ſignum erat.* Et ipſorum per Rotharim Regem Chriſtianum lata lex habet: *Si quis hominem liberum ſubitò ſurgente rixâ per barbam aut per capillos traxerit, componat ſolidos ſex. Si ſervum miniſterialem, aut Aldium, ſeu ſervum alienum ruſticanum per barbam aut capillos traxerit, componat ei ſolidum unum.* Nec tamen Romani ac alii Itali erant barbâ raſi. Lucet ex Ratherii Veronenſis Epiſcopi libro de contemptu Canonum. In ſecunda ejus parte diſſolutos ſui Cleri mores exaggerat, & adjungit: *Ad tantam conſuetudo impulit impudentiam, ut ſolummodò barbiraſio & vertice cum aliquantula veſtium diſſimilitudine nudo diſtare eos videas à ritu Laïco.* Quod ipſum etiam in epiſtola ad Alexandrum ſecundum Pontificem, & in epiſtola ad Cives Florentinos ſcribit & queritur, atque ita lucidè affirmat Laïcos tunc non fuiſſe barbâ raſos S. Petrus Damiani. Lib. 1. tit. 6. cap. 4. Lib. 1. epiſt. 15. Lib. 8 epiſt. 11.

Eadem forma viguit olim apud Anglos. Etenim inter Cives Londinenſes Matthæus Pariſienſis memorat Robertum & Guilielmum cum barba, & dat rationem cognominis: *Guilielmi genus avitum ob indignationem Nortmannorum radere barbam contempſit.* Exponit in ſuperioribus, ſcribens de Anglicanis Militibus, quos ad Guilielmi Conquæſtoris exercitum explorandum miſerat Rex Haroldus: *Illi ſeriò affirmabant omnes exercitus illius Milites videri Presbyteros, eo quòd faciem totam cum utroque labio haberent raſam.* Et in Fretherici tertii decimi ad S. Albanum Abbatis vita pergit de ejuſdem Guilielmi novis legibus: *Conculcabantur ſpreti & deriſi Nobiles Angli, & more Nortmannorum barbas radere & cincinnos cogebantur.* Et infrà: *Ipſo Normandicæ perſecutionis tempore exularunt ab Anglia Nobiles* Anno 1196. Anno 1166.

tam

Digitized by Google

*tam Milites quàm Prælati, viri ſancti, generoſi, ac dapſiles, qui more Orientalium, & maximè Trojanorum, barbas & comas nutriebant, armis & fide probatiſſimi.* Angli igitur tunc alebant barbas, adeoque diligebant, ut ipſarum ſibi à novo Rege imperatam raſuram dicerent barbaram perſecutionem, & aliqui exulare maluerint, quàm barbam amittere. Et hinc Londinenſis ille Robertus, quòd Regiis Edictis nollet obaudire, appellatus fuit Robertus à barba, & apud Reges de mala fide ſemper ſuſpectus. Porrò Siciliæ Princeps Boadmundus erat Nortmannus, ideòque & ipſe & omnes ejus Commilitones fuerunt raſi.

Et quidem intrà Gallias ſoli tunc Nortmanni videntur fuiſſe raſi. Etenim quòd Francorum Reges crinem profuſum & ſubmiſſam barbam gererent, eaque eſſet dominantis ſpecies, diſertè teſtatur in magni Caroli vita Eginardus. Et de Dodone Diacono, quòd ad Judæos factus Apoſtata ſibi crines & barbam creſcere permiſerit, affirmant Bertiniani Francorum Annales. Quòd nempè cuncti in Regno Laïci tunc ita conſueſſent. Eginardus, ſubmiſſam barbam ſcribens eſſe dominantis ſpeciem, omninò affirmat inter Regem & ſubditos quoad barbam fuiſſe iſtud diſcrimen; quòd quoad crines fuiſſe ſcribit Agathias: *Solemne eſt Francorum Regibus nunquàm tonderi, ſed à pueris intonſi manent, cæſaries tota decenter eis in humeros propendet. Anterior coma à fronte diſcriminata in utrumque latus deflexa. Neque verò, quemadmodum Turcis & barbaris, impexa iis & ſquallida, ſordidaque eſt coma, vel complicatione indecenter cirrata, ſed ſmigmata varia ipſi ſibi adhibent, diligenterque curant, idque velut inſigne quoddam, eximiaque honoris prærogativa Regio generi apud eos tribuitur. Subditi enim orbiculariter tondentur, neque eis prolixiorem comam alere facilè permittitur.* Quidquid ſit, etiam ſubditi non fuerunt barbâ raſi.

Tit. 95. cap. 2. Nec etiam Alemanni. Lucet ex ipſorum antiqua Lege: *Si quis barbam alicujus nolentis totonderit, cum ſex ſolidis componat.* Nec item Bohemi aut Moravi. Etenim Joannes Moravienſis Epiſcopus Jeromirum Pragenſem Epiſcopum, quòd ejus ſervientes contumelioſè *decapillaſſet, & ipſorum barbas abradi præcepiſſet*, accuſavit apud Gregorium ſeptimum Pontificem, & Jeromirus omni ſtudio ſe expurgavit. Lib. 1. Epl. 78. Habes hæc in epiſtola laudati Gregorii ad Vratiſlaum Bohemiæ Ducem. Germanorum mos videtur olim fuiſſe varius. Etenim Imperatorem Henricum ſanctum, dum Romæ coronandus ſolemniter procederet ad S. Petri Baſilicam, fuiſſe à ſex barba raſis, & à ſex prolixa Lib. 7. barba ornatis Senatoribus ſtipatum ſcribit Ditmarus Epiſcopus Merſeburgenſis. Quòd nempè quidam tunc in Germanico Imperio hunc, qui-

quidam populi iſtum haberent morem. Et de Fredegonde Franco-
rum Reginâ, Bajocaſſinos Saxones in belli ſubſidium advocante, ſcri-
bit in Francorum hiſtoria S. Gregorius Turonenſis Epiſcopus: *Frede-* Lib. 10.
*gondis Bajocaſſinos Saxones, juxtà ritum Bitannorum tonſos, atque cultu ve-* cap. 9.
*ſtimenti compoſitos, abire præcepit.* Nempè etiam de Laïcis omninò ve-
rum eſt, quod de Clericis ſcribit ad Naitonum Pictorum Regem Abbas
Ceolfridus: *Scimus quia neque Apoſtoli omnes uno eodem modo ſunt attonſi,*
*neque nunc Eccleſia Catholica, ſicut unâ fide in Deum conſentit, ita etiam*
*unâ atque indiſſimili totum per orbem tonſuræ ſibi formâ congruit.* Prophetam
Job comatum, Patriacham verò Joſeph demonſtrat fuiſſe attonſum,
& adjungit: *Ecce uterque vir Dei diverſum ab altero vultus habitum foris*
*præmonſtrabat, quorum tamen intus conſcientia in parili virtutum ſibi gratiâ*
*concordabat.* Exſtat Epiſtola apud Anglicanam hiſtoriam Venerabilis Lib. 5.
Bedæ. Variæ Latinæ Gentes, uti veſtis, ita & barbæ variam ſemper cap. 22.
habuêre formam.

Antiquam Latinæ barbæ diſciplinam edicit in Libro de Fœminarum
cultu Tertullianus: *Proprias præſtigias formæ & viri ſexus ſibi agnoſcit, barbam* Cap. 8.
*acrius cædere, intervellere, circumradere.* Loquitur cum Clemente Alexandri-
no, qui barbam velli, radi, aut ad cutem tonderi vetat, permittit autem
ali, aut certè ita tonderi, ut mentum non omninò denudetur. Quod
hoc ſit turpe in Viro ſpectaculum. Evulſionem ac raſuram meritò
damnavit & Latina & Græca Eccleſia. Etenim junioribus erat multi
flagitii occaſio ac fomentum, Senes autem fœdabat vitio, quod eo-
dem in Libro notat idem Tertullianus: *Proh temeritas! Erubeſcit ætas*
*exoptata votis, furtum confitetur, adoleſcentia in qua deliquimus ſuſpiratur,*
*occaſio gravitatis interpolatur.* Plura adducunt laudatus Clemens, ac
etiam Gentiles Romanarum rerum Scriptores. Profuſam porrò bar-
bam Græca olim non impoſuit, ſed dumtaxat toleravit, Latina au-
tem Eccleſia omninò improbavit. Etenim neſcio quos longobarbos
Monachos durè & variè notat in libro de Monachorum operè S. Au-
guſtinus. Hi ſunt cum fœmineis contra Apoſtolum crinibus, & hir-
corum barbâ viri, quos ſacris Virginibus vitandos mandat in epiſtola Epl. 24.
ad Euſtochium etiam ſanctus Hieronymus. Eoſdem notat in epiſtola cap. 12.
ad Ruſticum Monachum. Etiam poſterioribus ſæculis Martinum Epla. 4.
Anachoretam, qui numquàm detonſam barbam nutriebat uſque ad ta-
los, culpat in litteris ad Teuzonem Florentiæ Monachum S. Petrus Lib. 6.
Damiani. Et S. Franciſcum, dum ſuæ regulæ confirmationem ſup- epla. 30.
plicavit, omnes novimus fuiſſe in prima inſtantia repulſum ab Inno-
centio tertio: Cauſas varias adducit Matthæus Pariſienſis, eaſque

interfuit etiam *Prolixa barba*. Barbati enim & criniti iſti Monachi primam de tonſura & barba litem moverunt in Eccleſia, ipſam in variis Gentibus acriter turbarunt, atque ita Photio Sciſmatico & ejus Succeſſori Michaëli Cerulario variæ in nos Latinos calumniæ anſam miniſtrarunt atque fomentum. Vana & caduca iſtorum fundamenta adducit in laudato Libro de Monachorum opere S Auguſtinus.

Ex eodem principio de publicis Pœnitentibus ſcribit in ſecundo de Eccleſiaſticis Officiis Libro S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus: *Qui*
Cap. 16. *pœnitentiam agunt, capillos & barbam nutriunt, ut demonſtrent abundantiam criminum, quibus caput peccatoris gravatur. Capilli pro vitiis accipiuntur, ſicut ſcriptum eſt*: Funibus peccatorum ſuorum unuſquiſque conſtringitur. Vir quippè ſi comam nutriat, ignominia eſt, *ut ait Apoſtolus. Illam ergò ignominiam ſuſcipiunt Pœnitentes pro merito peccatorum.* Quod ip-
Cap. 55. ſum eiſdem verbis ſcribunt apud Alcuinum Flaccum Auctor de Officiis
Cap. 29 Eccleſiaſticis, & in ſecundo Libro de Clericorum inſtitutione Raba-
Lib. 3. nus Maurus. Et in animæ gemma confirmat Honorius Auguſtodu-
cap. 77. nenſis. At verò de pœnitentiæ petitoribus ſanxit Agathenſis Synodus:
Cap. 15. *Si comas non depoſuerint, abjiciantur.* Et tertia Toletana: *Epiſcopus eum*
Cap. 12. *prius tondeat, & ſic pœnitentiam tradat.* Quod ipſum ſtatuit Synodus Barchinonenſis. Pœnitentes ergò & apud Gallos & apud Hiſpanos, dum pœnitentiam peterent, debebant & verticem & barbam radere, aut certè ad cutem tondere, toto autem iſtius decurſu nec radi nec tonderi poterant, atque ita lucet integros Laïcos nec raſos nec ad cutem tonſos fuiſſe, nec longobarbos. Lucet Michaëlis Cerularii in nos calumniam non ſolùm eſſe frivolam, ſed & falſam. Soli enim cum quibuſdam ſuis forſan Parentibus in Gallia & Anglia & Sicilia ferè Nortmanni fuerunt raſi. Iſti enim ſunt borealium Germanorum progenies. De Photio, Clericalis barbæ raſuram damnante, rectè ſcribit in opere adverſum ejus calumnias Ratramnus Corbienſis Mona-
Lib. 1. chus: *Quis non videat quanto ſit tenendum ridiculo, de barbæ tonſione quod*
cap. 2. *culpat?* Et infrà: *Tam levis hæc calumnia agnoſcitur, ut ei non reſponderi meritò decerneretur, ne forſan talium levitati pares, vel certè leviores æſtimentur, qui nullam habenti rationem objecto reſpondere potiùs, quàm contemnere delegerunt. Quid enim refert ad juſtitiæ non tantum perfectionem, verùm etiam inchoationem barbæ detonſio aut conſervatio?* Demonſtrat hac in re nihil à ſacris Litteris aut Apoſtolicis traditionibus eſſe conſtitutum, addit
Lib. 4. reperiri varias Gentium conſuetudines, & proſequitur: *Aliis ineſt mos*
cap. 5. *barbam ſeu caput tondere, nonnullis barbam quidem non tondere, caput verò totum nudare, nonnullis autem placet faciem pilis omnibus ſpoliare, verticem*

*capitis*

Digitized by Google

*capitis capillorum tonſione detegere, relictâ capillorum parte, quæ inter nudati verticis partes & tempora conſiſtit. At verò quidam barbam cum attondent, caput ex parte tondent, & detonſum ex parte relinquunt.* Loquitur de Clericis. Et de Laicis eſt eadem ratio. Photius & ejus Succeſſor Michaël Cerularius ſuis nugis nos cogunt ad examinandas haſce quiſquilias. Cur Latini Clerici paſſim barbam raſerint, dixi ad octavam Synodum.

## CALUMNIA III.

*Latini comedunt immunda.*

TErtiam de Sabbathi jejunio calumniam omitto. Abundè ipſam expoſui ad octavam Synodum atque Trullanam. An mundorum ac immundorum animalium diſcrimen fuerit conſuetudinaria ante diluvium lex, diſceptant & antiqui & novi Doctores. Quidquid ſit, ipſam ſtatim poſt diluvium aut induxit aut firmavit Divina Majeſtas, & per datas Moyſi ſanctiones firmiſſimè confirmavit. Ex rationibus variis. Et licet ab omni hoc ſervitutis jugo nos ſolverit Evangelica gratia, & Græca tamen & Latina Chriſtianitas ſemper duxit quaſdam carnes eſſe non amplius ceremoniali ſignificatione, ſed naturali ad humani corporis alimentationem incongruitate immundas, ideòque non edendas. Et quidem Græci in ſuo Euchologio habent hoſce titulos: *Ordo ſolitus obſervari, ſi contigerit aliquod execrandum, qualecumque illud ſit, in aquæ puteum demergi. Ordo ſervari ſolitus, ſi contigerit aliquid execrandum in vini aut mellis, aut alterius cujuſcumque vas nuper incidiſſe.* Vaſa hæc & puteos accenſis cereis, ſacri thuris fumigatione, ſacrâ Theophaniorum aquâ, & variis precibus expiant atque expurgant. Quem ritum aliqui ſine fundamento arguunt Judaïcæ ſuperſtitionis. Hac de re non malè ſcribit Michaël Glycas, affirmans jam ceſſare omnem legalem immunditiam, & proſequens: *Neque novum tibi videatur etiam modo* Part. 2 *quædam pro immundis haberi, verbi gratiâ, Lupum, Leonem, Pardalim. Quippè magnus ille Baſilius hæc in adſceticis ſuis, qui libri rationes exercitiorum pietatis continent, in hunc modum explicavit & illuſtravit.* Quemadmodum in oleribus quod noxium eſt, ab eo diſcernimus quod naturæ noſtræ convenit, ſic in carnibus etiam ab utilibus noxias ſecernimus. Nam & cicuta proindè olerum appellatione venit, ut & vulturum carnes pro carnibus ducuntur. Nemo tamen mentis compos Hyoſcyamum comederit, nec carnem caninam guſtaverit, niſi fortè magna quædam neceſſitas urgeat. Quod quidem ſi uſu veniat, nihil hoc modo veſcens delinquit. *Quapropter ſcire debes nos opera data res noxias averſari,*



Digitized by Google

*& iis quidem animalibus veſci , quæcumque boni ſunt ſucci, ab aliis autem abhorrere , quæ fortè valetudinem incommodam , vel aliquid aliud ingratæ rei nobis ſunt conciliatura.*

Quapropter hoc non eſt poſitivum Evangelii mandatum , ſed naturæ lex generalis , quâ omnes jubemur proprium corpus non odiſſe, ſed diligere ac fovere. Hinc etiam apud Gentiles fuerunt immunda animalia: Varia apud varios. Etenim de antiquis Britonibus , quòd
Lib. 5. cap 11. Lepores, Gallinas, & Anſeres quidem animi gratiâ alerent , at comedenda non ducerent , teſtatur in libris de bello Gallico Julius Cæſar. Et de Afris , quorum tunc Amilcaris & Aſdrubalis Pater Mago
Lib. 19. erat Rex , ſcribit Juſtinus : *Legati à Dano Perſarum Rege Carthaginem veniunt, afferentes Edictum , quo Pœni caninâ carne veſci prohibebantur.* Et
Cap. 5. de Oratore Hortenſio ſcribit in libro de Pallio Tertullianus : *Primus Pavum cibi causâ occidit.* Quod ipſum in naturali hiſtoria ſcribit Plinius. Et de Iſmaëlitis ſeu Saracenis , per Simeonem Anachoretam ad JESUM-
Cap. 26. CHRISTUM converſis , habet in Monaſtica hiſtoria Theodoretus: *Divinis Myſteriis initiantur , paternis moribus valedicentes , aſinorumque agreſtium & camelorum eſum reſpuentes.* Et in ſecundo adversùs Jovinia-
Cap. 6. num libro S. Hieronymus : *Quis ignoret unamquamque gentem , non communi lege naturæ, ſed iis, quorum apud ſe copia eſt, veſci ſolitam? Verbi gratiâ, Arabes & Saraceni , & omnis Eremi Barbaria Camelorum lacte & carnibus vivit : Quia hujuſmodi animal pro tempore & ſterilitate Regionum facilè apud eos & gignitur & nutritur. Hi nefas arbitrantur Porcorum veſci carnibus. Sues enim , qui glande , caſtaneis , radicibus filicum , & hordeo ali ſolent , aut raro apud eos aut penitus non inveniuntur , & ſi inventi fuerint, alimenta non habent quæ diximus. E regione Septemtrionales Populi, ſi ad eſum Aſinorum Camelorumque compellas, ſimile putabunt eorum veſci carnibus , ac ſi lupum comedere cogantur aut corvum. In Ponto & Phrygia vermes albos & obeſos , qui nigello capite ſunt , & naſcuntur in lignorum carie, pro magnis reditibus Pater familias exigit. Et quomodò apud nos attagen & ficedula , mullus & ſcarus in deliciis computantur , ita apud illos Xylophagon comediſſe, luxuria eſt. Rurſum Orientalis & Libyæ Populos , quia per deſertum & calidam Eremi vaſtitatem locuſtarum nubes reperiuntur , locuſtis veſci moris eſt. Hoc verum eſſe Ioannes quoque Baptiſta probat. Compelle Phrygem & Ponticum , ut locuſtam comedat , nefas putabit. Coge Syrum , Afrum , & Arabem, ut vermes Ponticos glutiat, ita eos deſpiciet ut muſcas , millepedios, & lacertos. Quamquàm Syri & Crocodilis terrenis , Afri etiam lacertis viridibus veſci ſoleant. In Ægypto & Paleſtina , propter Boum raritatem, nemo vaccam comedit, Taurorumque carnes & Boum , Vitulorumque aſſumunt in cibos,*

*cibos, at in noſtra Provincia ſcelus putant vitulos devorare. Vndè & Imperator Valens nuper legem per Orientem dederat, ne quis vitulorum carnibus veſceretur, utilitati agriculturæ providens, & peſſimam Iudaïzantis vulgi emendans conſuetudinem, pro altilibus & lactentibus Vitulos conſumentis. Nomades & Trogloditæ, & Schytæ, & Hunnorum nova feritas ſemi crudis veſcuntur carnibus. Porrò Ichtyrophagi, Gens errans in littore maris rubri, ſuper petras Solis ardore ferventes aſſant piſces, & hoc ſolo alimento victitant. Sarmatæ, Quadi, & Wandali, & innumerabiles aliæ gentes Equorum & Vulpium carnibus delectantur.* Laudatæ Valentis legi anſam dedit Imperator Julianus, qui nimia Sacrificiorum in ſuos Deos profuſione totum Boum genus apud Syros fermè exſtinxerat. Quòd Gallia ovium dumtaxat, non autem vaccinum lac comederit ſuo tempore, videtur in Libro de Synodis affirmare S. Hilarius Pictavienſis. Etiam ciconias, graculos, corniculas, fibras, lepores, ſylveſtres ac domeſticos equos, & crudum laridum Germanis ac aliis Francis interdixerunt per Legatum ſuum S. Bonifacium Zacharias Pontifex ac Gregorius tertius. Et prævaricantes juſſerunt caſtigari. Et tamen graculos etiamnum hodiè manducat Gallo-provincia. Et venerabilis Bedæ liber in S. Ivonis Decreto habet hunc canonem: *Qui comedit ſcabiem, aut vermi-* Part. 15.
*culos, qui pediculi dicuntur, ſi infantes ſunt vel pueri, vapulent, ſi in virili* cap. 96.
*ætate, ſeptem dies pœniteant, & utrique cum impoſitione manus Epiſcopi ſanentur.* Et Romanæ Eccleſiæ antiquus Pœnitentialis Liber: *Qui comedit vel* Cap.
*bibit intinctum à familiari beſtia, id eſt, cane vel catto, ſi ſcit, centum Pſalmos* 118.
*cantet; ſi neſcit, duos dies jejunet. Qui dederit alicui liquorem, in quo mus vel muſtela mortua inventa ſunt, ſeptem dies pœniteat. Si quis ſemicoctum comederit inſcius, tres dies pœniteat, ſciens autem ſeptem dies pœniteat. Si quis tinxerit manum in aliquo cibo liquido, & non idoneâ manu, centum palmatis emendetur. Si in farina aut in aliquo cibo ſicco, aut in pulte aut in lacte coagulato mus vel muſtela mortua inveniuntur, quod in circuitu ejus eſt, totum projicietur foras, quod reliquum eſt manducetur.* Et in octava Sententiarum parte ſcribit Robertus Cardinalis Pullus: *Eſt cibus ex accidenti aut inconſueto contemptibilis.* Cap. 10.
*Potum etiam ſi quæ contra decus incidunt, nauſeatores non ferunt. Hujuſmodi ſumere culpa non eſt, niſi intuentibus id ſcandalo ſit. Propter quod minimè comedas butirum inter Francos, aut inter alios quoſdam allium.* Et infrà: *Caſeus, jure gentium eſui conceſſus, à nonnullis ferè quaſi peſtis vitatur.* At verò de Ægyptiis, quod pro ſalibus, id eſt, deliciis & lautitiis uteren- Cap. 6.
tur caſeo, & ipſum omni cibo ſuperfunderent, in decima nona collatione teſtatur Joannes Caſſianus. Quod ipſum hodiè faciunt & Itali. Adduci poſſent adhuc plures hujuſmodi conſuetudinum varietates.

 S. Hiero-

Digitized by Google

S. Hieronymo, manducatas à S. Joanne Baptiſta locuſtas affirmanti fuiſſe animalia, conſentit S. Auguſtinus, ac in ejus vita S. Poſſidius. Verùm longè aliter in litteris ad Timotheum Lectorem ſcribit Iſidorus Peluſiota: *Locuſtæ, quibus Ioannes alebatur, non animantia ſunt, ut quidam imperiti putant. Abſit. Sed herbarum aut plantarum ſummitates.* Ad tertium S. Matthæi caput mitior eſt Theophylactus: *Quidam dicunt locuſtas eſſe herbas, quas melagia vocant; alii nuces aut poma ſylveſtria.* Habitatam à S. Joanne Baptiſta ſolitudinem deſcribit in Orientalis Eccleſiæ hiſtoria Jacobus Cardinalis de Vitriaco, & adjungit: *In hac Eremi ſolitudine non niſi locuſtas cum melle beatus Ioannes edebat. Eſt autem in partibus Syriæ pleriſque conſuetudo, adveniente locuſtarum multitudine, eas colligendo & congregando ad victum reſervare. Quoniam autem veriſimile mihi non videtur, quod Beatus Chriſti Baptiſta locuſtarum carnes manducaret, qui pane veſci etiam renuebat, quæſivi diligenter à quodam Surianorum Monacho, cujus Cœnobium in partibus illis erat, habens maximam Monachorum multitudinem ſub uno Abbate, vitam arctiſſimam ducentium, cujuſmodi eſſent Locuſtæ, quas in ſolitudine illa Iordanica beatus Ioannes manducaſſe perhibebatur. Qui mihi ſtatim reſpondit, quòd frequenter in Refectorio ſuo quædam herba Monachis ad edendum apponebatur, quam Languſtam, id eſt, Locuſtam nominabant, cujus circà Monaſterium ſuum magna habebatur copia. Adjungens quòd illa eſſet, quam edebat beatus Ioannes.*

Cap. 22. | Lib. 1. Ep. 133. | Lib. 1. cap. 53.

Audiamus quid ſit & mel ſylveſtre, altera S. Joannis eſca. Pergit de ipſo laudatus Iſidorus: *Eodem modo non herba quædam eſt mel ſylveſtre, verùm vel montanum, quod ab aggreſtibus Apibus conficitur, ſummìque amarum eſt, & guſtatui omnino infeſtum ac inimicum. Quibus ex rebus ſingularem quandam ac penè incredibilem corporis afflictationem Ioannes præ ſe gerebat: Vt qui non inedia tantùm, verùm etiam victus aſperitate omnem corporis appetitionem amaram redderet.* Conſonat laudato in loco Theophylactus: *Mel agreſte eſt, quod à feris apibus conficitur, & in arboribus ac petris invenitur.* Verùm alia longè eſt ſententia laudati Cardinalis: *Mellis ex calamellis maximam in Syriæ partibus vidimus abundantiam. Calamelli autem ſunt calami pleni melle, id eſt, ſucco dulciſſimo, ex quo quaſi in torculari compreſſo, & ad ignem condenſato prius quaſi mel, poſt hæc quaſi ſaccarum efficitur. Vocatur autem alio nomine Canamelles. Quod nomen ex cana & melle componitur. Eo quod cannis ſive arundinibus hujuſmodi calami ſint ſimiles.* Infrà deſcribit Jordanem fluvium, & adjungit: *Campi adjacentes ex calamellis condensâ multitudine ſtillantes dulcedinem, ſaccari procreant abundantiam.* Affirmat S. Joannem ipſo veſci conſuetum. Eandem ſententiam ſequitur in ſacri belli hiſtoriâ, Syriæ campos deſcribens, Fulcherius

Cap. 53.

Carnu-

Carnutenſis : *Tunc erant in agris cultis meſſes quædam , quas vocant canamelles , arundinibus ſimiles , à cana & melle nomen compoſitum. Vndè , ut puto , & mel ſylveſtre dicitur illud , quod de his ſapienter conficitur. Has quidam propter ſaporem mellitum dentibus famelici ruminabamus.* Eiſdem ferè verbis hæc refert incognitus in ejuſdem belli hiſtoria Scriptor , & adjungit : *Plus indè ſaporis capeſſebamus , quàm vigoris.* Tripolitanæ Civitatis obſidio- Lib. 2.
nem atque agrum deſcribit in eadem hiſtoria Albertus Aquenſis , atque proſequitur: *Calamellos ibidem mellitos per camporum planitiem abundanter re-* Lib. 5.
*pertos , quos vocant ſaccara , ſuxit populus , illorum ſalubri ſucco lætatus. Et vix* cap. 37.
*ad ſaturitatem præ dulcedine expleri hoc guſtato valebant. Hoc enim genus herbæ ſummo labore agricolarum per ſingulos excolitur annos. Deindè tempore meſſis maturum mortariolis indigenæ contundunt , ſuccumque colatum in vaſis ſuis reponentes , quo uſque coagulatus indureſcat ſub ſpecie nivis vel ſalis albi. Quem raſum cum pane miſcentes ; aut cum aqua terentes , pro pulmento ſumunt. Et ſuprà favum mellis guſtantibus dulce ac ſalubre videtur. Quidam ajunt eſſe genus mellis , quod reperiens Ionathas filius Saül Regis ſuper faciem terræ , inobediens guſtare præſumpſit. His ergò calamellis melliti ſaporis populus , in obſidione multum horrendâ fame vexatus , eſt refocillatus.* Ex quibus lucet herbam hanc à S. Joanne Baptiſta non fuiſſe comeſtam. Eſt adeò delicata , ut Canarienſes , qui ejus ſiliquis paſcuntur , porcos authentici teſtes ſcribant eſſe noſtris Brugenſibus caponibus meliores. Et in deſerto Syriæ non ſponte naſcitur ; ſed magno labore ſeminatur in campis & alitur. Iſtam ergò ſententiam meritò proſcribit Iſidorus Peluſiota. Quocircà S. Joannes manducabat ſylveſtrium apum mel , quod in Syriæ deſertis abundare affirmat idem Jacobus de Vitriaco. Nec mireris iſtud mel fuiſſe amariſſimum. Nam & in quibuſdam regionibus domeſticæ apes conficiunt venenatum. Ex qualitate alimenti.

Porrò Neophytis Bulgaris rogantibus , *Quæ animalia ſeu volatilia liceat manducare* , reſpondit Nicolaus primus Pontifex : *Omne animal* , Cap. 43.
*cujus cibus minimè corpori noxius eſſe probatur , & ſocietas hoc in cibum admittit humana , comedi non prohibetur.* Probat & ex Canonicis Scripturis , & ex S. Auguſtino. Præſertim ex Geneſis loco , ubi Dominus Noë & filiis ejus omnia citrà exceptionem animalia conceſſit , dempto ſolo ſanguine & ſuffocato. Hanc libertatem affirmat toti mundo reſtitutam ab Evangelio. Et hinc ad præſentem Michaëlis Cerularii calumniam rectè repoſuit Petrus Patriarcha Antiochenus : *Quòd Latini immundis rebus veſcantur , invenies etiam ejuſmodi res , ſi diligenter inquiras , à nonnullis noſtrorum fieri. Bithyni enim , & Thraces , & Lydi comedunt picas , corniculas , turtures , & terreſtres echinos , quorum uſum indifferentem Patres*

nobis

*nobis reliquerunt. Nulla enim Dei creatura eſt reprobanda , ſi cum gratiarum actione ſumatur.* Reſpondet hanc calumniam eſſe frivolam , & magni Baſilii adducto per Michaëlem Glycam teſtimonio ſua Dicta confirmat.

## CALUMNIA IV.

*Latinorum Monachi carnibus veſcuntur , nidore videlicet ſuis , & larido omni , quod utique ad carnem pertinet.*

Hanc calumniam aliter in quarti decimi Ancyrani Canonis commentario format Theodorus Balſamon : *Latini Monachi carnibus quidem abſtinent , earum autem adipem cum oleribus indiſcriminatim comedunt.* Nempè viderat aut mentitum , aut certè lapſum fuiſſe Michaëlem Cerularium , ideòque ejus Dicta contraxit & correxit. Quin & ſe erraſſe vidit ipſe Michaël : Hinc enim & ipſe contraxit ſuam calumniam ad ſolius laridi in coquendis oleribus uſum , affirmans ipſum ad carnem pertinere. Aliam adhuc in formam loquitur Schiſmaticus , in Conſtantinopolitano Patrum Prædicatorum Conventu repertus , Auctor : *Si quis Latinus Monachus in Epiſcopum promoveatur , carnes manducat intrepidè. Et Monachi parvâ vexati ægritudine carnibus veſcuntur. Communiter autem omnes pinguedine porcinâ utuntur.* Ex quo lucet has calumnias eo tempore, quo Latini omnes Monachi adhuc abſtinebant carnibus , eſſe ſcriptas : Circà tempus Michaëlis Cerularii. Nam & Calabros præ omnibus Latinis gentibus affirmat eſſe canonum & Apoſtolicæ diſciplinæ obſervantes : Quòd nempè Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ adhuc adhærerent , necdum reducti ad Patriarchicum jus Romanæ Cathedræ. Reducti ſunt per Nortmannos , circà tempus dicti Michaëlis. Aliud hiſce calumniis , aliud tempus aſſignandum eſt ipſarum Catholicæ refutationi. Hæc eſt multò recentior.

A carnibus & vino abſtinere eſt omnibus per Orientem Monachis adeò antiquum atque ſolemne , ut in S. Antonii , quem aquæ ſolius potu & panis ac ſalis ſolo eſu victitaſſe ſcribit , vita addat S. Athanaſius : *Carnium & vini meminiſſe eſt ſupervacaneum , cum ne apud alios quidem Aſcetas illa invenirentur.* Et de ſe ipſo jam Epiſcopo ad Imperatorem Julianum, mille auri libras pro Perſica ſua expeditione poſtulantem , reſcripſit magnus Baſilius : *Parcere nobis , Optime , placeat , tan-*
Ep. 208. *tùm vix poſſidentibus , quantùm , ſi lubeat abſumere , ſatis hodiè non fuerit. Ars enim coquendi domi noſtræ neglecta eſt , & culter ſanguinem non attingit. Ciborum lautiſſima nobis ſunt oleris folia cum pane modico & vino flacceſcente , ut nihil ſtupeant noſtri ſenſus ob ventris ingluviem , neque præ deliciis munia ſua negli-*

Digitized by Google

*negligant*. Quod ipſum repetit in iterato ad iteratam Principis exactionem Reſponſo. Quòd Baſilius tunc Epiſcopus fuerit, demonſtrat poſtulatum aurum: Quis enim mente ſanus Princeps à paupere Monacho belli ſubſidia, & quidem tanta, poſtularit? In virorum illuſtrium catalogo ſcribit de magno Baſilio S. Hieronymus: *Moritur imperante Gratiano*. Et hinc rectè Onuphrius Panuinus Domini anno poſt trecenteſimum ſexageſimo nono, malè Dominus Cardinalis Cæſar Baronius affirmat defunctum anno ſeptuageſimo octavo. Solis enim octo annis & aliquot menſibus Baſilius ſedit Epiſcopus, & ad ſexageſimum quartum iſtius ſæculi annum Julianus periit in Perſide, ideoque lucidè nequit ille ad Domini Cardinalis catalogum vixiſſe. Et quod ſub Juliano fuerit Epiſcopus, teſtantur graviſſimi Scriptores. Et exſtant Epiſtolæ, quibus dictum aurum Julianus exegit. Baſilius ergo etiam in Epiſcopatu vixit Monachum, ideoque ignorabat carnes, & non niſi ob languidum ſtomachum modico & flaccido vino utebatur. Et ad Nilum Monachum ſcribit Iſidorus Peluſiota: *Si cibos Monaſticæ vitæ, juxta* Lib. 1. *Deum perfectæ, in Ioanne Baptiſta didicimus, herbarum & foliorum ſummitatibus contenti erimus, ad exiguam & minimè reduntantem alimoniam ac vires.* Epiſt. 51. *Sin autem hæc imbecillitatem noſtram excedant, tum neceſſitatis omnis, tum rationis vivendi, ac perfectionis adipiſcendæ forma nobis ac regula ſit, quod Antiſtes cenſuerit atque imperarit.* Denuò affirmat ſanctum Joannem Baptiſtam ex ſolis herbis victitaſſe, ita victitandum omni Monacho, ac etiam infirmo citra Præfecti judicium ab iſta ſanctitate non recedendum. Quod ipſum in Epiſtola ad Lætam, in Epiſtola ad Salvinam, in Epiſtola ad Furiam, in Epiſtola ad S. Paulinum, in Epiſtola ad Euſtochium, ac aliis locis S. Hieronymus, variis item in locis Joannes Caſſianus, & alii authentici Scriptores teſtantur. Et de ſe ipſo ſcribit in Epiſtola ad Aſellam laudatus Hieronymus: *Ego ventrem faba impleo*. Rationem dat in laudata ad Paulinum Epiſtola: *Sit vilis & veſpertinus cibus, olera & legumina. Interdum piſciculos pro ſummis ducas deliciis. Qui Chriſtum deſiderat, & illo pane veſcitur, non quærit magnopere, de quam pretioſis cibis ſtercus conficiat.*

Epiſt. 7. Epiſt. 9. Epi. 13. Epi. 99.

Addit in Epiſtola ad Salvinam: *Procul ſint à conviviis tuis Phaſides aves, craſſi turtures, attagen Ionicus, & omnes aves, quibus ampliſſima avolant patrimonia. Nec ideò carnibus te veſci non putes, ſi ſuum, leporum atque cervorum, & quadrupedum animantium eſculentias reprobes. Non enim hæc pedum numero, ſed ſuavitate guſtus judicantur.* Et in Epiſtola ad Furiam: *Illis tribue divitias tuas, qui non Phaſides aves, ſed cibarium panem comedunt, qui famem depellat.* Et neſcio quem Orientalem Monachum de ab-

ſtinentia laudans in Lauſiaca hiſtoria Palladius Helenopolitanus
Cap. 46. Epiſcopus adjungit: *Sed neque avium aucupium, neque ullum animal perſequebatur.* Lucidè ſupponit quoſdam Monachos vacaſſe iſti aucupio, atque ita aviculas manducaſſe. Rationem dat in Eccleſiaſtica hiſtoria, varias variarum gentium in ſervanda Quadrageſima conſuetudines diſſerens, Socrates: *Alii omninò ab animantium genere abſtinent, alii inter* Lib. 5. cap. 21. *animantia ſolos piſces comedunt, alii cum piſcibus volucres etiam manducant, eaſque ex aqua naſci aſſerunt.* Et in Photii bibliotheca Baſilius Ciliciæ L. 107. Presbyter Joannem Schytopolitanum arguit, *quod ſacrum Quadrageſimæ tempus revocaſſet ad tres ſeptimanas, eiſdemque nec ab avium carnibus abſtinuiſſet.* De avibus & piſcibus pulchrè ad Dominum Deum canit S. Ambroſius: *Qui ex aquis ortum genus partim immergis gurgiti, partim levas in aëra.* Hinc quidam aves & piſces dixerunt eſſe ejuſdem qualitatis, ideoque utraque comederunt in Quadrageſima, & à ſolis quadrupedibus terræ animantibus abſtinuerunt. Quam diſtinctionem probarunt, & ex ipſa vixerunt plures etiam Monachi. Nec ipſam plenè damnat S. Hieronymus. Dumtaxat Phaſianos, craſſos Turtures, aliaſque id genus grandes & pretioſas aves interdicit Monachis: Parvulas videtur omninò permittere. Dum in Juliani apud Halicarnaſſum Epiſcopi de incorruptibili Domini corpore hæreſim incidit, atque obduruit Imperator Juſtinianus, ſibi adverſantes Primates Orientis Epiſcopos proſcripſit ac deportavit: Etiam ſanctum Eutychium ex Monacho Patriarcham Conſtantinopolitanum. Et quia aliquem tituli fucum ſemper venatur perſequens Tyrannus, pro cauſa adduxit, quod Eutychius aviculas comediſſet. Edixit illum eſſe prævaricatorem ſuæ Monaſticæ Profeſſionis, ideoque dignum degradari. Verùm in Sancti vita ridet hæc atque explodit Euſtatius Presbyter, atque ita affirmat Græcorum Monachis avicularum eſum paſſim licuiſſe. Et reverà ipſarum caro eſt modicæ ſubſtantiæ.

Nec tantum in Monaſterio, ſed etiam extra ipſum ex cauſa verſantes Monachi debuerunt abſtinere à carnibus. Lucet ex regula S. Pa-
Cap. 54. chomii: *Quod ſi neceſſitas impulerit ut Monachus foris maneat, & veſcatur in paterna ſeu propinquorum domo, nequaquàm hoc faciat, ſed manebit vel in Dominico, vel in Monaſterio ejuſdem Fidei. Et ſi eis affines vel cognati præparaverint cibos & appoſuerint, non accipient omninò nec veſcentur, niſi his quæ in Monaſterio comedere conſueverunt. Non guſtabunt liquamen, nec vinum bibent, nec aliud quidpiam, quorum edendi conſuetudinem non habent.* Et de ſacrarum Virginum diſciplina ſcribit ex Oriente, atque ita ex Orientali regula ad Lætam S. Hieronymus: *Sacra Virgo non veſcatur in publico,*

*id eſt,*

Digitized by Google

*id eſt, in Parentum convivio, ne videat cibos, quos deſideret. Et licet quidam putent majoris eſſe virtutis, præſentem contemnere voluptatem, tamen ego arbitror ſecurioris continentiæ eſſe, neſcire quod quæras.* Et hinc Philippum Monachum, qui lautioris menſæ amore ſæculares domos viſitabat, fuiſſe de cubili in cubile migrare conſueto lepori ſimilem ſcribit Iſidorus Peluſiota, atque adjungit: *Tibi illud continget, ut omnibus Iſraëlis urbibus, atque omnibus terræ receſſibus cum hujuſmodi ventre atque animi inſtituto peragratis, Euripus quidam ſis, omni ciborum vento circumactus, ac perpetuâ inſtabilitate laborans.* Etiam Marcus Monachus, *non comparandæ eruditionis, ſed exquiſitarum epularum ſtudio atque cupiditate luſtrabat alienas domos.* Ipſum fuiſſe vento raptum pulverem ſcribit Iſidorus, ac pergit: *Heu quis te ſatis dignè deplorare queat? Qui & exitium tibi ipſi infers, & multos inutiles reddis.* Utique pravo exemplo. Etiam ad Hæreſiarcham Pelagium ſcribit: *Cani effuſi ſunt in Ephrain, & ipſe ignoravit, vitioſis utique affectionibus juveneſcens. Eodem modo tibi quoque ingens annorum turba canitiem invexit, & tamen rigidum atque inflexum animum habes ex alio Monaſterio ad aliud ſubindè migrans, atque omnium menſas perſcrutans & explorans. Quamobrem ſi tibi carnium nidor atque obſoniorum condimentum curæ eſt, iis qui Magiſtratus gerunt, potiùs blandire, atque urbium caminos veſtiga. Neque enim homines Eremitæ eas facultates habent, ut te, quemadmodum tibi gratum eſt, excipere queant.* Ita per alienas & Monaſteriorum & Nobilium domorum carnoſas menſas gyrando, ſuum virus ſeminabat. Ejuſmodi Gyrovagos Gloſſogaſtores graviter arguit etiam S. Gregorius Nazianzenus. Vigeſimus item ſecundus Canon ſecundæ Synodi Nicenæ. Nec ſine fundamento. Nam à Gaſtrimargiæ adhuc obnoxio Monacho ſilentii Monaſtici militiam necdum eſſe inchoatam, multis demonſtrat in quinto Monaſticarum Inſtitutionum Libro Joannes Caſſianus.

Lib. 1. Ep. 41.

Ep. 173.

Ep. 314.

Et promotos in Clerum, ipſumque etiam Epiſcopatum Monachos fuiſſe huic diſciplinæ ſemper adſtrictos demonſtrant S. Baſilii ad Imperatorem Julianum laudatæ Epiſtolæ, & S. Eutychio per Imperatorem Juſtinianum inflicta degradatio. Inter primos Monachorum ad Epiſcopalem apicem evectores fuit magnus Athanaſius Patriarcha Alexandrinus. Firmando adversùs Arianam turbulentiam recto dogmati aptiores pugiles vidit ægrè reperiendos. Eos interfuit Dracontius Monachus. Verùm hic Epiſcopatum nunquàm ſuſcipere juraverat: Quod cum Monaſtico jejunio & temperantia cenſeret Epiſcopalem hoſpitalitatem non poſſe cohærere. Et quidem ejuſmodi juramentum eſſe validum docebant tunc plures, ipſorumque ſententiam ſequitur in Canonicis

Cap. 10. 17.



ad

ad S. Amphilochium litteris magnus Baſilius. Athanaſius contrarium cenſuit, Dracontium compulit Epiſcopum fieri, & adjunxit: *Licebit tibi in Epiſcopatu eſurire & ſitire, ſicut Paulo. Licebit & vinum non bibere, ſicut Timotheus fecit. Et jejunare frequenter, ut Paulus ſolebat. Ne igitur talia objiciant tui Conſiliarii. Novimus enim & Epiſcopos jejunantes, & Monachos comedentes. Novimus Epiſcopos non bibentes vinum, & Monachos bibentes.* Et ex hiſce quæſtionibus manaſſe credo antiquum Orientalis Eccleſiæ Canonem, qui Clero ac ipſi etiam Epiſcopatui admotum Monachum adſtringit ad retinendum profeſſæ humilitatis habitum, cibum, potum, omnem diſciplinam. Eundem Canonem innovat & firmat in novella ad Epiphanium Conſtantinopolitanum Patriarcham

Leg. 5. cap. 8. Lege Imperator Juſtinianus: *Si quis Monachicam profitentium converſationem meruit Clerici ordinationem, maneat etiam ſic puram ſervans converſationem. Quod ſi facti Clerici abutantur fiduciâ, & ad nuptias venire præſumant: Quippè in tali gradu conſtitutus inter Clericos, qui ei uxorem ducere permittat, excludatur omnibus modis à Clero, tamquàm priorem converſationem & ſolitariam confundens vitam.* Uti hodiè ad Epiſcopatum, ita olim ad Presbyteratum, ac Diaconatum, imò & ad Lectoratum aſſumebantur Monachi, omniſque illa evectio ſolvebat ac emancipabat Monaſticum jugum. Hinc quidam ad minores gradus aſſumpti cenſebant ſibi reviviſcere iſtius ſui gradus licentiam, ideoque & ducebant Uxores. Adversùm hoſce ſolos avitum Canonem innovat Juſtinianus: Quod nempè Epiſcopi & & quivis è Monachis majores Clerici illum integrè cuſtodirent. Ita de Aphtonio poſt Monachum Epiſcopo ſcribit in Mona-

Cap. 5. ſtica hiſtoria Theodoretus: *Aphtonius nec pallium mutavit aſceticum, nec tunicam è caprarum pilis contextam, cibiſque eiſdem uſus eſt, quibus antè Epiſcopatum veſcebatur.* Et de Helladio Tarſenſi in prima Cilicia poſt Monachum Metropolita Epiſcopo: *Priſtinam non deſervit Philoſophiam, ſed laboribus illis Pontificales quoque ſudores adjecit.* Et de Abrahamo Carrarum

Cap. 17. in Meſopotamia poſt Monachum Epiſcopo: *Admirabilis iſte vir nec panem Epiſcopatûs tempore guſtavit, nec legumina, nec olera igni cocta, nec aquam, ſed lactucas, intyba, apia, & hujuſmodi alia cibi ac potûs loco habuit, piſtorum & cocorum ſuperfluas eſſe artes demonſtrans. Autumni verò tempore fructibus veſcebatur.* Plures è Monachis Epiſcopos in laudata ad Dracontium epiſtola laudat magnus Athanaſius, affirmatque cunctos in ſua Philoſophia conſtanter permanſiſſe. Et de Zenone Gazenſi

Lib 7. cap. 27. apud Palæſtinos Epiſcopo ſcribit Hermias Zozomenus: *In Philoſophia Monaſtica vitam traduxit.* Addit ex manuum labore uſque ad mortem victitaſſe. Et Iſidorum Peluſiotem, Alexandrinæ Eccleſiæ è Monacho Pres-

Digitized by Google

Preſbyterum, quod Angelicam vitam traducere & Monaſticæ vitæ vivum ſpeculum eſſe perrexerit, prædicat Evagrius Epiphanienſis. Ipſum vixiſſe ad octoginta & quinque annos affirmat in Lauſiaca Hiſtoria Palladius Helenopolitanus Epiſcopus, & adjungit: *Hic Sanctus uſque ad horam obitûs nihil lineum geſtavit extra vittam, non balneo eſt uſus, non tetigit carnes, nunquàm à menſa receſſit repletus uſque ad ſatietatem. Erat autem corpore à Dei gratia tam benè contemperato, ut omnes qui ignorabant ejus victus rationem, perſuaſum haberent lautè ipſum & opiparè vivere.* Et de Joanne quarto poſt Monachum Patriarchâ Conſtantinopolitano ſcribit Theophylactus Simocata: *Poſtquàm die ſuo perfunctus eſt Ioannes, Imperator Mauritius in ejus facultates inquirens, paupertatem conſectatum invenit. Nihil aliud inveniſſe ajunt præter lectum ligneum, & laneum ſtragulum nullius pretii, ac deformem penulam. Vili enim veſtitu delectabatur vir frugalitate vitæ conſpicuus.* Hinc enim & à Græca & à Latina Eccleſia uſque hodiè titulatur *Ioannes Ieiunator.* Magnus reverà Epiſcopus, niſi uſurpato *Vniverſalis Epiſcopi* ſuperbo nomine virtutes diluiſſet. Hujus diſciplinæ adeò tenax ſemper fuit Græcia, ut inter præcipua Imperatoris Conſtantini Caballini ſacrilega facinora referatur, quod promotos è Monachis Epiſcopos & ſeduxerit & compulerit ad edendas carnes. Et inter articulos, de quibus S. Joannem Chryſoſtomum accuſavit in habita apud Quercum Synodo Joannes Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Diaconus, fuit & hic: *Quod ſolus edat, intemperanter Cyclopum vitam degens.* Eum accuſat quod ex Monacho Epiſcopus carnem & vinum clandeſtivè voraret. Poſterioribus ſæculis Joannes Glycas, è conjugio aſſumptus ad Regiæ civitatis Patriarchatum, voluit Monachum induere, verùm à ſua Synodo non fuit permiſſus: Quod ſenex eſſet & laboraret podagrâ, ideòque carnibus non poſſet carere. E Monachis Patriarchas ſemper dilexit iſta Eccleſia: Hinc in Patriarcham etiam intruſus Photius ſtatim ſe fecit tonderi in Monachum. At ſæcularem illa habere maluit, quàm Monachum, qui non Monachaliter viveret. Nec in tali caſu cenſuit cum dicto Joanne diſpenſandum. Habes exemplum iſtud apud Nicephorum Gregoram.

Cap. 1. Lib. 7. Cap. 6.

Fuerunt tamen caſus, inquibus & carnes & vinum Monachis permittebantur. Primus eſt corporis infirmitas. Etenim in præfatione ad ſancti Pachomii Regulam ſcribit de ejuſdem Monachis ſanctus Hieronymus: *Ægrotantes miniſtrorum ſuſtentantur obſequiis, & ad omnem copiam præparatis cibis.* Et de omnibus generatim Ægypti Cœnobitis ſcribit ad Euſtochium: *Si quis cœperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem, & tanto ſenum miniſterio confovetur, ut nec delicias urbium, nec* Cap. 4. Epi. 22. Cap. 15.

*matris quærat affectum.* Carnem & vinum non eſſe ſumenda à Monachis demonſtrat inſigniter in ſecunda ad Lauſum Præpoſitum epiſtola Palladius Helenopolitanus Epiſcopus, atque adjungit: *Quod ſi caro ſit ægra, vel mœrore confecta, vel aliquo caſu afflicta, tunc utetur vel cibo vel potu tanquam medicamentis.* Utique & carne & vino. Et in primo de Monachorum inſtitutionibus ſermone ſcribit magnus Baſilius: *Cibi uſus ejuſmodi eſſe debet, qui ad ſolam neceſſitatem referatur. Item vinum neque omninò reſpui debet, ſi quando valetudinis cauſa aſſumendum ſit, neque ſtudiosè nimis, ſi neceſſitas non ſit, exquirendum.* Quod ipſum docet S. Joannes Chryſoſtomus. Et ad Lyſimachum ſcribit Iſidorus Peluſiota: *Imbecillitate laboranti ſtomacho vini non nihil impertiendum eſſe ſapiens Paulus docuit, ne ob nimiam continentiam aliâ rurſum aqua potione immoderatio egeat. At ſano atque ætate ferventi, idque Monacho, vinum, quo in omnibus rebus liquidis nihil eſt calidius, infundere, ac velut igni ignem addere, haud mihi bonum eſſe videtur.* Ex quibus lucet etiam ſenibus vinum fuiſſe permiſſum. Hinc enim & magnus Baſilius Epiſcopus modico & flaccido vino utebatur. An etiam carnes ſenibus Monachis Græci permiſerint, audiamus à Lauſiaca Palladii hiſtoria. Laudat trecentorum Monachorum in Panenſi ad Nilum civitate Cœnobium, ejus diſciplinam deſcribit, & pergit: *Sues etiam alunt. Quod cùm ego reprehenderem, hoc ex traditione Majorum ſe ſuſcepiſſe dicebant. Aluntur ſues, ne cribratarum frugum excrementa pereant, & purgatorum olerum folia, & cætera quæ projiciuntur purgamenta: Ne jactura eorum fiat. Et mactantur ſues, ut carnes vendantur, ungulæ tamen & extremæ eorum partes in ægrotorum & ſenum epulas reſerventur, quod in ea regione mediocris ſit rerum copia, & ingens hominum frequentia.* Apud alias ergo rerum abundantes regiones videtur nulla carnis manducatio ſenibus fuiſſe permiſſa. Quin & de Syriæ Monaſteriis ſcribit ad Euſtochium S. Hieronymus: *De cibis & potu taceo, cum etiam languentes Monachi aquâ frigidâ utantur, & coctum aliquid accepiſſe ſit luxuria.*

[Margin: Lib. 1. Epiſt. 385. — Cap. 39. — Epi. 22. Cap. 9.]

Tertiam & bibendi vini & comedendæ carnis cauſam adducit in ſpirituali prato S. Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus: *Quinto decimo ab Alexandria milliario Monaſterium eſt, quod vocatur Calamon. In hoc vidimus Abbatem Theodorum Pentapolitanum. Erat autem nobiſcum Sophiſta Sophronius. Et interrogavimus eum: Bonum eſt, Pater, quoties vel ipſi ad aliquem pergimus, vel ſi quis venit ad nos, vini abſtinentiam ſolvere? Reſpondit nobis Senior, & ait: Non. Ajo autem ad eum: Et quomodo antiqui Patres ſolvebant? Reſpondit Senex: Antiqui Patres, ut magni & potentes, & ſolvere poterant, & iterum ligare; noſtra verò generatio ſolvere ac ligare non ſufficit. Nam ſi ſolvamus ritum abſtinentiæ noſtræ, non amplius vitæ noſtræ religioſa auſteri-*

*ſteritatem retinemus.* Iſta non tantummodò quoad vinum, ſed etiam quoad carnem ſolutio videtur adhuc viguiſſe in ſæculo Hæreſiarchæ Pelagii. Quod enim per omnia quocumque Monaſteria vagans, & vino & carne tractari vellet & tractaretur, ſupra audivimus ab Iſidoro Peluſiota. Verùm cum laudato jam Seniore etiam ipſe Iſidorus morem iſtum improbabat. Et in fuſioribus regulis ſcribit magnus Baſilius: *Quoniam videmus eos, qui in civili vitæ genere verſantur, humilitatem paupertatis fugere veluti rem ignominioſam, & ob eam cauſam quotieſcumque ipſis aliquis ſuſcipiendus eſt hoſpes, epularum & copiam & magnificentiam ſtudioſius conſectari, equidem metuo ne ad nos quoque furtim ſe iſtiuſmodi peſtis inſinuet, nevè planè eſſe convincamur, quos tantoperè commendatæ à Chriſto paupertatis pudeat. Vt igitur ſi vaſa argentea, velavè purpurâ prætexta, aut mollia ſtragula & pellucida amicula foris accerſita compararemus, ex decoro noſtro non eſſet, ſic indecorum prorſus fuerit, ſi nova & à communi victus noſtri ratione longè horrentia eſcarum genera excogitare velimus.* Lautam ac ſplendidam hoſpitalitatem amplè demonſtrat adverſari paupertati monaſticæ, permittendam vetat in ſuis Ponticis Monaſteriis, atque ita ſupponit in aliis hinc inde viguiſſe. Cap. 20.

Et omnis hæc diſciplina olim viguit etiam apud Latinos. Etenim à S. Antonio inchoatum Cœnobiticum Monachiſmum Magnus Athanaſius Romam, Euſebius Vercellenſis Epiſcopus in Liguriam, S. Martinus in Galliam, S. Auguſtinus in Africam, aliàs in Latinas regiones deportarunt alii: Cuncti deportarunt etiam Antonianas regulas & mores. Lucet ex ſuprà adductis S. Hieronymi teſtimoniis & litteris. Licèt enim hæc in Syria ſcripſerit, ſcripſit tamen ad Occidentis Monachos & Moniales, atque ita ſupponit utrique Eccleſiæ fuiſſe eandem Monaſticam diſciplinam. Et de Turonenſi S. Martini Cœnobio ſcribit in ejus vita Sulpitius Severus: *Cibum unà omnes poſt horam jejunii accipiebant.* Cap. 7. *Vinum nemo noverat, niſi quem infirmitas coëgiſſet.* Eadem eſt ratio carnis. Quod nos Europæi Ægyptiorum Monachorum, ſolis herbis & lapſanis Cap 11. victitantium, frugalitatem obſervare non valeamus ob aëris intemperiem, in quarto Monaſticarum Inſtitutionum Libro rectè obſervat Joannes Caſſianus, carnis tamen eſum nequaquam indulſit. Summus Occidentalium Monachorum Patriarcha S. Benedictus novam Monachiſmi ſpeciem non inſtituit, ſed lapſam diſciplinam dumtaxat reparavit, ac ex variis variorum Monaſteriorum legibus aut conſuetudinibus temperatam compoſuit regulam, & ſanxit: *Licèt legamus vinum omninò* Cap. 40. *Monachorum non eſſe, ſed quia noſtris temporibus id Monachis perſuaderi non poteſt, ſaltem vel hoc conſentiamus, ut non uſque ad ſatietatem bibatur, ſed parciùs. Quia vinum apoſtatare facit etiam ſapientes.* Ex tot antè ipſum in Oc-

ci-

cidente Monachorum Legiſlatoribus primus vinum indulſit. Ab initio
Cap. 39. non ita fuerat: Monachalis tunc cordis duritia iſtam indulgentiam extorſit. Et pergit regula de eſu carnium: *Carnium quadrupedum ab omnibus abſtineatur comeſtio, præter omninò debiles & ægrotos.* Conſonat in ſua regula S. Cæſarius Arelatenſis Archiëpiſcopus: *Pullos & carnes nunquam ſani accipiant. Infirmis quidquid neceſſe fuerit, miniſtretur.* Et ejus ſucceſſor S. Aurelianus: *Carnes in cibo nunquam ſumantur. Pulli vel cuncta altilia in congregatione non miniſtrentur. Infirmis tantum provideantur, & accipere liceat.*
Cap. 44. Et in Solitariorum regula Grymlaicus Presbyter: *A carnibus tam quadrupedum quàm volucrum omninò abſtineant, niſi fortè aliqui in gravi ægritudine fuerint detenti.* Sancti Fructuoſi Lugdunenſis Archiëpiſcopi regula omnem etiam guſtandæ carnis licentiam proſcribit, ejus præſumptorem
Cap 5. damnat ad trimeſtrem carcerem, & adjungit: *Servato tamen moderamine pietatis erga ægrotorum neceſſitudines, vel longè proficiſcentium qualitates, ut & volatilium eſu infirmi ſuſtententur, & longinquo itineri deſtinati. Si aut. à Principe vel Epiſcopo ſperantur, pro benedictione & obedientiâ deguſtare non metuant, ſervantes apud ſe de reliquo continentiam conſuetam.* Tribus in caſibus permittit carnis eſum: Infirmis, peregrinantibus, & invitatis ad menſam Principis aut Epiſcopi. Sanctus Columbanus, & alii quidam ſuis Monachis ſola olera permiſerunt. Etiam S. Hiſpalenſium Epiſcopus Iſidorus. Attamen in feſtis permittit addi leviores carnes.

Et hinc vides Orientalem, quæ inter quadrupedes diſtinguit & alites, differentiam viguiſſe etiam in Occidente. Et quidem ſanctus Benedictus interdixit ſolas quadrupedes, alites omninò permiſit. Utique etiam ad duritiam cordis. Et hinc S. Cæſarius, S. Aurelianus, S. Fructuoſus, S. Grymlaicus, aliique plures exuflarunt iſtud regulæ caput, & alites ſolis infirmis permiſerunt. Eadem de re ſcribit in libris de vita contem-
Lib. 2. Cap. 23. plativa Julianus Pomerius: *Si à quadrupedibus abſtinentes, Phaſianis, altilibus, vel aliis avibus pretioſis aut piſcibus perfruantur, non mihi videntur reſecare delectationes ſui corporis, ſed mutare; nec pro abſtinentia, ſed velut pro neſcio qua immunditia, vel certè, quod veriùs eſt, prò ſtomachi nauſeantis teneritudine delicias illas communes ac viles abjicere, quo poſſint aliis non ſolùm car-*
Lib. 1. Cap. 22. *nibus, ſed etiam delicatioribus ac pretioſioribus ſuas voluptates explere.* Quem locum adducit in libris de Laïca inſtitutione, & laudat Jonas Epiſcopus Aurelianenſis. Non quaſvis, ſed ſolas majores ac pretioſas aves interdicit. Et de S. Eligio, prius Monacho, ac deinde Tornacenſi Epiſcopo ſcribit S. Audoënus Archiëpiſcopus Rothomagenſis: *Octo & decem fluxerunt anni, quibus nunquam vinum hauſit in poculo. De carnibus verò melius tacere puto, quàm aliquid dicere, quandoquidem eas poſt Propoſitum*

*nec*

*nec edere paſſus ſit nec attingere. Et cùm in prædicto annorum ſpatio unâ tantùm die eum meminerim propter hoſpitium, charitate exigente, de Volatilibus modicum quid guſtaſſe.* Et Aquiſgranenſis Abbatum ſub Ludovici Pii Imperio Conventus ſtatuit: *Volatilia in Natali Domini & in Paſcha, tantùm quatuor diebus, ſi eſt undè, comedant; ſi verò non fuerit undè, non requiratur per debitum. Si autem Abbas aut Monachi abſtinere ſe voluerint, ſit in eorum arbitrio.* Cap. 78. Et ejuſdem Ludovici Capitularia habent: *Ut Volatilia intus foriſvè, niſi pro infirmitate, Monachi nullo tempore comedant. Ut nullus Epiſcoporum Monachis Volatilia comedere præcipiat.* Add. 1. cap. 8. & 9. Et in Libris de Clericorum Inſtitutione Rabanus Maurus: *Avium eſum indè credo Patribus eſſe permiſſum, eo quòd ex eodem elemento, de quo & Piſces, creatæ ſunt. Nam in Monachorum regula non invenimus aliarum carnium eſum illis contradictum eſſe, quàm quadrupedum.* Lib. 2. cap. 7. E Benedictino Monacho Moguntinus Archiëpiſcopus ſui Patris regulam per conſuetam tunc in omni Occidente Antonomaſiam appellat Regulam Monachorum. Regula ſancit de infirmis: *Carnium eſus infirmis omninò debilibus pro reparatione concedatur. At ubi meliorati fuerint, à carnibus more ſolito omnes abſtineant.* Et ad hæc verba ſcribit S. Abbatiſſa Hildegardis: *Carnes tam quadrupedum quàm volatilium intelligi vult, & nullas carnes, quas homines comedere ſolent, excipit. At ubi meliorati fuerint, à carnibus omnes more ſolito abſtineant. Scilicet à carnibus quadrupedum. Quia ſani illas, & ſuccum earum comedere non ſolebant, ſed infirmi. Sani verò carnes volatilium, quoniam mundæ ſunt, nec ardentem libidinem comedentibus inferunt, manducabant.* Cap. 26. Etiam à nobis adducta regulæ verba, *Carnium quadrupedum ab omnibus abſtineatur comeſtio*, laudat inferiùs, atque adjungit: *De Volatilibus reticet, quoniam comeſtionem illorum ſanis non interdicit. Nam Patres, quia ſuo tempore Monachorum converſatio rudis & adhuc ferè inſolita erat, eſum carnium ipſis per omnia interdicere devitabat. Undè ut eſu volatilium uterentur, eis permittebat.* Per Monaſticam converſationem non ipſa tunc per omnem Europam frequentiſſima Monaſteria, ſed intelligit Monaſticam diſciplinam. Hæc tunc erat inſolita & rudis, ſeu deformata, ideóque edi volatilia S. Benedictus diſpenſatoriè permiſit. Et hinc manifeſtum errorem continent hæc Cardinalis à Turrecremata ad ſancti Patris Regulam verba: *Licet S. Pater tantùm nominet carnes quadrupedum, prohibitio tamen extenditur uſque ad carnes etiam bipedum, ſcilicet volatilium. Cùm enim carnes volatilium ſint dulciores, magis delicatæ, & pretioſiores, quando minùs delicatas vetuit, procul dubio magis delicatas & pretioſiores prohibere credendus. Mos enim Sanctorum eſt in minori comprehendere majus.* Ex ſui temporis ſenſu & diſciplina fuit locutus, avitam diſciplinam non

Hhhhh plenè

Digitized by Google

plenè intellexit. Interim circà avitam inter quadrupedes & bipedes differentiam noſtri Majores variè ſenſerunt. Nam & leviores carnes, quas etiam in Refectorio edi diebus Feſtis permittit S. Iſidorus, erant carnes avicularum.

Et omnis hæc diſciplina adſtrinxit etiam aſſumptos è Monachis Epiſcopos & Clericos. Hinc enim de S. Martino ſcribit in ejus vita Sulpi-
Cap. 7. tius Severus: *Sumpto Epiſcopatu Martinus qualem ſe quantumque præſtabat, non eſt noſtræ facultatis evolvere. Eadem in corde ejus humilitas, eadem in veſtitu vilitas erat. Nam & Epiſcopus erexit novum Monaſterium, vixit in ipſo, & in communi manducavit menſa, in qua nullus vinum novit, niſi quem infirmitas coëgiſſet.* Eandem regulam ſervarunt aſſumpti ex iſto Monaſterio Epiſcopi, de quibus pergit Severus: *Plures ex his poſteà Epiſcopos vidimus. Quæ enim eſſet civitas aut Eccleſia, quæ non ſe de Martini Monaſterio cuperet habere Sacerdotes?* Et de S. Auguſtino poſt Monachum Epiſco-
Cap. 22. po ſcribit S. Poſſidius: *Menſâ uſus eſt & frugali & parcâ, quæ quidem inter olera & legumina etiam carnes aliquando propter hoſpites vel quoſvis infirmiores continebat.* Quam regulam aſſumpti etiam omnes ex ejus Monaſteriis Epiſcopi conſtanter obſervaverunt. Etenim ad S. Alipium ex Auguſtinenſi Monacho Tagaſtenſem Epiſcopum ſcribit S. Paulinus:
Ep. 35. *Et ſi in populis, & ſuper populum agas, oves paſcuæ Domini regens ſolicitis vigil Paſtor excubiis, tamen in abdicatione ſæculi, & repulſa carnis ac ſanguinis, deſertum tibi ipſe feciſti, ſecretus à multis, vocatus à paucis.* Deſertum Monachus incoluerat Alipius, ideoque & Epiſcopus iſtud ſibi ſervabat. Et de S. Fulgentio poſt ejuſdem profeſſionis Monachum Ruſpenſi Epiſcopo ſcribit in ejus vita Fernandus Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconus: *Huic Beatiſſimo Sacerdoti nullus aliquando extorſit cujuſlibet generis carnes accipere, ſed ſola ſimpliciter olera, ptiſanas, & ova. Quamdiu fuit juvenis, ſine oleo; poſtquàm ſenuit, ſuperfuſo oleo manducavit. Ideò oleum perſuaſus eſt accipere, ne caligo prævalens oculorum, lectionis impediret officium.* Iſtud enim ſæculum vitrea ſenilium oculorum adjumenta adhuc ignora-
Cap. 18. bat. Etiam vinum ille nunquàm bibit, niſi inſigniter dilutum graviter
Epl. 3. infirmus. Quod ipſum de S. Heliodoro, Altinenſi poſt Monachum Epiſcopo, teſtatur S. Hieronymus. Addit & Nepotianum fuiſſe foris Clericum, & domi Monachum. Clero admovendum Monachum rectè vult eſſe in Monaſtica diſciplina perfectum. Qui ſic vixerit in Monaſterio, ut Clericus fieri mereretur. Et hinc adversùs Jovinianum
Lib. 1. Hereſiarcham ſcribit idem Hieronymus: *Poſt ſordidam tunicam, & nudos*
cap. 25. *pedes, & cibarium panem, & aquæ potum, ad candidam veſtem, & nitidam cutem, & mulſum & elaboratas carnes, ad jura Apitii & Paxami,*

*ad*

*ad balneas quoque & fritillos, ad popinas ſe contulit.* Eum arguit, quod è Monacho in Clericum promotus præſentem regulam prævaricaretur. Hinc pergit in ſequenti ejuſdem operis libro: *Certè in tantâ diverſitate victus & veſtitus neceſſe eſt aut hic aut ibi eſſe peccatum, Non quod peccatum in cibo aut in veſtibus aſſeram, ſed quod varietas & commutatio in deterius ſit reprehenſioni proxima.* Monachus enim per impoſitum Epiſcopatum aut Clericatum non debet deficere, ſed proficere in meliora. Hinc & S. Epiſcopus Eligius adduci vix poterat, ut quandoque cum hoſpitibus aviculas deguſtaret. Nec ſola conſuetudo, ſed & Paternus Canon Latinos è Monachis Clericos ſemper ad hoc adſtrinxit. Lucet ex primi Innocentii Reſcripto ad S. Victricium Metropolitam Rothomagenſem: *De Monachis, qui diu morantes in Monaſteriis poſteà ad Clericatûs ordinem pervenerunt, non debere eos à priori Propoſito deviare. Etenim ſicut in Monaſterio fuit, & quod diu ſervavit, idem in meliori gradu poſitus, amittere non debet.* Et hunc Canonem Carolus magnus, dum lapſam nobis reparavit Chriſtianitatem, ſervandum juſſit, & ſuo Aquiſgranenſi Capitulari inſeruit cum hac Epigraphe: *Monachus, ſi ad Clericatum provehatur, Propoſitum Monaſticæ Profeſſionis non amittet.* Et ad Egilonem è Monacho Archiëpiſcopum Senonenſem, dum Apoſtolicam confirmationem & Pallium miſit, inter alia monita præſcripſit Nicolaus primus: *Tuum prætereà, Frater cariſſime, Propoſitum obſerva, & qui diu in Monaſterio moratus es, à priſtino voto divertere noli. Quod enim diu in humili habitu cuſtodiſti, perpetuò indecens eſt, ſi nunc in potiori poſitus dimiſeris ordine, hoc ipſum ſanctâ quoque Scripturâ, venerandiſque Decretis pleniter edocentibus.* Et Albertus Hoſtienſis Epiſcopus, Innocentii ſecundi per Angliam Cardinalis Legatus, in ſua Londinenſi Synodo edidit hunc Canonem: *Adjicimus Decretum Innocentii Papæ dicentis, Monachi diu in Monaſteriis morati, ſi poſteà ad Clericatûs ordinem pervenerint, non debent aliquatenus à priori Propoſito deviare; ſed ſicut in Monaſteriis poſiti fuerunt, ita in Clericatûs ordine degere debent, & quod diu ſervaverunt, in altiori gradu poſiti amittere non debent.* Exſtat Synodus apud Richardum Haguſtaldenſis Monaſterii Priorem, & Gervaſium Monachum Cantuarienſem. Et hinc de Balduino poſt Ciſtertienſem Monachum Cantuarienſi Archiëpiſcopo, quod carnes nunquàm comederit, ſcribit Joannes Bromptonus Abbas Jornalenſis. Quod ipſum de S. Rudolpho Eugubino poſt Monachum Epiſcopo teſtatur in litteris ad Alexandrum ſecundum Pontificem S. Petrus Damiani. Et hinc lucet præſentem Schiſmatici Græci calumniam fuiſſe mendacem. Etenim ex jam adductis Decretis & exemplis plura ſunt juniora Michaële Cerulario. Calumnia

Cap. 13. — Epl. 55. — Cap. 13. — A. 1184. — A. 1184. — Lib. 1. Epl. 19.

nia poſſit alluſiſſe ad prævaricatores hinc indè Epiſcopos, quos cum aliis paleis Eccleſia ſemper toleravit.

Avita diſciplina dudum poſt Michaëlis tempora duravit etiam in Monaſteriis. Etenim de Fontis Avellani Monaſterio, quod ſolis leguminibus viveret, ſcribit in S. Petri Damiani vita Joannes Monachus,
Cap. 5. & addit: *De vini uſu quid memorem, cùm niſi pro ſacrificio, ſeu forſitan pro ægro vinum ibidem prorſus deeſſe feratur?* Et de S. Dominici Loricati Mo-
Lib. 11 naſterio ſcribit ipſe laudatus Petrus: *Sub hac regula vivebatur, ut nun-*
Ep. 19. *quàm vinum biberent, nunquàm adipe alimenta condirent.* Solis ægris, dum piſcis reperiri non poſſit, miniſtrari carnes affirmat generaliter in epiſto-
Lib. 6. la ad Patruelem ſuum Marinum Monachum Claſſenſem. Et quoſdam
Ep. 26. Monachos, quod ex carnis edendæ pruritu aut ſimularent morbum aut verè infirmi optarent non reperiri piſces, graviter arguit. Se tali caſu infirmum cogi ad edendas carnes non potuiſſe, & tunc ex improviſo piſces mox adveniſſe, refert in Epiſtola ad Monachos Rudolphum
Ep. 24. ac Aripandum. Etiam Honeſtum Monachum, qui aſſerebat ſe non
Ep. 23. poſſe carere carnibus, arguit per longam epiſtolam. Varias hujus obſervantiæ rationes deducit in litteris ad Guilielmum Monachum. Et
Ep. 19. de Pharnulpho Urbis veteris Comite ſcribit: *Dum ad menſam Comes ille diſcumberet, quidam illi Monachus aſſidebat, quem rogare cœpit, ut quia piſces deerant, dictante neceſſitate carnibus veſceretur.* Affirmat Monachum importunis nugacis Comitis precibus circumſcriptum comediſſe carnes, atque proſequitur; *Cùm jam ſatiatus exiſteret, & carnalis illecebræ vota compleſſet, ecce permaximum lucium Dapifer attulit, & in ſe conveſcentium oculos & ora convertit. Cumque hunc & Monachus miraretur, & oculos in eum inhianti curioſitatis aviditate defigeret, ait Comes: Quia carnes tanquàm Laïcus comediſti, piſcem tanquàm Monachus cur attendis? Planè ſi hoc tibi licuerit, verſiculum illum congruè decantabis: Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes. Porrò ſi carnibus abſtinuiſſes, piſcis iſte tibi de induſtria ſervabatur, ſed quia carnibus appetitum carnis impleſti, fauces tuas piſcis hic poſt alimenta carnalis ingluviei non tranſibit.* Ita carnalem Monachum dedit ludibrio totius menſæ. Ex quibus lucet carnis abſtinentiam tunc omni Monaſterio fuiſſe ſolemnem, & ſervandam etiam extra clauſtrum. Hinc enim & Hildebertum Cenomanenſem Epiſcopum, quod Joannem Fratrem laïcum, utilem cæmentarium, ſe invito detineret, graviter queritur apud Paſchalem ſecundum Pontificem Goffredus Abbas
Lib. 1. Vindocinenſis, & adjungit: *Ibi ipſo ſciente, contra Propoſitum Monachi,*
Ep. 3. *carnibus veſcitur, & omninò Regulæ ſanctæ contrarius, perniciem animæ ſuæ in carnis turpitudine operatur.*

Lucet

Lucet, inquam, iſtam legem ſolis infirmis fuiſſe relaxatam: Et memorati inter quadrupedes & bipedes diſcriminis nullam tunc vixiſſe memoriam. Et revera diſcrimen hoc caret firmo fundamento. Ipſum ad cordis duritiam dumtaxat diſpenſatoriè indulſit S. Benedictus, ideoq; melior poſtmodo diſciplina meritò abrogavit, ac altiſſimè ſepelivit. Quod tamen æc abſtinentia non ita dudum poſt Petri Damiani tempora fuerit graviter læſa demonſtrat venerabilis Petri Mauritii Cluniacenſis Abbatis ad Lib. 6.
ſuos Fratres epiſtola: *Abſtinent causâ Dei ipſi mimi vel lixæ à carnibus omni* Ep. 15.
*Sabbatho, abſtinent inſuper plerique Laïcorum omni quartâ, abſtinent quidam ex ipſis etiam omni ſecundâ Feriâ. At Fratres noſtri S. Ordinis, Cæleſtis Propoſiti Monachi, & hoc Cluniacenſes, ſpreto Deo, abjecto pudore, totum, ut dicitur, annum, nullâ præter ſextam exceptâ Feriâ, in abſumendis carnibus continuant: Nec hoc ſaltem occultè, ſed palàm & publicè facientes.* Non ſine cauſa dicit: *Et hoc Cluniacenſes.* Cluniacenſe enim Cœnobium fuit olim longè ſanctiſſimum, ideoque certum eſt ipſum non ſolum declinaſſe. Duodecimi ſæculi vigeſimo ſecundo anno Petrus accepit Abbatialem Sedem. Quo anno, & quâ occaſione cœperit hæc deformatio, ignoro. Videtur ejus exordium non ſine fundamento colligi ex Roberto Abbate Montenſi, in appendice ad Sigebertum Gemblacenſem: *Dominus Pontius Abbas Cluniacenſis, cùm vel-* Anno
*let ad ungem corrigere exceſſus in cibo, & in veſtitu quorumdam Monachorum,* 1117.
*qui exteriora ejuſdem Monaſterii negotia tractabant, inſurrexerunt in eum, & creſcente ſimultate accuſaverunt eum in præſentia Paſchalis Secundi Papæ de quibuſdam graviſſimis capitulis, licèt falſis. Quibus cùm dedignaretur reſpondere, dicens nec de accuſatione eorum ſe curare, neque de Abbatia. Confidebat enim & in bona conſcientia, & in genere: Vtpote filius Comitis Mergulenſis. Invito Papa Abbatiam relinquens, Hieroſolymam perrexit. At illi durantes in ſua malitia, elegerunt ſibi Abbatem Hugonem, Priorem Marciniaci. Quo defuncto infra primum annum ſui regiminis, elegerunt quemdam ſtrenuæ nobilitatis juvenem, nomine Petrum. Quomodo autem prædictus Pontius de Hieroſolymis rediens, iterum Abbatiæ, cui renuntiaverat, præeſſe voluit, & quomodo ſchiſmate facto in eodem Monaſterio multum humani ſanguinis effuſum eſt, pudet dicere. Remanſit tamen venerabili Petro regimen Cluniacenſis Monaſterii, quod adhuc diſponit, tranſactis ex inde duobus annis. Pontius verò in Monaſterio, quod vocatur Cavea, ad ultimum mortuus eſt.* Electionis ſchiſma ad lacerandam Monaſteriorum diſciplinam eſt longè potentiſſimum. Planè exiſtimo commiſſum à Monaſterii Procuratoribus ſeu Apocriſariis in cibo exceſſum ab ipſo traductum ad ipſum conventum, atque ita etiam ad alias ejuſdem Congregationis familias. Et hæc omnino fuit una ex cauſis, ob quas Robertus Prior & alii Zeloſi fratres diſceſſerunt è ſuo Moliſ-

menſi Monaſterio, & ad exactè ſervandam ſancti Benedicti regulam fundarint Cœnobium Ciſtertienſe. Attamen & Cluniacenſe venerabili ſuo Abbati Petro obedivit. Etenim in prima ſua epiſtola S. Bernardus ipſum notat, non quod carnes, ſed dumtaxat quod vinum bibentes & mulſum, ederent pinguia, frixuras piſcium cum ſiccis herbis & aromatibus. Addit Ciſtertienſes veſci ſolis oleribus, fabis, pultibus, pane cibario: Condimentum eſſe ſalem & famem. Quod ipſum in prima ſua epiſtola ſcribit Stephanus Tornacenſis Epiſcopus. Nec dubitandum, quin Cluniacenſis reformatio fuerit traducta in totum corpus iſtius Congregationis.

Verum non perſeveravit. Etenim non ita dudum poſt ſcripſit ad Abbatem & Conventum Sublacenſem Innocentius tertius plenam multa reformatione epiſtolam, in qua eſt hic etiam articulus; *In Refectorio nullus omninò carne veſcatur. Nec in quibuſdam ſolemnitatibus, ſicut aliquando fieri conſuevit, Conventus exeat cum Abbate, paucis ibi relictis, ut extra Refectorium edant carnes: Cùm illis diebus præcipuè Regularis diſciplina ſit ſtudioſiùs obſervanda. Sed nec extrà Refectorium, niſi in Infirmatorio, eſum carnium credant ſibi licere. Quamquam ex indulgentia poſſit Abbas interdum aliquos fratrum, nunc hos, nunc illos, prout neceſſitas poſtulaverit, advocare, ipſoſque ſecum in camera ſua meliùs & pleniùs exhibere.* Exſtat epiſtola apud
Cap. 6. Gregorium nonum ſub titulo de ſtatu Monachorum. Et in ſuo Spicilegio Lucas Dacherius inſeruit *Statuta Abbatum Ordinis S. Benedicti in Provincia Narbonenſi ad reſtaurandam diſciplinam regularem, approbata à Gregorio Papa nono.* Hæc ſancti Patris de carnibus abſtinentiam conantur reducere, & varia ſanciunt. Longiora ſunt, ideoque in ſuo fonte videnda. Etiam in Londinenſi ſua Synodo ſtatuit Cardinalis Otto, Gregorii noni per Angliam Legatus: *Audivimus & lætati ſumus, quòd Religioſi viri, Abbates Ordinis S. Benedicti per Angliam conſtituti, convenientes nuper in ſuo capitulo generali, tanquam filii juxta ſermonem propheticum ad ſuos terminos revertentes, providè ſtatuerunt, ut de cætero ſecundùm ſancti Benedicti Regulam, ab eſu carnium debeant abſtinere, exceptis debilibus & Infirmis, quibus debet ſecundùm ejuſdem regulæ continentiam in infirmario provideri. Quod approbantes ſtatuimus inviolabiliter obſervari.* Et in Londinenſi Abbatum Synodo: *Cum eſus carnium ſit Monachis nigri Ordinis per regulam B. Benedicti ac Statutum noſtrum, nec non & Abbatum Angliæ Præſidentium generali capitulo interdictus, ut Monachis his, qui per abuſum conſueverunt veſci carnibus, tollatur occaſio & materia murmurandi, præcipimus Abbatibus & Prioribus, ut loco illius cibi eis vetiti ſtudeant & procurent Monachis, juxta facultatem domus, cibum alium competentem miniſtrare.* Exſtant hæc apud

Digitized by Google

apud Matthæum Pariſienſem. Quæ omnia innovarunt & confirmarunt Innocentius quartus, in Viennenſi Synodo Clemens quintus, in Benedictinis Conſtitutionibus Benedictus duodecimus, & in ſuæ Provinciæ Synodo Triſtandus de Salazar Archiëpiſcopus Senonenſis. Etiam S. Norbertus ac S. Dominicus perpetuam à carne abſtinentiam ſuis Fratribus impoſuerunt. Uti S. Benedictus vinum, ita primus ſuis diſcipulis carnes permiſit S. Franciſcus. Et exindè avita abſtinentia cœpit plurimum flacceſſere. Nam & avitæ noſtri ordinis conſtitutiones carnis eſum permittunt. Verùm hæc libertas non erat tempore Michaëlis Cerularii; ideoque priorem ſuæ calumniæ partem meritò ipſe recantavit. Attamen uti quædam Græca ob regionis infœcunditatem alebant porcos, ac ipſorum inteſtinis ac extimis partibus veſcebantur, ita ex eodem principio quædam Latina Monaſteria ſuum olus & legumen larido condiebant. Hinc enim S. Dominici Loricati Monaſterium, quod conditum adipe alimentum ignoraret, tamquàm ſingulare nobis ſuprà laudavit S. Petrus Damiani. Eſſe antiquiſſimum morem demonſtrat Abbatum Aquiſgranenſis ſub Ludovici Pii Imperio Synodus: *Fratres aliquid pinguedinis in victu quotidiano habeant, exceptâ ſextâ Feriâ, & diebus octo antè Natale Domini, & à Quinquageſima uſque ad Paſcha.* Et hinc ad ſecundam præſentis calumniæ partem rectè repoſuit Petrus Antiochiæ Patriarcha: *In leguminibus & oleribus nidorem ſuillum immiſcere; etiam à ſanctis Patribus permiſſum eſt, & Decretum, præſertim illis, apud quos bonum oleum non reperitur. Inquit prætereà in ſua regula beatus Baſilius, quod ciborum differentia nihil prodeſt. Socii prætereà S. Baſilii ſues alebant.* Et ad Nicolaum magnæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Diaconum & Caſtrenſium Theophylactus Bulgariæ Archiëpiſcopus ſcripſit Latinos perperam accuſari de variis, & inter ipſa ponit hunc articulum: *Alia ex diſpenſatione veniunt, quæ infirmitatem regit, forſitan quidem & animæ; omninò autem corporalem; ut Monachos in ægrotationibus ſumere carnes, idque ſobriè, & reverà ſpiritaliter.* Ita habes in Reſponſo Demetrii Chomateni Bulgarorum item Archiëpiſcopi ad quæſtiones Conſtantini Cabaſilæ Metropolitæ Dyrrachienſis. C. 77.

C A-

ginta dies jejunare ex Domini exemplo voluit Latina Eccleſia : Et quoniam præciſum hunc numerum nec in ſex nec in ſeptem invenimus ſeptimanis , aliquid addere quàm demere maluit Teleſphorus , atque ita induxit dies quadraginta duos. Addit apud S. Ambroſium Sermo Dominicæ in Sexageſima : *Quinquageſima ideò à quibuſdam ſervatur , in qua ſunt quinquaginta dies. Quia ſi ſubtraxeris ab his ſeptem Dominicas , non amplius remanent in abſtinentia , niſi quadraginta & duo dies. Et in ipſis duobus diebus alii jejunant , alii non. Vt in Cœna Domini , & in Sabbatho ſancto.* Quod ipſum ſcribit Æneas Epiſcopus Pariſienſis. Et hæc eſt vera apud quaſdam Eccleſias origo aut quintam Feriam majorem , aut Sabbathum ſanctum non jejunandi. Quem poſteriorem morem ſuo adhuc tempore viguiſſe in Italia , affirmat & queritur in litteris ad ſuæ Congregationis Eremitas S. Petrus Damiani. Lib. 6. Ep. 35. Ex alio tamen ipſe principio conatur aliquatenus purgare. Et hic jejunandæ Sexageſimæ mos dudum permanſit. Tandem tamen contractus fuit ad ſolos Clericos. Ità lucidè affirmat adductum Romani Ordinis teſtimonium. Et hunc morem videns iſtarum apud Iſidorum Mercatorem epiſtolarum Auctor ſcripſit Teleſphorum de ſolis Clericis ſtatuiſſe. At pro omnibus ſtatuiſſe affirmat etiam in litteris ad laudatum Alcuinum Imperator Carolus magnus.

Etiam de S. Papa Melchiade ſcribit Liber Pontificalis : *Hic conſtituit , ne ullâ ratione die Dominicâ aut quintâ feriâ jejunium quis fidelium ageret , quia eos dies Pagani quaſi ſacrum jejunium celebrant.* Hujus de quinta feria Statuti cauſam eſſe varia à Domino Deo peracta & nobis donata iſtâ die myſteria ac beneficia affirmat in laudata Epiſtola magnus Carolus , ipſa enumerat , atque adjungit : *Sexageſima , ut exiſtimamus , propterea à nonnullis obſervatur , ut & Decimas dierum omnipotenti Deo dare poſſint , & Dominum noſtrum* Jesum-Christum *quadragenario particulatim jejunio imitari , & primam vel quintam feriam à jejunio vacare debeant.* Hoc ipſum Melchiadis Inſtitutum, eaſdemque ipſius rationes laudat memoratus apud Alcuinum Flaccum Auctor , & pergit : *Tunc placuit Fidelibus , ut octo hebdomadas conſecrarent jejunio , & primam Dominicam Sexageſimam nominarent , non propter ſexagenarium dierum numerum , ſed propter uſum locutionis noſtræ, quo ſicut Quadragenario Quinquagenarius , ita Quinquagenario Sexagenarius , & Sexagenario Septuagenarius coaptatur. A Sexageſima uſque ad Paſcha ſunt octo hebdomadæ , è quibus ſingulis ſi primam & quintam feriam de abſtinentia ſubtrahas , ut Melchiades inſtituit , & ipſum diem Sanctum Paſchæ , quadraginta tantum dies remanent abſtinentiæ , ad imitationem Domini noſtri* Jesu-Christi. Et laudatus apud S. Ambroſium Sermo : *Sexageſima celebratur , in qua ſunt octo hebdomadæ , id eſt , dies quinquaginta ſex. Si ſubtraxeris*

*octo Dominicos dies , & octo quintas Ferias , quadraginta dies ſolummodò remanent jejunii.*

Quòd quintas etiam per Quadrageſimam Ferias Latina olim Eccleſia , utique ex S. Melchiadis Inſtituto , non jejunaverit , tradit in Ep.86. Cap. 4. epiſtola ad Caſulanum Presbyterum S. quoque Auguſtinus : *Apud Romanos quintâ Sabbathi jejunandum non videtur.* Quod ipſum lucidiſſimè tradit in priori ad Januarium epiſtola. Et in ſuo Capitulari Hatto Vercellenſis Epiſcopus : *Quintâ Feriâ quoque non eſt jejunandum , ut inter jejunium Chriſtianorum & Gentilium , Catholicorum atque Hæreticorum diſcretio ſit.* Hatto de ſolis extrà Quadrageſimam , S. Auguſtinus de cunctis per omnem annum quintis agit Feriis : Quod nempè dudum antè Hattonis tempora Gregorius ſecundus quintas Quadrageſimæ Ferias à datâ per Melchiadem libertate ad avitum jejunii debitum reduxiſſet. Teſtatur hoc Liber Pontificalis : *Gregorius Quadrageſimali tempore , ut in quinta Feria jejunium atque Miſſarum celebritas fieret in Eccleſiis , quod non agebatur , inſtituit.* Quod ipſum ſcribunt Marianus Scotus , Sigebertus Gemblacenſis , ac Radulphus de Diceto. Exponit in libro de rebus Eccle- Cap. 20. ſiaſticis Walafridus Strabo : *Melchiades ſtatuit , ut nullâ ratione Dominico die aut quintâ Feriâ jejunium quis Fidelis ageret. Pagani enim his diebus quaſi jejunia frequentabant. Ideò beatus Gregorius in diſpoſitione officiorum anni infrà Quadrageſimam , quintam Feriam vacantem dimiſit : Ut quia feſtiva erat veluti Dominica , etiam officio diei Dominicæ celebris haberetur. Quæ quinta Feria quoniam cæpit ut cæteræ jejuniis applicari , Gregorius junior ſtatuit eam Miſſis & Orationibus eſſe ſolemnem , & undècumque colligens , ejuſdem diei augmentavit officia.* Quod ipſum eiſdem ferè verbis ſcribit Micrologus , & adjungit : *Quintam Quadrageſimæ Feriam Gregorius junior ſtatuit eſſe ſolemnem officiis undequaque collectis , & maximè de æſtivalibus Dominicis.* Edicit æſtivales , quarum Evangelia & omne Miſſæ officium traduxit in quintas Quadrageſimæ ferias II. Gregorius , Dominicas , ac proſequitur : *In Hebdomada quoque Pentecoſtes quintâ Feriâ officio Dominicæ inofficiatur.* Affirmat in quintis Quadrageſimæ feriis uſque ad laudatum Gregorium fuiſſe dictam Miſſam de præcedenti Dominica. Et ſanè res ipſa clamat hodiernas quintarum Quadrageſimæ feriarum Miſſas eſſe poſterius ſuperadjectas. Reliquarum conſequentiæ non plenè correſpondent. Lib. 4. Quæ omnia in animæ gemma tradit etiam Honorius Auguſtodunenſis.

cap. 14. Etiam quidam Græci quintas Quadrageſimæ Ferias videntur olim non jejunaſſe. Hinc enim in laudatis ad Alcuinum Flaccum litteris ſcribit magnus Carolus : *Septuageſima , ut æſtimamus , proptereà ab aliquibus obſervatur , ut & Decimas dierum Domino dare queant , & primâ vel quintâ , nec non & ſeptimâ Feriâ jejunium ſolvere poſſint. A Septuageſima*

*geſima uſque ad Paſcha ſunt novem hebdomadæ, quæ faciunt dies ſexaginta quatuor. E quibus ſi de unaquaque hebdomada tres præfatos ſubtraxeris dies, & Paſchalem Sacratiſſimum, triginta ſex in obſervantia remanent dies.* Idem ſcribit laudatus Sermo apud S. Ambroſium, atque vel hâc ſolâ voce clamat ſe nullo modo eſſe Ambroſianum, ſed Ambroſiaſtrum. Exponit in litteris ad laudatum Imperatorem laudatus Alcuinus: *Audivi, dum Romæ eſſem, quoſdam dicentes Magiſtros, quòd Orientales populi novem hebdomadas, Græci octo, Latini ſeptem jejunare ſoleant.* Ep. 2. Et hæc ſunt verba, quæ notat & carpit in libris de Clericorum Inſtitutione Rabanus Maurus: *Alii, neſcio quorum ore ducti, aſſeverant quod Orientales populi novem hebdomadas, Græci octo, Latini ſeptem jejunare ſoleant.* Lib. 2. cap. 34. Aut Alcuini, aut certè laudatorum ab ipſo Romanorum Magiſtrorum fidem vocat in dubium. At quibuſdam videtur, quòd ſine fundamento. Etenim per diſtinctos à Græcis Orientales intelliguntur Armenii, quos certum eſt per novem olim ſeptimanas jejunaſſe. Cum omnibus Chriſtianis Dominicas, cum Græcis Sabbatha, cum Latinis quintas Ferias videntur à jejunio exemiſſe. Et hoc, uti & alii Latini mores, illis fuiſſe poſſit à magno Gregorio. Et ob ſecundi Gregorii auctoritatem noluerunt conſuetudinem deſerere.

Conſonat in opere adversùs Photii ſchiſma Ratramnus Corbejenſis Monachus, aſſeverans alios ſenis, alios ſeptenis, alios octonis ſeptimanis jejunare, & adjungens: *Superaddunt etiam alii nonam.* Lib. 4. Cap. 4. Et ſubnectit cauſam: *Reperiuntur nonnulli quintâ Sabbathi jejunium ſolvere.* Addit quod ipſum etiam Dominicis & Sabbathis ſolvant, atque ita ad reperiendos triginta ſex jejunii dies cogantur illud à Septuageſima inchoare. Et pergit de Græcis: *Ergò cum deprehendantur non ſolum ab Occidentalibus, verùm & ab Orientalibus diſſentire, dicant quâ ratione reprehendant Romanos, & non reprehendi verentur ab aliis Eccleſiis, quibus in Paſchali jejunio non concordare videntur.* Aſſerit illos circà iſtud ipſum, in quo damnant Latinos, damnari poſſe ab Orientalibus, qui utique non ſeptem aut octo, ſed novem ſeptimanas jejunant. Per Orientales omninò intelligit Armenios. Etenim uti adversùm nos de ſolis ſex, ita adversùm illos de novem ſeptimanis Græci litigant. Litem mox exponemus. Quæ omnia in opere adversùs idem ſchiſma confirmat Æneas Pariſienſis Epiſcopus. Dumtaxat Græcos non diſtinguit ab Orientalibus. Ait quoſdam per ſeptem, quoſdam Græcos per octo aut novem hebdomadas jejunare. Nempè Armenii quoad Eccleſiaſticum ritum ſunt Græco-Latini. An Æneæ ac Ratramni tempore quintas Quadrageſimæ Ferias Armenii adhuc ſine jejunio agerent, eſt ſuo loco diſquirendum.



Digitized by Google

Interim S. Melchiadis Inſtitutum ab omni Latina Eccleſia non fuit admiſſum. Etenim S. Auguſtinus in laudata ad Januarium epiſtola diſertè ſcribit eſſe hac in re diverſos Eccleſiarum mores. Et in litteris ad Caſulanum ait quintas ferias non jejunari à Romanis. Suppoſuit in Africa jejunari. Hinc & quarumdam Africanarum Eccleſiarum, quæ in quinta Dominicæ Cœnæ feria tolerabant ſolvi jejunium, conſuetudinem graviter improbat in dicta ad Januarium epiſtola, & optat auferri. Lucidè affirmat ipſius ſolius, quæ etiam apud alias gentes fuit, libertatem non
Cap. 16. probari, ſed diſpenſatorio plebeiæ pacis amore diſſimulari. Et adversùs Hæreſiarcham Priſcillianum ſtatuit prima Bracharenſis Synodus: *Si quis quintâ feriâ Paſchali, quæ vocatur Cœna Domini, horâ legitimâ poſt nonam jejunus in Eccleſia Miſſas non tenet, ſed ſecundùm Sectam Priſcilliani, feſtivitatem ipſius diei ab hora tertia per Miſſas Defunctorum, ſoluto jejunio, colit, anathema ſit.* Quod ipſum firmat ſecunda iſtius civitatis Synodus. Quocircà quintæ iſtius feriæ jejunium ſolvere primus in Hiſpania cœpit Priſcillianus, atque ita Melchiadis Decretum illic etiam non fuit admiſſum. Illius item nulla eſt memoria apud Gallicanam Eccleſiam. Et hinc nec Gallia nec Hiſpania Quadrageſimale jejunium unquàm extendit ultrà ſex ſeptimanas. So-
Ser. 13. los 36. dies, anni Decimam offerentes Domino, jejunaverunt. Probarunt hanc Petri Bleſenſis ſententiam: *Apoſtolica traditio fuit 36. diebus jejunare antè Paſcha. Audientes enim fructuum decimas ſibi Dominum vindicare, nihilominus & dierum decimas Deo ſanctificare ſtatuerunt. Subſequentes verò Patres Apoſtolici quatuor ſuperaddiderunt dies, ut numerus Dominici jejunii adimpleretur.*

Quæſtio eſt, A quibus Patribus iſti quatuor dies fuerint adjecti? Micrologus Scriptor cenſuit eſſe magno Gregorio antiquiores. Quadrageſimalem jejunii ac ſacrificii horam affirmat à quarta cinerum feria in-
Cap. 49. choandam, & proſequitur: *Sciendum, non ſolùm modernos, ut quidam putant, ſed & antiquos à capite jejunii incæpiſſe, cùm & S. Gregorius ibi videatur Quadrageſimalia officia initiaſſe. Sic enim in Gregorianis Sacramentariis, ſive Gradualibus Libris evidentiſſimè declaratur. Subſequens tamen Dominica propriè initium Quadrageſimæ dicitur. Undè & quadraginta dies uſque ad Paſcha computantur, quibus cum ſex Dominicas ſubtrahimus, non niſi triginta ſex in abſtinentia obſervàmus. Ergò à capite jejunii neceſſariò incipimus, ſi cum Domino jejunium quadraginta dierum complere volumus. Exindè etiam orationem ſuper populum juxtà Gregorii inſtitutionem exordimur, quam numquàm dicimus, niſi cum Quadrageſimaliter jejunare debemus.* Verùm longè aliter cenſet Amalarius Fortunatus. Quatuor adjectos dies laudat, & adjungit: *Occurrit quod S. Gregorius tantummodò triginta & ſex dies abſtinentiæ nobis inſinuat Quadrageſimalis temporis, forſan quia necdum erant additi quatuor dies à feria quarta uſque ad Dominicam Quadrageſimæ.* Particula, *Forſan*, videtur ſuperflua.

Etenim

Digitized by Google

Etenim in ſuo adverſùs Photium opere ſcribit Æneas Pariſienſis Epiſcopus : *Beatus Papa Gregorius Quadrageſimale computans tempus , à capite ſex hebdomadarum illud computare incipit.* Et adducit Gregorii verba : *A præſenti die uſque ad Paſchalis feſtivitatis gaudia ſex hebdomadæ veniunt , quorum videlicet dies quadraginta & duo fiunt. Ex quibus dum ſex dies Dominici ab abſtinentia ſubtrahuntur, non plus in abſtinentia quàm ſex & triginta remanent.* Quæſt. 3. Demonſtrat ipſos eſſe totius anni decimam partem , & in hoc principio fundat ipſorum numerum. Exſtant verba in decima ſexta Homilia ſuper Evangelia. Aſſeverant nobis duo. Primò , quod quatuor dies tunc necdum adjeciſſet Romana Eccleſia. Secundò , quod Melchiadis de quintis Quadrageſimæ feriis non jejunandis Decretum tunc Romæ eſſet abolitum. Abolitionis tempus & modum ignoramus. Interim iſta abolitio etiam videtur Romanam Quadrageſimam ab octo ſeptimanis ad ſex contraxiſſe. Qui omnis mos duraſſe videtur ad noni ſæculi medium , quo adverſùs Photium ſcripſit Ratramnus Corbejenſis Monachus : *Iejunant Romani ſex antè Paſcha ſeptimanas continuatim , præter Dominicam , quâ jejunium ſolvunt.* Lib. 4. Cap. 4. Diſertè affirmat ſolos dies triginta ſex , tanquàm totius anni Decimam ab illis jejunari. Et hinc Romanum ritum poſtulantibus Bulgaris Nicolaus primus Pontifex impoſuit jejunium ſolius Quadrageſimæ , cujus exordium eſſe primam Dominicam nobis ſuprà dixit Scriptor Micrologus , & in ſuorum Capitularium Præfatione confirmat Iſaac Lingonenſis Epiſcopus : *A quarta Feria antè initium Quadrageſimæ.* Nempè Quadrageſimæ & Quadrageſimalis jejunii exordia antiqui diſtinxerunt.

Reſpondeo tamen Scriptorem Micrologum rectè ſentire : Quatuor dierum adjectionem eſſe magno Gregorio antiquiorem. Quod enim totos quadraginta dies tunc jejunaret Romana Eccleſia , in laudata per Æneam Pariſienſem Epiſcopum Homilia magnus Gregorius diſertè affirmat , repetit , atque inculcat. Triginta ſex in illis concluſos dies aſſerit eſſe totius anni Decimam , non aſſerit illos ſolos jejunari. Eodemque ſenſu accipiendus eſt , niſi ex laudato Gregorii loco cenſeamus circumſcriptum , Ratramnus Corbejenſis. Et laudati Æneæ poſt enumeratas varias variarum Eccleſiarum in jejunando conſuetudines verba ſunt clara : *Cum his & aliis modis per multa ſpatia Orbis Quadrageſimali tempore ordo abſtinentiæ confundatur , potiſſimum & optimum delegit Romana Sedes continuare & extendere antè Paſcha jejunium in numero quadraginta dierum. Triginta autem & ſex diebus in abſtinentia computatis , adjunctis & quatuor qui à capite jejunii incipiunt , egregiè compaginantur , & abſque ulla reprehenſione utimur jejunio Salvatoris noſtri.* Qui utique quadraginta dies jejunavit. Et in decretali ad omnes Epiſcopos, & Curatos Presbyteros

epiſtola ſcribit Leo quartus : *Quartâ feriâ antè Quadrageſimam plebem ad peccatorum confeſſionem invitate. Ab illa quarta feria uſque ad diem Reſurrectionis Dòmini nullus manducet carnem aut ſanguinem.* Scribit antiquam diſciplinam Romanæ Eccleſiæ. Nam quartam feriam eſſe caput jejunii, & in ipſa omnes admoneri ad faciendam peccatorum confeſſionem, mandat etiam Ordo Romanus.

Manet itaque quæſtio, Quis quatuor iſtos dies adjecerit? Ab Ænea Pariſienſi Epiſcopo adverſùs Photii calumniam adducitur Fauſti Rejenſis Epiſcopi teſtimonium cum hac epigraphe : *S. Fauſtinus Epiſcopus in Dominica antè Quadrageſimam, Homiliatico ſermone ſecundùm morem iſtius temporis, ita de jejunio variè exſequitur.* Ille Fauſtus dictus etiam fuit Fauſtinus. Et licet circà Divinæ gratiæ exordia in Maſſilienſes errores titubarit, humana tamen tentatio iſta ipsâ gratiâ non privavit. Hæc ſunt ejus verba : *Permotos eſſe vos credo, Fratres dilectiſſimi, cur à ſuperiori Dominica Quadrageſimam præcurrimus, & cum hodiè ſit ejus exordium, cur Feſtivitatem ejus antè unam hebdomadam celebrare cæperimus. Reprehendi non poteſt obſervatio illa præpropera. Devotionis enim inditium eſt prius legem exſequi, quàm legis præcepta cognoſcas, & antè obedire præceptis, quàm obedientiæ præcepta compellant.* Affirmat Paſchale jejunium non à Quadrageſimæ, ſed à Quinquageſimæ Dominicâ fuiſſe cæptum. Hinc aliqui exiſtimant ſeptem Teleſphori ſeptimanas tunc adhùc viguiſſe in Gallia, proindeque in Italia, atque ita à magno Gregorio non quatuor adjectos, ſed duos dies fuiſſe detractos, aut certè mutatos. Quod quintam majoris hebdomadæ feriam & Sabbathum ſanctum non jejunaret populus, cenſent diſplicuiſſe Gregorio, ideòque duos iſtos dies redditos jejunio, & ſecundam ac tertiam Quinquageſimæ feriam fuiſſe exemptas.

Et hanc opinionem valdè confirmat Beneventana per Stephanum Baluzium, inter opera Domini Petri de Marca publicata, Urbani ſecundi Synodus : *Nullus omninò Laïcus poſt diem cineris & cilicii, qui caput jejunii dicitur, carnibus veſci audeat.* Cur de ſolis Laïcis ſtatuat, diſcimus à Claromontana, quæ hanc confirmavit, ejuſdem Pontificis Synodo : *Nemo Laïcorum à capite jejunii, nemo Clericorum à Quadrageſima uſque ad*
Fol. 130. *Paſcha carnes comedat.* Ita ſcribit Guilielmus Malmesberienſis. At legendum eſt, *à Quinquageſima.* Ita enim legitur apud Matthæum Pariſien-
Anno 1095. ſem. Et per Franciſcum Bellefortium publicatus Canon habet : *Vetitum eſt etiam Laïcis à die cinerum ad feſtum Paſchæ carnibus veſci. Clericis autem, & in Eccleſia promotis, à Quinquageſimæ Dominica ad diem Reſurrectionis Domini.* Utraque Synodus innovat, & cum quodam moderamine confirmat antiquum Teleſphori Decretum. Licet non à Laïcis, à Clericis tamen & Mona-

Digitized by Google

Monachis mandat Quinquageſimam jejunari. Quidam volunt iſtud ipſum ſtatutum fuiſſe à Magno Gregorio, ideóque & ab Urbano innovatum.

Reſpondeo adductum Fauſti locum non facere ad propoſitum. Lucidè affirmat ex ſuo duntaxat Epiſcopali conſilio, non ex Eccleſiæ præcepto, & non ab omnibus, ſed à ſolis quibuſdam fuiſſe iſto anno ita jejunatum. Et inter jejunantes ac non jejunantes fuiſſe contentionem. Et edicit cauſam: *Illos magis reprehendendos puto, qui cum parati fuerint jejunare, poſteaquàm audierunt ſolemnitatis ambiguum, neglexerunt jejunare. Demonſtrarunt utique non ſe volentes religioſè vivere, ſed coactos.* Paſchalis feſtivitatis dies erat iſto anno apud Epiſcopos de octo dierum intervallo ambiguus, ideóque Fauſtus Epiſcopus fecit quod ſub Juſtiniani Imperio factum Conſtantinopoli ſcribit Theophanes: *Paſchalis termini perverſus eſt ordo, habuitque populus carniſprivium die quartâ Februarii. Imperator autem carnem aliâ ſequenti ſeptimanâ palàm divendi ſanxit. Lanienam itaque cuncti exercuerunt macellarii, mactaverunt, & venalem expoſuerunt. Nullus tamen pretio comparavit, aut comedit carnem. Paſchalis igitur ſolemnitas, prout decreverat Imperator, celebrata eſt, ac ſimul deprehenſum, unâ ampliùs, quàm debuerat, hebdomada populum jejunaſſe.* Quod ipſum ſcribunt Anaſtaſius Bibliothecarius, Georgius Cedrenus, ac Nicephorus Calixtus. Et Fauſtus videtur etiam erraſſe, atque ideò populus fuiſſe diviſus in partes, & contendiſſe. Hinc ipſum compoſiturus in prima Quadrageſimæ Dominica rem hanc ille tractavit pro concione, demonſtravitque jejunantes egiſſe rectiùs, utpotè qui & labendi periculum caverint, & fecerint opus ſupererogationis. Et notanda ſunt hæc ejus verba: *Quadrageſimam prævenimus, cum hodiè ſit ejus exordium.* Lucidè affirmat Paſchale jejunium, non à quarta feria, ſed à prima Quadrageſimæ Dominica tunc apud Gallos fuiſſe inchoatum.

Quo circa primum horum quatuor dierum auctorem multi credunt eſſe magnum Gregorium. Eſt tamen incertum. Etiam incertum eſt, quis quintas ferias in Romanorum ac aliorum eis ſe conformantium jejunia repoſuerit, atque ita inductas à Melchiade novem ſeptimanas reduxerit ad ſex aut ſeptem. Iſtas ferias fuiſſe ſuo tempore omninò jejunatas affirmare videtur in adducta homilia laudatus Gregorius, atque ita in ſecundi Gregorii vita Pontificalis liber quibuſdam videtur ceſpitare. Quidquid ſit, quatuor iſti dies ſunt antiqui in omni Latina Eccleſia. Et ipſos uti tales lucide laudant Meldenſis Synodus & ſecunda Sueſſionenſis. Cap. 76. Laudatas Urbani ſecundi Synodos, non ex magno Gregorio loqui exiſtimo, ſed ex Teleſphori apud Iſidorum Mercatorem epiſtola. Auctoritatis pondus iſto ſæculo habebat illa collectio, atque ita laudatus Pontifex iſtam epiſtolam voluit ſaltem à Clericis & Monachis obſervari.

Digitized by Google

ſervari. Verùm quod non obtinuerit, demonſtrat Petri Bleſenſis ad Decanum & Capitulum Sareſberienſis Eccleſiæ epiſtola : *Decretum Teleſphori Papæ de adjectione ſeptimæ ſeptimanæ uſus contrarius abolevit.* Jam ergo dudum & per omnem Sexageſimæ hebdomadam , & per tres primas Quinquageſimæ ferias noſter & Clerus & populus liberè manducat carnes. Et hoc eſt fundamentum præſentis in nos calumniæ.

Epiſt. 133.

Etenim Græci ſuum carniſprivium inchoant à Dominica ſexageſimæ, & ejus ſeptimanam appellant Tyrophagorum. Rationem dat Anna Comnena : *Ab eſu caſei vulgare Tyrophagi obtinet nomen.* Græcia de extremo noluit tranſire ad extremum , ideoque prima jejunii ſeptimana abſtinet à ſolis carnibus, caſeum manducat & alia lacticinia. Moris exordium eſt obſcurum. Etenim in prima adverſum ſuæ gentis errores invectiva ſcribit Iſaac Patriarcha Armeniorum : *Chriſtus à Baptiſmo quadraginta dumtaxat dies jejunavit , obtinuitque illa traditio uſque ad annum centeſimum vigeſimum ; nos tamen quinquaginta dies Paſchæ proximos jejunamus.* Videtur laudare Decretum Teleſphori , qui ſedere cæpit anno Chriſti centeſimo vigeſimo ſeptimo. Loquitur de pleno etiam à lacticiniis jejunio , quod Græci inchoant Dominica Quinquageſimæ , atque ita durat per dies quinquaginta. Hinc pergit in ſecunda invectiva : *Lacticiniorum jejunium , quod Eccleſia Chriſtiana à Sylveſtro & Conſtantino Magno traditum accepit , & deinceps admiſerunt omnes Sancti Patres , quod & magnus ille Imperator confirmavit , Armenii ſuſceptis impiorum Hæreſiarcharum doctrinis polluerunt , atque in eo carnes comedunt.* Quod cum Annâ Comnenâ hodierni Græci appellant jejunium caſei , Iſaac vocat jejunium Lacticiniorum. Et ſicut ob ejus neglectum Photius & Michaël Cerularius nos Latinos , ita ille ſuos Armenios affirmat eſſe damnatos prævaricatores. Prævaricatores canonis editi à S. Sylveſtro Pontifice , firmati per magnum Conſtantinum , & ab omnibus ubique Eccleſiis probati.

Lib. 8. fol. 221.

Cap. 8.

Verùm ſine fundamento clamat. Iſtius enim canonis nullum adduci poſſit antiquum atque authenticum teſtimonium. Quocirca veram hujus Tyrophagiæ originem videtur edicere Græcorum Triodion : *Eam quidam referunt Imperatorem Heraclium , cum prius carnes in ea comederentur , abſtinentiæ diebus aggregaſſe , & ſolius caſei in ea deguſtandi licentiam feciſſe. Continuis quippe ſex annis cum Choſroë dimicans , Deo vovit , ut ſi adverſus eum prævaleret , licentiam carnes in hac hebdomada comedendi mutaret , eamque mediam inter jejunium & delicioſas epulas conſtitueret.* Eandem originem probat in Synaxario Nicephorus Calixtus , addens hanc abſtinentiam etiam à Patribus potuiſſe induci tamquam Quadrageſimæ præparatoriam : Ne populus à carnibus ad arida ſine medio , ſed per aliquot dierum Tyrophagiam ſuaviter deduceretur. Poſſint & Patres Heraclii vo-

Digitized by Google

votum probaſſe ex hac cauſa, & admiſiſſe. Certè antè Heraclium nulla reperitur hujus abſtinentiæ memoria. Quin immò in Eccleſiaſtica hiſtoria Socrates & Hermias Zozomenus, ubi varias variarum gentium circa Paſchale jejunium conſuetudines conglomerant, nullos ad novem aut octo, ſed quoſdam affirmant jejunaſſe ad ſeptem ſeptimanas. Hanc laudem Zozomenus adſcribit Conſtantinopolitanis, & aliis nationibus uſque ad Phœnices. Nempè octavæ ſeptimanæ carniſprivium erat tunc Græcis ignotum. Et hæc eſt cauſa, cur Armenii ipſum non admiſerint. Ante Heraclii Imperium ab Eccleſia & Chriſto Domino apoſtatarant ad Julianum Halicarnaſſi Epiſcopum, aut ad ſimilem Eutychianæ Hæreſis Principem: Exierant à nobis cum conſueta tunc Orientalis Chriſtianitatis diſciplina, ideoque novas Heraclii leges noluerunt admittere. Eadem quibuſdam videtur eſſe ratio omnium Jacobitarum, de quibus in opuſculo adversùm ipſos Demetrius Metropolita Cyzicenus: *Veſcuntur carnibus ipſâ quoque Dominicâ carniſprivii.* Verùm non de cunctis, ſed de ſolis Chathzitzariis, qui omninò ſunt Armenii, Jacobitis Demetrius loquitur. An toti Jacobiticæ factioni mos ſit communis, ignoro. Hinc interim lucet, quod Photius & Michaël Cerularius nos Latinos ob novellam, & ſoli Orientali Eccleſiæ datam legem damnarint de excuſſa Chriſtianitate. Quarè ad hanc calumniam Petrus Antiochiæ Patriarcha meritò dedignatus eſt reſpondere. Lib. 5. Cap. 21. Lib. 7. cap. 19.

Pergit Demetrius de Armeniis: *Ante carniſprivium per aliquot dies jejunant.* Et in opuſculo de peſſima peſſimorum Armeniorum Religione S. Monachus Nicon: *Armenii tyrophagiæ ſeptimanâ carne veſcuntur, jejunantes ſeptimanâ, quæ eſt antè ἀποκρέων, intenſis jejuniis, præter panem & aquam nihil aliud guſtantes.* Itaque per Sexageſimæ hebdomadam comedunt carnes nobiſcum, at verò per Septuageſimæ ſeptimanam jejunant in pane & aqua, iſtudque jejunium appellant Adami, Ninivitarum, S. Sergii, Prophoneſimi, aut Atzeburii, de quo addit Iſaac Patriarcha: *Maximè impii homines Atzeburem ut Deum adorant.* Affirmat eſſe jejunium ſceleratum, ſchiſmaticum, blaſphemum. Quod ipſum aſſeverant præfatus Demetrius, laudatus Nicon, Theodorus Balſamon, & cuncti paſſim Græci. Et hoc omninò eſt Orientale jejunium, quod ob exemptas cum Dominicis & Sabbathis quintas ferias protrahi ad novem ſeptimanas, audivit Romæ à neſcio quibus Doctoribus Alcuinus Flaccus, ac ex ipſius fide laudant Carolus magnus, Ratramnus Corbeienſis Monachus, Æneas Epiſcopus Pariſienſis, ac Sermo Ambroſiaſter. Et de iſtius Doctoralis relationis veritate Rabanus Maurus meritò dubitavit. Etenim Armenii nec quintas ferias exemerunt à Quadrageſimæ jejunio, nec hoc ad novem ſeptimanas extenderunt. Lib. 1. cap. 14.

 Per

Per totam Sexageſimæ ſeu Græcæ tyrophagiæ ſeptimanam & pranſi ſemper ſunt, & carnes comederunt.

Varias jejunatæ Septuageſimæ rationes adducunt Armenii, ipſasque edicit ac refutat S. Nicon: *Hanc ſeptimanam Armenii vocant Atziburzia, neſciunt tamen quid ſibi velit vis hujus nominis. Sed nonnulli quidem dicunt fuiſſe hoc cujuſdam Sergii jejunium, nonnulli Ninivitarum, aliqui verò Adami, quando ex Paradiſo deliciarum ejectus eſt. Et hinc ſine ratione jejunare convincuntur. Quidam autem dicunt, & videtur verum eſſe quod ab eis dicitur, fuiſſe quemdam apud eos Epiſcopum, qui utebatur catulo, cui erat cognomen Atziburzes. Id autem præcurſor ſeu præceſſor latinè appellatur. Præcedebat enim Epiſcopum ingreſſurum in urbem aut vicum. Quo mortuo ſeptem dierum jejunium ab Epiſcopo conſtitutum eſt in memoriam luctûs, qui fuit propter canem.* Sanctus Armeniorum Apoſtolus & Patriarcha Gregorius univerſæ genti, dum ad Baptiſma præpararet, indixit ſolemne jejunium: Etiam Romanæ Urbi, dum magnum Conſtantinum pararet ad idem Sacramentum, S. Sylveſter. Hæc etiam jejûnia ab iſto ſuo annuatim commemorari & continuari affirmant Armenii. Quas omnes rationes acriter impugnat Patriarcha Iſaâc, & adjungit de cane Epiſcopi: *Sergius quidam Armeniorum hæreſis Magiſter canem habebat ſic appellatum, Atziburem. Porrò ea vox prænuntium ſignificat. Vtebatur ſæpè numero Sergius eo adventus nuncio ac indicatore, dæmone ipſum agente, cùm in oppidum aliquod aut urbem, vel locum venturus eſſet, ubi ejus diſcipuli ac ejus hæreſi infecti habitarent. Cumque illi canem vidiſſent, poſtridiè ad aliquot milliaria obviam Magiſtro effuſi procedebant.* Addit canem fuiſſe devoratum à lupo, à Sergio defletum per ſeptem dies, & hinc eſſe natum ac dictum Sergii jejunium. Quis non
Fol. 217. videat eſſe fabulam.? Rectè ſcribit Clemens Galanus: *Hoc puto accepiſſe Niconem à Græcis, infenſiſſimis Armeniorum inimicis.* Et ad marginem ſcribit: *Atziburzia eſt vocabulum à Græcis corruptum. Dicitur ab Armeniis Arracciavoraz.*

Adductam rationum multitudinem & varietatem in hæretici doli ſuſpicionem devocat Patriarcha Iſaâc, & proſequitur: *Quis ex multa illa variatione ac diverſis nominibus, quæ confingunt, non intelligat nihil omninò, quem dicunt Atziburem, Chriſtianorum traditionem eſſe, aut ullius Sancti jejunium, ſed magnam hæreſim, ac terribilem valdè, contentioſè ab hæreticis expoſitam ac adinventam, ad ſchiſma & diviſionem à recta Romanorum fide inducendam, cujus adminiculo in eorum impietatis barathrum omnes detrahere contendunt?* Et infrà: *Armenii jejunium obſervant prophoneſimum, quod ab impiis ac prophanis Hæreticis acceperunt., congregatis in Matzecert, ſive Theodoſiopoli, quando ſciſſi ſunt à Chriſtianorum Orthodoxa fide, & ſceleſtè illud jejunium Jezabel ſanxerunt. Nam illa jejunium prædicavit, non propter juſtitiam*

*ac ſanctitatem , ſed ut effunderet ſanguinem , ac jejunii arte interfecit Nabuthe. Ita & Hæretici iſti prædicaverunt ejuſmodi jejunium , non ſanctificationis causâ , ſed ut ſe ab Orthodoxorum fide abſcinderent. Et ſic illud confirmarunt , ac ratum voluerunt , ut ipſum timeant , ac quod emiſerunt ſacramentum , cùm alioquin ſit ira Dei , ac acephalum , nec ſolemne , tanquam tabernaculum in deſerto , ac ſicut corpus inanime , & mendacii organum , ac ſicut infrugifera regio.* Duas Synodos apud Theodoſiopolim celebrarunt Armenii. Primam laudat antiqua incogniti Auctoris narratio de rebus Armeniæ : *Heraclius Imperator vigeſimo tertio Imperii anno , quarto à morte Choſrois , magnam Synodum univerſorum Epiſcoporum & Doctorum majoris Armeniæ Theodoſiopoli fieri præcepit , & perquiri & deſpicere de duabus in Deo Chriſto naturis , ac de Synodo Chalcedonenſi. Perquiſierunt ergò per menſem , & è Scripturis inducti ad fidem Armenii , ſcriptâ propriâ manu ſchedulâ , nihil ſe amplius ea in re contradicturos jurarunt.* Verùm à præſtito ob Principis reverentiam juramento ſtatim poſt illius obitum receſſerunt. Poſteriorem Synodum memorat Iſaâc Patriarcha , aſſerens fuiſſe prophanum , execrandum , & Caïphæ Judaicum in loco Diabolico conciliabulum. An cum Chalcedonenſi fide etiam tyrophagiam admiſerint in priori Synodo , ignoro : Ipſam in poſteriori omninò proſcripſerunt. Quo ſe à Græcis plenè ſepararent , & citra unionis ſpem ſeparatos profiterentur , Heraclii tyrophagiam aut exufflarunt aut noluerunt ; ut Græcis non minus ſancti eſſe , nec minus jejunare viderentur , ſuum prophoneſimum jejunium inſtituerunt. Hanc jejunii varietatem ſanxerunt eſſe ſuum à Græcis diſcrimen , & ſchiſmatis inviolabilem characterem. Hinc Græcis adhærens Patriarcha Iſaac affirmat ipſum eſſe doloſum , ſchiſmaticum , blaſphemum , acephalum , prophanum Jezabelis jejunium , tabernaculum in deſerto , inanime corpus, mendacii organum, infrugiferam regionem. Quod nempè modica Armeniæ gens hanc omni Orientali Eccleſiæ adverſam legem pravo fine ſibi fixiſſet.

Et tanto in iſtud jejunium odio laborant omnes paſſim Græci. Etenim in ſexageſimi noni Apoſtolici Canonis commentario ſcribit Theodorus Balſamon : *Per carnem non ſolvet quis quemcumque quartum diem & Paraſceven , exceptis Paſchalibus & aliis conceſſis , etiam ſi extremum ſpiritum agat. Similiter excipe mihi quartos dies & Paraſcevas , quæ ſunt ante tyrophagiam. In eis enim ſolvimus , quia jejunant Armenii propter Ninivitas.* Addit eâdem ſeptimanâ Tetraditas etiam hæreticos perfungi magno jejunio. Quartas & ſextas totius anni ferias rigoroſiſſimè jejunari ſcribit etiam in Canonicis ad Marcum Alexandriæ Patriarcham Reſponſis , periculosè infirmos adfirmat tunc ad ſolos piſces , non ad carnes edendas poſſe diſpenſari , & proſequitur : *Excipe mihi dies quartos & ſextos Carniſprivii ,*

*Septuageſimæ, Renovationis, & duodecim dierum. In his enim per carnes etiam, citra periculum, jejunia frangimus: Quia circa Dodecahemerum jejunant Armenii propter Atziburium, in hebdomada prima Carniſprivii propter Ninivitas. Et in hebdomada tyrophagi Tetraditæ hæretici jejunium magnum obſervant. Nos igitur contraria iis facientes frangimus, ne videamur cum eis conſentire: Eo excepto, quod illud fiet, ſi quis cum Tetraditis aut Armeniis habitet. Alioquin enim ſi in regione degat, ubi nullus eſt ejuſmodi, deguſtabit tantum ex caſeo vel carnibus, & ſuſpicionem attenuabit per continentiam, non per ingluviem.* Dodecahemeron ſunt duodecim inter Domini Nativitatem ac Epiphaniam medii dies, quos Theodorus errat ab Armeniis jejunari propter Atziburium. Quod propter hunc jejunent ſolam Septuageſimæ hebdomadam, omnes conſtanter adfirmant. Errat eoſdem in Carniſprivii ſeptimana jejunare. Etiam ſuprà erravit Tetraditas jejunare in Septuageſima. Quæ omnia ſcribunt etiam Anaſtaſius Cæſareenſis, & alii Græci. Uti Armenii Græcorum Tyrophagiam, ita hi iſtorum Atziburium jejunium adversâ quartæ & ſextæ etiam feriæ libertate dehoneſtarunt. Eadem tamen forma non placuit omnibus Græcis. Patet ex litteris Nicolai Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Abbatem Anaſtaſium: *Hebdomadam eam dico, quæ ante hebdomadam carniſprivii eſt, quam etiam nos vocamus hebdomadam Atziburii: Multi ſueverunt abſque ullo timore ſolvere feriam quartam & ſextam, Laïci quidem carnem, ſimiliter & Monachi caſeum comedentes, probè ſentientes, & probè agentes. Etenim ſi ex genere Armeniorum originem*

Quæſt. 52. *ducerent, & hæreſi Atziburii adhærerent, probè faciunt, omnem ſuſpicionem à ſe amoventes. Si verò fideles Orthodoxi ſunt, & ab Orthodoxis prognati, fruſtrà ſolutionis jejunii hanc cauſam adferunt. Illi enim per totam hebdomadam jejunant, pane ſolo & ſale & aquâ contenti, nos verò jejunium ſolvimus ab ipſa feria ſecunda. Quarè ex hoc demonſtratur nos cum illis non communicare, & Atziburium cauſari.* Et Anaſtaſius Cæſareenſis laudat hunc ſancti Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani canonem: *Iejunandum eſt Monachis feriâ quartâ & ſextâ tyrophagiæ, & poſt Miſſam Præſanctificatorum edant caſeum & ova. Hic canon evertit Tetraditarum ac Iacobitarum hæreſin.* Libertatem, quæ iſtas in Septuageſima ferias propter Armenios, & quæ eaſdem in ſexageſima propter Tetraditas eximit à jejunio, Nicolaus & Nicephorus dant ſolis Laïcis: Monachos obligant ad tyrophagiam. Et ita cenſent à pleno Jacobitarum & Tetraditarum jejunio ſufficienter declinari. Et iſtum carnis & caſei eſum affirmant obligare in ſolis Armeniorum terris, alibi eſſe liberum: Et eos, qui hic ſuſpecti fuerint, defungi ſolâ deguſtatione. Huc etiam ſpectat, quod in libro de Matrimonialibus quæſtionibus ſcribit Matthæus Monachus: *Et quidem in primis eos veſci carnibus convenit in diebus, quibus Hæretici quidam per jejunium ab eis abſtinere ſolent, ne cum eis con-*

*ſen-*

*ſentire videantur. Præſertim ſi fortè degant in urbe, cujus maxima pars hoc morbo laboret.* Et Dicta ſua confirmat ex quarto decimo, qui de veris Hæreticis loquitur, Canone Ancyrano. Uti nos Latini non integros manifeſtè Orthodoxos, ſed ſolos de Priſcilliani lepra ſuſpectos ad carnem aut ejus certè juſculum deguſtandum coëgimus olim per Hiſpanicas Synodos; ita Patriarcha Nicolaus ſolis de Armeniorum errore ſuſpectis cenſuit memoratis quartâ & ſextâ feriis carnes permittendas. Imò nec ipſis cenſuit ad purgationem ſufficere, ſi ſecundâ, tertiâ, & quintâ Atziburii feriâ illas manducarent.

Interim etiam ipſe hoc jejunium appellat hæreſim. Quod nempe ex hæretico fonte duceret originem, & hæreſi præberet fomenta. Reverà non fuit hæreſis. Spectat enim non ad dogma, ſed ad diſciplinam. Nec à præceſſore cane, ſed à prævio ad Quadrageſimam tempore dictum fuit Atziburium, prophoneſium, ſeu præcurſorium. Iſto jejunio Armenii ſe ad longius triginta ſex dierum jejunium præpararunt. Et cur hoc ad commemorandam Adami ex paradiſo expulſionem, ad imitandos Ninivitas, ad agendas Deo gratias de ſuæ gentis aut magni Conſtantini ad Chriſtum Dominum converſione, & ad alium ejuſmodi finem non potuerint exercere? Certè & nos Latini in eadem Septuageſimæ Dominica Adami expulſionem commemoramus, ideoque omittimus Alleluja, legere incipimus librum Geneſis, & pleraque Reſponſoria ſunt de expulſo Adamo. Proinde in iſto Armeniorum jejunio nihil culpandum venit, niſi quòd ipſum voluerint eſſe firmum ſui ſchiſmatis vinculum & fomentum. Uti nos ob non ſervatam Sexageſimæ Tyrophagiam & carniſprivium, ita Armenii ob ſuum Atziburii jejunium nullius Apoſtolici Canonis ſunt prævaricatores.

## CALUMNIA VI.

*Latini in ſacro Symbolo adhibent additionem, malè & pernicioſè ſentientes.*

HÆc etiam eſt Photiana calumnia, & nos arguit de duobus, quorum alterum ad dogma, alterum ſpectat ad diſciplinam. Primò nos arguit, quòd Spiritum ſanctum credamus & doceamus non ex Patre per Filium, ſed procedere ex Patre & Filio. Secundò, quod Conſtantinopolitano Symbolo in iſtius erroris confirmationem addamus vocem, *Filioque*, atque ita ipſum in noſtris Eccleſiis contra Epheſinæ Synodi Decretum ſolemniter decantemus. Et hæc calumnia cunctis paſſim Græcis viſa eſt momentoſa, ideoque ceſpitare fecit etiam Petrum Antiochiæ Patriarcham: *Sed malum eſt iſtud, & malorum peſſimum, additio in Symbolo. Si enim Evangelia noſtra ſint eadem cum illorum Evangeliis, unde illi, plura quàm nos edocti, hujuſmodi alienam additionem fecerunt? Sed,* ut

*ut videtur, amiſerunt Romani exempla Nicenæ ſanctæ Synodi, cùm Wandalica gens Romæ Imperio diu potita ſit. Nobis enim ſatis eſt ad perfectam veritatis cognitionem & confirmationem ſapiens illud & ſalutare divinæ gratiæ Symbolum. Docet enim nos perfectam fidem de Patre & Filio & Spiritu ſancto, Incarnationem præterea Domini fidelibus manifeſtat, qui illam recipiunt. Illos itaque, qui Symbolo aliquid addunt vel auferunt, anathematè damnamus. Si quis enim, inquit Apoſtolus, Evangelizaverit vobis præter id quod Evangelizatum fuit, anathema ſit. Bonum eſt enim ad bonum reſpicere, præſertim cùm neque Deus neque fides patitur aliquod detrimentum, ad pacem ſemper inclinare & fratrum dilectionem. Fratres enim noſtri ſunt iſti, licèt ruſticitate vel ignoratione contingat illos ſæpè à recto recedere, propriæ ſervientes voluntati. Nec oportet nos adeò exactam diligentiam quærere inter barbaras gentes, quàm nos quærimus qui circa litteras verſamur. Magnum erit, ſi apud illos abſque aliquo errore Sanctiſſima Trinitas, vitæ origo & cauſa, prædicetur. Et ſi Incarnationis etiam myſterium juxta noſtram ſententiam illi confiteantur.* Nicena Synodus de Spiritûs ſancti proceſſione nihil definivit, ſed dixit hoc unum: *Credo & in Spiritum ſanctum.* Proinde uti nos Conſtantinopolitanum Symbolum paſſim appellamus Nicenum, ita hic Patriarcha Petrus per Nicenam Synodum intelligit Conſtantinopolitanam. Cum exſtinctâ magni Theodoſii ſtyrpe exſtinctum etiam fuit Occidentis Imperium, & laceratum in Barbaros. Exinde Græci cœperunt ſe ſolos dicere Romanos, & nos omnes Barbaris accenſere. Hinc & Petrus Patriarcha à nobis factum ſymboli additamentum refert in noſtram commiſeratione ac venia dignam Barbariem, aliâ viâ neſciens purgare. Etiam Bulgarorum Archiepiſcopus
Lib. 5. Theophylactus omnes nobis à Græcis imputatos exceſſus refert in noſtram barbariem, & pondus facit de ſolo Symboli additamento. Ita in jure Græco-Romano teſtatur ejus ſucceſſor Demetrius Chomatenus in Reſponſis ad Conſtantinum Cabaſilam Metropolitam Dyrrachienſem. Ad eundem ſcrupulum ceſpitavit etiam ille magnus, quem ad exequendam & firmandam in Lugdunenſi per Gregorium decimum Synodo factam unionem Imperator Michaël Paleologus evexit in Conſtantinopolitanum Patriarchatum, Joannes Veccus. Et noſtrum, qui Spiritum ſanctum ex Patre & Filio, & Græcorum, qui ipſum ex Patre per Filium docent procedere, dogma eſſe re unum & idem ac ſola
Lib. 6. phraſi diverſum demonſtravit inſigniter, verùm de Symboli additamen-
Cap. 25. to adjunxit *ſe illic vix culpam levem agnoſcere.* Agnovit tamen culpam. Ita ſcribit Georgius Pachymeres. Quòd Græci hoc additamentum habeant pro palmari noſtræ prævaricationis & ſuæ à nobis ſeceſſionis fundamento, ſuprà audivimus etiam à Barlaamo Gyracenſi Epiſcopo. Longa eſt hæc quæſtio, opportuniori infra loco elucidanda.

C A-

Digitized by Google

## Calumnia VII.

*Latini in Sacra Miſſa illud*, Unus Sanctus, Unus Dominus Jesus Christus in gloria Dei Patris per Spiritum ſanctum, *altâ dicunt voce.*

Hæc verba etiam Græci in ſua Liturgia dicunt altâ voce. Etenim & in ſancti Jacobi Apoſtoli, & in magni Baſilii, & in ſancti Joannis Chryſoſtomi Liturgia Sacerdos ante Communionem declamat ad populum: *Sancta Sanctis.* Et non ſolus Clerus, ſed omnis populus reſpondet: *Vnus Sanctus, unus Dominus* Jesus-Christus *in gloriam Dei Patris, cui gloria in ſæcula ſæculorum.* Finalia verba Liturgiæ variant. Sancti Chryſoſtomi Liturgia ſic habet: *Vnus Sanctus, Vnus Dominus* Jesus-Christus *in gloriam Dei Patris, Amen.* Eodem modo in Paſchali ad populum ſermone declamavit ſanctus Proclus, laudati Joannis Diſcipulus ac Succeſſor. Populum Sacerdos monet Sacro-ſanctæ Euchariſtiæ tremenda Myſteria eſſe non qualecumque, ſed ipſum ſubſtantiale atque incommutabile Sanctum, dandum ſolis Sanctis, ideoque neminem ſibi malè conſcium poſſe accedere. Et humanam infirmitatem agnoſcens populus reſpondet nullum in mundo eſſe Sanctum, niſi ſolum Dominum Jesum-Christum, & hoc non ex illo ipſo, ſed ex Dei dono, ideoque in gloriam Patris. Hâc publicâ voce conſtanter profitetur ſe non ſuis meritis, ſed ſolâ Dei miſericordiâ confiſum accedere ad hoc Sanctum. Hoc modo exponit etiam recentior Græcorum Doctor Nicolaus Cabaſilas, atque ita lucet ritum apud illos non eſſe mutatum.

Et hinc oritur quæſtio, Cur ergo Michaël Cerularius nos arguat, quòd iſta verba dicamus altâ voce? Reſpondeo laudata verba in pluribus ſolemnium precum locis frequentari à Græcis. Dicuntur enim etiam in Hymno Angelico, *Gloria in excelſis*, quem in matutinarum laudum officio Euchologion appellat magnam glorificationem. Eundem hymnum cum toto ſuo additamento adducunt apud Clementem Romanum Apoſtolicæ conſtitutiones, & Franciſcus Turrianus rectè poſuit ad marginem: *Oratio matutina.* Matutinam Pſalmodiam ediſſerit in libro de Virginitate etiam Sanctus Athanaſius, ac inter ejus partes ponit: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas. Laudamus te, benedicimus, adoramus te, &c.* Hymnus hic fuit ante lucem cantatus etiam à ſanctis Angelis, ideoque noſtris matutinis precibus eſt omninò congruentiſſimus. Quare errorem continent hæc Honorii Auguſtodunenſis verba: *Gloria in excelſis Deo, Angelicus chorus primus cecinit, ſed Hilarius Pictavienſis Epiſcopus ab illo loco, Laudamus te, uſque in finem compoſuit.* Lib. 1. Cap. 87.

Cap. 25. *poſuit*. Quod ipſum affirmant Walafridus Strabo, apud Alcuinum au-
Cap. 49. ctor libri de Eccleſiaſticis officiis, ac alii antiqui Scriptores. Etenim & magnus Athanaſius, & Apoſtolicarum conſtitutionum auctor ſunt Hilario ſeniores, aut certè coëtanei: Et iſtud ſupplementum laudant uti antiquum. Et hinc rectè ſcribit in libris de Miſſæ Sacrificio Innocentius tertius: *Hymnum hunc Teleſphorus Pontifex ad Miſſam nocturnam Natalis*
Lib. 2. cap. 20. *Domini cantari præcepit. Et in illo ea, quæ ſequuntur ad verba Angelorum, adjecit. Quamquam à pluribus aſſeratur, quod ea B. Hilarius Pictavienſis adjecerit.* Adjeciſſe poſſit & S. Sylveſter, magnus Eccleſiaſticorum rituum auctor & augmentator. Addit laudatus Innocentius: *Symmachus Papa conſtituit tam die Dominico, quàm Natalitiis Martyrum, Gloria in excelſis Deo, ad Miſſam cantari.* Quod ipſum paſſim affirmant alii Eccleſiaſticorum rituum antiqui expoſitores. Hodiè dicimus ad Miſſam cujuſcumque Sancti. Etiam Græci dicunt. Verùm alio loco & modo. Dicunt enim poſt expulſos Catechumenos, & de modo ſancit S. Jacobi Liturgia: *Deinde ſignacula Crucis Sacerdos facit ſuper dona, & ſtans apud ſe dicit, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus, bona voluntas.* Quod ipſum olim habuit Liturgia Sancti Joannis Chryſoſtomi. Lucet ex tertia ejus homilia ſuper Apoſtolicam ad Coloſſenſes epiſtolam: *Euchariſtiam celebrantes dicimus, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus, bona voluntas.* Hodiè deſunt hæc verba, atque ita conſtat Liturgiam eſſe non ſolummodo auctam in variis, ſed & decurtatam. Hinc ergo Michaël Cerularius nos arguit, quòd laudata verba dicamus altâ voce: Et quidem in Miſſa Catechumenorum. Cenſet eſſe ſanctiora, quàm ut altâ voce in tali loco dicantur. Verùm eſt frivola calumnia, ideoque ad ipſam Petrus Antiochiæ Patriarcha nihil repoſuit. Et dedit rationem: *Quicumque à te ſunt enumerati Romanorum errores, percurrimus. Et illorum quidem alios execrandos duxi atque vitandos, alios incertos, alios prætermittendos.* Hoc eſt, Reſponſo indignos. Quòd non ſint errores aut abuſus, ſed rationabiles conſuetudines. Et talem cenſuit hanc præſentem.

## CALUMNIA VIII.

*Apud Latinos duo etiam Fratres duas ducunt Sorores.*

Omitto calumniam, quæ nos arguit, quòd Presbyteris ac aliis majoribus Clericis initi antè ſacrum Ordinem Conjugii uſum non permittamus. Ipſam etiam Petrus Patriarcha duxit indignam Reſponſo. Eſt antiqua Photii calumnia, abundè refutata in ſuperioribus. Præſentem calumniam adducit etiam repertus Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores Tractatus: *Latini duos Fratres duabus Sororibus carnaliter copulari.*

Digitized by Google

*ri permittunt*. Patriarcha Michaël non ſine cauſa addidit particulam antem, *Etiam*. Etenim apud Græcos nec pater & filius, nec fratres duas conſobrinas, nec duæ ſorores poſſunt duos conſo- s accipere. Hinc pacta inter Gregorium Gauram & Iſaâci Com- ıcbaſtocratoris filiam ſponſalia, quod illius pater Theodorus du- hujus conſobrinam, fuiſſe exufflata teſtatur in Alexiados libris Lib. 8. Comnena. Etiam contracta inter Michaëlem Deſpotam & Mi- s Paleologi Imperatoris filiam Annam ſponſalia, quod iſtius Nicephorus duxiſſet hujus conſobrinam, ob adverſum Patriar- iſinnii ſecundi Canonem fuiſſe ſuſpenſa, & non niſi per Synoda- iſpenſationem potuiſſe perfici in matrimonium, affirmat Georgius ymeres. Et addit cauſam: *Intercedebant inter deſignatos conjuges ſex gra- ſinitatis, ex una quidem parte quatuor, duo ex altera.* Græci habent tres Lib. 6. Cap. 6. tatis claſſes. Hanc extendunt ad ſextum incluſivè gradum. Et ıs non juxtà noſtros Latinos Canones numerant, ſed juxtà leges iani. Fratres in ſecundo, conſobrini ſunt illis in quarto gradu. ergò Michaël Cerularius dixit, quod apud Latinos duo fratres antùm duas conſobrinas ducerent, ſed etiam duas ſorores. Et ſpicit in Reſcripto ad Walerannum Naumburgenſem Epiſcopum ntuarienſium Epiſcopus Anſelmus: *Græci deteſtantur noſtra connu- ıbi cognati cognatis de alia cognatione copulantur.*

ſpondeo deteſtationem hanc nullo niti fundamento. Nullus Ec- antiquus Canon, nulla Romanæ Reipublicæ antiqua Lex vetat modi conjugia. Etenim quod magnus Conſtantinus ac ejus Pater tantius duxerint Fauſtam ac Theodoram, Imperatoris Maximi- Herculii filias, teſtantur & Gentiles & Chriſtiani Romanæ hiſto- criptores. Nec damnant aut notant. Et de Conſtantini filio Con- o ſcribit ad Senatum ac Populum Athenienſem Imperator Julia- *Conſtantius patruelem ſuum, Gallum Cæſarem, ſororis ſuæ virum, ac ſuæ ex eadem ſorore patrem, cujus ipſe ſororem anteà duxerat, quocum m ſancta neceſſitudinis & germanitatis jura interceſſerant, inimiciſſimis ıibus ad necem tradidit.* Ad quæ verba rectè commentatur Dionyſius ıius: *Conſtantiam Conſtantini filiam, Conſtantii Sororem, duxerat s. Ex hinc ſuſceptam eſſe filiam Iulianus ſignificat. Tum Galli ſororem n Conſtantio antè nupſiſſe. Quæ poſteriora duo, ab hoc uno, quòd ſciam, re prodita, hactenus erant ignota.* Et de Juliano ſcribit in Eccleſiaſti- toria Anaſtaſius Bibliothecarius: *Conſtantius ab Euſebia propria uxo- atus, Iulianum ex carcere ductum, Cæſarem facit, & in Gallias mittit, ıns ei ad nuptias ſororem ſuam Helenam, quæ & Conſtantia dicta eſt.* d ipſum ſcribit Ammianus Marcellinus. Et Conſtantius, & Gal-

 lus,

Digitized by Google

lus, & Julianus, ipſorumque uxores, ac præſertim Imperatrix Euſebia, erant omninò Chriſtiani, vivebant juxtà Eccleſiæ Canones: Et tamen non tantùm duo conſobrini duas conſobrinas, ſed etiam duo Fratres duxerunt duas Sorores. Et nullus è multis, qui & Conſtantium & Julianum acriter momorderunt, Eccleſiæ Scriptor id unquàm vel notavit.

Et in Canonicis ad S. Amphilochium litteris ſcribit magnus Baſilius: *De his, qui duas ſorores ducunt uxores, vel illis quæ duobus fratribus nubunt, à nobis edita eſt Epiſtola, cujus exemplum tuæ Pietati miſimus.* Eſt epiſtola
Epiſt. 197. ad nobilem ac eruditum Virum Diodorum. An duas ſucceſſivè ſorores quis poſſet ducere, hîc quæſierat, & placebat ipſi pars affirmans propter auctoritatem Moſaicæ Legis, quæ talia Matrimonia non ſolummodò permittit in quibuſdam caſibus, ſed & imperat. Et nullus tunc Eccleſiæ Canon, nulla Reipublicæ Lex obſiſtebat. Interim hæſitavit Diodorus, ſuæ mentis fluctum retulit ad magnum Baſilium, & pro Reſponſo accepit non à ſolis Canonibus aut Legibus, ſed etiam à longa fidelis populi conſuetudine figi conjugii impedimenta, & omninò fixum eſſe hoc: *Si quis immunditiæ affectu correptus, ad illicitam duarum ſororum communionem exorbitaverit, id neque conjugium cenſendum, neque talem ad Eccleſiaſticum cœtum eſſe admittendum, priuſquàm à ſe invicem dirimantur.* De duobus duas ſorores ducentibus fratribus nec ipſe, nec quis antiquus fecit mentionem. Si quæ tunc regula aut conſuetudo vetuiſſet hæc conjugia, quomodò de duabus ab uno ſucceſſivè ducendis ſororibus potuiſſet Diodorus ambigere? Ad laudatam Baſilii epiſtolam rectè commentatur Theodorus Balſamon: *Magni Baſilii ad Diodorum Epiſtola non eſt hoc tempore quærenda. Decernit enim, ne in matrimonii ſocietatem duæ ſorores accipiantur: Quòd, Dei gratiâ, hodiè nec in mentem quidem venit homini Chriſtiano.* Quòd nempè hodiè nec duo fratres, immò nec duo conſobrini poſſint apud Græcos accipere duas ſorores.

Adversùs Michaëlis & Nicephori Deſpotarum fratrum cum duabus conſobrinis conjugia Georgius Pachymeres rectè ſcribit objectum fuiſſe Canonem Patriarchæ Siſinnii ſecundi. Hic eſt quartus Anteceſſor Michaëlis Cerularii. Ejus conſtitutio exſtat in jure Græco-Romano: *Moderatio noſtra decrevit, ne iſtiuſmodi matrimonia inter Chriſtianos de reliquo locum habeant, neque ullo tempore contrahantur.* Et contrahentes, & parentes conſentientes, & benedicentem Sacerdotem graviſſimè caſtigat. Attamen ſolis futuris ponit Legem: Quod nempè contracta eò uſque matrimonia licuiſſent. Disertè fatetur uſque tunc nullam fuiſſe adverſam legem, aut conſuetudinem. Addit tamen fuiſſe vetita per magni Baſilii Canonem, & in adverſam conſuetudinem declamat plurima, uti in corrupte-

corruptelam. Verùm ſine fundamento. Et nobis conſentit in Scholiis ad Photii Nemo-Canonem Theodorus Balſamon : *Temporibus ſanctiſſimi illius Patriarchæ Domini Siſinnii duo patrueles, ut videtur, duas ſorores ducebant uxores.* Addit, *Vt videtur :* Quoniam Siſinnius Canonem ſuum conatus eſt antiquum facere, & traducere in magnum Baſilium. Et videtur Canon ab ipſo habuiſſe aliquid fundamenti. Circà ipſum variis temporibus plurima ſunt mota dubia: Solutiones, quæ ad præſens Inſtitutum non ſpectant, exſtant ſparſæ per totum corpus Juris Græco-Romani. Michaël Cerularius dixit à duobus Latinis fratribus non tantùm duas conſobrinas duci, ſed & duas ſorores, ut crimen noſtrum augeat : Ut à nobis demonſtret non ſolùm Siſinnii recentiorem, ſed & alios antiquos contemni Canones, ac violari.

Quæſtio eſt, Qui ſint hi antiqui Canones ? S. Martyr Theophanes videtur aſſerere Apoſtolicos, aut certè antiquiſſimos. Etenim de magno Conſtantino, ac ejus patre Conſtantio, ducentibus duas ſorores, ſcribit : *Nemo miretur, ſi antè Baptiſmum, cum adhuc Paganos ritus ſervarent, duas ſorores duxerunt pater & filius.* Quod ipſum in Eccleſiaſtica hiſtoria habet Anaſtaſius Bibliothecarius. Videntur affirmare tale matrimonium Chriſtianis etiam tunc non licuiſſe. Reſpondeo illos loqui juxtà Græcam ſui temporis Legem, juxtà quinquageſimum quartum Trullanum Canonem : *Cum Divina Scriptura nos apertè doceat,* Non ingredieris ad omnem conſanguineam carnis tuæ ad revelandam ejus turpitudinem, *Divinus Baſilius nonnullas prohibitas nuptias in ſuis Canonibus enumeravit, multis ſilentio præteritis, & his utriſque utilitatem nobis attulit. Turpium enim nominum multitudine evitatâ, ne verbis orationem pollueret, generalibus nominibus impuritates complexus eſt, per quas legibus vetitas nuptias nobis in ſumma oſtendit. Quoniam autem propter ejuſmodi ſilentium, & quod non diſcerni poſſet illicitarum nuptiarum prohibitio, ſeipſam natura confudit, nobis viſum eſt ea paulò apertiùs exponere, ab hoc deinceps tempore decernentes, ut qui cum patrui ſui filia matrimonii ſocietatem inierit, vel pater & filius, qui cum matre & filia, vel cum duabus puellis ſororibus pater & filius, vel cum duobus fratribus mater & filia, vel fratres duo cum duabus ſororibus, in ſeptennii Canonem incidant, illis procul dubio ſeparatis à nefario conturbernio.* Non ſolos ad ſanctum Amphilochium ſcriptos Canones, ſed & famoſam ad Diodorum Epiſtolam urgent Græci, in qua magnus Baſilius neſcio cujus duas ſorores ſucceſſivè duci poſſe adſerentis errorem refutat acerrimè,& adjungit : *Neque uxori licet,ut viri ſe adſinibus adjungat.* Et poſt multa concludit : *Oro ut vel admonitio noſtra hanc inordinatam affectionem retundat, vel ſcelus hoc in noſtram regionem non ſerpat, ſed in quibus præſumptum eſt locis, in illis detineatur.* Admittit licentiam iſtam tolerari ac vigere



Digitized by Google

in aliis Regionibus : Admittit ſucceſſivum ejuſdem viri cum duabus ſororibus conjugium per nullam Legem aut Canonem, ſed apud meliores Chriſtianos damnari per ſolam conſuetudinem. Et per adfines intelligit ſolos adfines primi gradûs. Proindè duas conſobrinas tunc idem ſucceſſivè poterat ducere. Etenim conſobrinus dudum duxit conſobrinam. Hoccè conjugium primus diremit magnus Imperator Theodoſius. Et iſto jure Græci uſque ad adductum Trullanum Canonem, nos paſſim Latini viximus uſque ad Gregorium ſecundum. Porrò Trullanam Synodum quis ignoret eſſe erraticam, & plures ipſius Canones ab omni Latina Eccleſia conſtanter rejectos? Hinc propter ipſorum contemptum credimus nos nec à Deo damnandos, nec ab æquum & juſtum cenſentibus hominibus. Et ipſi Græci ipſorum non fuerunt obſervantiſſimi. Quòd enim Imperator Andronicus ſecundus Paleologus & Bulgarorum Rex mutuas ſorores duxerint, teſtatur
Lib. 1. Laonicus Chalcocondylas. Repertus Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores Tractatus præſenti Græcorum calumniæ reddit hunc talionem : *Mixturam ſanguinis prohibitam à ſanctis Patribus Græci faciunt jugiter. Nam conſobrini conſobrinas ducunt uxores.* Sine fundamento. Ejuſmodi enim conjugia nec Latini nec Græci improbarunt. Tales conjuges apud hos ſunt in octavo gradu.

## CALUMNIA IX.

*Latini in Sacra Miſſa, tempore Communionis, alter Miniſtrorum comedens azyma, alios amplexatur, & pacem illis largitur.*

EAndem calumniam nobis facit repertus Conſtantinopoli Tractatus : *Latini participationem Sanctæ Communionis, non ſimiliter ut nos Græci, perficiunt, ſed dicunt, quod qui Miſſam celebrat Sacerdos, oſculatur volentem communicare.* Intrà Miſſæ Sacrificium & à Clero & à populo dari pacis mutuum oſculum eſt Apoſtolica traditio, & à Latinis ſemper obſervata & à Græcis. Verùm alio & alio ſacrificii loco. Etenim in ſancti Joannis Chryſoſtomi Liturgia ſtatim poſt magnum introitum ſeu offertorium Sacerdos exclamat : *Pax omnibus.* Et Diaconus : *Diligamus nos invicem, ut in concordia confiteamur.* Tunc omnes oſculantur ſeſe mutuò, interim cantatur Symbolum Conſtantinopolitanum, & exindè pergit Diaconus : *Stemus honeſtè. Attendamus ſanctam oblationem in pace offerre.* Ritum inſigniter exponit ipſe laudatus Pater in libris de com-
Lib. 2. punctione cordis : *Iubet Dominus relinqui munus antè altare, & prius re-*
cap. 3. *conciliari fratri, ut ex hoc diſcamus, quia nec illo tempore, quo ad Dei miniſterium videmur accedere, reconciliationem diſſimulari ac differri patitur Deus.*
Quantò

*Quantò magis in aliis temporibus hoc curari jubet? Nos verò imaginem quidem colimus Præcepti, veritatem verò ipſam & virtutem negligimus. Nam oſculum pacis porrigere tempore, quo munera offeruntur, in uſu eſt, ſed vereor, ne fortè ex nobis plures labiis hoc tantummodò faciant, cùm Chriſtus pacem non ex ore, ſed ex corde deſideret, & affectu velit proximum, non labiis ſalutari. Si enim pax non habetur in corde, quaſi in ſcœna res agi videtur & ludo. Vndè per hæc exacerbari Deus credendus eſt potiùs, quàm placari.* Lucidè affirmat Offertorii tempore impartiri mutua pacis oſcula, idque ob mandatum Domini: *Cùm offers munus tuum ad altare, prius reconciliare fratri tuo.* Vera ac germana noſtri Sacrificii oblatio fit in tremenda elementorum conſecratione. Hinc antè ipſam Græci non malè voluerunt fieri iſtud fraternæ charitatis aut reconciliationis ſignum.

Ipſum laudat iterum, & eruditè exponit idem Doctor in Homiliis ſuper ſecundam ad Corinthios epiſtolam. Hæc verba, *Salutate invicem in oſculo ſancto*, commentatur: *Quid eſt*, Sancto? *Non ficto, non ſubdolo, quemadmodum Iudas Chriſtum eſt oſculatus. Ob id enim nobis datum eſt oſculum, ut charitatis igniculus ac fomes ſit, ut affectum inflammet, ut hâc ratione nos ipſos mutuò amemus, velut fratres invicem ſe amant, patreſque viciſſim filios. Imò etiam multò vehementiùs. Illa enim naturæ ſunt, hæc gratiæ. Ad hunc modum animæ inter ſe devinciuntur. Ob eam cauſam etiam ex aliqua peregrinatione reverſi, mutuò nos oſculamur, animis videlicet ad mutuum congreſſum accedentibus. Hoc enim potiſſimum membrum eſt, quod animi affectum nobis prædicat. Quin de hoc ſancto oſculo aliud quoque adferri poteſt. Quid tandem? Templum Chriſti ſumus. Itaque templi veſtibula & aditum oſculamur. An non cernitis, quotnam homines etiam ejus templi veſtibulis oſculum figunt, partim inclinato capite, partim manu tenentes, atque ori manum admoventes? Ac per has portas & januas ingreſſus eſt Chriſtus, & ad nos ingreditur cùm communicamus. Noſtis enim vos, qui myſteriorum participes eſtis, quid dicam. Neque enim vulgari quodam honore os noſtrum afficitur, cùm Corpus Dominicum excipit. Eaque præſertim de cauſa mutua oſcula jungimus.* Hæc verba, *Per has portas ingreſſus eſt Chriſtus*, laudant magnum Offertorii introitum: Affirmant tunc dari pacis oſculum, ut ita ora noſtra, in quæ etiam eſt ſtatim ingreſſurus Dominus, honoremus & purgemus. Ho. 30.

Eundem ritum laudat & ſervandum ſanxit Laodicena Synodus: *Quod oportet ſeorſim, primum poſt ſermones Epiſcoporum, Catechumenorum orationem peragi, & poſtquàm exierint Catechumeni, Pœnitentium orationem fieri, eiſque accedentibus accepta manuum impoſitione & abſcedentibus, ſic fidelium tres orationes fieri, unam quidem, ſcilicet primam, ſilentio, ſecundam verò & tertiam pronuntiatione impleri. Deindè ſic pacem dari. Et poſtquàm Presbyteri Epiſcopo pacem dederint, tunc Laïci eam dare. Et ſic ſanctam Oblationem*



Digitized by Google

*tionem celebrari*. Poſt ejectos cum Catechumenis Pœnitentes, & completas pro integris fidelibus orationes ſtatim fit magnus introitus ac Offertorium: Synodus lucidè mandat ſtatim poſt ipſum figi fraterna oſcula, & tunc procedi ad Præfationem, Canonem, & Conſecrationem.
Cap. 3. Et in Eccleſiaſtica Hierarchia ſcribit Dionyſius: *Coôpertus divinus panis proponitur, & benedictionis calix, ſacrum verò oſculum ſancto modo celebratur*. Per verbalem oblationem ſanctificata elementa Græci velo coôperiunt: Et Dionyſius affirmat tunc donari oſculum. Per Jacobum Gretzerum publicatus Anaſtaſius Sinaïta affirmat hunc Dionyſium
Cap. 22. fuiſſe olim à Manichæis vitiatum, & ſcholiis illuſtratum à Dionyſio Alexandriæ antiquo & magno Patriarcha: Quod ſi verum ſit, non poſſumus negare Areopagitam eſſe verum iſtorum librorum auctorem. Etiam Apoſtolicæ apud Romanum Clementem conſtitutiones Diaco-
Lib. 8. nis antè Præfationem indicunt oſculum: Et ſtatim Clerici Epiſcopum,
Cap. 15. Laïci viri viros, fœminæ fœminas oſculantur. Et ſolemnem, quæ ſtatim poſt Offertorium fit, Sacrificantium manuum ablutionem laudat in quinta Myſtagogica Catecheſi ſanctus Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus, ac pergit: *Deindè clamat Diaconus, Complectimini & oſculamini vos invicem. Atque tunc mutuo nos oſculo ſalutamus. Non hoc ita accipias, quaſi oſculum illud ſit ejuſmodi, quale in foro inter communes amicos eſſe conſuevit. Neque enim tale eſt. Hoc igitur oſculum animas mutuò conciliat, & omnium malorum oblivionem illis ſpondet.* Affirmat eſſe à Petro & Paulo commendatum fraternæ dilectionis oſculum, & pergit: *Poſteà clamat Sacerdos, Surſum corda.* Ait à nobis ita impleri Evangelicum mandatum, quo Dominus nos juſſit antè Sacrificii oblationem reconciliari. Quæ omnia tradit in publicato per Franciſcum Combefiș Sermone de ſacra Synaxi etiam S. Anaſtaſius Sinaïta, Patriacha Antiochenus. Etiam Simeon Theſſalonicenſis Archiëpiſcopus, Nicolaus Cabaſilas, aliique recentiores Græcorum rituum Expoſitores.

Qui mos olim viguit in quibuſdam item Latinis Eccleſiis. Etenim in Ambroſiana apud Jacobum Pamelium Miſſa ſtatim poſt Offertorium Sacerdos dicit ad populum: *Pacem habete*. Et populus reſpondet: *Ad te Domine*. Et ad Decentium Eugubinum Epiſcopum ſcribit ſanctus Pontifex Innocentius primus: *Pacem aſſeris antè confecta Myſteria quoſdam populis imperare, vel ſibi Sacerdotes tradere, cùm poſt omnia, quæ aperire non debeo, pax ſit neceſſariò indicenda, per quam conſtet populum ad omnia, quæ in Myſteriis aguntur, atque in Eccleſia celebrantur, præbuiſſe conſenſum, ac finita eſſe pacis concludentis ſignaculo demonſtrentur.* In quibuſdam & Clerus & Populus, in quibuſdam Eccleſiis ſoli ſibi invicem Sacerdotes inter Offertorium & Canonem dabant pacis oſculum: Quòd nempè offer-
rent

Digitized by Google

rent & conſecrarent, ideoque iſtud fraternæ charitatis ſymbolum ſaltem inter ſeſe cenſerent præmittendum. Aſt utrumque morem improbat Pontifex, affirmans & à Clero & à Populo non niſi poſt conſecrata elementa præſtandum. Quem morem eſſe in Latina Eccleſia antiquiſſimum & frequentiſſimum demonſtrat Tertulliani liber de oratione: *Alia jam conſuetudo invaluit, jejunantes habitâ oratione cum fratribus ſubtrahunt pacis oſculum, quod eſt ſignaculum orationis. Quando autem magis conferenda cum fratribus pax eſt, niſi cum oratio commendabilior adſcendit, ut ipſi de noſtra operatione participes jam audeant de ſua pace fratri tranſigere? Quæ oratio cum divortio ſancti oſculi integra? Quem Domino officium facientem impedit pax? Quale ſacrificium eſt, à quo ſine pace receditur? Quæcumque operatio ſit, non erit potior obſervatione Præcepti, quo jubemur jejunia noſtra celare. Iam enim de abſtinentia oſculi agnoſcimur jejunantes. Sed etſi qua ratio eſt, ne tamen huic Præcepto reus ſis, potes domi, ſi fortè, inter quos latere jejunium in totum non datur, differre pacem. Vbicumque autem alibi operationem tuam abſcondere non potes, debes meminiſſe Præcepti. Ita & diſciplinæ foris, & conſuetudini domi ſatisfacies. Sic & die Paſchæ, quo communis & quaſi publica jejunii religio eſt, meritò deponimus oſculum, nihil curantes de occultando, quod cum omnibus faciamus.* Cap. 14.

Eo tempore erant tres jejunii ſpecies: Plenum ac ex legis Præcepto univerſale, ſemiplenum ac ex Epiſcopi indictu, aut communi pietate ſtationarium, & privatum ac proprio arbitrio aſſumptum. Per Paſchæ diem Tertullianus hic intelligit ſextam magnæ ſeptimanæ feriam, quæ ſola tunc per totum annum videtur præcepta jejunari. Hinc enim etiam ad Montanum lapſus ſcribit in libro de jejuniis: *Quartam & ſextam Sabbathi ſtationibus dicamus, Paraſceven*, id eſt, magnam ſextam feriam, *jejuniis*. Et in hac feria, quòd communis & publica eſſet jejunii religio, non plenum, ſed dumtaxat ex Præſanctificatis fiebat ſacrificium, & populus non communicabat. Adeò antiqua eſt hæc, per Innocentium primum Pontificem, non inducta, ſed dumtaxat firmata aut reparata ceremonia. Lucet ex ſubſequentibus Septimii verbis: *Similiter & ſtationum diebus non putant plerique ſacrificiorum orationibus interveniendum, quòd ſtatio ſolvenda ſit accepto Corpore Domini*. Quid eſt, *Similiter*? Uti in pleno paraſceves, ita & in dimidio ſtationum jejunio. Hinc ergò in paraſceve etiam non dabatur oſculum. Quòd nempè unicus aut certè præcipuus oſculi ſcopus ſit factam à Sacerdote conſecrationem obſignare, & populum ad ejus participationem diſponere. Nam & hinc dari non conſuevit in Defunctorum Miſſis: Quòd populus tunc non communicaret. Ob ſingularia & ſpontanea privatorum jejunia intermitti non poterat Sacrificium, nec ad ſola Præſanctificata contrahi, iſti tamen Cap. 14.



Digitized by Google

jejunantes nolebant illi intervenire, ſeu de illo participare, atque ita etiam ab oſculo abſtinebant. Et hanc abſtinentiam improbat ob adductas rationes Septimius. Eſt locus obſcurus: Lucidè interim nos docet oſculum tunc datum fuiſſe poſt Conſecrationem proximè antè Communionem populi. Fuiſſe peracti Sacrificii ſignaculum & complementum. Quòd ipſum in libris adversùs Petilianum Conſtantinenſem Donatiſtarum Epiſcopum, agens de Optato Gildoniano Thamugadenſi Epiſcopo, ſcribit S. Auguſtinus: *Optato pacis oſculum inter Sacramenta copulabatis, in cujus manibus Euchariſtiam ponebatis, cui viciſſim danti manus porrigebatis.* Lucidiùs loquitur in Sermone de diverſis ad Neophytos, exponens omnem Sacrificii ordinem. Primùm dici affirmat Offertorii orationem, tunc Præfationem, hinc Conſecrationem fieri, tum recitari orationem Dominicam, & pergit: *Poſt ipſam dicitur*, Pax vobiſcum, *& oſculantur ſe Chriſtiani oſculo ſancto, quod eſt ſignum pacis.* Quem morem fuiſſe tandem admiſſum ab omni Latina Eccleſia, tradunt Amalarius Fortunatus, Walafridus Strabo, aliique Eccleſiaſticorum rituum Interpretes. Dico, *Tandem*: Quòd enim ſuo adhuc tempore Hiſpania ſtatim poſt Offertorium antè Præfationem daret oſculum, difertè affirmat in libris de Eccleſiaſticis officiis S. Iſidorus Archiepiſcopus Hiſpalenſis. Affirmat quartam ab Offertorio orationem eſſe pro pacis oſculo, & dici antè Præfationem.

Lib. 2. Cap. 23. — Ser. 83. — Lib. 1. Cap. 15.

Prima quæſtio eſt, An antiquus, non communicantes vetans ad pacem accedere, Canon obliget etiam ſponte ab Euchariſtia abſtinentes, adeoque an Tertullianus ſpontaneos privati jejunii obſervatores rectè arguat, quòd abſtinerent ab oſculo? Reſpondeo eandem quæſtionem moveri à Walafrido Strabone, & reſponderi negativè. Et rectè. Quòd enim quotidiana populi Communio nunquàm præcepta, ſed ſemper libera fuerit, lucet ex priori S. Auguſtini ad Januarium epiſtola, & pluribus aliis Patrum & Canonum teſtimoniis. Quæ libertas olim fuit etiam in publico ſacrificio. Nec obeſt hic Antiochenus Canon: *Omnes qui ingrediuntur Eccleſiam, & Scripturas ſacras audiunt, nec communicant in oratione pro populo, ſed pro quadam intemperantia ſe à perceptione ſanctæ Communionis avertunt, ii de Eccleſia removeantur, quamdiu per confeſſionem pœnitentiæ fructus oſtendant, & precibus indulgentiam conſequantur.* Etenim doloſus eſt iſte Canon, & Arianus. Nec adversùm Euchariſtiæ abſtemios agit, ſed adversùm abſtinentes ab orationum communione, & ſolùm, cui etiam Pagani ac Judæi adeſſe poterant, Epiſcopi aut Presbyteri ſermonem audientes. Plurimis tunc per Orientem Eccleſiis, quarum Orthodoxos Epiſcopos Imperator Conſtantius ejecerat, præſidebant Ariani, eiſque Orthodoxus Populus, quidquid

Cap. 22. — Cap. 2.

Digitized by Google

quid Princeps ſeveriſſimè cogeret, nolebat communicare. Diſcreta ab iſtis communio plurimos nobis per horrenda tormenta peperit Confeſſores & Martyres. Hinc circumducendæ pœnalis legis ſtudio aliqui intrabant Baſilicas, audiebant Epiſcopi aut Presbyteri ſermonem & catechumenorum Miſſam, & tunc exibant, maculoſi Præpoſiti orationem ſeu ſacrificium averſantes. Sic ſperabant & ſervare animam, & legis pœnam evadere. Verùm iſta Synodus intellexit artem, & adverſus illam emiſit dictum Canonem. Non eos, qui & ſermoni & orationi ſeu ſacrificio, ſed damnat ſolos illos, qui nec orationi volebant communicare. Sola orationis communione fuit contenta. Hoſce communicatores nec ipſa compulit ad Euchariſtiæ perceptionem. Et ex hoc canone deſumptus eſt manifeſtè nonus inter vulgares Apoſtolicos, qui addit de factæ oblationi, ſeu orationi communicantibus, & non percipientibus Euchariſtiam: *Aut cauſam dicat, ut ſi rationabilis fuerit, veniam conſequatur; aut ſi non dixerit, communione privetur, tanquam qui populo cauſa læſionis exſtiterit, dans ſuſpicionem de eo, qui ſacrificavit, quod non rectè obtulerit.* Verùm de ſolis Epiſcopis & aliis Clericis loquitur, ideoque & Laïcos ipſe non adſtringit. Porrò canon, qui non communicantes arcet à pacis oſculo, non de ſpontaneis Euchariſtiæ abſtemiis loquitur, ſed de abſtentis & excluſis. Quidam exiſtimant illum agere de ſolis excommunicatis. Malè. Etenim nullum excommunicatum, nullum Flentem, nullum Subſtratum antiqua diſciplina admiſit ad orationem, ſeu Sacrificii conſecrationem, ſed omnes expellebat antè Offertorium. Canon ergo ſtatuit in quartam pœnitentiæ claſſem, Conſiſtentes, qui tremendæ orationi communicare poterant. Verùm non percipere ipſam, nec offerre ad Altare, ſeu communicare cum oblatione. Etiam ipſorum nomen offerri non poterat, ſeu recitari ad Sacrificium. Hi proindè carebant & jure oſculi. Erat jus ſolorum Perfectorum. Et hi, licèt ex cauſis de Sacrificio participare nollent, debebant tamen ipſum comprobare & obſignare. Et hinc memoratos ſpontaneos jejunatores non de Euchariſtiæ abſtinentia, ſed dumtaxat de omiſſo oſculo rectè arguit Tertullianus.

Altera quæſtio eſt, An plures olim Afri, ac ipſe etiam Tertullianus crediderint per ſumptam Euchariſtiam violari jejunium? Partem affirmativam ſuadent hæc hujus in libro de oratione verba: *Similiter & Stationum diebus non putant plerique orationibus interveniendum, quod ſtatio ſolvenda ſit accepto corpore Domini. Ergo devotum Deo obſequium Euchariſtia reſolvit? An magis Deo obligat? Non ſolemnior erit tua ſtatio, ſi & ad aram Dei ſteteris? Accepto corpore Domini & reſervato utrumque ſalvum erit, & participatio Sacrificii, & executio officii.* Iſtam ſententiam ille quidem impro- Cap. 14.

 bat,

bat, attamen non damnat: Affirmat ſtationariam Euchariſtiam poſſe accipi, ac citra ſumptionem reſervari. Quam formam viguiſſe etiam in
Cap. 3. Hiſpania demonſtrat Cæſar-Auguſtana Synodus: *Euchariſtiæ gratiam ſi quis probatur acceptam in Eccleſia non ſumpſiſſe, Anathema ſit in perpetuum.* Lumen hauriri debet ex præcedenti canone: *Ne quis jejunet die Dominica, causâ temporis, aut perſuaſionis, aut ſuperſtitionis. Nec Quadrageſimæ diebus ab Eccleſia fideles deſint. Nec habitent in latibulis cubiculorum aut montium, qui in his ſuſpicionibus perſeverant. Sed exemplum & præceptum cuſtodiant Sacerdotum, & ad alias villas agendorum conventuum causâ non conveniant.* Statuuntur hæc adversùm Priſcillianiſtas, qui dies Dominicos, ac Domini, quem verè Incarnatum negabant, præcipuas feſtivitates agebant in triſtitia, jejunabant, ideóque nec communicabant. Et quò erroris ſuſpicionem evaderent, à Sacerdote accipiebant Euchariſtiam, ſed reſervabant. Quod nempè tunc vigeret iſta libertas. Quas latebras ut doloſæ hæreſi auferret Synodus, avitam libertatem circumduxit. Non ſoli igitur Priſcillianiſtæ, ſed & avita orthodoxæ Hiſpaniæ libertas omninò credebant
Cap. 13. & 14. à ſumpta Euchariſtia lædi & ſolvi jejunium. Et iſtum Cæſar-Auguſtæ canonem firmavit, & adversùm novos dolos ampliavit prima Synodus Toletana. Domeſticam populi communionem nullo modo proſcribunt iſti canones, ſed ſolas jam dictas Priſcilliani hæreticas fallacias.

Partem negantem conſtanter tuetur & in primo antiquarum obſer-
Cap. 16. vationum libro, & in Scholiis ad librum de oratione eruditus Aurelianenſium Epiſcopus Gabriël Albaſpinæus. Quòd Tertullianus popularem, qui modicâ tranſubſtantiati elementi particulâ cenſebat frangi jejunium, errorem admiſiſſet aut diſſimulaſſet, videtur illi paradoxum. Quare ſtationis ſolutionem hic eſſe vult, non prævaricationem, ſed finem & diſſolutivum complementum. Vult quoſdam cenſuiſſe, quòd poſt acceptam Euchariſtiam non eſſet ampliùs manendum in Eccleſia, nec continuanda Eccleſiaſtica ſtatio, ſed quòd tunc cuique liceret ad ſua redire. Vult poſt acceptam Euchariſtiam manſiſſe faciendas neſcio quas longiores orationes: Et ad has à Septimio urgeri populum. Textus interpunctionem affirmat vitiatam, & formandam hoc modo: *Nonne ſolemnior erit ſtatio tua, ſi & ad aram Dei ſteteris accepto corpore Dominì & reſervato? Utrumque ſalvum eſt: Et participatio Sacrificii, & executio officii.* Et hæc ſua ſenſa confirmat exemplo S. Fructuoſi Tarraconenſis Archiepiſcopi & Martyris, de quo cum ſociis incarcerato & ad mortem damnato habent Acta: *Cum multi ex fraterna charitate eis offerrent condimentum, ut permixtum poculum ſumerent, ait Fructuoſus:* Nondum eſt hora ſolvendi jejunii. *Agebatur enim hora diei quarta. Siquidem in carcere quartâ feriâ ſtationem ſolemniter celebraverunt. Igitur ſextâ feriâ lætus atque ſecurus feſtinabat, ut cum Martyribus &*

Pro-

*Prophetis in paradiſo perſolveret ſtationem.* Urget verba, *Perſolveret ſtationem:* Hæc enim omninò videntur importare ſtationis diſſolutivum complementum.

Reſpondeo hæc Acta nobis palàm favere. Quis enim non videat à ſancto Fructuoſo iſthic per ſolutionem fuiſſe intellectam jejunii fractionem? Quæ dum antè tempus fit, eſt prævaricatio. Et antiqua ſtatio erat omninò jejunii ſpecies. Porrò jejunium non ſolo cibo aut potu, ſed & variis aliis læditur. Etenim ſaltus, cantus, nuptialia ac natalitia feſta, immò & ſacras Sanctorum ſolemnitates, omnemque ſeu prophanam ſeu ſacram lætitiam, à jejunii diebus antiqua diſciplina proſcripſit. In illis nullum permiſit celebrari feſtum, niſi ſolam Dominicam Annuntiationem. Quin & Hiſpani dudum ipſam non in Quadrageſima, ſed in Decembri celebrarunt. Ex eodem principio Græci in ſolis Quadrageſimæ Dominicis ac Sabbathis habuerunt plenum Sacrificium; reliquos dies ſolo Præſanctificatorum officio juſſerunt eſſe contentos. Quòd nempè Dominicis & Sabbathis non jejunarent. Hinc & plures Afri probabant iſtum morem, cenſebantque etiam ſtationaria jejunia Sacrificio orbanda, aut certè illud à populo non communicandum. Nec ſine fundamento. Etenim jejunia ſunt pœnitentiæ dies, & tunc non ſolùm in victu, ſed etiam in habitu & omni actu præ nobis ferre debemus pœnitentes, qui Sacrificio adeſſe non poſſunt, nec videre Euchariſtiam, longè minùs percipere. Hàc ratione cenſebant ab Euchariſtia ſolvi jejunium. Hoc improbat, non tamen damnat Septimius, ideoque addit: *Accepto Domini corpore & reſervato utrumque ſalvum eſt.* Quorum verborum interpunctionem alterare eſt nimium audax graſſatio. Noſtram enim interpunctionem firmant Beatus Rhenanus, Jacobus Pamelius, Georgius Capucinus Ambiânenſis, Carolus Moreau, Nicolaus Rigaltius, aliique Septimii Expoſitores. Et res ipſa clamat. Etiam editi in Hiſpania Canones adverſus Priſcillianum. Quocircà illi Afri non per ſumptum ab Euchariſtiæ ſpeciebus alimentum, ſed per ſpiritalem ab illa datam nobis dignitatem & lætitiam cenſebant ſolvi ac lædi jejunium. Et ipſorum judicium ſecuta quidem eſt Græca Eccleſia, non tamen Latina. Quòd nos Latini in plenis etiam jejuniis plenum Sacrificium, ſed circà veſperam, ſemper obtulerimus, ſuo loco oſtendetur. Quin & populum fecimus illius participem. Dudum tamen ſumptam Euchariſtiam non juſſimus ſumi in Eccleſia, ſed permiſimus reſervari. Quòd ipſam in ipſa ſancta Paraſceve potuerit communicare noſter populus, teſtantur antiquus Romanorum Ordo, Alcuinus Flaccus, ac Amalarius Fortunatus. Quod an ſit antiquiſſimum, non eſt hoc loco definiendum.



Digitized by Google

Tertia quæſtio eſt, Cur quidam privatim jejunantes Afri cenſuerint non tantùm à ſumenda Euchariſtia, ſed etiam à dando & accipiendo pacis oſculo abſtinendum? Eſt quæſtio intricata. In quintæ ad Theodoſiani codicis titulum de ſponſalibus & antè nuptias donationibus legis commentario Jacobus Gothofredus exponit oſculi jus inter ſponſos, addit magnam etiam inter Chriſtianos eſſe oſculi reverentiam, & pergit: *Nam & pacis oſculo ſeſe ſalutabant paſſim Chriſtiani, & orationem nominatim oſculo obſignari mos fuit, extrà jejuniorum dies.* Et probat hoc præſenti teſtimonio Tertulliani. Vir eruditus labitur. Hanc enim, præterquam in ſancto Paſcha, abſtinentiam Tertullianus improbat. De antiquis Chriſtianis etiam Gabriël Albaſpinæus in primo antiquarum obſervationum libro ponit hunc titulum: *Ab oſculo pacis abſtinebant diebus jejunii.* Probat item ex Tertulliano. At longè meliùs ſcribit in ſcholiis ad librum de oratione: *Quamobrem oſcula negarent jejunantes, non invenio. Quòd ad auctores, antiquorumque ritus intelligendos plurimum conferret. Nam & ſi conſuetudinem hanc improbet Tertullianus, aliqua tamen vero ſimili ratione conſtabat.* Non in cunctis, ſed in ſolis privatim jejunantibus Tertullianus improbat. Rectè Nicolaus Rigaltius: *Pravæ conſuetudinis cauſam Tertullianus non inquirit. Nec etiam vulgò adferri video, niſi quòd in oſculo hilaritatis aliquid eſſe ducerent, alienum à jejunii mæſtitia luctuque.* Reſpondeo dandum & accipiendum in Sacrificio oſculum fuiſſe illius ſignaculum & comprobationem, ideoque jus ſolorum Perfectorum. Porrò privatim jejunantes gerebant & agebant pœnitentium ſchema ac perſonam, ideoque ab illo abſtinebant. Et ipſos non de Euchariſtiæ, ſed de ſolius oſculi abſtinentia Tertullianus rectè arguit. Quod nempè ab illa, non ab hoc poſſent ſine jactantia, proximorumque & Sacrificii offenſa abſtinere.

Cap. 17.

Quarta quæſtio eſt, Cur in ſancta Paraſceve omnis Eccleſia abſtineret ab oſculo? Reſpondeo, ob tres cauſas. Prima fuit publicum tunc & ſolemne jejunium. Omnis tunc Eccleſia agebat pœnitentis perſonam, ideoque abſtinebat & ab Euchariſtia & ab oſculo. Præcipuum enim hujus officium eſt populum ad percipiendam Euchariſtiam præparare. Et hinc nec dari conſuevit in Defunctorum Miſſis: Quòd in ipſis populus non communicaret. Nec enim privata Euchariſtiæ ſumptio, ſed ſola oblatio prodeſt Defunctis. Sumptio ex ſumentis ſeu operantis pietate prodeſſe poſſit, non ex opere operato. Altera ratio eſt, quòd in ſancta Paraſceve offerrentur ſola Præ-ſanctificata. Hæc enim jam ſignata erant per oſculum, nec iterato egebant ſignaculo. Tertiam cauſam dat Amalarius Fortunatus: *A pacis oſculo nos abſtinemus, non quòd pacis oſculum malum ſit, ubi ex charitate vera profertur, ſed ut demonſtretur, quam injuriam paſſus ſit Chriſtus à ſuo proditore. Ut & nos eandem injuriam vitemus*

Lib. 1. Cap. 13.

*temus in fratribus.* Ita fieri affirmat non tantùm in Paraſceve, ſed etiam in Sabbatho ſancto. Aliis item in Sacramentis ac divinis officiis oſculum frequentavit antiqua diſciplina: Verùm hæc ſunt alteriùs loci. Et quidem uti aliqui Latini antè, ita & quidam Græci poſt confecta Euchariſtiæ myſteria dederunt pacis oſculum. Lucet ex ſecunda ſancti Martyris Juſtini Apologia: *A precibus finitis, mutuis nos oſculis ſalutamus.* Uterque ritus eſt bonus, ſanctus, nixus rationibus. Quare noſtram ſine fundamento culpavit Michaël Cerularius.

## CALUMNIA X.

*Latinorum Epiſcopi geſtant annulos in manibus, Eccleſias quaſi uxores accipientes, & arrhabonem ferre dicunt.*

EAndem Calumniam adducit repertus Conſtantinopoli apud PP. Prædicatores Tractatus: *Latinorum Epiſcopi in ſignum ſanctæ Eccleſiæ deſponſationis annulos portant & chyrothecas. In dextera ſcribunt, Dextera Domini, in ſiniſtra, Agnus Dei.* Etiam Conſtantinus Cabaſilas, Metropolita Dyrrachienſis, Demetrio Chomateno Bulgarorum Archiëpiſcopo propoſuit hanc quæſtionem? *An conſentaneum ſit annulum à Latinorum Epiſcopis geſtari?* Reſpondit verò Petrus Antiochiæ Patriarcha: *Quid ad nos, quòd Latini annulos geſtant in ſymbolum contracti cum ſancta Dei Eccleſia connubii? Nos etenim etiam coronam in capite geſtamus, pro veneratione proculdubio Principis Apoſtolorum Petri, ſuper quem Dei Eccleſia eſt ſuperædificata. Auro etiam exornamur & nos: Chyrothecas, & manipulos, & ſtolas auro contextas habemus.* Et præfatus Demetrius Chomatenus: *Annulum ferre, iis quidem qui ſecundum ſpiritum ambulant, ſpiritaliter accipitur. Quemadmodum enim Chriſtus Eccleſiæ, mundarumque & virginearum animarum nominatur ſponſus, ſic qui ubique ſunt Eccleſiarum Præſules, ſponſi appellantur, annulo accepto, ut ſpiritus ſigillo. Quòd & Salvator in digito, id eſt, Spiritu ſancto, ſe dæmonia ejicere incredulis dicebat Iudæis, qui eum convitio, quaſi Beelzebub haberet, conſectabantur. Et prodigum filium reverſum aureo annulo exornavit, totum videlicet hunc faciens ſpiritalem pro carnali. At Latinis non ſpiritaliter, ſed carnaliter, non ſuper-mundanè, ſed mundanè annuli appellationem accipientibus, ſtudio magno affectatum eſt annulos geſtare, utpote Eccleſiarum ſponſis. Ideoque neque hoc illis notam inurit.* In Evangelio laudatum annuli uſum affirmat eſſe myſticum & allegoricum, ideoque ſpiritaliter accipiendum. Addit Latinos ſolo intellectu non contentos externo etiam ſymbolo delectari. Nec ideò culpandos. Exſtat epiſtola apud Joannem Leunclavium in jure Græco-Romano. Lib. 5.

Calumniæ radicem detegit in ſuo ad Photii nomo-canonem commen-

 men-

Digitized by Google

mentario Theodorus Balſamon, omnia Imperialia ornamenta affirmans à magno Conſtantino communicata ſancto Sylveſtro, ac ejus in Romana Cathedra Succeſſoribus, atque adjungens: *Quia ſecunda Synodus Archiëpiſcopo Conſtantinopolitano dedit omnia Papæ Romani privilegia, conati ſunt nonnulli Patriarchæ, ut ille Cerulas & Dominus Michaël, & alii eadem ſibi privilegia arrogare, ſed eis non rectè ceſſit.* Hanc Michaëlis Cerularii audaciam edicit Joannes Schylitza: *Michaël aggreſſus eſt etiam cocco tincta induere calceamenta, antiqui Sacerdotii morem hunc aſſerens, & oportere his uti novum quoque Archiëpiſcopum. Nam inter Sacerdotium & Regnum nihil intereſſe, vel admodum parum, & in rebus pretioſioribus ampliùs fortaſſe & magis colendum Sacerdotium.* Per antiquum Sacerdotium Michaël omninò intellexit Romanum Pontificatum. Quòd ob tranſlata Imperialia privilegia cenſeret etiam ipſum tranſlatum atque exſtinctum, titulavit antiquum ſeu antiquatum. Hinc & ſe dixit novum Archiëpiſcopum. Non ſolam Papalem poteſtatem, ſed etiam Papalia ornamenta blateravit pertinere ad Papalia privilegia, ideoque omnia Conſtantinopolim migraſſe. Verùm illi non bene ceſſit. Quomodò ab Imperatore Iſaacio Comneno frænatus & tractatus fuerit, pluribus refert idem Schylitza. Nempè Auguſtæ ſuæ dignitatis, quàm Hierarchicæ in Eccleſiâ unitatis zeloſiores paſſim fuerunt Imperatores Conſtantinopolitani, atque ita utramque tandem amiſerunt. Uti ergò Michaël Romano Pontifici purpureos compagos & alia Imperii ornamenta, ita aureos annulos invidit cunctis noſtris Epiſcopis, atque ita in frivolam hanc calumniam eſt devolutus.

Eſt omninò frivola. Quòd enim inter Epiſcopum & Eccleſiam intercedat ſpirituale conjugium, non ſoli nos Latini, ſed & omnes ſemper docuerunt Græci. Lucèt ex orthodoxa totius Ægypti Synodo, quæ adverſus Euſebium Nicomedienſem Epiſcopum, ad eminentiores ſemper cathedras adſpirantem ac migrantem, ſcripſit ad omnes ſub Cœlo Eccleſias: *Euſebius præ oculis non habet illud Præceptum*, Alligatus es uxori, noli quærere ſolutionem. *Quòd ſi hoc de uxore dictum eſt, quanto magis de Eccleſia, atque adeo de Epiſcopatu, cui cum quis alligatus eſt, alium quærere non debet, ne adulter in ſacris litteris deprehendatur?* Et de Euſtatio Pamphyliæ Metropolita, qui Sedi renuntiaverat, ad ejuſdem Provinciæ Epiſcopos ſcripſit Epheſina Synodus: *Indignum fuiſſet viduam manere Eccleſiam.* Et Chalcedonenſis, cujus condendis Canonibus nullus adfuit
Canon. X. Latinus Epiſcopus, Congregatio: *Redditus Eccleſiæ viduatæ.* Quem Canonem inſigniter commentatur Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus: *Niſi*
Ep.45. Cap. 16. *viri & uxoris legalis conjunctio ad Epiſcopi & Eccleſiæ ſibi conjunctæ myſterium pertineret, magnum Chalcedonenſe Concilium defuncto ſuo Epiſcopo viduatam Eccleſiam*

Digitized by Google

*ileſiam non vocaret.* Etiam Alexandrina Synodus & plures Græcorum canones illegitimam Epiſcopi tranſlationem non vocarent adulterium. Etiam Schiſmaticorum Græcorum in jure Græco-Romano Doctores Epiſcopum paſſim vocant Eccleſiæ ſuæ ſponſum aut maritum. Quid ergò delinquimus, quòd ſpirituale hoc conjugium dato & geſtato annulo figamus in continua Epiſcopi memoria, atque ita illum ad conſtantem ſuæ ſponſæ dilectionem admoneamus?

Eſt ritus antiquiſſimus. Etenim de facienda degradati Epiſcopi reparatione ſanxit quarta Toletana Synodus: *Recipiat de manu Epiſcopi orarium, annulum, & baculum.* Quòd nempè degradatus Epiſcopus eadem in ſua Conſecratione accepiſſet. Et in opere de Eccleſiaſticis officiis ſcribit de conſecrandi Epiſcopi ritu ſanctus Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus: Lib. 2.
*Datur ei annulus, propter ſignum Pontificalis honoris, vel ſignaculum ſecretorum.* Cap. 5.
*Nam multa ſunt, quæ carnalium minùſque intelligentium ſenſibus occultantes Sacerdotes, quaſi ſub ſignaculo abſcondunt, ne indignis quibuſque Dei Sacramenta aperiantur.* Quæ verba eſſe Iſidori affirmat, & in nonum primi ſui Libri Canonem admittit prima Synodus Aquiſgranenſis. Et ex hoc loco annulum geſtatorium aliqui confundunt cum annulo ſignatorio, utique antiquiſſimo, atque ita ex hoc confirmant etiam illius antiquitatem. At certum eſt labi. Etenim ſignatorium annulum fuiſſe ferreum, & geſtari inhabilem, lucèt ex litteris S. Aviti Viennenſis Epiſcopi ad Sidonium Ep. 78.
Apollinarem Epiſcopum Arvernenſem. Et quòd etiam Monachi olim haberent annulos ſignatorios, teſtatur ac lamentatur in quarto Mona- Cap. 13.
ſticarum Inſtitutionum libro Joannes Caſſianus. Et hinc annulus, quem 15.
nunquam ſancto Auguſtino adfuiſſe ſcribit Poſſidius, fuit ſignatorius. Cap. 24.
Ipſum cum clave conjungit. Auguſtini integritatem laudat, qui etiam clavem & annulum non ſervaret ſecum, ſed crederet ſuis Clericis. Quòd enim Auguſtinus annulo ſignaret, docent ejus ad Victorium Epiſcopum litteræ: *Hanc epiſtolam ſignatam miſi annulo, qui exprimit faciem homi-* Ep. 217.
*nis attendentis in latus.* Quòd & geſtatorium annulum habuerit Auguſtinus Epiſcopus, videtur non ambigendum. Etenim annulus, quem inter Eccleſiæ dotes numerat & laudat S. Optatus Milevitanus Epiſcopus, omninò videtur eſſe ſacer geſtatorius Epiſcoporum. Nam & illi adſcribit myſterium ſecreti. Quidquid ſit, de conſecratis ſine Ebbonis ſui Rhemenſis Metropolitæ conſenſu Epiſcopis ſcribit ad Nicolaum primum Pontificem Rex Francorum Carolus Calvus: *Omnes ſuffraganei, qui Ebbone abſente ordinati fuerant, annulos & baculos, & ſuæ confirmationis ſcripta, more Gallicanarum Eccleſiarum, ab eo acceperunt.* Sic illos ab incurſa ſuſpenſione Ebbo abſolvit. Voces, *More Gallicanarum Eccleſiarum*, evincunt hos annulos eſſe antiquos. Exſtat epiſtola poſt Synodum Tricaſſi-

aſſinam. Et conſecrandi Epiſcopi ritum Adventio Metenſi Epiſcopo exponens Ebbonis ſucceſſor Hincmarus dicit de Epiſcopo conſecrante :
Ep. 43. *Mittat annulum in dextræ manus digito qui præcedit minimum, dicens, ad quid illi annulus detur. Signum eſt enim fidei, ut audientibus ſe ex Divinis Myſteriis ſignet quæ & quibus ſignanda ſunt. Et aperiat quæ & quibus ſunt aperienda*. Exponit in animæ Gemma Honorius Auguſtodunenſis : *Annuli*
Lib. 1. *uſus ab Evangelio acceptus creditur, ubi ſaginati vituli conviva primâ ſtolâ veſti-*
C. 216. *tur. Olim ſolebant Reges litteras cùm annulo ſignare : Cum hoc ſoliti erant & nobiles quoque ſponſas ſubarrhare. Fertur quòd Prometheus quidam ſapiens primus annulum ferreum hoc inſigne amoris fecerit, & in eo adamantem lapidem poſuerit. Quia videlicet ſicut ferrum domat omnia, ita amor vincit omnia. Et ſicut adamas eſt infrangibilis, ita amor eſt inſuperabilis. Quem etiam in illo digito portari conſtituit, in quo venam cordis deprehendit. Vndè & annularis nomen accepit. Poſtmodum verò aurei ſunt pro ferreis inſtituti, & gemmis pro adamante inſigniti. Quia ſicut aurum cuncta metalla præcedit, ita dilectio univerſa bona excellit. Et ſicut aurum gemmâ decoratur, ita amor dilectione perornatur. Pontifex ergo annulum portat, ut ſe ſponſum Eccleſiæ agnoſcat, ac pro illa animam, ſi neceſſe fuerit, ſicut Chriſtus, ponat. Myſteria Scripturæ à perfidis ſigillet, ſecreta Eccleſiæ reſignet*. Etiam ſacras noſtrorum Epiſcoporum chyrothecas eſſe Apoſtolicum Inſtitutum affirmat in primo de Sacramentis libro, & ipſarum myſticas ſignificationes exponit Hugo de S. Victore.

Cap. 56. Et horum ornamentorum delatum ſibi à Latinis honorem Græcorum Epiſcopi paſſim non averſantur. Immò probant, laudant, & diligunt. Etenim de Maronitis, ad Romanæ Eccleſiæ unitatem poſt hæreſim & ſchiſma redeuntibus, ſcribit in Orientalis Eccleſiæ hiſtoria Jaco-
Cap. 78. bus Cardinalis de Vitriaco : *Cùm omnes Orientales Prælati, exceptis duntaxat Latinis, annulis & mitris Pontificalibus non utantur, Maronitæ in ſignum obedientiæ conſuetudines & ritus obſervant Latinorum*. Et ad eandem unitatem venienti Baſilio Trinobi Epiſcopo, dum in totius Bulgariæ & Blachiæ Primatem evexit, Innocentius tertius una cum pallio miſit etiam mitram, chyrothecas, & annulum : Et ſummas ille egit gratias. Latè hæc habes in authentica, quam Franciſcus Boſquettus Montis-Peſſuli Epiſcopus vulgavit, laudati Pontificis vita. Et ad Thomam, à Flandris occupatæ Conſtantinopolis primum Patriarcham Latinum, ibidem ſcribit idem Pontifex : *Nobis humiliter ſupplicaſti, ut de noſtra tibi permiſſione liceret conſtitutos & conſtituendos in Eccleſiaſticis dignitatibus mitris, annulis, & ſandaliis inſignire. Nos ergò perſonaliter tibi volentes facere gratiam, indulgemus, quatenus illis concedas inſignia ſuprà dicta, quibus ſecundùm morem Apoſtolicæ Sedis poſſint honeſtè concedi*. Latini Orientalium civitatum Epiſcopi ſemper habuerunt iſta inſignia, atque ita pro redeun-

redeuntibus ad unitatem Græcis poſtulavit illa Thomas, ac impetravit. Et Conſtantino Armeniorum Primati, poſtulanti Pallium, etiam Mitram & Annulum addidit Gregorius nonus, idque *in ſignum Apoſtolicæ dilectionis & gratiæ, ac in ejus devotionis indicium.* Et de Epiſcopis, quos Imperator Michaël Paleologus miſit ad Lugdunenſe Gregorii decimi Concilium, ſcribit Georgius Pachymeres: *Perhumaniter illos excepit* Lib. 5. *Papa, adeò ut eos honoraverit Mitris & Annulis, quibus inſignibus Epiſcopos* cap. 21. *ornari mos illic obtinet.* Attamen S. Petrus Damiani, qui pretioſas annu- Lib. 2. lorum margaritas graviter damnat, eſt à noſtris Epiſcopis omninò Ep. 2. audiendus.

## CALUMNIA XI.

*Latinorum Epiſcopi ad bellum exeuntes manus ſuas ſanguine coinquinant, & in conſpectu ſuo animas occidunt, & occiduntur, quemadmodum etiam à nonnullis, qui hoc affirmant, accepimus.*

QUòd noſtri Epiſcopi propriis in bello manibus aliquando pugnaverint, negare non poſſumus: Multis exemplis eſt ſuprà demonſtratum. Rhemenſium Metropolita Manaſſes adeò neglexit Clerum, ac dilexit milites, ut paſſim & palam diceret: *Bonus eſſet*, utique ob divitias & ſplendorem, *Rhemenſis Archiëpiſcopatus, ſi non Miſſas inde cantari oporteret.* Undè illum ob ſcandaloſam vitam Hugo Dienſis Epiſcopus, Apoſtolicæ Sedis in Gallia Legatus, punivit variè, ac tandem degradavit atque ejecit Gregorius ſeptimus. Illius non tantùm Canonicus, ſed etiam Cancellarius fuit S. Bruno. Etenim diplomati, quo ad undecimi ſæculi ſeptuageſimum ſextum annum Manaſſes S. Baſoli Monaſterio dedit quædam Altaria, eſt ſubſcriptum: *Brunone Rhemenſis Eccleſiæ Cancellario.* Non Theologi apud Pariſios Doctoris manifeſtata damnatio, ſed hujus Manaſſis peſſima vita illi dedit anſam & ſtimulos ad ſe recogitandum, derelinquenda omnia, & inſtituendum Anachoreticum Ordinem Carthuſienſem. Habes hæc apud Gui- Lib. 1. bertum Novigenti Abbatem in libris de ſua vita. Etiam de Chriſtiano cap. 11. Moguntinenſium Metropolita ſcribit in appendice ad Sigebertum Gemblacenſem Robertus Abbas Montenſis: *Chriſtianus Moguntinenſis Ar-* F. 1182. *chiëpiſcopus obiit, qui ſe non habebat ſecundùm morem Clericorum, ſed more Tyranni, exercitum ducendo, & Brabanzones.* Hoc eſt, ſuo loco exponendos latrones.

Quòd ejuſmodi Epiſcopis & Clericis etiam Græci non caruerint, eſt ſuprà item oſtenſum. *Quòd Margi* in Illyrico *Epiſcopus in Schytarum fines tranſgreſſus, Regum iſthic loculos & reconditos theſauros indagatus expilaverit,*

*verit*, ſcribit Priſcus Rhetor ac Sophiſta. Addit quòd poſtmodum ad placandos Barbaros transfuga duxerit ipſorum exercitum, ac illis poſt devaſtatas Romanas terras tradiderit ſuam Civitatem. Et de Conone ſecundæ Syriæ Apamæenſi Metropolita ſcribit S. Martyr Theophanes:
Fol. 118. *Conon relictâ Sede ex Epiſcopo in armatum militem mutatus inter copiarum ductores expeditionem ſuſcipit.* Margenſis ille ſub Theodoſii, Conon Epiſcopus vixit ſub Imperio Anaſtaſii. Addit Theophanes de commiſſo apud Iſauriæ Claudiopolim prælio: *Ibi vulnere accepto Conon Epiſcopus brevi poſtmodum ſpatio moritur. Et fit Romanis ſecunda & maxima acceſſio victoriæ.* Nempè Conon non in Barbaros pugnabat, ſed in Romanos. Et de Themelo apud Cilices Presbytero habet Georgius Cedrenus: *Cum*
Fol. 637. *Ameras Tharſi bello Romanos petens, partem exercitûs in pagum Herculis prædatum emiſiſſet, Presbyter quidam, nomine Themelus, tunc incruentum peragens Sacrificium, cognito Saracenorum adventu, omiſſo Sacrificio, ita ut erat ſacras veſtes indutus..... Templi corripuit, eoque hoſtes irruentes defendit, multos vulneravit, complures interfecit, reliquos in fugam vertit.* Ab Epiſcopo ſuo degradatus apoſtatavit ad Saracenos, in Romanos duxit exercitum, *& ne ſcribere quidem fas eſt, quæ ejus fuerint & quàm dira facinora.* Et cognatum ſuum Coloſſenſis Eccleſiæ Diaconum, quòd ſub Imperatore Manuële Comneno militem egerit, & in Perſas ſtrenuè pugnaverit, laudat Nicetas Choniates. Et de Barlaamo, Adrianopolitano Archiëpiſcopo, & Germani tertii Patriarchæ Conſtantinopolitani nepote, ſcribit Georgius Pachymeres: *Barlaamus decori cultus ſtudio-*
Lib. 4. C. 22. *ſus equis utebatur, interdum & armis. In quo etiam ambitioſè generoſitatem oſtentare amabat, cominus congrediens cum hoſtibus.* Degradatus fuit ob varia, degradationem ſprevit, ab Imperatore Michaële Paleologo equeſtris cohortis præfecturam petiit, ſpopondit magna trophæa de hoſtibus, pergitque Pachymeres: *Quod Imperatori audienti gravem, & ad extremum ſupplicanti exitioſam ſuſpicionem movit.* A turbido enim inge-
Lib. 3. Cap. 32. nio pejora metuens Princeps juſſit Barlaamum excæcari. Quòd item ſibi Beræ caſtrum obſidenti Monachi armis reſtiterint, teſtatur Imperator Joannes Cantacuzenus. Et ad tertium decimum magni Baſilii Canonem Conſtantinus Harmenopulus oſtendit Reipublicæ hoſtes non ſolùm ſine peccato, ſed etiam cum merito à Laïcis occidi ex Magiſtratûs præſertim juſſione, & adjungit de Clericis: *Clerici autem, qui*
Part. 3. *quamcumque cædem admiſerint, confeſtim puniri par eſt, nullo diſcrimine hoſtis habito, vel latronis, vel cujuſcumque. Quod factum eſt, ut Epiſcopus qui occiderat Agarenum tempore belli, qui gladium adversùs ipſum ſtrinxerat, de Synodi ſententia depoſitus ſit.* Loquitur ex Conſtantini Chlianeni Patriarchæ Conſtantinopolitani Edicto, quod in jure Græco-Romano enume-
rat

rat varias homicidiorum ſpecies, & concludit: *Et hæc quidem de Laicis. Clerici enim, quomodocumque occidentes, deponuntur, nullâ habitâ differentiâ hoſtium, vel latronum, vel aliquorum aliorum.* Lib. 1. Dum Turcorum Sultanus Bajazetes decennalem Byzantii obſidionem ageret, & ipſius Dux Brenezes vaſtaret Peloponeſum, de rerum ſucceſſu deſperans Spartanorum Dux Theodorus, Civitatem iſtam vendidit ſacris Rhodi Militibus, ſcribitque in ſecundo libro Laonicus Chalcocondylas: *Spartani cognito ſe traditos à ſuo Duce, admoniti à ſuo Epiſcopo, qui id indicium fecerat, in Comitium evocantur. Ibi multis ultrò citroque jactatis, conjurationem faciunt, & unanimiter conſpirant ſe quidvis potiùs mali ſubituros, quàm Latinorum Nazaræis parere velint. Quæ res ut majori auctoritate gereretur, Epiſcopum Ducem creant.* Et ipſius ductu Rhodios ab ineundâ poſſeſſione armati repulerunt. Plura ſunt ejuſmodi exempla. Apud nos ambos ſunt non legis, ſed hominum vitia, ideoque propter illa invicem non damnemus. Deo laus, iſtam paleam jam dudum à nobis eventilavimus.

## CALUMNIA XII.

*Latini ſacrum Baptiſma ita peragunt, ut eos qui baptizantur, unicâ merſione baptizent.*

Eandem calumniam nobis impingit Marcus Epheſiorum Archiëpiſcopus: *Bina* per Latinos *inducuntur Baptiſmata. Unum quod trinâ immerſione confertur, alterum quod aquæ infuſione à ſummo vertice.* Duo in nobis culpat. Primò, quòd trinam non adhibeamus merſionem. Secundò, quòd aliquando nec unicam: Quòd nempè quoſdam perfundamus dumtaxat, aut adſpergamus. Et de Gregorio Hieromonacho, Alexandrinæ Eccleſiæ Primicerio, ac Philothei Patriarchæ ad Florentinam Synodum Vicario atque Legato, ſcribit in ejuſdem Concilii hiſtoria Sylveſter Sguropulus: *Antè triduum cum Petro quodam Calabrico in diſputationem incidens de Baptiſmi Sacramento, Latinos Chriſtianæ Religioni per regenerationis lavacrum non ritè initiatos arguebat, quod multis ſanctorum Patrum teſtimoniis comprobavit, qui Baptiſmum delinearunt, quibus nempè ritibus in eodem ſingula adminiſtrentur.* Lib. 9. Cap. 9. Etiam iſte Gregorius ex iiſdem capitibus affirmavit nos nec legitimè nec validè baptizatos. Et Sguropulus confirmat. Conſtanter aſſeverat nos Latinos *Sacro Baptiſmi fonte non ritè ablutos*, ideoque nobiſcum tentandam non fuiſſe unionem. Fundant ſe in ſeptimo Canone Conſtantinopolitanæ Synodi: *Eunomianos, qui in unam demerſionem baptizantur, ut Græcos admittimus, & baptizamus.* Ad hæc enim verba ſcribit Theodorus Balſamon: *Nota ex præſenti Cano-*

 *ne*

Digitized by Google

*ne, quòd omnes qui in unam demerſionem baptizantur, rurſum rebaptizentur.* Omninò notat nos Latinos.

Pergit Sguropulus: *Dixit Primicerius Petro, Quid ſibi vult iſta vox, Baptiſma? An ut aqua in alicujus caput affatim effundatur, an potius ut quis in fluentem deſcendat, & adſcendat immerſus undis? Inficianti autem Petro talem nunc baptizandi ritum uſurpari, & Catabaptiſmatis nomen mereri, quod Primicerius poſtulet; Minimè, reſpondit Primicerius, Erras in ætymo. Nam Catabaptiſma propriè accipitur, quando deſcendunt in undas, & non adſcendunt. At baptiſmus vult, ut in undis baptizati proluantur, & ab undis ad ripam redeant.* Petrus Cataber ſolam, tunc à Latinis uſitatam, perfuſionem ſufficere, Gregorius Primicerius voluit requiri merſionem ac emerſionem, ſolam demerſionem ambo cenſuerunt eſſe Catabaptiſmum. Et ita hodiernam, quæ ſolâ demerſione baptiſmum compleri poſſe autumat, quorumdam Scholaſticorum ſententiam præfocarunt. Et merito. Etenim adversùs Parmenianum Carthaginenſem Donatiſtarum Archiepiſcopum, qui Domini carnem dixerat *Iordanis demerſam diluvio*, ſcripſit ſanctus Optatus Epiſcopus Milevitanus: *Satis inconſideratè hoc uſus es verbo. Quod verbum ſoli Pharaoni & ejus populo debebatur, qui pondere delictorum, tanquam plumbum, ita merſus ſit, ut ibi remanſerit. Chriſti autem caro, dum in Iordane deſcendit & aſcendit, demerſa à te dici non debuit.*

De baptizantibus Apoſtolis ſcribit in Libro de baptiſmo Tertullianus: *Nulla diſtinctio eſt, mari quis an ſtagno, flumine an fonte, lacu an* Cap. 4. *alveo diluatur. Nec quidquam refert inter eos, quos Ioannes in Iordane, & quos Petrus in Tyberi tinxit. Niſi & ille ſpado, quem Philippus inter vias fortuitâ aquâ tinxit, plus ſalutis aut minus retulit.* Et in ſecunda Apologia ſcribit de baptizandis Juſtinus Martyr: *Eò adducuntur à nobis, ubi eſt aqua.* Utique ad mare, flumen, lacum, aut fontem. Et de ſancto Pontifice Victore habet liber Pontificalis: *Hic conſtituit, ut neceſſitate faciente, ubicumque inventus fuiſſet quicumque hominum ex gentibus veniens, ſive in flumine, ſive in mari, ſive in fonte, ſive in ſtagno baptizaretur, tantum Chriſtianæ credulitatis confeſſione declarata, integer efficeretur Chriſtianus.* Videntur aliqui de dato in communibus locis baptiſmo tunc dubitaſſe. Quod frequentiſſimùs olim fuerit iſte baptiſmus, demonſtrant plurima Martyrum antiqua Acta & exempla. Et de ſancto Gregorio Armeniorum Apoſtolo, quod centum & viginti millia baptizaverit in Eufrate, affirmat authentica ejus vita, & confirmat in prima Invectiva Iſaac ejuſdem gentis Patriarcha. Et Chriſtianorum etiam Regum temporibus plurimos deſideraſſe baptizari, & baptizatos fuiſſe in Jordane, eſt omnibus manifeſtum. Nam & magnus Conſtantinus, & magnus Baſilius id deſiderarunt. Quòd Hieroſolymæ Epiſcopus habuerit ſingularem, bapti-

Digitized by Google

baptizandis iſthuc advenis præfectum, Clerum affirmat in ſpirituali Prato ſanctus Sophronius ibidem Patriarcha.

Interim uti ſacras Baſilicas, ita & ſacra Baptiſteria habere ſemper ſtuduit atque habuit omnis ſub Cœlo Eccleſia. Et hæc poſt datam à magno Conſtantino pacem fuerunt ſplendidiſſima. Quod ipſa etiam gentiles venerarentur, & horrerent offendere, ſcribit ad Leonem Imperatorem, & Timothei Æluri, qui ſanctum Patriarcham Proterium illic præſumpſit occidere, facinus inde exaggerat Orthodoxa Ægypti Synodus. Exſtat epiſtola poſt Synodum Chalcedonenſem. Habuerunt Ep. 22. varia nomina. Dicta fuerunt concha, fons, balneum, piſcina. Eorum formam deſcribit in prima Myſtagogica Catecheſi S. Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus: *Ingreſſi eſtis in porticum domus Baptiſterii.* Et de novo S. Joannis apud Alexandriam Baptiſterio ſcribit Martyr Theophanes: *Hoc anno ſancti Ioannis nomine quadra figura conſtructum eſt opus Alexandriæ*, Fol. 98. *& baptiſmo luſtrandis adjunctum ædificium.* Et quod ampliſſima, variaſque habens Baſilicas, Tyriorum Metropolis non habuerit niſi unicum baptiſterium, in litteris ad Conſtantinopolitanam Agapeti Pontificis Synodum teſtatur Epiphanius ejuſdem civitatis Epiſcopus. Qui mos Fol. 95. etiamnum hodie viget in quibuſdam Civitatibus Italiæ. Quod olim apud quoſdam nulla ruſticana Parochia, ſed ſola Cathedralis Baſilica habuerit baptiſterium, evincunt multa exempla. Et ita fuiſſe Hieroſolymis, teſtatur ſpirituale Pratum S. Sophronii. Et tunc non niſi in Paſchate ac C. 165. Pentecoſte apud pleroſque, & apud paucos etiam in Epiphania licebat baptizari. Quare ampliſſima fuerunt iſta Baptiſteria.

Erant ad modum balnei & piſcinæ. Hinc enim de degradati ac ejecti S. Joannis Chryſoſtomi Clero, quod ab Eccleſia & baptiſterio interdictus ac excluſus baptizarit in Conſtantiniano balneo, teſtatur in dialogo cum Theodoro Romanorum Diacono Palladius Epiſcopus Helenopolitanus. Et in originum libris ſcribit S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus: *Fons in delubris eſt locus Regeneratorum, in quo ſeptem gradus in Spiri-* Lib. 19. *tus ſancti myſterio formantur. Tres in deſcenſu & tres in adſcenſu. Septimus vero* Cap. 4. *is eſt, qui & quartus, ſimilis filio hominis, exſtinguens fornacem ignis, ſtabilimentum pedum, fundamentum aquæ, in quo plenitudo Divinitatis habitat corporaliter.* Quæ ipſa verba apud S. Hieronymum habet epiſtola de ſeptem gradibus ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, atque ita lucet ipſam non eſſe S. Hieronymi. Eandem interim Latini fontis formam laudant apud Alcuinum Flaccum auctor libri de Eccleſiaſticis officiis, & Cap. 19. in animæ gemma Honorius Auguſtodunenſis. Et hinc intellige Benedictum Presbyterum in vita ſancti Damaſi Pontificis: *Sabbatho Paſchalis Feſtivitatis, dum turbæ ſe comprimerent ad baptiſmum, puerulus de manu Sa-*

*Sacerdotis delapſus eſt, atque in fonte demerſus. Et poſt ſpatium ferè unius horæ, dum ſperarent omnes jam mortuum, quidam Manſionarius ipſius Eccleſiæ, in fiduciam ſancti Damaſi projiciens ſe in fontem, ſanum & illæſum ſecum reduxit.* Alia ejuſdem Pontificis vita affirmat puerum jam baptizatum ex unius, qui Damaſo baptizanti miniſtrabant, Cardinalium manibus cecidiſſe, & *petiiſſe ima fontis.* Quòd nempè fons eſſet profundum balneum.

Et hocce balneum omnes baptizandi intrabant plenè ac naturaliter nudi. Et viri, & fœminæ. Et apud Latinos, & apud Græcos. Etenim in Eccleſiaſtica Hierarchia ſcribit de baptizante Epiſcopo antiquus ille quicumque Dionyſius: *Epiſcopus exuit eum, exſpoliatque per Miniſtros.* Et iterum: *Cum plenè veſtes Miniſtri detraxerunt, tunc Sacerdotes ſacrum Vnctionis oleum afferunt.* Elucidat in ſuo ad quartam Nazianzeni Gregorii orationem commentario Elias Cretenſis: *In Divino noſtro ortu, quemadmodum Sacerrimus Dionyſius inquit, ad Sacerdotem adducitur hic qui ſpiritali regeneratione donandus eſt, ipſe autem & pedes ejus, adhibita Miniſtrorum opera, calceis nudat, & univerſum corpus detegit.* Et in ſanctum Dionyſium Contemplator: *Epiſcopus eum, qui accedit, quaſi ſuperiori vitâ exuit, ad extremos uſque habitus exſpoliat.* Et de Georgii Cappadocis, in ſuam Alexandrinam Cathedram per Arianos intruſi, militari violentiâ ſcribit in litteris ad Africæ Epiſcopos ſanctus Athanaſius: *In ſacrum Baptiſterium Chriſticidæ Iudæi, & Athei Ethnici nulla cum reverentia ingreſſi, eam verborum & factorum turpitudinem nudatis corporibus deſignarunt, ut pudendum & abominandum ſit relatu.* Et Judæos & Gentiles Georgius ad expellendum Athanaſium aſſumpſerat adjutores. Et in ſecunda Myſtagogica Catecheſi declamat ad Neophytos S. Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus: *Statim ut ingreſſi eſtis, veſtem exuiſtis. Quod quidem exuti hominis antiqui cum operibus ſuis imago fuit. Atque ita exuti eratis nudi. Imitantes & in hoc eum, qui in Cruce nudatus fuerat, Chriſtum. Quâ ille nuditate Principatus & Poteſtates hujus ſæculi ſpoliavit, & magnâ confidentiâ in ligno de illis triumphavit.* Et in ſeptima decima communi Catecheſi: *Qui mergitur in aquas & baptizatur, undique ab aquis circumdatur.* Totus aquas intrat, utpotè totus nudus. Et in libro ancorato ſcribit S. Epi-
C.117. phanius: *Deus primùm in Moyſe calceamenta ſolvit. Tunc in Prophetis exteriorem tunicam exuit, cum Hieremiæ nihil præter Campeſtre reliquit. In Ioanne porrò omnia mundi veſtimenta rejiciens, cilicio è cameli pilis induit. Poſtremò in ipſo Salvatore, ipſiuſque Diſcipulis, mundi cultum omnem & habitum depoſuit, ac poſt aquarum expiationem ignis & ſpiritûs veſtibus cælitus induit.* Affirmat quòd Divina Providentia novi Teſtamenti Baptiſmum ita cœperit in Prophetis prænuntiare ac promittere, tandemque in ipſo Domino ac ejus Diſcipulis exhibuerit. Affirmat & Dominum & ejus Diſcipulos,

cipulos, dum baptizabantur, fuiſſe totos ſine Campeſtri nudos. Dominum *in Iordane ſtetiſſe nudum*, diſertè ſcribit in oratione adversùs Imperatorem Conſtantinum Caballinum S. Joannes Damaſcenus. Et Epiphanius pergit: *Aqua cum invocatione ſancta non unum dumtaxat hominis membrum occupat, ſed integrum prorſus repurgat, circumdat, ac malis omnibus exſolvit.* C.118. Et de baptizando magno Baſilio ſcribit in ejus vita antiquus Auctor: *Baſilius veſtes exuit, & cum eis planè deponit veterem hominem. Sic demum deſcendit in aquam.* Vox, *Planè*, aſſerit plenam ſine Campeſtri nuditatem. Et de patratis in ſua expulſione violentiis queritur apud S. Pontificem Innocentium S. Joannes Chryſoſtomus: *Mulieres, quæ per illud tempus ſe exuerant ut baptizarentur, metu gravis iſtius incurſûs nudæ aufugerunt. Neque enim concedebatur ut ſe velarent, ſicut mulieres honeſtas decet.* Uti S. Athanaſius, ita & S. Chryſoſtomus fuit in nocturno ac Paſchali Baptiſmatis miniſterio invaſus. Et in quadrageſima ſuprà primam ad Corinthios epiſtolam Homilia ſcribit idem Chryſoſtomus: *Dimittimur in fontem ſacrorum fluentorum.* Utique toti. Quòd aqua etiam faciem noſtram circumfluat, teſtatur in Homiliis ſuper S. Matthæi Evangelium. Et adversùs Petrum Apameënſem Epiſcopum, ſuum ſecundæ Syriæ Metropolitam, depoſuit in Conſtantinopolitana Agapeti Pontificis Synodo Stephanus Presbyter: *Cum eſſemus* Cap. 3. *in Baptiſterio Neophytarum, ſine tunicis & calceamentis exiſtentium*, &c. Et in ſancti Sophronii ſpirituali Prato narrat de Conone apud Jordanem Presbytero atque Baptiſtâ Abbas Athanaſius: *Cum eſſem in Monaſterio Penthucata; Presbyter quidam erat ad Baptiſmi miniſterium, Conon nomine, genere Alexandrinus, quem pro vitæ merito Patres juſſerant, ut baptizaret accedentes. Ipſe igitur ſancto Chriſmate ungebat & baptizabat eos, qui ad hoc veniebant. Quoties ergò mulierem inungebat, ſcandalizabatur, atque ideò ex Monaſterio abſcedere volebat. Cùm autem eâ cogitatione pulſabatur, aſſiſtebat ei S. Ioannes Baptiſta, dicens: Tolera, & perſevera, & ego te de hoc bello liberabo. Quâdam verò die venit puella ex Perſide ut baptizaretur, quæ adeò ſpecioſa erat ac tantæ pulchritudinis, ut non poſſet Presbyter tam nudam ſancto oleo ungere. Cùm ſic verò puella illic manſiſſet per duos dies, audiens hoc Archiëpiſcopus Petrus, obſtupuit de Sene vehementer, voluitque ad hoc opus delegare Diaconiſſam, ſed non fecit, ne contra Canones feciſſe videretur. Conon verò Presbyter ſumptâ melote ſuâ receſſit, dicens: Iam non amplius in hoc loco manebo. Cùm ergò exiiſſet ad colles, ecce S. Ioannes Baptiſta obvius illi factus eſt, & tranquillâ voce affatus eſt illum, dicens: Revertere ad Monaſterium tuum, & hoc te bello levabo. Abbas verò Conon ait illi cum indignatione: Verè non revertar. Ecce enim jam toties pollicitus es mihi iſtud, nec feciſti. Tunc S. Ioannes eum ſedere fecit, amotiſque veſtimentis ejus, ſignavit eum ter ſigno*

*Crucis ſub umbilico, dixitque ei: Crede mihi, Presbyter Conon, volebam te ob hanc pugnam mercede donari, ſed quia non vis, ecce abſtuli à te hoc bellum, mercede autem hujus operis carebis. Reverſus Presbyter in Cœnobium, ubi baptizare conſueverat, in craſtinum unctam Puellam baptizavit, neque penitùs animadvertit eam eſſe naturâ mulierem. Implevit autem & alios annos duodecim in baptizandi miniſterio, tantâ tranquillitate, animi & corporis, ut nullum ultrà ſentiret carnis motum, neque mulierem naturâ videret.* Baptizandæ igitur etiam mulieres erant naturâ nudæ. Nec ſine cauſâ in unctione potiùs, quàm in ablutione Conon turbabatur: Græci enim
C. 176. baptizandos inungunt toto corpore. Aliud ſimilis nuditatis exemplum refert in eodem Prato Abbas Palladius. Et de Iberorum & Colchorum ritibus ſcripſit ad Urbanum octavum Pontificem Petrus Avitabolis, Apoſtolicus iſtic Miſſionarius: *Baptiſmi Sacramentum hoc modo conferunt. Exuitur veſtibus infans, & totus diligenter abluitur.*

Eadem nuditas olim viguit apud Latinos. Hinc pictura, quæ magni Conſtantini à S. Sylveſtro Baptiſmum repræſentat in Lateranenſi Romanorum Baſilica, illum exhibet naturaliter nudum. Et ita fuiſſe omninò factum, apud Simeonem Metaphraſten teſtatur ejuſdem Pontificis vita: *Cum Imperator lætus probrum carnis ſuæ*, id eſt, lepram *ſubjeciſſet oculis, & unctus fuiſſet S. Chriſmate, ingreſſus eſt piſcinam.* Nec deſunt alia antiquiora teſtimonia. Etenim in libris de Spiritu ſancto ſcribit
Lib. 1. Cap. 6. S. Ambroſius: *In illo aquarum ſepelimur elemento, ut renovati per ſpiritum reſurgamus. In aqua enim eſt imago mortis, ut per aquam moriatur corpus peccati, quæ quaſi quodam tumulo corpus includit.* Sancti Joannis Apoſtoli locum, *Tres ſunt qui dant teſtimonium in terra, Spiritus, aqua, & ſanguis*, allegat, & proſequitur: *Aqua eſt teſtis ſepulturæ.* Quòd nempè totus homo intraret baptiſmale balneum, atque ita Dominicam repræſentaret ſepul-
Tr. 56. turam. Quòd nudus tunc intraret, palam affirmat in Tractatibus ſuper S. Joannis Evangelium B. Auguſtinus. Domini verbum, *Qui lotus eſt, non opus eſt ut pedes lavet*, exponit, atque adjungit: *Quid putatis, niſi quia homo in ſancto Baptiſmate totus abluitur, non præter pedes, ſed totus omnino.* Et ad Imperatorem Juſtinianum ſcribit Facundus Hermianen-
Lib. 4. Cap. 4. ſis Epiſcopus: *Sed & ipſam tanti myſterii, quæſo, conſideres actionem. Quemadmodum lavacro regenerationis abluendi, in conſpectu Dei & ſanctorum Angelorum ſtemus, occultum dedecoris Eccleſiâ teſte damnantes. Nihil ibi obtectum, nihil abſconditum fuit. Exſpoliato denique corpore, magnum illud fidei percepimus, & ſervare ſpopondimus Sacramentum. Et non ſolâ voce, verùm etiam totius habitu corporis profitemur exuiſſe nos veterem hominem cum actibus ſuis.* Quòd nempè ſimus plenè nudi. Et antiquus Ordo Romanus habet: *Cùm veſtiti fuerint Infantes, Epiſcopus eos confirmet.* Nempè nudi fontem intra-

intraverant. Quod ipſum ſcribit apud Alcuinum Flaccum liber de Eccleſiaſticis officiis. Et de ſancto Othone Bambergenſi Epiſcopo, converſos ad Chriſtum Pomeranos baptizante, ſcribit Andreas S. Michaëlis Bambergenſis Abbas: *Cum ad ſtadium Catechiſmi turbæ venirent, ſermone, qui talibus competeret, Epiſcopus eos omnes alloquens, ſexumque à ſexu dextrorſum & ſiniſtrorſum ſtatuens, Catechizatos oleo perunxit. Deindè ad baptiſteria digredi mandat. Igitur ad introitum cortinæ venientes, ſinguli cum patrinis ſuis tantum intrabant, ſtatimque veſtem, quâ fuit amictus is, qui baptizandus erat, & cereum, illo in aquam deſcendente, patrini ſuſcipiebant, & antè faciem ſuam illam tenentes exſpectabant, donec eam redderent de aqua exeunti. Sacerdos verò, qui ad cuppam ſtabat, cum audiſſet potius, quam vidiſſet, quod aliquis eſſet in aqua, velo paululum amoto, trina immerſione capitis illius myſterii Sacramentum perfecit, unctum liquore Chriſmatis in vertice, & alba impoſita, reductoque velo, de aqua juſſit exire baptizatum, patrinis veſte, quam tenebant, illum cooperientibus, atque deducentibus. Hic modus, hæc ſpecies, hic ordo nobis fuit baptizandi viros & mulieres, & pueros adultos, qui à Sacerdotibus in aquam levari non poterant.* Nempè parvulos ipſe Presbyter propria manu mergebat ac elevabat. Pergit Michaël, vel potius apud Michaëlem Siffridus S. Othonis aſſiſtens Presbyter: *Neque tunc Othonis diligentia, quod tempori commodum eſſet, invenire neglexit. Nempè in ſtubis calefactis, & in aqua calida, eodem nitore atque verecundiæ obſervatione, infoſſis doliis, & cortinis adhibitis, thure quoque & aliis odoriferis ſpeciebus cuncta teſpergentibus, veneranda baptiſmi confecit Sacramenta. Nec mirum te iſta mirari. Etenim qui ea vidimus, mirabamur & ipſi tam hæc, quam alia complura morum ejus & virtutum inſignia.* Humanæ verecundiæ ac reverentiæ cauſâ baptiſmum de nocte celebrabat antiquitas: Et aptas officinas ac porticus habebant baptiſteria. Hæc quia needum erant apud Pomeranos, terræ infoſſa & cortinis velata vaſa adhibuit S. Otho. Anguſta erant: Ideoque ipſa, quod fiebat in baptiſteriis, baptizans Presbyter cum baptizandis non intrabat. De parvulorum apud Græcos baptiſmo ſcribit repertus Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores Tractatus: *Græci aquam mandant fieri calidam infantulum perpurgaturam. Quod neque Chriſtus, neque quiſquam diſcipulorum feciſſe legitur. Quare duo baptiſmata faciunt, cùm ſcriptum ſit: Unus Dominus, unum Baptiſma, una Fides.* Quod ſit imperita ac frivola calumnia, demonſtrat factum ſancti Othonis. Sub ſeptimi Gregorii Pontificatu Otho floruit, atque ita lucet baptizandorum nuditatem plenè tunc adhuc viguiſſe. Quin & in Theologicæ Eruditionis Summa Hugo de ſancto Victore affirmat baptizatos ab omni & culpa & futuræ vitæ pœna liberari, ideoque ſtatim à baptiſmo morientes non tranſire per ullum Purgatorium, & proſequitur: *Si opponitur,*

Lib. 2. cap. 15.

Tract. 5 *ponitur, quod nullum peccatum ſit impunitum, dicimus quod ipſa contritio,*
Cap. 7. *mors quoque, ipſa etiam erubeſcentia, quam patitur dum nudus baptizatur, non relinquunt peccatum impunitum.* Eſt traditio Apoſtolica. Quod enim & baptizandus Eunuchus, & baptizaturus Philippus in aquas deſcenderint, ſcribit ſanctus Lucas in Apoſtolicis Actis. Quem locum rectè commentatur Joannes Gagnæus: *Eunuchus ideò non erubuit coram familia nudari, quia peccata ſua coram Deo non erubeſcebat propalari.* Etiam ipſe Dominus, adeoque & alii omnes fuerunt ita à Joanne baptizati. Et non ſola Apoſtolorum Scripta, ſed & ipſorum Geſta eſſe nobis diſciplinæ regulas, rectè affirmat in libris de compunctione cordis ſanctus Joannes
Lib. 1. Chryſoſtomus. Et hinc baptizans Miniſter ſemper etiam intravit fon-
Cap. 8. tem. Ita demonſtrat lapſus è Cardinalis manu puer, & diſertè affirmat Innocentius primus in Reſponſis ad Epiſcopos Gallicanos. Porrò ritum hunc apud Latinos non ſervari amplius, ſuprà nobis dixit Petrus Calaber. Quo tempore mutari cœperit, ignoro. Poſt Victorini Hugonis tempora cœpit pedetentim decreſcere, & tandem plenè eſt exſtinctus.

Et hinc intelliges quæ de Elpidiphoro, Apoſtata noſtro ac tortore, & de Muretta Carthaginenſis Eccleſiæ Diacono, ſcribit in libris de
Lib. 3. Wandalica perſecutione ſanctus Victor Vitenſis Epiſcopus: *Elpidiphorus fuerat apud nos in Eccleſia Fauſti baptizatus, quem venerabilis Muretta Diaconus de alveo fontis ſuſceperat generatum.* Etiam hunc torquere non erubuit Apoſtata, pergitque Victor: *Cum Muretta, Elpidiphoro ſedente & frem̃ente, honorabilis Senior cœpiſſet extendi, priuſquam exueretur, clam furto, neſcientibus cunctis, illa quibus eum de fonte ſuſcipiens dudum texerat Sabana bajulabat. Quibus ventilatis, ſimulque in oſtenſione cunctorum extenſis, in his verbis totam dicitur ad fletum & lacbrymas commoviſſe civitatem: Hæc ſunt linteamina, Elpidiphore Miniſter erroris, quæ te accuſabunt, dum Majeſtas venerit judicantis, cuſtodiente diligentia mea ad teſtimonium tuæ perditionis, ad demergendum te in abyſſo putei ſulfurantis. Hæc te immaculatum cinxerant de fonte ſurgentem. Hæc te acrius perſequentur, flammantem gehennam cum cœperis poſſidere, quia induiſti te maledictionem ſicut veſtimentum, ſcindens atque amittens veri baptiſmatis ac fidei Sacramenta.* Et in litteris ad Januarium Calaritanum Archiëpiſcopum magnus Gregorius laudat *album byrrhum,*
Lib. 7. quo *Petrus*, ex Judæo novellus Chriſtianus, *de fonte reſurgens indutus*
Indict. *fuerat.* Arguit Petrum, quòd cum Dominicæ crucis ſigno, & Deipa-
2. ræ Virginis Imagine ſuum quoque Sabanum in Judæorum Calaritana
Epiſt. 5. Synagoga, tamquam immobiles illius occupatæ titulos, in ipſo Paſchali die ſolemniter ac violenter collocaſſet. Et in quarto Dialogorum libro ſcribit de quodam Centumcellenſis Eccleſiæ Presbytero: *Invenit virum,*

qui

Digitized by Google

*qui de pedibus calceamenta abſtraheret, veſtimenta ſuſciperet, & exeunti de balnei caloribus ſabana præberet.* Et ad Pippinum Francorum Regem reſcribit Paulus primus Pontifex: *Sodalitatis veſtræ illuſtris Miſſus pretioſiſſimum nobis ſupernæ gratiæ munus attulit, Sabanum videlicet, in quo noſtra dulciſſima ſpiritualis filia, ſacratiſſimo lavacro abluta, ſuſcepta eſt. Quem & cum magna jucunditate, aggregata populi cohorte, infrà aulam ſacrati corporis auxiliatricis veſtræ B. Petronillæ, celebrantes Miſſarum ſolemnia, cum magno gaudio ſuſcepimus, & per allatum eundem ſabanum eam tanquam præſentialiter ſuſcepiſſe gaudemus.* Et in libro de Virginis laudibus venerabilis Adelmus: *In ſabanis & ſindonibus bajulabantur ægroti.* Et de Walderico Laudunenſi Epiſcopo, quem ſui Cives trucidaverant ac inſepultum projecerant, ſcribit in libris de ſua vita Guibertus Novigenti Abbas: *Quia nudus jacuerat, jubetur tandem levari, & ſabano ſuperjecto ad ſanctum Vincentium deportari.* Quocircà Sabanum erat grande linteamen, quo quis nudus de balneo egrediens excipiebatur & coöperiebatur. Etiam è baptiſmali balneo olim egrediebamur nudi, ideoque ſabano excipiebamur per Diaconum: Et iſtud videtur in Eccleſia ſolemniter remanſiſſe, ac fuiſſe ſervatum. Epiſt. 6.

Et hæc nuditatis diſciplina ſervata olim fuit etiam in privato baptiſmo. Etiam in baptiſmo infirmorum. Etenim de Siſinnio Romanæ Eccleſiæ Diacono, neſcio quem Apronianum privatim baptizante, apud Laurentium Surium habent S. Marcelli Pontificis Acta: *Eâdem horâ, allata eſt aqua, & catechizavit eum, & benedixit fontem, & nudum depoſuit eum in pelvim.* Et de S. Laurentio Archidiacono, nobilem virum Lucillum baptizante, habet iſtius Vita: *Cùm exſpoliaſſet eum, fudit aquam ſuper caput ejus.* Et de Cyriaco Diacono, Jobiam Perſarum Regis filiam baptizante, dicunt S. Marcelli Acta: *Fecit eam Catechumenam more ſolito, & catechizavit eam, & allatâ aquâ depoſuit eam nudam in concham argenteam.* Et de nobili viro Tranquillino, quem graviſſimâ podagrâ afflictum baptizavit Polycarpus Presbyter, habent Acta S. Sebaſtiani: *Poſt hos Infantulos Tranquillinus adductus eſt, adeò podagrâ & chyragrâ conſtrictus, ut vix manibus portaretur. Hunc cum exuerent indumentis, & ille intolerabili ſe diceret torqueri dolore, interrogavit eum Polycarpus Presbyter, num ex toto corde crederet unigenitum Filium Dei, Dominum noſtrum* Jesum-Christum, *poſſe ipſi ſalutem conferre. Statimque ut reſpondit, Credo, reſolutæ ſunt manus ejus, quæ erant nodoſæ, & genua ſimul, plantæque pedum ejus ita ſunt incolumes redditæ, ut velut parvulus renovatis pedibus ſuis in fontem deſcenderet.* Et de illo Judæo, quem in Arabiæ deſertæ itinere lethaliter infirmum pia comitum ſimplicitas ob aquæ defectum baptizavit in arena, ſcribit in ſpirituali Prato S. Patriarcha Sophronius:

 *Erexi-*

C. 176. *Ereximus illum, erectumque exuimus.* Et Paralyticum Judæum, qui poſt longa medicæ artis varia tentamenta cœpit à Chriſtiano Baptiſmo ſperare ſalutem, ad Baptiſterium in lecto portari juſſit, ac in fonte immerſit Atticus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, & divina gratia etiam in corpore ſanavit. Ita habes apud Socratem. Et in hoc more fundatum fuit dubium, quod ad ſanctum Cyprianum retulit Magnus: *Quæſiſti, Fili chariſſime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate & languore gratiam Dei conſequuntur, an habendi ſint legitimi Chriſtiani, eò quòd aquâ ſalutari non loti ſint, ſed perfuſi.* Nimia infirmitas quoſdam faciebat clinicos, ideoque nec nudari totos aut lavari, ſed dumtaxat perfundi permittebat aut adſpergi. Et de tali Baptiſmo etiam tunc aliqui dubitabant. Quin immò dubitaſſe videtur cum ſua Romana ſexaginta Epiſcoporum Synodo etiam S. Papa Cornelius. Etenim de Novatiano clinico ſcribit ad Fabium Antiochiæ Patriarcham: *Aquam petiit. Quâ in ipſo lecto, ita ut decumbebat, perfuſus, baptizatus ſcilicet eſt. Si quidem huiuſmodi tinctionem Baptiſmum vocari licet.* Quod nempè conſueta tunc diſciplina etiam infirmos cogeret nudari, ac nudos lavari.

Baptizandi ſtabant erecti in fonte. Hinc Patrem ſuum, dum baptizandus genua flexit per ſimplicitatem, videntibus dediſſe futuri ſui Epiſcopatus præſagium, teſtatur S. Gregorius Nazianzenus. Utroque enim genu flexo conſecramur in Epiſcopos. Et ſtantes à baptizante non tantùm perfundebantur aut tingebantur, ſed omninò mergebantur. Ad Domini verbum, *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, ſcribit in opere de Baptiſmi ritibus Joſephus Vice-comes: *Divinarum litterarum peritis dubium non eſt, Chriſtum verbo*, Baptizantes, *merſionem intellexiſſe.* Et firmat auctoritate Hieremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani. At virum labi, abundè evincit laudata ſancti Cypriani ad Magnum Epiſtola. Ablutionem, quam Dominus iſtic intellexit, etiam omnino præcepit, adeoque ſi merſionem intellexerit, certum eſt adſperſionem non ſufficere. Et iſtius Hieremiæ auctoritas eſt ſchiſmatica, latinis moribus inimica, ad probandum infirma. Interim qui ſanctum Petrum Apoſtolum, dum uno die baptizavit tria hominum millia, exiſtimant fuiſſe uſum adſperſione, temerè conjecturant. Fecit Petrus, quod poſteà fecit & ſanctus Gregorius Armeniorum Apoſtolus, qui ſcribitur eodem die duodecim millia baptizaſſe in Euphrate. Plura ſunt hujuſmodi exempla. Quòd ſanctus Petrus SimonemMagum, non adſperſerit aut perfuderit, ſed omninò immerſerit, diſertè teſtatur in ſuarum catecheſium præfatione ſanctus Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus: *Magi quidem corpus lavit aqua, cor autem non illuſtravit Spiritus. Deſcendit quidem corpus & ad-*

ad-

Digitized by Google

*adſcendit, anima verò non eſt conſepulta Chriſto, neque cum illo reſurrexit.* Eleganter depingit informe Sacramentum. Ritus iſtius cauſam inſigniter exponit in Paſchali, per Franciſcum Combeſis vulgato ad Neophytos ſermone ſanctus Athanaſius: *Reſurrectionis tibi arrhabo facta eſt gratiæ initiatio. Baptiſma eſt tibi pignus futuræ in Cœlo vitæ. Merſione imitatus es Domini ſepulturam. Rursùs verò emergens reſurrectionis opera adſpexiſti, cum necdum opera exhibuiſſes. Quorum vidiſti ſymbola, eorum quoque res accepta ac proba.* Adducit S. Pauli ad Romanos verba: *Si complantati facti ſumus ſimilitudini morti ejus, etiam reſurrectionis erimus.* Et pergit: *Pulchre illud, Complantati. Baptiſmus quippè plantatio eſt immortalis vitæ, Piſcina aquis edita, & Cœlo fructificans. Illic gratiæ Spiritus arcanâ ratione operatur. Neque te naturæ cognatio in miraculi ignorationem impellat. Aqua ad uſum miniſtrat. Quod in Piſcinam mittitur, in ea novum, tanquàm in vulva formatur. In aqua, haud ſecus ac in fornace deſcendentem conſlat. Immortalitatis ei, ſeu deſponſationis jure, pignora tribuit. Reſurrectionis præbet ſignaculum.* Baptiſmo ineſſe affirmat varia Dei dona, myſteria, Sacramenta: Regenerationis, innovationis, deſponſationis, Dominicæ ſepulturæ, ac reſurrectionis. Merſio ſepulturam repræſentat, emerſio reſurrectionem. Laudatum Apoſtoli locum eodem modo intelligunt & alii paſſim Patres, atque ita lucet iſtum baptizandi ritum eſſe traditionem Apoſtolicam.

Nec ſolummodò unicam, ſed omninò trinam immerſionem omnis uſitavit Antiquitas. Etenim in libro adversùs Praxeam ſcribit Tertullianus: *Dominus Apoſtolis mandat, ut tingerent in Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, non in unum. Nam nec ſemel, ſed ter ad ſingula nomina in Perſonas ſingulas tingimur.* Et in libro de corona Militis enumerat plures Eccleſiæ antiquiſſimas traditiones, & adjungit: *Ter mergitamur.* Quod ipſum ſcribit in libro de Spiritu ſancto magnus Baſilius. Etiam affirmat eſſe vetuſtiſſimam traditionem. Et adjungit in epiſtola ad S. Amphilochium: *Doctrina de elevatione in Baptiſmate neſcio qua tibi emerſit interrogare. Si tamen ſuſcepiſti trinam demerſionem, typum trium dierum expleſti. Baptizari enim tales impoſſibile eſt, niſi toties eleventur.* Baſilii mentem eleganter exponit in litteris ad Siciliæ Epiſcopos magnus Leo. A magno Athanaſio laudatum Apoſtoli locum adducit integrum: *An ignoratis, quia quicumque baptizati ſumus in* CHRISTO JESU, *in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem, ut quomodo ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus.* Et proſequitur: *Quæ geruntur in membris, his quæ in ipſo capite geſta ſunt, congruunt, dum in Baptiſmatis regula & mors intervenit interfectione peccati,*

Cap. 26. Cap. 3. Cap. 27. Ep. 391. Ep. 4. Cap. 3.

*& ſepulturam triduanam imitatur trina demerſio , & ab aquis elevatio eſt reſurgentis ad inſtar de ſepulchro.* Uti trina demerſio , ita & trina fit elevatio. Hinc S. Amphilochius hæſitavit & quæſivit , quomodò ipſa unicam Domini reſurrectionem repræſentaret. Et Baſilius repoſuit unicam omninò fore congruentiorem , verùm quoniam cum illa cohærere non poſſit trina demerſio , ideò nos ad tertiò etiam elevandum obligari. Innumera ſunt & Græcorum & Latinorum Patrum de hoc ritu teſtimonia , ideoque ipſum eſſe Inſtitutum Apoſtolicum , non eſt dubitandum. Laudatum Apoſtoli locum de ipſo conſtanter intelligunt. In Sermone , quem ſuo Decreto inſeruit S. Ivo Carnutenſis Epiſcopus ; B. Auguſtinus addit , quòd trina demerſio nobis rememoret etiam tres Divinitatis Perſonas. Et ſuper quartum Apoſtolicæ ad Epheſios epiſtolæ caput ſcribit S. Hieronymus : *Ter mergimur , ut unum Trinitatis appareat Sacramentum.* Nempè uti tres Perſonæ ſunt unus Deus , ita tres merſiones conſtituunt unum Baptiſmum.

Part. 1. C. 194.

Ritum mutare primus incœpit puri puti Arianiſmi Reſuſcitator , & ſuæ factionis apud Cyzicum Helleſponti Metropolim Epiſcopus Eunomius , de quo ſeptimus Canon Conſtantinopolitanæ Synodi : *Eunomiani in unam demerſionem baptizant.* Et vulgaris Apoſtolorum Canon : *Si quis Epiſcopus aut Presbyter non trinam merſionem unius myſterii celebret , ſed ſemel mergat in Baptiſmate , quod dari videtur in Domini morte , deponatur.* Ex quo lucet hoſce Canones non eſſe omnes Apoſtolicos , ſed ipſorum collectionem eſſe Eunomio poſteriorem. Et Hermias Zozomenus ſcribit : *Quidam memorant Eunomium primum auſum eſſe aſſerere divinum Baptiſmatis lavacrum unicâ immerſione debere peragi , ſicque traditionem ab Apoſtolorum temporibus ad hoc uſque tempus obſervatam violaſſe. At veriùs , credo , uti etiam aliis videtur , dicunt hi , qui tradunt Theophronium Cappadocem , & Eutychium , iſtius Sectæ fautores , cum ſe ab Eunomio diviſiſſent , nonnulla cum aliis Eunomii Decretis , tum in ſacro Baptiſmate novare cœpiſſe , non in Trinitatem , ſed in Chriſti mortem eſſe baptizandum aſſerentes. Eunomium autem hâc in re nihil novaſſe.* Alias Theophronii & Eutychii nugas in ſequenti libro latiùs exponit. Et in quarto hæreticarum fabularum libro Theodoretus : *Eunomius ſancti Baptiſmatis legem olim à Domino & Apoſtolis traditam evertit , & contrariam apertè ſanxit , dicens non oportere ter illum immergere qui baptizatur , nec invocare Trinitatem , ſed ſemel baptizare in Chriſti mortem. Baptizantes verò uſque ad pectus aquâ madefaciunt , reliquis autem partibus tanquàm execrandis aquam adhibere prohibent. Qua de cauſa , quando in ſolio baptizabant , hominem extrà illud ſtatuentes , ejus caput uſque ad pectus ſemel in aquam deprimebant. Poſtquàm autem contigit ſauciari quempiam capite ad ſolium alliſo , aliud genus baptiſmatis excogitarunt. In ſubſellio enim quodam*

Can. 50. Lib. 6. Cap. 26. Lib. 7. Cap. 17.

Digitized by Google

*quodam pronum extendentes, & extrà illud caput erigentes, aquam infundunt, quæ nullum aliud membrum attingit. Quidam verò illorum alium etiam Baptiſmatis modum invenerunt. Tæniam enim longiſſimam præparantes, & hanc conſecrantes, ea hominem uſque ad ungues involunt, à pectore incipientes, atque ita deindè aquam infundunt. Hæc autem indicarunt, qui eorum impietatem fugientes, Dei noſtri ovibus ſe adjunxerunt.* Conſonat S. Epiphanius: Lib. 76. Cap. 6. *Eunomius eos, qui baptizati jam fuerunt, iterum baptizat, non modo qui à Catholicis aut ab aliis hæreſibus, ſed eos etiam qui ab ipſiſmet Arianis deficiunt. Repetiti verò illius Baptiſmi ea formula eſt: In nomine Dei increati, & in nomine Filii creati, & in nomine Spiritûs ſanctificantis, & à creato Filio procreati. Atque ut tota illorum fraus, ac ſcenicæ velut artes, & fallaciæ penitus appareant, & id omninò conſtet non fidem eſſe quod illi prædicant, ſed Hiſtrionum officinam, ſunt qui narrent, quotquot ab eis denuò baptizantur, in caput demergi, pedibus in ſublime porrectis.* Et in Eccleſiaſtica Hiſtoria Anaſtaſius Bibliothecarius: Fol. 35. *Impius Eunomius præſumpſit in una merſione Baptiſmum celebrare, non in Trinitate, ſed in morte Chriſti oportere baptizari dicens. Et eos, qui in Trinitate baptizati erant, rebaptizabat.* Quod ipſum eiſdem ferè verbis ſcribit S. Theophanes.

Proindè varius fuit Eunomii exceſſus. Primò, quòd Apoſtolicum trinæ immerſionis ritum mutaret in unicam. Secundò, quòd immerſionis modum mutaret. Nec enim ſtantes, ſed in ſolio ſedentes aut jacentes mergebat. Nec totos, ſed à ſolo capite uſque ac pectus. Et hoc capite inverſo. Nempè inferiores partes eſſe execrandas & ſacrâ lavatione indignas cenſebat, forſan cum Paternianis aut Venuſtianis, de quibus ſcribit in Hæreticorum catalogo S. Auguſtinus: *Paterniani inferiores partes humani corporis non à Deo, ſed à Diabolo factas opinantur, & omnium ex illis partibus flagitiorum licentiam tribuentes, impuriſſimè vivunt.* Tertius Eunomii exceſſus fuit mutatio inſtitutæ à Domino Baptiſmalis formæ. Et hinc Theodoretus affirmat ab ipſo mutatam non dumtaxat Apoſtolicam, ſed & ipſius Domini traditionem. Et quidam in Domini mortem, quidam in relatam à S. Epiphanio blaſphemiam baptizarunt. Prior impietas fuit apud illos frequentior. Hinc enim laudatus Apoſtolorum Canon adjungit: *Non dixit Dominus, In morte mea baptizate, ſed Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.* Hinc item Conſtantinopolitana Synodus, Hermias Zozomenus, ac alii antiqui Scriptores Eunomianum Baptiſma cenſuerunt nullum ac exufflandum. Theodorus Balſamon & alii hodiè Schiſmatici Græci peſſimè exiſtimant unicam quorumdam hodiè Latinorum immerſionem ab eiſdem prædamnari ac exufflari.

Egregiè hoc lucet ex Reſcripto Pelagii ſecundi Pontificis ad Gauden-

tium

tium Epiſcopum. In Illyrico circà Syrmium ac Singidunum graſſabantur Hæretici Bonoſiani, & in unica baptizabant merſione: Quidam in ſolius Chriſti nomine, quidam in nomine trium Divinarum perſonarum. Hinc de redeuntibus ad Eccleſiam Gaudentius hæſitavit: An per novum baptiſma eſſent admittendi, an per ſolam pœnitentiam? Et Pontifex reſpondit: *Si revera hi de præfatis hæreticis, qui in locis Dilectioni tuæ deſtinatis commorari dicuntur, ſolummodò ſe in nomine Domini baptizatos fuiſſe forſitan confitentur, ſine cujuſdam dubitationis ambiguo eos ad Catholicam fidem venientes ſanctæ Trinitatis nomine baptizabis. Sin verò apud Dilectionem tuam eorum qui converti volunt, manifeſta confeſſione claruerit, quòd in Trinitatis nomine fuerint baptizati, ſola conciliationis gratia impenſa, Catholica reconciliare fidei maturabis.* Palam cenſet à ſolo trinæ demerſionis defectu Baptiſmum non invalidari. Unicæ tamen merſionis uſum nequa-

Par. 1. Cap. 161. quam probat aut admittit. Exſtat epiſtola in Decreto S. Ivonis. Et hinc diſcimus varia. Primò, quòd unicæ merſionis audacia ab Eunomio tranſierit etiam ad Bonoſiacos. Hæretici enim, licèt jurati invicem hoſtes, adverſus Eccleſiam ſunt per caudas colligatæ vulpes, faciles ad mutuam exceſſuum confuſionem. Attamen factæ hujus confuſionis ac traducis modum ac originem ignoro. Secundò diſcimus, cur datum à Bonoſiacis baptiſmum quædam ratum, quidam Synodi ducant irritum. Quod nempè iſtorum quidam in ſolius Chriſti, quidam in omnium trium perſonarum nomine baptizarent. Tertiò diſcimus, quòd datum in ſolius Chriſti nomine baptiſmum Romana Eccleſia ſemper duxerit irritum, nec unquam crediderit ſanctos Apoſtolos ita baptizaſſe. Quare ſanctus Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, adverſam ſententiam conſtanter defendens in libro de Synodis, non eſt admittendus. Quartò diſcimus, quod Bonoſiaci graſſati fuerint circà Syrmium præſertim ac Singidunum, adeòque Bonoſus videatur fuiſſe Syrmienſis Epiſcopus ſucceſſor Photini.

Eunomii audacia non tranſiit ad alios Arianos. Etenim inter Arianos ac Eunomianos diſertè diſtinguit ſeptimus Conſtantinopolitanus Canon: Illos per Chriſma mandans admitti in Eccleſiam, nihil culpat in ipſorum baptiſmate. Attamen trinæ merſionis ſignificatum illi corruperunt. Bonoſiaci fuerunt Sabellii ſoboles. Hinc ad profitendam unicam Domini Dei & naturam & perſonam quæpiam ipſorum factio aſſumpſit unicam merſionem. Adverſi illis Ariani trinam retinuerunt, non ad triduanam Domini ſepulturam, nec ad trinam unicæ Deitatis perſonam, ſed ad profitendam trinam & perſonam & naturam. Et ab Eudoxio Conſtantinopolitano Epiſcopo ad Arium tranſverſi Gothi impietatem hanc ſecum traduxerunt in Hiſpanias. Et virtute & eruditione

magnos

Digitized by Google

magnos Epiſcopos habuit tunc Hiſpania, qui & ſuo circa hæc officio non defuerunt. Trinam merſionem, licèt Apoſtolicum Inſtitutum, quòd illi ſuam lepram ſubintruſiſſet Ariana perfidia, circumſcripſerunt, induxerunt unicam, atque ita ſuos Orthodoxos Hiſpanos ab Arianis Gothis ſepararunt, diſcreverunt, & cuſtodierunt. Audiamus rem à magni Gregorii ad ſancti Leandri Hiſpalenſis Archiëpiſcopi & Gothorum Apoſtoli relationem Reſcripto: *De trina merſione baptiſmatis* Lib. 1. *nihil reſponderi verius poteſt, quàm quod ipſi ſcripſiſtis. Quia in una fide nihil* Epiſt. *efficit ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo diverſa. Nos autem quòd tertiò mergimus, tri-* 41. *duanæ ſepulturæ Sacramenta ſignamus, ut dum tertio infans ab aquis educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur. Quòd ſi quis forte etiam pro ſummæ Trinitatis veneratione æſtimet fieri, neque ad hoc aliquid obſiſtit baptizando ſemel in aquis mergere. Quia dum in tribus perſonis una ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt, infantem in baptiſmate in aquam vel ter vel ſemel immergere, quando & in tribus merſionibus perſonarum Trinitas, & in una poteſt Divinitatis ſingularitas deſignari. Sed quia nunc hûc uſque ab Hæreticis infans in baptiſmate tertio mergebatur, fiendum apud vos eſſe non cenſeo: Ne dum merſiones numerant, Divinitatem dividant; dumque quod faciebant faciunt, ſe morem noſtrum viciſſe glorientur.*

Aliud eſt propoſitio hæretica aut erronea, aliud propoſitio ſuſpecta, ſcandaloſa, aut piarum aurium offenſiva. Hanc propoſitionem, *S. Virgo eſt Chriſtipara*, quis dubitet eſſe Catholicam & Orthodoxam? Ipſam tamen quinta Synodus circumſcripſit & abolevit. Quòd nempè Neſtoriani, vocem *Deipara* averſati, eam in ſui erroris latibulum vertiſſent, & hunc ſub ipſa occultarent, uti lupum ſub ovina lana. Erant voces ſanctæ & puræ, verùm ad ſancta & profana, ad pura & impura ſenſa ambidextræ: Et ob intruſum Neſtorii virus malè olere cœperant, eſſe periculoſæ & ſcabioſæ. Paſſæ ſunt iſtud ipſum, quod patitur munda veſtis ab intruſo ſcabioſo corpore. Et hinc non ſanum illis inditum à ſanctis Patribus ſenſum damnavit, ſed ipſas dumtaxat ab omni fideli ore deinceps proſcripſit laudata Synodus, ſanciens omnem ipſis poſt hac uſurum fore malè olidum, & ſuſpectum de Neſtorio, aut etiam convictum. Quam poteſtatem habet, & frequenter exercuit Eccleſia circa bonas item actiones, etiam circà elementa Sacramentalia. Etenim publicam populi ſub unica panis ſpecie communionem quis ignoret ſanctam, & etiam olim liberam ac uſitatam à multis gentibus? Verùm magni Leonis tempore & Manichæi & Priſcillianiſtæ ſunt ipſà abuſi. Quo Eccleſiæ ac Reipublicæ oculos & pœnas evaderent, ſe in Baſilicis junxerunt ſolum panem communicantibus fidelibus, atque ita iſtam communionem reddidère ſuſpectam. Hinc ipſam proſcripſit, & omnem

Italiæ atque Hiſpaniæ populum ad utriuſque ſpeciei ſumptionem adſtrinxit magnus Papa Leo, ſanciens omnem de ſolo panis elemento deinceps communicantem forè habendum & tractandum uti Manichæum aut Priſcillianiſtam. Plura ſunt hujuſmodi exempla. Dum Ariani Gothi occuparunt Hiſpanias, orthodoxi iſtius Diœceſis Epiſcopi eandem regulam cenſuerunt adſumendam circà trinam merſionem baptiſmatis. Ejus, licèt non elementa, tamen ſacra ſignificata Gothi mutaverant: Tres in Deo non tantùm perſonas, ſed & naturas blaſphemè profitebantur. Hinc iſtum, licèt ſanctiſſimum ac Apoſtolicum, ritum omittendum & circumducendum cenſuerunt providi Hiſpaniarum Epiſcopi, & unicam, quæ unam Divinæ Majeſtatis naturam profiteretur, merſionem induxerunt. Ita inter Romanorum in Hiſpania veram fidem & Gothorum perfidiam diſcreverunt.

Sanctus intereà Leander Richaredum Regem & omnem Gothorum in Hiſpania gentem perduxit ad Chriſtum Dominum & Catholicam Hiſpaniæ diſciplinam, atque ita etiam ad unicam merſionem. Ob duas præſertim rationes. Prima fuit, ne ipſorum antiquus de Divina eſſentia blaſphemus error deinceps haberet anſam aut fomentum. Et hanc rationem laudant adducta magni Gregorii verba: *Ne dum merſiones numerant, Divinitatem dividant.* Alteram edicunt hæc verba: *Ne dum quod faciebant faciunt, morem noſtrum ſe viciſſe glorientur.* Ut in plenè jam Catholica Hiſpania alii trina, alii unica merſione uterentur, non conveniebat: Nec item ut Hiſpani ad Gothorum morem accederent. Sic enim illis præberetur fundamentum, ex quo non ſe ab Hiſpanis, ſed Hiſpanos à ſe correctos jactitarent. Sic enim Hæretici conſueverunt. Hinc ergo etiam ipſis unicam merſionem ſanctus Leander impoſuit. Erat res magni ponderis. Etenim Gothorum; licèt ab ipſis vitiatus, ritus erat traditio ac lex Apoſtolica, Hiſpanorum autem mos erat novellum Inſtitutum, ideoque hic potiùs quam ille videbatur mutandus. Hinc gravem ac difficilem quæſtionem ſanctus Leander retulit ad ſedem Apoſtolicam, & ejus judicium ob adductas rationes probavit ac firmavit magnus Gregorius. Primi igitur è Catholicis Hiſpani iſtam Apoſtolicam traditionem immutarunt.

Et hæc, præſertim poſt obtentam Sedis Apoſtolicæ confirmationem, immutatio non caruit obicibus & contradictionibus. Etenim de Joanne quarto Conſtantinopolitano Epiſcopo ſcribit in virorum illuſtrium catalogo ſancti Leandri in Hiſpalenſi Cathedra ſucceſſor, & germanus frater, ſanctus Iſidorus: *Joannes græco eloquio edidit Reſcriptum de Sacramento Baptiſmatis ad beatæ recordationis Dominum meum & Prædeceſſorem Leandrum Antiſtitem, in quo nihil ponit proprium, ſed replicat tan-*

*tum-*

*tummodò Patrum antiquorum de trina merſione ſententias.* Trinam merſionem Joannes urſit eſſe Apoſtolicam traditionem ac legem, ideoque ob blaſphemas illi ab Arianis ſubintruſas nugas nec vitiari potuiſſe, nec debuiſſe mutari. Pergit Iſidorus de ſancto Leandro: *Leander ſcripſit epiſtolas multas ad Papam Gregorium. De baptiſmo unam. Ad cæteros quoque Epiſcopos promulgavit plurimas familiares epiſtolas, etſi non ſatis ſplendidas verbis, acutas tamen ſententiis.* Et de Luciniano Spartanæ Carthaginis Metropolitano Epiſcopo: *Luciniani nonnullas legimus epiſtolas. De Sacramento baptiſmatis unam.* Leandri ad Gregorium epiſtola videtur fuiſſe de facta trinæ merſionis abrogatione relatio, per aliarum aliquam haud dubiè reſponderit Joanni Patriarchæ. Et ut ſuo facto pondus adderet, curavit ſcribi etiam per Lucinianum. Et Gregorius, & Joannes, & Leander viderant ſeſe mutuò apud Conſtantinopolim, fuerantque familiares. Occaſionem edicit, de vexato per Arianum Regem Levigildum ſancto Leandro agens, in mundi Chronico Lucas Tudenſis: *Leander, cum Arianæ hæreſis fervorem tempore Levigildi ab Hiſpaniis quondam confutare radicitùs nequiiſſet, pro conſervandis ſanctæ & immaculatæ Trinitatis capitulis ad Conſtantinopolitanum Præſulum cœtum tranſmeavit.* Hinc quæſtioni huic ſe Joannes miſcuit. Pro ſuperbo *Univerſalis Epiſcopi* titulo luctabatur tunc adverſus Gregorium: Hinc etiam poſſit hunc contradictionis talionem illi reddidiſſe. Anno 624.

Conſtantinopolitanæ Synodi ſeptimus Canon prima fronte videtur datum ab Eunomianis baptiſma ob ſolum trinæ merſionis defectum ſancire irritum ac exufflandum. Nec dubitandum, quin præſertim illum Joannes Patriarcha allegarit. Ita ſuadet ſextus Canon quartæ Toletanæ Synodi: *De baptiſmi Sacramento, propter quod in Hiſpaniis quidam Sacerdotes trinam, quidam ſimplam merſionem faciunt, à nonnullis ſchiſma eſſe conſpicitur, & unitas fidei ſcindi videtur. Nam dum Patres diverſo & quaſi contrario modo agunt, alii alios non baptizatos eſſe contendunt.* A quibus verbis diſcimus magni Gregorii & ſancti Leandri Statutum ab omnibus non fuiſſe admiſſum. Videtur non admiſſum à converſis ad fidem Gothis. Etenim à primò ipſorum in Hiſpanias ingreſſu uſque ad ſuſceptam à Rege Richaredo fidem viguit apud Romano-Hiſpanos unica merſio, nec ipſorum ullus de ejus validitate aut legitimitate hæſitavit, nec ullum hîc ſcrupulum movit aut Leander aut Gregorius. Qui ergò poſteà moverunt, fuerunt Gothi, moti ab argumentis Joannis Conſtantinopolitani Epiſcopi, utique à ſeptimo Conſtantinopolitano Canone. Verùm magni Gregorii magna auctoritas ſuperavit omnia. Ejus ad ſanctum Leandrum litteras produxit ac firmavit laudata Toletana Synodus, probavit merſionem unicam, ac toti Hiſpaniæ denuò im-

impoſuit, demonſtrans ab ipſa, licèt non triduanam, ſepulturam tamen Domini & cum morte reſurrectionem, nec non Divinæ Majeſtatis unitatem ac Trinitatem omninò repræſentari: *Ne fortè cuiquam ſit dubium hujus ſimpli myſterium Sacramenti, videat in eo mortem & reſurrectionem Chriſti ſignificari. Nam in aquis merſio eſt quaſi ad infernum deſcenſio, & rurſus ab aquis emerſio, reſurrectio eſt. Item videat in eo unitatem Divinitatis, & Trinitatem perſonarum oſtendi. Unitatem, dum ſemel mergimus; Trinitatem, dum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizamus.* Quod ipſum confirmat aliis argumentis. Et ſuæ conſtitutionis adjungit cauſam: *Quia de utroque Sacramento*, videlicet trina & unica merſione, *quod fit in ſancto baptiſmo, à tanto viro*, magno Gregorio, *reddita eſt ratio, quod utrumque rectum, utrumque irreprehenſibile in ſanctâ Dei Eccleſiâ habeatur, propter vitandum autem ſchiſmatis ſcandalum, vel Hæretici dogmatis uſum, ſimplam teneamus baptiſmi merſionem, ne videantur apud nos, qui tertio mergunt, Hæreticorum approbare aſſertionem, dum ſequuntur & morem.* Sancti Leandri, cui trina merſio ob ſubintruſam Arianæ blaſphemiæ ſignificationem viſa fuerat ſcandaloſa, & proſcribenda, judicium confirmat. Et ex hinc cæpit omnis Hiſpania unicam merſionem concorditer frequentare.

Verùm hæc omnia non placuerunt Beato Alcuino Flacco. Scribit
Ep.69. enim ad Clerum Lugdunenſis Eccleſiæ: *Novas Hiſpanici erroris Sectas tota vobis cavete intentione. Sanctorum Patrum in finem ſequimini veſtigia, & univerſali Eccleſiæ ſanctiſſima vos adjungite unanimitate.* Affirmat olim tyrannorum, tunc Hæreticorum procreatricem eſſe Hiſpaniam, enumerat ejus errores, & adjungit: *Tertia nobis de Hiſpania contra univerſalem ſanctæ Dei Eccleſiæ conſuetudinem de baptiſmo quæſtio delata eſt. Affirmant quidam ſub invocatione ſanctæ Trinitatis unam eſſe merſionem agendam.* Affirmat hunc morem non tantùm ſanctis Eccleſiæ Patribus, ſed & ipſis adverſari Apoſtolis: Quoniam triduana Domini ſepultura debeat in baptiſmo repræſentari. Demonſtrat hoc varia Patrum auctoritate, variaque ratione, & pergit in ſequenti epiſtola: *Nemo Catholicus contra Eccleſiæ auctoritatem, nemo ſobrius contra rationalem conſuetudinem, nemo fidelis contra pietatis intelligentiam certare audeat. Et ne ſchiſmaticus inveniatur, & non Catholicus, ſequatur probatiſſimam Romanæ Eccleſiæ auctoritatem: Vt undè Catholicæ fidei initia accepimus, indè exemplaria ſalutis noſtræ ſemper habeamus.*
Epiſt. 70. *Ne membra à capite ſeparentur ſuo, ne Claviger regni cæleſtis abjiciat, quos à ſuis deviaſſe intelligit doctrinis. Epiſtolam verò, quam à Beato Gregorio de ſimpla merſione dicunt eſſe conſcriptam, in epiſtolari ſuo libro, qui de Roma nobis allatus eſt, non invenimus. Alias vero omnes perſpeximus in eo libro, quem ad Occidentalium partium Eccleſias, Pontifices, vel Reges ſcripſerat. Ideò dubii ſumus,*

mus,

Digitized by Google

*mus, an illius ſit, an ab aliquo hujus Sectæ auctore ſub ejus nomine ſcripta ſit.* Et in litteris ad Paulinum Aquilejæ Patriarcham: *Nunc iterum antiquus ſerpens de dumis Hiſpanici juris, & de ſpeluncis venenatæ perfidiæ contritum, non Herculea, ſed Evangelica clava, caput relevare conatur, & prioribus nequitiæ poculis nova maledictionis toxica immiſcere. Sed & frigidiſſimus Aquilo ventus alio de latere, ſolidum Eccleſiæ impellens parietem, ſacri baptiſmatis Catholicæ conſuetudinis regulam immutare nitens, & ſub invocatione ſanctæ Trinitatis unam aſſerentes merſionem fieri debere, triduanamque noſtri Salvatoris ſepulturam in baptiſmo imitari negligentes, cum Apoſtolus dicat:* Conſepulti eſtis cum Chriſto in baptiſmo. *Alii verò trinam volentes facere merſionem, & ſub unaquaque merſione invocationem ſanctæ Trinitatis, ac per hoc totas tres perſonas ter nominare ſtudentes, dum ipſa veritas præcipiat:* Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. *Quid opus eſt tertiò replicare, quod ſemel dictum ſufficit?* Prior periodus notat de Chriſti Domini adoptione & ſervitute hæreſim, inductam à Felice Urgelitano Epiſcopo, ac Elipando Primate Toletano. Epiſt. 81.

Quòd trina merſione utentes Hiſpani ſacro-ſanctam Trinitatem etiam tertiò nominarint, & ad ſingulas merſiones invocarint, nemo affirmat antiquus teſtis: Attamen Beati Alcuini fidem nolo devocare in dubium. Eſt ab antiquo etiam Romano ordine damnatus abuſus: *Presbyteri baptizent ſub trina merſione, ſanctam Trinitatem tantùm ſemel invocantes.* Fol. 82. Et jure meritò. Etenim ad primam ſub tali invocatione merſionem completus eſt baptiſmus; ideoque ſecunda iſtiuſmodi & tertia merſio, licèt baptizantis perſonam & actum exprimentia verba prætermittantur, non longè abſunt à rebaptiſmo. Etenim verba hæc ad formæ eſſentiam non requiri cenſuerunt olim graviſſimi Doctores. Et iſte, ſi quidem tunc fuerit, Gothorum abuſus omnino ſuffecit, ut ſanctus Leander unicam merſionem induceret. Verùm nulla illius eſt tam vetuſta memoria. Interim Beatus etiam Alcuinus, dum magni Gregorii ad iſtum litteras devocat in ſpuriæ ſuppoſitionis ſuſpicionem, graviter excedit. Ipſas enim laudat, non ſolùm quarta Toletana Synodus, ſed etiam in illuſtrium virorum Catalogo oculatus ipſarum teſtis ſanctus Iſidorus: *Gregorius Papa ſcripſit quaſdam epiſtolas ad Leandrum Epiſcopum, è quibus una eloquitur de merſione baptiſmatis.* Et adducit ipſius capitalia verba. Plura ejuſdem, quem excellentiſſimum Doctorem vocat, Pontificis Scripta laudat in ſuo etiam Catalogo ſanctus Hildephonſus Toletanus Archiëpiſcopus, & addit: *Exceptis opuſculis, de quibus Iſidorus mentionem facit.* Et in publicata per Lucam Dacherium epiſtola ad ipſum magnum Gregorium ſcribit ſuprà laudatus Carthaginis Epiſcopus Lucinianus: *Scripſiſti Leandro Epiſcopo de trina tinctione.* Quocircà de legitimis iſtius epiſtolæ

ſtolæ natalibus non eſt dubitandum. Nihilominus trinam merſionem profiteor eſſe Inſtitutum ac mandatum Apoſtolicum. Addo etiam Apoſtolicas Leges poſſe ab Eccleſia non ſolùm diſpenſari ex cauſis, ſed etiam vel in totum vel pro parte abrogari. Etenim Apoſtolicus canon mandat omnem Sacerdotio aut Diaconatui applicandum eſſe ſine crimine, ſeu ſine externo mortali peccato: Rigor hic apud omnem ſub cœlo Eccleſiam eſt jam pridem circumductus. Apoſtolicus canon mandat Epiſcopum coram Clero & populo eligi ab Epiſcopis: Omnis ſub cœlo Eccleſia jam dudum aliter eligit. Apoſtolicus Canon omne Illyricum Romano, omnem Orientem ſubjecit Antiocheno Patriarchæ: Poſterior Eccleſia hæc omnia mutavit. Plura ſunt iſtiuſmodi exempla. Nam & Conſtantinopolitanus Patriarchatus repugnat Apoſtolicis Canonibus. Hinc ergo Eccleſia etiam trinam merſionem potuit mutare in unicam. Attamen hoc factum eſt pro ſola Hiſpania. Ex dictis rationibus.

De qua re longè meliùs & temperatius loquitur Walafridus Strabo. Magni Gregorii litteras agnoſcit eſſe legitimas, factæ mutationis adducit rationes, & pergit: *Quæ ſingularis merſio quamvis tunc ita Hiſpanis complacuit, dicentibus trinam merſionem ideo vitandam, quia Hæretici quidam diſſimiles in Trinitate ſubſtantias dogmatizare ſint auſi, tamen antiquus uſus prævaluit, & ratio ſupradicta.* Utique ſignificatio triduanæ Dominicæ ſepulturæ. *Si enim omnia deſerimus, quæ Hæretici in ſuam perverſitatem traxerunt, nihil nobis reſtabit: Cum illi in ipſo Deo errantes, omnia quæ ad ejus cultum pertinere viſa ſunt ſuis erroribus quaſi propria applicarint.* Walafridus ſequitur hanc ſancti Auguſtini in libris de ſermone Domini in monte regulam: *Oves non debent pelles ſuas deponere, ſi aliquando eis lupi ſe contegant.* Etiam Orthodoxum ritum, licèt illi ſuum virus ſubintruſiſſent Ariani, cenſet ab Hiſpanis non fuiſſe deſerendum. Addit ipſum ab illis jam eſſe reſumptum. Alcuinus enim Flaccus Hiſpanos arguit de quatuor exceſſibus: De Fæliciana hæreſi, de Euchariſtici panis ſale aut fermento, de facto ad Conſtantinopolitanum ſymbolum additamento, ac de unica merſione. Et quòd tria hæc poſteriora ſolius diſciplinæ vitia iſti hæreſi adjungerentur, omnia quatuor appellavit hæreſim. Hæreſim plenè exſtinxit Francofordienſis Synodus. Nam quidquid ſit de frequenter relapſo Fœlice, certè Elipandus Archiëpiſcopus rediit ad integram pœnitentiam & ſanitatem. Euchariſtici panis ſalem item depoſuit Hiſpania, ac etiam redivit ad trinam merſionem. Et jure meritò. Etenim poſt plenè exſtinctos Arianos ceſſavit factæ mutationis cauſa, ideoque Apoſtolicam Inſtitutionem decuit reſumptam. An ob Alcuini murmura, an ob Francofordienſem Synodum reſumpſerit, ignoro. At verò Symboli addi-

Cap. 26.

Digitized by Google

additamentum adeò non depoſuit,ut ipſum adſumpſerit etiam Gallia, & pertinaciter contra Leonis tertii Pontificis Interdicta defenderit.Ita Schiſmaticis poſteà Græcis anſam præbuit duriſſimæ & longevæ in nos Latinos calumniæ.

Iſtam merſionis mutationem adeò non admiſerunt aliæ Eccleſiæ,ut illam nobis improperanti Marco Epheſiorum Epiſcopo reſponderit Gregorius, qui poſteà Patriarcha fuit,Proto-Syncellus: *Eſſe neceſſariam trinam immerſionem, patet. Nam & à Sanctis hoc traditum eſt. Nempè ad ſignificandam triduanam Domini ſepulturam.Ità ſanè traditum eſt.Et Ritualia Latinorum ità obſervandum docent.* Privatos, quorum reprehendorum poſſit undecumque arripi quæpiam anſa, unius Provinciæ aut Diœceſis ritus Heræticì paſſim devolvunt calumniosè in omnem Eccleſiam. Ita ex ſolius, quæ à mari remota piſces non habet, ideoque in Quadrageſima caſeum & butyrum comedit, Germaniæ antiquâ libertate Photius debacchatus eſt in omnes Latinos. Eadem viâ hic ambulat Michaël Cerularius. Solius Hiſpaniæ diſpenſatorium, à Romana tunc probatum Eccleſia, jam dudum abdicatum morem vult eſſe Apoſtolici Canonis prævaricationem, & imponit omnibus Latinis. Quòd ejus tempore omnis Latina Eccleſia non dumtaxat trinam uſitaret merſionem, ſed etiam baptizandos plenè nudaret, eſt ſuprà abundè demonſtratum. Et in litteris ad Adeodatum confirmat ſanctus Carnutenſium Epiſcopus, qui circà hæc tempora floruit, Fulbertus: *Chriſtus memoriam ſuæ mortis & ſepulturæ atque etiam reſurrectionis inſculpens, ineffabilia baptiſmi contulit munera, per quæ ſuperveniente* Ep. 2. *primæ originis fine, ei commortui, & intra ſacrum gurgitem conſepulti, demerſi reſurgeremus, vitâ emergente criminibus.* Quòd ſuo tempore etiam infantes mergerentur in fonte, teſtatur Presbyter Auxilius in præfatione ſecundi libri de validitate ordinum datorum à Pontifice Formoſo. Et Michaëli Cerulario coætaneus ſanctus Petrus Damiani ſcribit ad ſuæ Lib. 6. Congregationis Monachos: *In baptiſmi ſacramento ad imitationem Chriſti* Ep. 35. *& morimur & reſurgimus. Morimur, dum in aquam mergimur; reſurgimus, dum levamur.* Et de Caſſelenſi, celebrata ſub Alexandri tertii Pontificatu, apud Hibernos ſynodo ſcribit Rogerus Hovedenſis: *In concilio illo ſtatutum eſt, ut pueri deferrentur ad Eccleſiam, & ibi baptizarentur in aqua munda, ſub trina merſione.* Etiam ſub Clementis quinti Pontificatu celebrata apud Ravennam ſecunda Synodus ſtatuit fieri *trinam adſperſionem vel immerſionem.* Quod nempè quædam Eccleſiæ tunc adſpergerent dumtaxat, quædam adhuc immergerent. Undè circà iſtud tempus cœperunt merſio & nuditas fortiter declinare. Interim trina ſeu adſperſio ſeu infuſio conſtantiſſimè apud nos etiamnum hodiè perſeverat.

Et hinc oritur per Marcum Epheſi Epiſcopum mota in nos quæſtio,

An

An ſola adſperſione vel infuſione datum baptiſma ſit validum ac ratum? Eſt antiquiſſima quæſtio, de quâ ad Magnum reſcripſit ſanctus Cypria-
Ep 76. nus: *Quæſiſti, fili chariſſime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate & languore gratiam Dei conſequuntur, an habendi ſint legitimi Chriſtiani, eo quod aquâ ſalubri non loti ſint, ſed perfuſi.* Et infrà: *Nec quemquam movere debet, quòd adſpergi vel perfundi videntur ægri, dum gratiam Dominicam conſequuntur.* Et iterum: *Si aliquis exiſtimat eos nihil conſecutos, eo quod aqua ſalutari tantùm perfuſi ſunt.* Quæſtio videtur nata ex ſuprà laudatis S. Cornelii & Romanæ ſub ipſo ſynodi verbis de Novatiano Clinico: *Si quidem hujuſmodi tinctionem baptiſmum vocare licèt.* Sunt verba ambigua, ideóque iſtiuſmodi baptiſmum aliqui videntur cenſuiſſe irritum penitus, aliqui dixerunt validum, ſed minoris effectus. Nec carere ſe putabant fundamento. *Movebantur, quòd quidam de iis, qui ægri baptizabantur, ſpiritibus adhuc immundis tentarentur.* Energumeni olim per baptiſmum, non ſolum in anima, ſed etiam in corpore liberabantur à malo ſpiritu: Quæ gratia videtur tunc quibuſdam Clinicis non adveniſſe. Hinc ergo ipſorum baptiſma erat ſuſpectum.

At fuiſſe validum ac effectu plenum ſanctus Cyprianus conſtanter affirmat: *Non ſic in Sacramento ſalutari delictorum contagia, ut in lavacro carnali & ſeculari ſordes cutis & corporis abluuntur, ut aphronitis & cæteris quoque adjumentis & ſolio & piſcinâ opus ſit, quibus ablui & mundari corpuſculum poſſit. Aliter pectus credentis abluitur, aliter mens hominis per fidei merita mundatur. In Sacramentis ſalutaribus, neceſſitate cogente, & Deo indulgentiam ſuam largiente, totum credentibus conferunt divina compendia.* Quid ſit antiquum balnei ſolium, oſtendit Suetonius Tranquillus, ſcribens de Cæſare Augu-
Cap. 82. ſto: *Quoties nervorum causâ, marinis, albuliſque calidis utendum eſſet, contentus hoc erat, ut inſidens ligneo ſolio, quod ipſe Hiſpanico verbo Durretam vocabat, manus ad pedes alterius jactaret.* Solium ergò erat ſedes compoſita ad commodè balneandum. Ligneâ fuiſſe contentus laudatur Auguſtus. Aliqui, teſte Plinio, argenteâ utebantur. Et hinc vides, cur Eunomius ipſam etiam ad baptiſmale adhibuerit balneum: Quòd nempè ſine illa non poſſet hominem capite deorſum in pedes erigere. Sanctus Cyprianus affirmat baptiſmum potiùs mentis per fidem, quàm corporis per aquam eſſe lavacrum, eſſe ſolum inviſibilis lotionis viſibile ſymbo-
Cap. 36. lum, ideóque ſolâ adſperſione poſſe compleri. Probat ex Ezechiële Propheta: *Adſpergam ſuper vos aquam mundam.* Et variis libri Numerorum locis, ubi legalis mundationis aquam Spiritus ſanctus vocat adſperſionis aquam, iſtamque mundationem mandat adſperſione compleri. Hanc aquam Cyprianus affirmat fuiſſe noſtri baptiſmi prænuntiam ac promiſſivam figuram, atque adjungit: *Vndè apparet adſperſionem quoque aquæ inſtar ſalutaris lavacri obtinere.* Addit & aliud irrefragabile argumentum:

tum: *Non decipiantur*, utique Clinici, *ut ſi incommodum languoris evaſerint, baptizentur*. Seriò hortatur, ne quis ipſos ſanatos rebaptizare attentet: Quod datus in Eccleſia baptiſmus ſine graviſſimo ſacrilegio non poſſit exufflari. Nam & Clinicum Novatianum Romana Eccleſia promovit in Clerum, nec unquàm ullus illum poſtulavit ad rebaptiſma. Etiam effectu plenum eſſe tale baptiſma demonſtrat variè laudatus Cyprianus, & illis, qui ipſo initiatos per ironiam titulabant, non Chriſtianos, ſed Clinicos, graviter indignatur. Notanda ſunt ejus ſuperiora verba: *Cogente neceſſitate*. Affirmat trinam merſionem requiri ex mandato Apoſtolico, & illos ſolos infirmos, quos morbi gravitas cogit eſſe Clinicos, ac vetat deportari ad Baptiſterium, poſſe adſperſione aut perfuſione baptizari, & tandem concludit: *Reſcripſi ad litteras tuas, quantum parva noſtra Mediocritas valuit, & oſtendi quid nos, quantum in nobis eſt, ſentiamus, nemini præſcribentes, quo minùs ſtatuat, quod putat, quiſque Sacerdos, actus ſui rationem Domino redditurus.* Quâ humili clauſulâ uſus etiam fuit in ſuis de repetendo hæreticorum Baptiſmate Decretis ac Reſcriptis: Quod nempè damnare non præſumeret adverſa Romanæ Eccleſiæ Senſa, nec ſibi etiam ſubditos Epiſcopos ad ſua alligare.

Et hoc ejus Decretum laudat in libris de Baptiſmo adverſùm Donatiſtas ſanctus Auguſtinus: *Cyprianus in epiſtola, quam ſcripſit ad Magnum, cum de Baptiſmo tinctorum & perfuſorum quæreretur, utrum aliquid intereſſet*, Lib. 6. Cap. 7. Qua in parte, *inquit*, nemini verecundia & modeſtia noſtra præjudicat, quò minùs unuſquiſque quod putaverit ſentiat, & quod ſenſerit faciat. *Quibus ejus ſermonibus ſatis apparet illo tempore ab eis illa eſſe tractata, quo nondum declarata ſine ambagine hauriebantur, & adhuc clauſa magno molimine quærebantur.* Adducta per Auguſtinum verba non reperiuntur in laudata ſancti Cypriani epiſtola: Quocircà aut duas eâdem de re ad Magnum litteras ſcripſit hic, aut ille non verba hujus adduxit, ſed ſenſum. Lucidè interim affirmat datum ſola tinctione aut perfuſione Baptiſmum fuiſſe ſuo tempore certum ac ſecurum, & de ejus validitate neminem ampliùs dubitaſſe. Et hinc Clinicorum ſeu Grabatariorum Baptiſma disertè probant Cap. 18. Synodus Antiſiodorenſis, ſecunda Matiſconenſis, ſexta Pariſienſis. Et plures antiqui per hanc adducti Canones. Nam & ipſum diù antè Auguſtini tempora probavit Synodus Neo-Cæſareenſis. Et ad hocce Francorum Epiſcoporum dubium, Cap. 3. Lib. 1. Cap. 78. Can. 12. *Si licèt per neceſſitatem cum concha, aut cum manibus infanti in infirmitate poſito aquam ſuper caput fundere, & ſic baptizare*, reſpondit Stephanus ſecundus: *Hoc Baptiſma, ſi in nomine ſanctæ Trinitatis peractum fuerit, firmiter permanebit. Præſertìm cum & neceſſitas expoſcit ut ille, qui ægritudine detentus eſt, hoc modo renatus efficiatur particeps regni Dei.* Exſtat Reſcriptum in Gallicanis Synodis Jacobi Sirmondi. Et ex ipſo

ſcribit Walafridus Strabo: *Notandum, non ſolum mergendo, verùm etiam deſuper fundendo multos fuiſſe baptizatos, & adhuc poſſe ita baptizari, ſi neceſſitas ſit. Sic in paſſione B. Laurentii quemdam urceo allato legimus baptizatum. Hoc etiam ſolet evenire, cum provectorum granditas corporum minoribus vaſis hominem tingi non patitur.* Et quos clanculo in Paganorum carceribus olim baptizarunt noſtri Majores, haud dubiè aliquando fuerunt adſperſi dumtaxat aut perfuſi. Interim ſoli neceſſitati iſtud permiſit antiquitas.

Cap. 26.

Attamen non ſoli nos Latini, ſed etiam Græci antiquum morem jam pridem mutarunt. Lucet ex Gregorii Proto-Syncelli ad Marcum Epheſium Reſponſo: *Sed & nos haudquaquam immergimus infantes uſque ad ſummum verticem. Nec enim poſſimus illis præcipere, ut reſpirationem ac exſpirationem per nares cohibeant: Ne etiam per aures ſacra permeet aqua. Sed neque os infantis obturare poſſumus: Verùm eos in ſacrum immittimus fontem, ut nequid valdè neceſſarium ex traditione prætermittamus, quaſi uteri imaginem referente lavacro, & regenerationem per hoc indicante. Et ne caput, in quo eſt ſedes omnium ſenſuum & vehiculum animæ, ſacri Baptiſmatis fiat expers, cava manu aquam è ſacro fonte haurientes, illud perfundimus, Divinum invocantes nomen, & proprietatem ſingularum hypoſtaſeon. Nam & ſancto Apollonio, cum objectum illi eſſet à tyranno ut probrum, quod Baptiſmo non ablutus, proindè non eſſet Chriſtianus, fuſis ab eo precibus ſatisfecit Deus, deprecationem ejus benignè audiens: Demiſſâ enim nube caput ejus rore perfudit. Si igitur Baptiſmus non perficitur perfuſione capitis, non ita, ſed alio modo res geſta eſſet.* Solâ perfuſione perfici Baptiſmum Divina Bonitas iſto miraculo confirmavit. Conſonat in ſuâ vernaculâ Synopſi Neophytus Rhodinus: *Ter aquam ſuper eum, qui baptizatur, infundimus, ut S. Trinitatem, in cujus nomine baptizamur, declaremus. Et ut inſuper tribus illis immerſionibus mortem, ſepulturam, & reſurrectionem Chriſti profiteamur.* Infuſionem antiquo vocabulo appellat immerſionem: Quod nempè in hujus locum ob adductas à Gregorio Proto-Syncello rationes ſucceſſerit. Hodiernam Græcorum praxim exponit in ſuis ad Euchologion Notis Joannes Goar. Et ſic lucet etiam Marci Epheſii calumniam eſſe frivolam & vanam.

Quæſtio eſt, An orthodoxa olim Orientalis Eccleſia de dati per adſperſionem aut perfuſionem Baptiſmi valore dubitarit? Reſpondeo non dubitaſſe. Lucet ex duodecimo Canone Neo-Cæſareënſis Concilii: *Si quis in ægritudine fuerit baptizatus, ad honorem Presbyterii non poteſt promoveri, quod non ex Propoſito fides ejus, ſed ex neceſſitate deſcendat. Niſi fortè propter ſequens ſtudium, atque hominum raritatem talis poſſit admitti.* Sancti Papæ Cornelii & Romanæ Eccleſiæ de Novatiani & omnium Clinicorum Baptiſmo ſententia eſt elucidanda. Cornelius ſcribit Novatianum in Catechumenatu fuiſſe Energumenum, liberatum per Eccleſiæ Exorciſtas,

Digitized by Google

ciſtas, Clinicum baptizatum in lecto, aquâ dumtaxat circumfuſum, & adjungit: *Si modo talem hominem Baptiſmum ſuſcepiſſe dicendum eſt. Verùm morbo tandem elapſus, neque cætera, quibus poſt Baptiſma ſecundùm Eccleſiæ Canonem imbui oportuerat, acquiſivit. Neque Domini Sigillo ab Epiſcopo obſignatus fuit. Quo quidem neutiquam potitus, quomodò, quæſo, Spiritum Sanctum adeptus eſt?* Addit Novatianum tandem fuiſſe donatum Presbyteratu; ac pergit: *Minimè licebat quemquam propter morbum in lecto baptizatum, ſicut huic contigerat, in Clerum adſumi.* Adfirmat id factum ex Epiſcopi in hominem ſingulari adfectu, & adjungit: *Qui quidem Epiſcopus non modò ab univerſo Clero, ſed etiam à multis Laicis vetitus, magnoperè poſtulabat ſibi poteſtatem dari, huic ſoli in ſortem Presbyterii manus imponendi.*

Habemus hinc varia. Primò, Romana Eccleſia Novatiani Clinici Baptiſma cenſuit plenè validum: Etenim ſanitati redditum hominem non rebaptizavit. Secundò, Novatianus ſine conſuetis cæremoniis, & ſine adjuncto Chriſtianæ Confirmationis, adeoque & ſine Euchariſtiæ Sacramento Baptiſmum accepit: Quod nempè tunc Clinicis ſoleret ita ſuccurri. Quod ſolus ac nudus Baptiſmus illis conſueſſet dari in neceſſarium Viaticum. Tertiò, Romana Eccleſia non ob iſtius Baptiſmi infirmitatem, ſed ob Confirmationis abſentiam judicavit Clinicos non eſſe plenè donatos Spiritu ſancto, nec plenè Chriſtianos. Quartò, Clinicos cenſuit irregulares: Inhabiles ad quemvis in Clero gradum. Quintò, faciebat diſpenſationi locum: Etiam præviæ. Sextò, ſine Cleri & populi aſſenſu Romanus etiam Pontifex tunc non diſpenſabat. Et hæc omnia videntur quidam non plenè percepiſſe, ideòque cenſuiſſe quod ſolâ adſperſione datum Clinicis Baptiſma eſſet quidem validum, attamen infirmum, nec pleni effectûs impartitivum. Et hunc præſertim errorem impugnat S. Cyprianus in Epiſtola ad Magnum. Improbat & iſtam irregularitatem. Per hæc verba: *Rebus ipſis experimur, ut neceſſitate cogente in ægritudine baptizati, & gratiam conſecuti, careant immundo Spiritu, quo antea movebantur, & laudabiles ac probabiles in Eccleſiâ vivant, pluſque per dies ſingulos in augmentum cæleſtis gratiæ per fidei incrementa proficiant. Et è contrà ſæpè nonnulli de illis, qui ſani baptizantur, ſi poſtmodum peccare cœperint, Spiritu immundo redeunte quatiuntur.* Verba omnino adludunt ad Novatianum. Hic enim ante Baptiſmum fuerat Energumenus. Affirmant cunctos Baptizatos eſſe pares, & irregularitatem non ex ſuſcepti Baptiſmi modo, ſed ex variâ poſt ipſum vitâ debere deſumi. Attamen propter Romanæ Eccleſiæ reverentiam Cyprianus addidit: *Reſcripſi & oſtendi quid nos ſentiamus, nemini præſcribentes, quo minùs ſtatuat quod putat unuſquiſque Præpoſitus, actus ſui rationem Domino redditurus.*

Eadem ſententiarum varietas fuit tunc in Orientali etiam Eccleſiâ.



Digitized by Google

Nata forſan ex ſancti Cornelii litteris ad Fabium Antiochiæ Patriarcham. Fuit varietas non circà iſtius Baptiſmi validitatem, ſed circà contractam ex ipſo irregularitatem. Si enim nulla iſtic fuerit quæſtio, quid fuit opus Synodali examine, & novo Canone? Quæſtionem ergò diſcuſſit Pontica apud Neo-Cæſaream Synodus, & ſtatuit varia. Primò, Baptiſma eſſe validum, ratum, formatum. Id ſuppoſuit potiùs, quàm ſtatuit: Quod nempè de iſto articulo nemo dubitaſſet umquam, aut dubitaret. Secundò, fatetur iſtum Baptiſmum ac profeſſam in ipſo fidem non tam ex Propoſito, quam ex neceſſitate proficiſci, ideoque non ſemper plenum in ipſo dari effectum. Non ob Sacramenti, ſed ob infirmitatem. præparationis & ipſi coöperantis fidei. Tertiò, ejuſmodi baptizatos ſancit eſſe irregulares: Non ad omnem Cleri gradum, ſed ad ſolum Presbyteratum. Quartò, addidit eſſe locum diſpenſationi: Ob ſingulares Clinici virtutes, vel etiam ob Clericorum raritatem. Clarum eſt omnia eſſe, attamen cum aliquo temperamento, ſtatuta ob reverentiam & ſententiam Romanæ Eccleſiæ.

Lucet Schiſmaticos hodiè Græcos ex livido nos Latinos calumniandi zelo hallucinari miſerabiliter, & à ſuorum Patrum dogmatibus deviare. Miſerandam hallucinationem & calumniam continent hæc verba anonymi & ſchiſmatici Scriptoris de ſeparatione veteris Romæ à Græcis: *Ex* Franciæ *locis Carolum* magnum *ſecuti fuerunt quidam Arii & Apollinarii hæreſi infecti, qui Romam ingreſſi populum Dei ſubvertere cæperunt, adferentes Spiritus proceſſionem ex filio, in Azymo offerendum; & in Baptiſmate eos, qui baptizantur, non eſſe lavacro immergendos, ſecundùm Apoſtolicam & Eccleſiæ traditionem, ſed ſuper caput tantummodò aquam fundendam, abſque oleo.* Quod ipſum ſcribit Athanaſius Cydonius in opuſculo de ſeparatione Romanæ Eccleſiæ à quatuor aliis Patriarchis, addens Erronibus ac erroribus fuiſſe à Carolo data fomenta. Auctor libri de hæreſis apud Latinos exordio adjungit hæc omnia ſynodaliter damnata fuiſſe à Patriarchâ Photio, Papale nomen propter ipſa raſum è ſacris tabulis, & ſchiſma conſummatum. Sunt horrendæ fabulæ. Quod enim magnus Carolus immerſionem mutari in adſperſionem aut perfuſionem non permiſerit, jam altiſſimè nobis dixit ejus Magiſter Alcuinus. Et quod Photius nullam Azymi aut fermenti mentionem fecerit adversùm Latinos, eſt omnibus notum. In dialectica oratione de Græcorum myſtico & Latinorum Azymo pane Hilarion Monachus adfirmat Azymum à ſancto Papâ Agathone ac ſancto Agrigentinorum Epiſcopo Gregorio non fuiſſe damnatum, vel abolitum in ſextâ Synodo, addit Apoſtolicos Legatos illic ſolemniter in Azymo celebraſſe, & pergit: *Ab eo tempore, quo Latini ſacrificium in Azymo conficere cæperunt, numquam ab eo deſti-*

*deſtiterunt.* Latina enim Eccleſia in tantis rebus non admittit novitates. Azymum apud nos eſſe antiquiſſimum, ſuo loco eſt abundè demonſtratum.

## CALUMNIA XIII.

*Latini ſale eorum, qui baptizantur, ora implent.*

AD Catechumenos in libris de ſymbolo declamat S. Auguſtinus: *Nondum quidem per ſacrum baptiſmum renati eſtis, ſed per Crucis ſignum* Lib. 2.
*in utero S. Matris Eccleſiæ jam concepti eſtis. Agat itaque hæc mater congruis* Cap. 1.
*alimentis paſcere quos portat, ut poſt partum lætetur tales ſe ſuſcepiſſe, quos ſpiritaliter nutriat.* Hocce alimentum ſunt non ſolæ ſolennes orationes, ſed & varii per Eccleſiam inſtituti ritus, quos ſuo etiam verbo ac elemento conſtantes idem Auguſtinus paſſim appellat *Sacramenta Catechumenorum.* Eſſe Apoſtolicum Inſtitutum lucidè affirmat in libro de Coronâ Militis Tertullianus. Etenim inter antiquiſſimos Eccleſiæ mores adducit & hunc: *Indè*, utique ex ſacro fonte, *ſuſcepti, lactis & mellis concordiam degustamus.* Cap. 3.
Et in primo adversùs Marcionem libro laudat *lactis & mellis ſocietatem, quâ Deus ſuos infantat.* Utrumque locum mutuò accipit & copulat Cap. 14.
in libro contra Luciferianos S. Hieronymus, inter antiquas Eccleſiæ traditiones adducens & hanc: *Egreſſos*, de ſacro fonte, *lactis & mellis prægustare concordiam, ad infantiæ ſignificationem.* Cap. 4.
Et hæc Prophetæ Iſaiæ verba, *Emite abſque ullâ commutatione vinum & lac*, commentatur: *Mos ac typus in Occidentis Eccleſiis hodie uſque ſervatur, ut renatis in Chriſto vinum* Cap. 55.
*& lac tribuatur.* Quod quædam etiam Belgarum Eccleſiæ ſuis olim Neophytis præter lac & mel propinarint & dulce vinum, teſtatur in Panopliâ Guilielmus Lindanus Epiſcopus Ruremondenſis. Eundem ritum laudant S. Agnetis ad tyrannum verba: *Lac & mel ex ejus ore ſuſcepi.* Cuncta enim illa ſanctiſſimæ Virginis de variis à Sponſo acceptis donis & ornamentis ænigmatica proſopopeja lucidè prædicat tria Sacramenta, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, conſueta ſimul dari, & varia ipſorum Ritualia veſtimenta. Et in Africano Codice habemus hunc Canonem: *Primitiæ, ſive lac, ſive mel, offerantur uno die conſueto, ad* Cap. 40.
*infantium myſterium.* Theodorus Balſamon ſtatui exiſtimat de frugum primitiis, ac pro infantibus quoad ætatem. Nempè Latinos ritus non intelligit. Canon manifeſtè agit de primitivo & ſacro Neophytorum, quos Latina Eccleſia conſuevit titulare infantes, lacte & melle, vetans illa conſecrari extrà conſuetum diem, utique Paſchalem. Eadem videtur laudare ſanctus Petrus Apoſtolus: *Sicut modò geniti infantes, rationabile*

 *ſine*

Digitized by Google

*ſine dolo lac concupiſcite.* Quidquid ſit, ex iſto loco ſuum ritum Latina Eccleſia deſumpſit.

Lib. 2. c. 36. In antiquis obſervationibus ſcribit Gabriël Albaſpinæus, Aurelianenſis Epiſcopus: *lactis & mellis Sacramentum non ſatis conſtat an in Catechumenatu præberetur. Nam ad id confirmandum præter conjecturas nihil adferri poteſt. Quarum hæ præcipuæ videntur. Principio omnes cæremoniæ, ut docet Ioſephus Vice-Comes, earum rerum diligentiſſimus Scriptor, quæ in Catechumenatu celebrabantur, eæ omnes in Baptiſmo rurſum repetebantur, inter quas cum mellis & lactis Sacramenta commemorentur, vero ſimile eſt lac & mel, alio etiam quam Baptiſmi tempore, Catechumenorum cibum & alimentum fuiſſe. Altera conjectura ex Canone Carthaginenſi depromitur. Cùm enim dicat diebus Feſtis Sacramenta mutari Catechumenis, atque alia quam ſalis præberi poſſe, nihil aliud fingere poſſumus aut adſignare, ex quo Sacramenta illa, quæ mutarentur, fierent, quam lac & mel.* Laudat quintum tertii Carthaginenſis Concilii Canonem: *Placuit ut etiam per ſolemniſſimos Paſchales dies Sacramentum Catechumenis non detur, niſi ſolitum ſal. Quia ſi fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari.* Canon non mandat, nec indulget, ſed vetat Catechumenis in Paſchali die dari aliud Sacramentum præter conſuetum ſalem: Proſcribit novellæ mutationis abuſum. An verò hic lac & mel tunc dederit Catechumenis, ignoro. Quidquid ſit, illa ſolis Neophytis ſtatim ad fontis egreſſum dari permittit laudata per Tertullianum & ſanctum Hieronymum Apoſtolica traditio. Hinc item ipſa in ſolo Paſchali die conſecrari juſſit alius Africanus Canon. Quod nempè ſolo iſto die baptizaretur. Et dabantur ad ſignificationem ſpiritualis in Chriſto infantiæ. At verò Catechumeni ſunt adhuc in utero, needum geniti infantes, ideoque adhuc alieni ab alimento lactis & mellis. Si quis Afer Canon illa Catechumenis dederit, fuit apertus abuſus.

Cap. 27. De Catechumenorum ergò Sacramentis ſcribit in ſecundo libro de peccatorum meritis ac remiſſione ſanctus Auguſtinus: *Non unius modi eſt ſanctificatio. Nam & Catechumenos ſecundùm quendam modum ſuum per ſignum Chriſti & orationem manus impoſitionis puto ſanctificari. Et quod accipiunt, quamvis non ſit Corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius cibis, quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt.* Dominicæ Crucis ſignum, & illi adjuncta Sacerdotalium manuum impoſitio ſunt Sacramentum, quo fiunt, ac intrà matris Eccleſiæ uterum concipiuntur Catechumeni, ſanctificati Panis Eulogia eſt unum è Sacramentis ipſos in iſto utero alimentantibus, & præparantibus ad partum. Etiam varia manus impoſitio. Nam plures hæc habet ſpecies & claſſes. Aliud hujuſmodi Sacramentum fuit ſanctificatus, & jam per Carthaginenſem Synodum laudatus ſal, quem in con-

Lib. 1. Cap. 11. feſſionum libris laudat etiam S. Auguſtinus: *Audieram ego adhuc puer de*



Digitized by Google

*vita æterna, nobis promiſſa per humilitatem Domini Dei noſtri, deſcendentis ad ſuperbiam noſtram, & ſignabar jam ſigno Crucis ejus, & condiebar ejus ſale, jam indè ab utero matris meæ.* Quod à prima ſtatim infantia fuerit Catechumenus, teſtatur in tertio libro, & ſexto. Quod ſacer ſal non ſemel dumtaxat, ſed frequenter fuerit ſibi datus, lucidè aſſerit. Æquiparat eum Crucis ſigno, quod Catechumenis frequenter imprimebatur. Quod ipſum lucidè affirmat adductus Carthaginenſis Canon. Rationem dat apud ſanctum Hieronymum epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem Archiëpiſcopum: *Sal propterea Catechumenis datur in myſterio, ut nos eſſe ſal terræ, id eſt, Dei ſapientiam noſcamus.* Ut pedetentim nos ad percipiendam in Baptiſmo Divinam ſapientiam formari admoneamur, atque adjuvemur. Iſta enim per Eccleſiam benedicta elementa nequaquam ſunt vacua aut egena. Cap. 4. Cap. 4. 11.

Quæſtio eſt, An etiam hic ſanctificatus ſal ſit Apoſtolica traditio? Rationem dubitandi facit Tertulliani ac S. Hieronymi, qui lactis & mellis uſum & ſanctificationem laudant, altum de illo ſilentium. Primus de ipſo mentionem videtur feciſſe in ſextâ ſuper ſancti Ezechiëlis Prophetiam homilia Origines. Laudat Prophetæ verba ad Hieruſalem, *Non es aquâ lota in ſalutem, nec ſale ſalita, nec involuta pannis,* Et commentatur: *Oportet animam, quæ renaſcitur, rationabile & ſincerum lac deſiderare, & priuſquàm ſine dolo rationabile lac deſideret, debet ſale ſaliri, & pannorum involucro colligari, ne dicatur ad eam, Sale non es ſalita, neque pannis involuta.* Hunc locum laudat in opere de Baptiſmi ritibus Joſephus Vice-Comes, & adjungit: *Si conſiderare volumus, quando ſalis uſus primo invectus ſit, intelligemus circà tempora Origenis incœpiſſe. Nam nec quiſquam ætate major Origene meminiſſe eſt viſus.* Reſpondeo eſſe infirmum fundamentum. Quod enim vinum & lac, adeoque & mel, ſint ſolius Occidentalis Eccleſiæ ritus, nobis ſupra dixit S. Hieronymus. Et hinc adducta homilia lucidè non eſt Origenis, ſed hominis Latini. Etiam ſanctificatum Catechumenorum ſalem nullus Græcorum antiquus Pater laudat: Eſſe ſolorum Latinorum ritum evincit præſens Michaëlis Cerularii calumnia. Et eſſe antiquiſſimum demonſtrant adductus S. Auguſtini locus, & laudata Carthaginenſis Synodus. Illum laudant uti vulgatam & vetuſtam conſuetudinem. Nec obeſt Tertulliani ſilentium. Non enim ille cunctorum noſtrorum rituum texit iſtic catalogum, ſed ad demonſtrandum, quòd plura nobis ſint ſine ſcripto tradita & imperata, adducit quoſdam, profeſſus ſe à Baptiſmo, primâ Chriſtianitatis januâ, ducere exordium. Hinc adduxit lac & mel, prima Neophytorum Sacramenta. Catechumenorum ſalem, uti antiquum laudant etiam S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, antiquus Romanorum Ordo, Amalarius Fortunatus, Lib. 2. Cap. 42.

Wala-

Walafridus Strabo, Alcuinus Flaccus, & alii Latinorum rituum antiqui Expoſitores. Et nullus unquàm Græcæ Eccleſiæ Pater illum arguit. Eſt enim ſanctiſſima, & firmis ſacrarum ſignificationum anchoris nixa cæremonia. Et ipſe Michaël Cerularius, quòd Euchariſtico pani non miſceamus ſalem, nos blaterat inſulſos. Hinc inſulſa eſt præſens ejus calumnia. Præſertim hæc verba: *Ora implent*. Eructantur à corde pleno maledicentiæ.

## CALUMNIA XIV.

*Latini malè Apoſtolicum illud accipientes, quòd ait Modicum fermentum totam maſſam fermentare, ita ſcriptum habent:* Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. *Contendunt hâc modicâ hujus verbi occaſione tollere Fermentatum, quod Panem ſublevat & attollit.*

AD iſta Apoſtoli verba, *Totam maſſam corrumpit*, olim ſub junioris Theodoſii imperio ſcripſit etiam Latinus homo, Cœlius Sedulius: *In Græco, Fermentat*. Proindè antiquiſſima & univerſaliſſima eſt iſta Latina tranſlatio. Eâ enim uſi ſunt Tertullianus, ſanctus Cyprianus, Hilarus Romanorum Diaconus, ſanctus Ambroſius, ſanctus Hieronymus, S. Auguſtinus: Latini ſemper & ubique omnes. Tertullianus tamen in primo adverſùs Marcionem libro ſcribit: *Marcion modico fermento totam fidei maſſam hæretico acore diſcepit*. Undè quibuſdam videtur legiſſe: *Modicum fermentum totam maſſam decepit*. Et redit in idem. Nemo tunc litigabat de ſacrificii Fermento aut Azymo: Undè non ad doloſam & malignam fermenti circumſcriptionem, ſed ad alium longè finem facta fuit à neſcio quo primo auctore, & ab omnibus firmata ac probata iſta tranſlatio. Canonicæ litteræ multa explicant per parabolam ac ſimilitudinem: Et ex eadem re nunc bonam ducunt, nunc pravam parabolam. Etenim de Chriſto Domino dicitur: *Vicit Leo de tribu Iuda*. Et de diabolo: *Tamquàm Leo rugiens circuit quærens quem devoret*. Nempè alias & alias qualitates habet Leo, à quarum una ad Chriſti Domini virtutem, ab alterâ ad aliquam Diaboli iniquitatem cognoſcendam manu ducimur & paramur. Et talia habemus plurima in laudatis litteris. Et tale quid eſt etiam fermentum. Etenim ex ipſo ad Divinam & admirabilem cæleſtis Regni, ſeu Evangelicæ prædicationis virtutem Dominus, Apoſtolus autem ad negligenter ab Epiſcopo diſſimulatam publici inceſtus iniquitatem, & manantis ab ipſâ ſcandali contagionem ſignificandam duxit parabolam. Et hinc Latinus interpres Evangeliſtæ locum vertit: *Simile eſt regnum Cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec*

Cap. 2. (margin note beside Tertullian passage)

Digitized by Google

*donec fermentatum eſt totum.* Præſentem verò Apoſtoli locum tranſtulit: *Totam maſſam*, ſeu conſperſionem, *corrumpit.* Quòd nempè non boni communionem, ſed mali contagium docere illic intendat per fermenti parabolam Apoſtolus. Proindè & hæc Michaëlis Cerularii calumnia eſt frivola, ac ſine fundamentis.

## CALUMNIA XV.

*Latinorum nonnulli Sanctorum Reliquias non venerantur, nec ſanctas etiam Imagines.*

EAndem calumniam nobis imponit in Iſaacio Angelo Nicetas Choniates: *Armenii & Alemanni commercia inter ſe agitant, & in pleriſque* Lib. 2. *Religionis dogmatibus conſentiunt. Quippè apud Alemannos & Armenios* Cap. 3. *ſacrarum Imaginum adoratio æquè interdicta eſt, & azymo in Sacris utrique utuntur, & alia quædam Chriſtianis dogmatibus improbata opinionis errore pro legitimis obſervant.* Et neſcio quem Italum Philoſophum, qui ſacras Imagines damnans corruperit etiam Patriarcham Euſtratium Garidam & multos nobiles, fuiſſe graſſatum Conſtantinopoli, ideòque à patre ſuo Lib. 5. Imperatore Alexio damnatum referet Anna Comnena. Addit & poſteà correctum. Verùm hæc ſunt Michaële Cerulario poſteriora. Etiam Waldenſes, Albigenſes, Amalricus, & alii Iconoclaſtiæ Latini Reſumptores. Quare poſſit maledicus Michaël reſpexiſſe antiquas Francorum adversùs ſeptimam Synodum contradictiones. Et quia hanc damnavit Francofordienſis Synodus, malum hoc non ſine fundamento adſcribitur Alemannis. De Leone Chalcedonenſi Epiſcopo, qui ſacram Eccleſiarum ſupellectilem mutuò ad publicas Reipublicæ neceſſitates poſtulanti eidem Principi conſtantiſſimè reſtitit, ſcribit eadem Anna: *Porrò hâc occaſione cùm de ſacris ædibus, ſigniſque & imaginibus multa, ut fit, diſputarentur, hic Antiſtes in eam ſententiam diſſeruit; ut contenderet ſacras imagines abſoluto à nobis, & in ipſis inhærente cultu affici, non autem tantum reſpectivo.* Addit hoc in errore Leonem fuiſſe pertinacem, ideòque damnatum Synodaliter ac relegatum. Petrus Poſſinus Annæ verba tranſtulit in hodiernam Scholaſticorum phraſin. Affirmat illa, quòd Leo ſacras imagines vellet coli latreuticè, id eſt, non dumtaxat ſalutari juxta Decretum ſeptimæ Synodi, ſed adorari. Ignotus paſſim hic eſt cum ſuo dogmate Erro: Quòd non habuerit ſectatores. Michaëlis Cerularii tempore poſſit quis ſimilis tenebrio blateraſſe apud Latinos, & hujus ſtultitiam ille in omnes Latinos iterùm derivaſſe. Armenii ſacras imagines omnino damnarunt. Horum nobiſcum ſacri belli tempore firma amicitia videtur nos apud Græcos reddidiſſe ſuſpectos.

Quidquid ſit, ad Nicolaum Diaconum, magnæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Caſtrenſium, rectè ſcripſit Theophylactus Archiepiſcopus Bulgariæ: *Sanè non admittamus Satanicam illam calumniam, ut Latinis non admittenda ſit imaginum veneratio.* Quod ejus Reſcriptum laudat in Reſponſis ad Conſtantini Cabaſilæ Metropolitæ Dyrrachienſis Conſulta Demetrius Chomatenus Bulgarorum item Archiepiſcopus, & ad hanc ejuſdem Conſtantini quæſtionem, *An Græcus Epiſcopus poſſit invitatus intrare Latinorum Eccleſias, & illic adorare*, reſpondit affirmativè, & dedit cauſam: *Et Latini ſanctarum imaginum ſunt cultores, & in ſuis templis eas erigunt.* An Græci in Latinis, & Latini in Græcis Eccleſiis poſſint ſepeliri, & an utriuſque gentis Clerus poſſit pro defuncto divina cantare officia, idem Dyrrachienſis Metropolita poſtulavit à Joanne Citri Epiſcopo, & hic item reſpondit affirmativè, ac dedit cauſam: *Divina templa, venerationeſque pretioſa Crucis & ſanctarum imaginum, Latinis ſunt nobiſcum communia.* Et infrà: *Etiam Latinis eſt pretioſa Crucis & divarum effigierum erectio & veneratio.* De Imperatore Manuële Paleologo, ad habenda adversùm Turcos Latina auxilia profecto in Italiam, ſcribit politica, quam ad Martinum Cruſium miſit Theodoſius Zygomalas, Conſtantinopolitana hiſtoria: *Auxilium non fuit præſtitum. Cauſa prætexebatur, Manuëlem die quodam feſto venerationem imaginis Chriſti Crucifixi, intextæ in dextro Epimanicio Chorepiſcopi, recuſaſſe. Vnde cauſa Pontifex arrepta, omnibus Italis ſcripſit: Quicumque Imperatori Græco, qui noluiſſet imaginem Chriſti adorare, auxilium ferret, eum à Sacrorum communione ſinè venia excluſum iri.* Hiſtoria errat id factum in Chorepiſcopo. Italia enim tunc non habuit Chorepiſcopos. Immo quod umquam habuerit, eſt difficilè oſtenſu. Cujuſmodi Pontificale ornamentum ſit Epimanicion, diſcere poſſis à Theodori Balſamonis opuſculo de juribus Patriarcharum. Interim Schiſmaticus Imperator non quaſvis, ſed ſolas Latinas averſabatur imagines. Nam & quidam ad Florentinam Synodum venientes Græcorum Epiſcopi noluerunt ipſas venerari. Hunc ipſum talionem poſſint neſcio qui Latini reddiſſe Græcis: Hinc naſci potuit his opinio, quòd ſacras imagines non veneraremur.

Ejuſdem farinæ eſt hæc poſtrema Michaëlis Cerularii in nos calumnia: *Latini ſanctos illos & magnos Patres noſtros Baſilium & Chryſoſtomum cum reliquis ſanctis non connumerant, nec illorum doctrinam omninò recipiunt.* Eſt refutatu indignum mendacium. Superiorem item calumniam nobis imponit repertus apud Patres Prædicatores Tractatus: *Latini hiſtorias ſanctorum præter Paſſionem Chriſti in Eccleſiis ſuis non deſignant. Et ſacras imagines renuunt oſculari.* Eſt mitior calumnia, aſt æquè falſa. Quæ enim apud nos orthodoxa gens ſolas patientis Domini imagines figit in ſuis Baſilicis? Et quaſ-

Digitized by Google

quaſvis ſanctorum imagines omninò oſculamur. Verùm nobis in more non ſunt Græcorum ritus, de quibus idem Tractatus: *Sanctæ Dei Genitricis imaginem, ut filios parturiat, Græci compellant, eâque mediante ipſam Domini matrem, ut commater fiat, accerſunt. Hoc modo imagini Syndonem connectunt, ut baptizatum puerum de manu Sacerdotis ipſa ut commater accipiat. Quam ſuperſtitionem à ſe fieri, ſermone profitentur.* Etiam Sanctos ſibi eligunt in confratres hoc ritu: *Ære conducunt Sacerdotem, cum in Eccleſia cantatur Miſſa, funduntur pro fraternitate preces. Cerei ad minùs accenduntur duo & perungituro oleo fictus frater, & ſanctam amplectitur imaginem, quam auſus eſt dicere fratrem.* Audi & alium ritum: *Græci ſinguli papyris oleo lampadarum ardentium coram imaginibus Sanctorum intinctis frontes ſuas perungunt, & aquâ ſe adſpergunt, à Reliquiis Sanctorum contacta.* An hæc omnia ſuperſtitionem contineant, non facilè dixerim: Nos interim Latini ab ipſis meritò abſtinemus. Verùm exindè ſine fundamento cenſemur ſacras imagines non oſculari. Hæc porrò ſunt capita, ob quæ Michaël nos cenſet, & à Petro Antiochiæ Patriarcha cenſeri vult indignos conſortio Chriſtiani nominis.

## CAPUT XVI.

*Exponuntur crimina, quæ Michaëli Cerulario ac ejus factioni imponit Cardinalis Humbertus.*

De nobis Latinis queritur in Florentini Concilii Hiſtoria Sylveſter Sguropulus: *Latini infamiam de nobis ſparſerunt, quòd Hæreſes non* Lib. 6.
*minùs quinquaginta quatuor profiteamur. Nec verbis id modò aſſeruerunt, ſed* Cap 4.
*Scriptis propalavêre in militum ſtationibus fori præſidio excubantium, & programmata de his in foro venumdanda publicaverunt.* Ad has plurium Epiſcoporum, qui proindè nullam cum Latinis unionem ſperandam affirmabant, coram Joſepho Patriarcha querimonias repoſuerunt Bis-Conſules *ea ſtulta programmata eſſe ſcurrarum ac morionum ingenia: Nec enim quiſquam è toto collegio aut gente Pontificiorum, aut inter Latinos ullus vir bonæ frugis, linguam contra nos acuit, ſed è contra omnes reverentur & collaudant. Quæ igitur audiviſtis in triviis objectari ab hominibus imperitis, non ita debent noſtros ſenſus affligere, ut propterea maximarum rerum jacta fundamenta convellere* Cap. 6.
*conemur.* Hæreſim eſſe inveteratum Schiſma rectè ſcribit in ſecundo adverſùs Creſconium Donatiſtam libro S. Auguſtinus. Et in litteris ad Epiſt.
Emeritum Donatiſtarum Cæſareenſium Epiſcopum dat cauſam: *Schiſ-* 164.
*matis crimen malè perſeverando etiam hæreſim feciſtis.* Quod ipſum evênit Græcis: Longum Schiſma ipſos præcipitavit in plures errores. Atqui

 interim

interim Latini quædam in illis non culpanda culparunt. Aliqui per imperitiam, aliqui per nimium pro Latinis ritibus zelum. Ita illos offenderunt graviter, & à fraterna nobiſcum unione diverterunt. Etiam Michaëlem Cerularium ac ejus Gregales de variis erroribus culpavit in latæ adversùs illos excommunicationis diplomate Cardinalis Humbertus. Qui omnes an firmè ſubſiſtant, eſt diſquirendum.

## CRIMEN I.

*Græci, ſicut Simoniaci, Dei donum vendunt.*

EOdem de crimine Græcos notat repertus Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores Tractatus: *In ſorte Simonis Magi de jure ponendi ſunt Græcorum Pontifices, qui nullis Eccleſias ſine pecunia largiuntur. Quos verè tangit iſtud Apoſtolicum:* Pecunia tua tecum ſit in perditionem. *Sacros ordines, qui gratis debent dari, niſi manus eorum ære graventur, non tribuunt. Sepulturas in cæmeteriis non faciunt, niſi acceptâ pecuniâ.* Quòd apud Græcos ſacrorum Ordinum, aliorum Sacramentorum, nec non Eccleſiaſticorum officiorum ac beneficiorum Simonia ſit admodum antiqua, frequenterque graſſata & damnata, eſt ſuo loco abundè demonſtratum. Et Enthroniſtica ac Inſinuativa, quæ à noviter conſecratis Epiſcopis & Clericis exigi permiſit & pendi juſſit Juſtinianus, ab iſta lepra non facilè expurgaveris. Certè ipſa in variis ad ſibi ſubditos Orientalis Illyrici Epiſcopos litteris impetere videtur Magnus Gregorius. Hi enim Conſtantinopolitanæ potiùs quàm Romanæ Eccleſiæ moribus ſemper adhæſerunt. Et ſeptima Synodus non tam Latinorum, quàm Græcorum damnavit Simoniam. Patriarchale Palatium inter alios Officiales olim habuit Oſtiarium, qui cunctis porrigebat Patriarchales de quovis expedito negotio litteras, exigebat pro illis, & cauponabatur. Ex antiqua conſuetudine. Ipſam de Simonia damnavit, qui ſub Leonis ſapientis Imperio ſedit, Nicolaus Myſticus Patriarcha, & ut plenè eradicaret, iſtud Palatinum Officium exſtinxit.

Magnus Epiſcopus fuit iſte Nicolaus, ideoque quamvis etiam aliam Simoniam exiſtimo ab illo exſtinctam. Quidquid ſit, revixit illa ſub Succeſſoribus, etiam quoad ſacros Ordines. Etenim in ſuis ad Photii Nomocanonem Commentariis ſcribit Theodorus Balſamon: *De Coronario Tributo, & conſuetudinibus, quæ pro ordinatione dantur, huc uſque in Republica vim habet aurea bulla celebris illius Imperatoris Iſaacii Comneni.* Hæc ſunt bullæ verba: *Majeſtas mea ſanxit, ut in ordinatione Sacerdotum nihil ampliùs capiat Epiſcopus, qui Sacerdotem ordinat, præter ſeptem aureos nummos præſtantioris monetæ Majeſtatis meæ. Videlicet unum, quando eum ſimpli-*

cem

*cem Papam, ſive Lectorem facit. Tres, quando Diaconum ordinat. Et alios tres, quando Presbyterum facit.* Confirmat Patriarchæ, qui Michaëlem Cerularium proximè præceſſit, Alexii Studitæ Synodale Decretum, de quo Synodus Patriarchæ Nicolai Grammatici: *Exiſtimant nonnulli per Provinciam Religioſiſſimi Epiſcopi ſe non parùm ex Synodali Præcepto, quod olim de Canonici præſtatione ſub beatæ memoriæ Patriarcha Domino Alexio fuit expoſitum, damni percipere, veluti quod factis deinceps Sacris & Imperatoriis ad orbis univerſi civitates Sanctionibus, per aureas bullas munitis; adverſari videretur, quatenus illud Decretum Synodale ſtatuat ſolummodo exigendum à quolibet eorum qui ordinantur, ſi Lector ſit, nummum aureum unum; ſi Diaconus, nummos aureos tres ſimiles. Si Presbyter, alios tres nummos conſimiles ſumendos alimenti nomine dumtaxat ab eo qui ordinat. Quandoquidem ſi maximè mercedem, non tamen & vivendi ſumptus excludit Evangelium. Aureæ verò bullæ à piis Principibus promulgatæ appendicem quandam deinceps invexerunt ad ea quæ ab ordinandis præſtantur.* Ex quibus verbis habemus varia. Primò, quòd exorbitantem priorum exactionum conſuetudinem Patriarcha Alexius ſit moderatus. Secundò, quòd ejus Synodale Decretum plures Imperatores aureis ſuis bullis confirmaverint. Et inter ipſos haud dubiè fuit etiam Conſtantinus Monomachus. Ita non obſcurè colligitur ex aurea bulla Imperatoris Alexii Comneni, confirmante ſimile Decretum Patriarchæ Nicolai Grammatici. Hodiè tamen habemus ſolam auream bullam Iſaacii Comneni: Emiſſam haud dubiè ad preces Michaëlis Cerularii. Tertiò habemus, quòd Epiſcopi iſtas exactiones conſtanter defenderent. Aſſerebant ſolam mercedem ſeu nundinationem, non Epiſcopalia alimenta ſeu ſtipendia eſſe Simoniaca, ac damnata ab Evangelio. Alexianum Decretum aſſerebant ab aureis bullis non confirmatum dumtaxat, ſed & ampliatum, ideóque à Patriarcha Nicolao poſtularunt non juxta illud, ſed ſecundùm has deinceps vivere. Et Nicolaus tam has quàm illud diſcuſſit Synodaliter, invenit convenire per omnia, atque iſtis poſtulatis impoſuit ſilentium. Nihilominus Alexii Patriarchæ Decretum confirmavit & purgavit: *Quod ſtipendiis propriis juxta Divinum Apoſtolum nemo militet.* Adjunxit alios expurgationis fucos, & concluſit: *Nec his amplius aliquid nomine alimentorum illius, qui ordinat, ab Ordinando expendetur.* Et hoc Synodale Decretum, nec non & dictam Iſaacii bullam confirmavit Imperator Alexius Comnenus. Et Epiſcopi videntur obediviſſe. Aſt non ipſi Patriarchæ, aut certè ipſorum Chartophylax, & alii Clerici. Omnium Ordinandorum examen ſpectabat ad Chartophylacem, ipſéque pergebat illos adeò vexare exactionibus, ut pauciſſimi ad Patriarchæ manus, plerique ad alios accederent Epiſcopos, atque ita plures promoverentur indigni, & Apoſtolicus, quemque Clericum à ſuo

Epiſcopo conſecrari mandans, Canon abiret in contemptum & diſſuetudinem. Quarè hoſce exceſſus proſcripſit Patriarcha Michaël Anchialus, & adjunxit: *Ne ſit prætextus, iſque ſatis elegans, iis qui nolunt ordinari, ad Religioſum noſtrum Chartophylacem accedentibus, quòd majorem fortè habeant innovationem, quàm olim dari fuerit conſuetudo, ei quoque rei à noſtra Mediocritate eſt hodie proviſum. Cautum eſt enim, ne antiqua in iis conſuetudo tranſiliatur, ſed illa ſolum dentur Epiſcopi Miniſtris & Religioſiſſimo hujus temporis Chartophylaci, quæ ab iis, qui ordinantur, jam olim dari conſueverunt.*

De aliis item Sacramentis Alexandriæ Patriarcha Marcus propoſuit hanc quæſtionem: *Pontifices, qui Diaconos vel Sacerdotes ordinant, item qui per Divinum Lavacrum pueros Orthodoxorum, aut aliquos Hæreticos ſanctificant, pariter qui aliquibus miniſtrant Divinas Sanctificationes, ſi in laboris præmium nummarias aliquas ſummas ab iis exigunt, rectè ne faciant, an non?* Et Theodorus Balſamon reſpondit: *Milites propriis ſtipendiis non aluntur. Et per Moyſen dixit Deus:* Non alligabis os bovi trituranti. *Si igitur per mediocrem dationem aliquam, & arbitrio ordinati, vel aliter ſanctificati, ſolatium accipere quærunt Sacerdotes & Pontifices, qui ordinant vel baptizant, nihil mali faciunt. Nam per conſuetudinem ſolemne eſt Ordinantes accipere ſolatium. Quod ſi hujuſmodi ſolitas munificentias non requirant, ſed majora dona, & quæ Ordinati facultates coanguſtent, non tantùm non exaudientur, ſed & depoſitioni ſubjicientur.* Utique tamquam Simoniaci, per ſecundum à Theodoro iſthic laudatum Chalcedonenſem Canonem. Et pro modica exactione nihil novit adducere, niſi conſuetudinem. Et certè aliquot aureorum exactio non eſt quid modicum: Præſertim in opulentis Epiſcopis, quales paſſim in Græcia fuiſſe teſtantur in litteris ad Conſtantinopolim euntes Francorum Legatos Italiæ Clerus, & Facundus Epiſcopus Hermianenſis. Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Chartophylax, & poſteà Theſſalonicenſis Epiſcopus Nicetas reſpondit rectiùs ad eandem quæſtionem, omnem in quovis Sacramento exactionem damnans de Simonia, atque adjungens: *Si quis autem Miniſtro ſpontè offerat, in ſolatium fortè paupertatis, vel honoris causâ; vel in modum liberalitatis, accipere & pro offerente vota facere non prohibetur.* Permittit ſolam ſpontaneam oblationem. Eiſdem ſordibus Græci maculant Sacroſanctum Pœnitentiæ Sacramentum. Etenim repertus Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores Tractatus ſcribit: *Prælatio Sacerdotii apud Græcos tantùm inter Monachos eſſe videtur. Soli enim Monachi poteſtatem ſolvendi atque ligandi exercent, quæ Petro & Petri ſucceſſoribus principaliter eſt tradita. Qua de cauſa ſtudium ſingulare pecuniæ Sacerdotes in Monaſtico habitu conſtitutos complectitur, multaque inde facinora profluunt, ut evaneſcant in cogitationibus ſuis.*

Quæſt. 28.

Michaëlis Cerularii tempore Græci Sacerdotes eodem modo tractarunt

Digitized by Google

runt Sacramentum Matrimonii. Etenim aurea, quæ à Patriarcha Nicolao Grammatico probatum Coronarium aurum firmavit, Imperatoris Alexii Comneni bulla perſequitur: *Præterea ſecundùm Sanctionem Imperatoris Monomachi Majeſtas mea ſtatuit, ut cùm aliqui ſubjecti territorio cujuſcumque regionis Epiſcoporum, conjugii ritu legitimis uxoribus junguntur, accipiat Epiſcopus à Sponſo quidem nummum aureum unum, à Sponſa verò linteum ulnarum duodecim, quemadmodum ſancitum eſt.* Et in Martini Cruſii Turco-Græcia Dionyſius Nauplii & Argorum Epiſcopus ſcribit ad Theodoſium Zygomalam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Proto-Notarium: *Accipio de primo Matrimonio duodecim Aſpra, de ſecundo viginti quatuor, de tertio ſexaginta. Quorum dimidium occultè Presbyteri retinent, & multa mendacia prætexunt. Ergò ſi omne jus tuum integrum, nec diminutum obtinere cupis, mitte Regium mandatum, quo nominatim perſcriptum ſit, tantum de nuptiis exigendum eſſe, quantum tributi penditur Patriarchæ, per Exarchum exigenti.* Exactio tunc dividebatur in tres portiones: Prima Epiſcopo, ſecunda Parochiali Presbytero, tertia Patriarchæ cedebat, ad pendendum Turcicum Charatzion. Nauplium tunc ſpectabat ad Venetorum Rempublicam. Hinc ejus Epiſcopus fuit ſuſpectus & accuſatus, quòd in iſto portando onere nollet Patriarcham adjuvare. Et ille culpam transſcripſit in Parochiales Presbyteros. Et de proximo Michaëlis Cerularii Anteceſſore Alexio, necnon de Imperatrice Zoë, quæ cum adultero Michaële Paphlagone Auguſtum ſuum Maritum Romanum trucidaverat, ſcribit Michaël Glycas: *Zoë Imperatrix in aureo triclinio ſedens, Michaëlem producit, & Patriarcham adigit, ut eum ſibi Maritum ſacris precibus jungeret. Patriarcha rei novitate perculſus, Sacraſne preces illas eis impartiretur, non abs re dubitabat. Quapropter Ioannes, Michaëlis frater, & Zoë quinquaginta auri libris Patriarchæ, totidemque Clero donatis, perſuaſerunt homini, ut ipſorum Matrimonium conſecraret.* Verùm malè parta malè dilabuntur. Quòd enim pingues, ex ejuſmodi nundinis forſan acquiſitos, defuncti Alexii theſauros Imperator Monomachus invaſerit, multis refert Georgius Cedrenus.

Lib. 4. Ep. 34.

Etiam pro Defunctorum ſepultura graves exactiones tum fecit Græcorum Clerus. Hinc enim in Conſtantinopolitanis originibus ſcribit Georgius Codinus: *Cæmeterium S. Lucæ condidit Irene Auguſta, ut ibi gratis ſepelirentur pauperes.* Quòd nempè anteà etiam illi debuiſſent ſolvere jura ſepulturæ. Et de defuncta Imperatrice Andronici primi Paleologi uxore Anna, ejuſque exequias celebrante Patriarcha Joanne Vecco ſcribit Georgius Pachymeres: *Perſunctus cæremonia funebri Patriarcha ſibi olim familiares ac neceſſarios multis aureis, quos illo funere lucratus fuerat plurimos, liberaliter elargiendis demeruit.* Et in Turco-Græcia ſcribit Martinus

Lib. 6. Cap. 28.

Fol.487. tinus Cruſius: *Græcorum Presbyteri ex eleëmoſynis & redditibus, quos ex certis Sacris accipiunt, vivunt. Exequias enim mortuorum, quæ illis frequentes & multiplices ſunt, alii ab eis redimere coguntur.* Quòd per Turcicam ſervitutem expilatus Græcorum Clerus vivat ex ſimilibus oblationibus, nullo modo eſt culpandum. Verùm oblatio debet eſſe ſpontanea, & compelli non poteſt populus ad ipſam redimendam. Et mirandum eſt, quod & à Latina & à Græca Eccleſia conſtantiſſimè ſemper frequentatas defunctorum exequias eſſe Apoſtolicum ac Evangelicum dogma non crediderit Cruſius, circumſcriptus ac ſeductus à Martino Luthero. In ſchiſmaticis Græcis præſertim dilexit ipſum deteſtabile ſchiſma, & odium Papæ.

Et omnes has exactiones Græcorum etiam meliores Epiſcopi improbarunt ſemper, immo & damnarunt. Nicetæ Theſſalonicenſis Archiëpiſcopi judicium jam audivimus. In ſuo ad ſecundum Chalcedonenſem Canonem Scholio Conſtantinus Harmenopulus laudat famoſas, quæ omnem in ſacris ordinationibus exactionem damnant de Simonia, ſancti Tharaſii Epiſcopi Conſtantinopolitani ad Adrianum primum Pontificem litteras, & adjungit: *Aurea verò Bulla Imperatoris Iſaacii Comneni, quam ratam eſſe juſſit & Synodica ſententia Patriarchæ Michaëlis, hæc verba continet.* Adducit verba, & pergit: *Hæc confirmavit & aliud monimentum Synodicum Patriarchæ Nicolai.* Hæc Decreta laudatis Tharaſii litteris manifeſtè opponit. Et antiqua, quam conſecratis à ſe Epiſcopis olim dabat quiſque Patriarcha, variarum inſtructionum formula ipſos rigidiſſimè jubet abſtinere ab omni Simonia, atque adjungit: *Ne conſuetudinibus quidem, quas vocant, aditus & feneſtra eſt patefacienda. Etenim hæ, quæ dicuntur conſuetudines, uti cum avaritiæ morbo irrepſerunt, ita non minus quam Simonia, ſi quidem non etiam magis, ad condemnationem Pontifices, qui harum participes facti deprehenduntur, pertrahunt: Quandoquidem ſub honeſta larva Simonis Hæreſis exercetur. Famoſum namque facinus, licet honeſto vocabulo veletur, omnimodo vitandum eſt & averſandum, adeoque magis etiam quàm id, quod apertè ſcelus ipſum præ ſe fert. Latentia nimirum ulcera difficilius ſanari ſolent, & abſurda facinora, quibus ineſt ſubdola quædam nequitia, longè ſe faciliùs in vulgus inſinuant, quàm quæ manifeſta ſunt.* Enumerat hujuſmodi conſuetudines, ponitque & hanc: *Nec item propter Hegumeni, Archimandritæ, vel Exarchi præfectionem, immo nequidem propter inſtitutionem Oeconomi vel Majoris; quod horribilius denique, non propter ordinationem Diaconi, vel Presbyteri, vel Epiſcopi, quidquam prorſus ullo modo, nec antè nec poſt ordinationem ſumere convenit. Hoc enim quam abſurdum ſit, ut equidem arbitror, etiam ſacrorum Canonum imperitis eſt manifeſtum.* Lucidè reſpicit ſecundùm Chalcedonenſem Canonem, qui inter

inter alia damnabat etiam hunc Ibæ Edeſſeni Epiſcopi exceſſum: *De ordinationibus accipit.* Noviter conſecrati Epiſcopi ſolebant ſuos Conſecratores & ipſorum Clericos munuſculo impartiri, pergitque etiam de ipſo inſtructio: *Statuimus ut Enthroniſmus, quem vocant, non ei qui ordinat Epiſcopum, abſit ut hoc fiat, ſed pauperioribus Clericis, vel alio quopiam Eccleſiaſtico munere fungentibus, Eccleſiaſticarum facultatum ratione habita, detur. Quippe ſi locuples ſit Epiſcopatus, nequaquam prohibemus, quo minùs in eos, qui Miniſteriis Eccleſiaſticis inſerviunt, & inopem vitam traducunt, vel ex beneficentiâ, munuſcula quædam conferantur.* Etiam hæc munuſcula vult eſſe non exacta, ſed ſpontè oblata. Exſtant hæc omnia in jure Græco-Romano.

Et confirmat Turco-Græcia. Etenim de Conſtantinopolitanâ, quæ ſub Turcico Solimanni ſecundi Imperio Patriarcham Joſephum quartum degradavit ob variam Simoniam, Synodo habet per Emmanuëlem Malaxum deſcripta Patriarchalis hiſtoria: *Tunc unâ eâdemque mente &* Fol.
*voce Decretum ibi ab Epiſcopis factum eſt, quo Simonis ſubtiliſſimum & impie-* 175.
*tatis plenum vitium exſcindebatur, videlicet ne ullam caperent in manus impoſitione pecuniam, ſed Divinorum & ſacrorum Canonum ſententiam inviolatam retinerent. Quod ſi Præſulum ullus hos tranſiret, jam tunc per ſe ſui muneris functione eſſe dejectum. Nihilominùs tamen Embaticion, doni neſcio quid initio dabatur, accipi permiſerunt. O indulgentiam pœnis dignam! Malæ arboris diſcuſſerunt folia & ramos exciderunt, atque ipſam adeò arborem, ſed radicem reliquerunt. Quod dico, hoc eſt: Nundinationem quidem Simoniacam Ordinationum amputarunt, ſed radicem, nempè munus, quod initio dabatur, reliquerunt. Vt ſcilicet ne deeſſet cauſa rurſus germinandi & creſcendi, punitionis apud inferos arbori.* Huic Joſepho affirmat ſucceſſiſſe Metrophanem tertium, & proſequitur: *Sub hujus Patriarchatu fuerunt quidem Pontifices, qui ob Sacerdotes creandos non accipiebant pecuniam, ſed tantùm Embaticion aliquis capiebat, quando Sacerdotem aliquem faceret, dante id Eccleſiâ. Atque cognoſcite, quæſo, quodnam Embaticion quidam eorum acceperint. Cùm in ipsâ ordinatione nullos caperent nummos, ne ſanctionem ſacrarum legum & Antiſtitum tranſirent, nec eodem cum Simone Mago crimine condemnarentur, capiebant duplex Embaticion. Ita è tali nundinatione nihil eis decidebat, ſed ad idem ſatiandæ ſuæ avaritiæ principium redibant. Væ, væ illis. Non patitur ſe irrideri Deus.* Hoc Embaticion damnavit de Simoniâ etiam Patriarcha Hieremias ſecundus, & concludit dicta Hiſtoria: *Ita, Divinæ gratiæ beneficio, evulſa & eradicata eſt Simoniaca nundinatio, & Embaticion, quod & ipſum erat Simonia maximè impia, ſicut à nobis ſcriptum ſupra exſtat.* Oſtendit ipſum per ſanctorum Apoſtolorum, magni Baſilii, & aliorum Patrum antiquos Canones de Simonia damnari. Turcica Græcorum captivitas, & indè



Digitized by Google

nata paupertas Coronarium aurum tranſmutavit in Embaticion. Notanda ſunt hæc hiſtoriæ verba: *Dante id Eccleſia.* Videtur Ordinator Epiſcopus Embaticion non ab ipſo Ordinando aut Ordinato, ſed ab Eccleſiæ, ad cujus miniſterium ordinabatur, fidelibus collectum & collatum exegiſſe & accepiſſe. Omnes has exactiones, ſub Michaële Cerulario graſſantes, & à nono noſtro Leone damnatas duriſſimè, etiam Cardinalis Humbertus rectè de Simoniâ damnavit.

## CRIMEN II.

*Græci, ſicut Valeſii, hoſpites ſuos caſtrant, & non ſolùm ad Clericatum, ſed inſuper ad Epiſcopatum promovent.*

DE Valeſiis hæreticis ſcribit in hæreticorum catalogo ſanctus Auguſtinus: *Valeſii & ſeipſos caſtrant & ſuos hoſpites, hoc modo exiſtimantes Deo ſe ſervire debere.* Quod ipſum tradunt & latiùs exponunt ſanctus Philaſtrius, & ſanctus Epiphanius: Rectè addens caſtrationem eſſe rem barbaram, à barbaris Regibus introductam in mundum. Interim ad inſtar aliarum mutilationum purgari poteſt, & fieri ex cauſis. Etenim Imperatorem Juſtinianum, quod Eſaiam Rhodi, & Andream Dioſpolis in Thraciâ Epiſcopos-Sodomitas abſciderit, & abſciſſos juſſerit circumduci in ſpectaculum, quidquid dicat in arcana hiſtoria Procopius, laudant Sanctus Theophanes, Georgius Cedrenus, & alii Græci. Et antiquæ Gothorum in Hiſpaniâ leges iſta mutilationis ſpecie puniunt quædam crimina. Quod fecerunt & aliæ gentes. Præſertim, quoniam in poſteros traduci ſolet, crimen perduellionis. Et hinc Græci ſuos Auguſtos Principes aut alios Proceres, dum degradarent & vitâ non ſpoliandos cenſerent, cum omni maſculâ prole frequenter evirabant. Sic ab aridâ radice nihil metuebant amplius. Et hoſce aridos promovebant etiam ad Epiſcopatum. Etenim de Conſtantino quarto Imperatore ſcribit ſanctus Theophanes: *Conſtantinus Juſtinianum Patricium*, quod ad patris ſui Conſtantis cædem fuiſſet in Siciliâ cooperatus, *Germani, qui deinde Patriarchæ dignitatem ſuſtinuit, patrem occidit, ipſum verò Germanum ferociùs ſe gerentem virilibus rejectis caſtigavit.* Hic eſt ille ſanctiſſimus Germanus, qui poſteà Cyzici fuit Archiëpiſcopus, ac tandem Conſtantinopolitanus Patriarcha, Catholicam Fidem ſtrenuè defendit, & multâ tolerantiâ confirmavit adverſus Iconoclaſtiam Imperatoris Leonis Iſauri. Nempe iſta vexatio petulanti juveni dederat intellectum. Et de Leone Armenio, Auguſtum Michaëlem Rangabem ejiciente, ſcribit incognitus ſancti Theophanis continuator: *Ejecto Michaële, Leo tyrannicè ſumpſit Imperium, & tonſa Procopia Auguſta Michaëlis Conjuge, filios ejus pariter per Inſulas detonſos virilibus*

Digitized by Google

*libus orbavit*. Hoſce inter fuit Nicetas, qui ex ſanctiſſimo Monacho factus fuit ſanctior Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarcha Ignatius, à Photio, ſimili item Eunucho expulſus, paſſus horrenda, & tandem per octavam Synodum reſtitutus.

Similium Epiſcoporum plurima ſunt apud Græcos exempla. Nec ſemper malè. Etenim non quoſvis, ſed ſolos à ſemetipſis caſtratos Nicena Synodus extruſit à Clero: A Barbarorum, Dominorum, Tyrannorum, aut quorumvis aliorum injuria, vel etiam à neceſſaria medicorum ope exciſos permittit permanere in Clero, imò etiam ad ipſum aſſumi, ſi tamen fuerint clari virtutibus, & inſigniter digni. Quocircà aliud non culpat Cardinalis Humbertus, quam quod anteà in ſuis ad Michaëlem Patriarcham litteris ipſe ſanctus Papa Leo: *Abſit* Epiſt. 1.
*ut velimus, quod publica fama non dubitat aſſerere, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ* Cap. 23.
*contigiſſe, ut Eunuchos contrà primum ſancti Niceni Concilii Capitulum paſſim promovendo, fœminam in ſede Pontificum ſuorum ſublimaſſet aliquando. Hoc tam abominabile ſcelus & deteſtabile facinus, & ſi enormitas ipſius vel horror, fraternaque benevolentia non permittat nos credere, conſiderata tamen incuria veſtra ergà SS. Cenſuram Canonum, quia Eunuchos, & aliquâ parte corporis imminutos, non ſolum ad Clericatum, ſed ad Pontificatum etiam indifferenter & ſolemniter adhuc promovetis, fieri potuiſſe penſamus.* Quod Conſtantinopolitani fœminam aliquando in Patriarcham promoverint, nullo nititur fundamento aut teſtimonio, ideoque ſanctus Pontifex meritò non credidit. Erat popularis in novum tunc Græcorum ſchiſma ſarcaſmus. Hinc interim lucet etiam Papiſſam Joannam eſſe manifeſtam fabulam. Nam ſi quid veri ſubeſſet, quomodo Pontifex non timuiſſet talionem? Quomodo Michaël Patriarcha, Nicetas Pectoratus, aut quis alius Græcus illum non reddidiſſet? In Latinos Græci horrendas & varias finxerunt calumnias: Hanc ne vel ſomniarunt. Nullum novi hujus fabulæ memoratorem Græcum, niſi ſolum noviorem ſcriptorem Laonicum Chalcocondylam: *Conſtat* Lib. 6.
*mulierem quandam fuiſſe ſubvectam in Pontificatum, quia ſexus ignorabatur. Nam Italia Occidentales penè omnes barbas radunt.* Videtur fabulam admittere, ut Latinam Sacerdotalis barbæ raſuram reddat odioſiorem. Eam adeò oderunt Græci, ut de Patriarchâ Joſepho tertio, qui ad Mahometis Baſſæ preces admittere noluerat cujuſdam Chriſtiani Ducis illegitimum matrimonium, ſcribat deſcripta per Emmanuëlem Malaxum Patriarchalis Hiſtoria: *Baſſa apud Sultanum*, Mahometem ſecundum, Fol.
*obtinuit ut Patriarchæ barba præcideretur.* Nec enim major illi poterat in- 122.
ferri contumelia. Et hinc in ipſius laudem concludit eadem hiſtoria: *Ioſephus, cui barbam præcidi Sultanus juſſit.* Sine fundamento addit Laonicus,

nicus, *Conſtat*. Fabulam enim abundè revincit ex Græcis ſcriptoribus Leo Allatius. Quod ipſum fecit ex aliis fundamentis Joannes Gerardus Voſſius, homo Calviniſta. Cardinalis Humbertus duo damnavit in Græcis. Primò, quod Valeſiano more non ſuos hoſpites, ſed ſuos Innoxios & Auguſtos cum omni ipſorum maſcula prole Principes tyrannicè exſcinderent, & ipſorum exſciſſores tyrannos admitterent, adorarent, coronarent ſolemniter, & myſticè ungerent in Imperatores. Eſt enim, licet in privatum patretur, capitale crimen, non tantùm per Chriſtianos, ſed etiam per Gentiles Romanorum Principes ſeveriſſimè damnatum. Et graviſſimè ſibi diſplicere Divina bonitas demonſtravit in Conſtantinô, Imperatoris Leonis Armenii, per Michaëlem Amorienſem ejecti & trucidati, caſtrato filio: Quod violenta exſectio illum etiam voce privaverit, hanc reddiderit ſancti Gregorii Nazianzeni ſalutata imago, atque ita juvenem ab Iconoclaſticâ parentis hæreſi ad rectum dogma duxerit, pluribus refert Georgius Cedrenus.

Secundum ab Humberto in Græcis damnatum crimen eſt nimia in evehendis Eunuchis facilitas, & prævaricatio Niceni Canonis. Hic enim factos à Barbaris aut Medicis Eunuchos quidem permittit manere in Clero, at in ipſum promoveri vetat, niſi ſint clari virtutibus, quibus conſueta Exciſorum vitia expungant & compenſent. Et jure merito. Nam quale ſit peſſimum iſtud hominum genus, abundè nos docere poſſit unicus in variis locis Magnus Baſilius. Vide epiſtolam ad Simpliciam hæreticam. At verò de Conſtantinopolitano Patriarcha Euſtratio Garida ſcribit Michaël Glycas: *In Coſmæ Patriarchæ locum ſuffectus eſt Euſtratius, Spado, ſimplici vir ingenio, & dignus qui in angulo degeret. Verùm & ille poſt triennium adminiſtrati Pontificatus, contra voluntatem ſuam, propter ignotam quandam cauſam deturbatur.* Occultam cauſam prodit Anna Comnena, affirmans Italum Philoſophum, quem de undecim accuſat hæreſibus, erudiendum & corrigendum fuiſſe traditum Euſtratio, & non illum ab hoc correctum, ſed hunc ab illo fuiſſe corruptum & ſeductum, ideoque & degradatum. Plures ejuſmodi Epiſcopos Græci habuerunt. Et ad quartum Trullanum Canonem ſcribit Theodorus Balſamon: *Olim Cantorum ordo non ex Eunuchis ſolùm, ut fit hodiè, conſtituebatur, ſed ex iis, qui non erant hujuſmodi.* Videntur Græci gratioſâ voce donatos adoleſcentulos exſcidiſſe, & hoſce ſolos promoviſſe in Eccleſiaſticos Cantores. Et hæc omnia meritò damnavit Cardinalis Humbertus.

Epiſt. 87.

Fol. 332.

CRI-

Digitized by Google

## CRIMEN III.

*Græci, ut Ariani, rebaptizant in nomine ſanctæ Trinitatis baptizatos, & maximè Latinos.*

PRimi, qui in Catholicâ Eccleſiâ baptizatos præſumpſerunt rebaptizare, videntur fuiſſe Novatianenſes. Anteriores iſtius facinoris attentatores ignoro. Ipſos rebaptizaſſe teſtatur in litteris ad Jubajanum Epiſcopum ſanctus Cyprianus: *Nec nos movet Novatianenſes rebaptizare* Epiſt. 73. *eos, quos à nobis ſolicitant, quando ad nos omninò non pertineat, quod hoſtes Eccleſiæ faciunt, dummodò teneamus ipſi poteſtatis noſtræ honorem, & rationis ac unitatis firmitatem.* Affirmat non ſolos Novatianenſes, ſed ipſum etiam Novatianum rebaptizare, ac edicit cauſam: *Novatianus, Simiarum more, quæ cum homines non ſint, homines tamen imitantur, vult Eccleſiæ Catholicæ authoritatem ſibi & unitatem vendicare, quando in Eccleſiâ non ſit, immo adhuc inſuper contra Eccleſiam rebellis & hoſtis exſtiterit. Sciens etenim unum eſſe baptiſma, hoc unum ſibi vindicat, ut apud ſe eſſe Eccleſiam dicat, & nos Hæreticos faciat.* Quod Pontica Eccleſia datum ab Hæreticis aut Schiſmaticis baptiſmum ſemper ex Apoſtolicâ traditione exufflaverit atque iterarit, conſtanter affirmat in litteris ad ſanctum Cyprianum ſanctus Firmilianus Cæſarëenſis Archiëpiſcopus. Verùm ex impetu in ſanctum Stephanum Pontificem ſcripſit, ideóque ira viri juſtitiam & veritatem Dei videtur non fuiſſe operata. Quidquid ſit, Apoſtolicam in Africâ adverſam conſuetudinem immutare, & ab Hæreticis baptizatos rebaptizare cepit Carthaginenſium Archiëpiſcopus cum ſuo Presbytero Tertulliano Agrippinus, iſtamque conſuetudinem innovavit ac ſtabilivit ſanctus Cyprianus, ac pacificè traduxit uſque ad Pontificatum & potentem contradictionem laudati Stephani. Pſeudo-Papatum, quem adverſus ſanctum Cornelium cœperat, iſto adhuc tempore agebat Novatianus, & à Novato neſcio cujus in Africâ Sedis Apoſtata Epiſcopo inſtructus cenſuit rebaptiſmum profuturum ſuæ factioni, cunctos Romanæ Eccleſiæ, quæ lapſos ad pacem admittere jam ceperat ſub memorato Cornelio, communicatores edixit Hæreticos, ideóque à ſe, ad cujus communionem jam contracta eſſet Chriſti Eccleſia, rebaptizandos. Quocircà non niſi ſub Stephani Papatu hæc attentavit. Hac viâ etiam Cyprianum & Firmilianum, ſummos ac Stephano adverſos Epiſcopos, ſperavit ſibi adjungendos. Et hæc omnia altè perpendens Jubajanus, vidit eſſe peſſimam radicem, ex quâ non ſoli Catholici Hæreticos, ſed etiam Hæretici Catholicos, & ſeſe mutuo rebaptizarent, atque ità rebaptiſmis impleretur Eccleſia, & contra Evangeli-

cam veritatem tot naſcerentur Baptiſmata, quot capita Sectarum. Hæc retulit ad ſuum Primatem ſanctum Cyprianum, ſperans ita à perperam inducta per Agrippinum conſuetudine revocandum. Verùm hora necdum venerat. Cypriani Reſponſum jam audivimus. Ipſum in Libris de Baptiſmo contra Donatiſtas rectè laudat ſanctus Auguſtinus, nihilominus rem peſſimam Agrippinus exorſus eſt, & ſanctus Cyprianus proſecutus. Dederunt anſam audaciæ, quam forſan ſol numquam vidiſſet. Hanc interim in Catholicos primus attentavit Novatianus, de quo ſcribit in Libris de pœnitentiâ etiam ſanctus Ambroſius: *Domine* JESU-CHRISTE, *Novatianus ſervos tuos iterati Baptiſmatis labe inquinavit.* Ad Eccleſiam venientes Novatianenſes ſola manus impoſitione admittendos ſcribit ad ſanctum Victricium Rothomagenſem Epiſcopum ſanctus Pontifex Innocentius primus, ac adjungit: *Præter eos, qui fortè à nobis ad illos tranſeuntes ſunt rebaptizati.* Hi reſipiſcentes *ſub longâ pœnitentiæ ſatisfactione admittendi ſunt.* Horum pœnitentiam ſanxit, non à Subſtratione, ſed à Fletu inchoandam. Lucidè ſupponit Novatianenſes etiam tunc rebaptizaſſe. Videtur tamen crimen toti factioni non fuiſſe commune. Uti circà Paſchale feſtum, ita circa hoc facinus fuêre diſcordes.

Lib. 3. Cap. 11. — Lib. 1. Cap. 6. — Cap. 8.

Donatiſtis fuit univerſale, & adeò famoſum, ut de ipſis dicat prima Arelatenſis Synodus: *Afri propriâ ſuâ lege utuntur, ut rebaptizent.* Fuit inter palmaria factionis fundamenta. Attamen ab ipſo factionis exordio non plenè viguit. Ita teſtatur in litteris ad Vincentium Rogatiſtarum Cartennenſem in Mauritania Epiſcopum ſanctus Auguſtinus: *Tichonius, homo veſtræ Communionis, ſcribit à ducentis & ſeptuaginta Epiſcopis veſtris Concilium Carthagine celebratum, in quo per ſeptuaginta & quinque dies, poſtpoſitis omnibus præteritis, limatam eſſe ſententiam atque decretum, ut Traditoribus, immenſi criminis reis, ſi baptizari nollent, pro integris communicaretur. Deuterium etiam Marionenſem Epiſcopum communionis veſtræ dicit Traditorum plebem congregatam Eccleſiæ miſcuiſſe, & ſecundùm Statuta Concilii, à ducentis & ſeptuaginta Epiſcopis veſtris facti, feciſſe cum Traditoribus unitatem. Nec ſolùm huic Deuterio, ſed etiam univerſis Maurorum Epiſcopis per quadraginta annos, quos ducit uſque ad perſecutionem per Macarium factam, Traditoribus ſine baptiſmo communicaſſe.* Et in populari contra Donati partem Pſalmo Romanum Papæ Melchiadis Judicium, & Donatiſtarum ab ipſo appellationem exponit, ac pergit: *Donatus ubique victus cœpit Chriſtianos ubique rebaptizare.* Carthaginenſem adversùs Cæcilianum à Secundo Tigiſitano Epiſcopo factam Synodum memorat Auctor Libri adverſus Fulgentium Donatiſtam, & adducit hocce Martiani iſthic Epiſcopi Suffragium: *Sicut palmites infructuoſi amputati pro-*

Ibid. — Epiſt. 48.

*projiciuntur, ita Thurificati, Traditores, & qui in ſchiſmate à Traditoribus ordinantur, manere in Eccleſiâ Dei non poſſunt, niſi cognito ululatu ſuo per pœnitentiam reconcilientur.* Et addit hunc commentarium: *Per pœnitentiam, non per tinctionem.* Affirmat ſchiſmatis Auctores non rebaptizaſſe, ideoque à poſteris imitandos. Donatus magnus, proximus Majorini, primi in ſchiſmate contra Cæcilianum Epiſcopi, Succeſſor ſcripſit epiſtolam, in quâ agit ut nonniſi *in ejus communione baptiſma Chriſti eſſe credatur.* Ipſam refutavit ſanctus Auguſtinus, ac in ipſius, quod latet Lib. 1.
aut periit, operis retractatione ſcribit: *Sane non Donatus Carthagi-* Cap. 21.
*nenſis, ut Chriſtiani rebaptizarentur, inſtituit, quod ego eum inſtituiſſe credideram, quando ejus epiſtolæ reſpondebam.* Audaciæ Auctorem aſſerit fuiſſe Donatum in caſis nigris Epiſcopum, qui primus Carthaginenſem laceravit Eccleſiam, & Altare erexit contra Altare. Nam & hunc, non Donatum magnum de rebaptiſmo damnavit Melchiades. Hic ergò eſt primus audaciæ fons, quam in omnem Africam traducere conatus fuit Magnus Donatus, ſed cunctis ſuæ turbulentiæ adjutoribus non potuit ſtatim perſuadere. A Macario, Imperatoris Conſtantis Legato, offenſa factio illi tandem acquievit. Et tunc exiſtimo prodiiſſe ejus memoratam, non doctrinalem, ſed Primatialem epiſtolam, quâ tanquam totius Africæ Exarchus edixit validum baptiſma eſſe in ſolâ ſuâ parte. Nam & hinc ad ſanctum Auguſtinum Fortunius Tuburſicenſis
Donatiſtarum Epiſcopus dixit, *tamdiu tranſmarinarum partium Eccleſias* Epiſt.
*manſiſſe innocentes, donec conſenſiſſent in eorum ſanguinem, quos Macarianam* 163.
*perſecutionem pertuliſſe dicebat.* Eodem Macariano tempore exiſtimo prodiiſſe Synodale Decretum, de quo perrexit idem Fortunius: *Jam forma facta eſt, ut quiſquis ad nos fidelium de vobis venerit, baptizetur.* Et Auguſtinus addit: *Quod eum invitum & cum dolore dicere, quantum poterat, apparebat.* Etiam plurimis Laicis diſplicuiſſe rebaptiſmum affirmat in quinquageſimi quarti Pſalmi commentario, & laudat has ipſorum querulas voces: *Verè, malè fit, utinam poſſet non fieri. Sed quid facimus de Statutis noſtrorum Majorum?* Paulum & Macarium ad pacandos Donatiſtarum animos, & exſtinguendum ſchiſma, cum magnis donis & Auguſtæ benevolentiæ ſignis legavit Imperator Conſtans: At ſinè effectu. Sanctum Principis opus adeò infamavit Donati factio, ut non erubeſceret in plebem ſpargere: *Quod qui guſtaret aut acciperet de Sacrificio adventantis unitatis, de Sacro,* utique Idolorum, *ſumere videretur.* Etiam ipſum Principem ac ejus præcipuos Magiſtratus horrendè blaſphemarunt. Et quò Chriſtianæ paci omnem ſpem præciderent, ac inter ſe & Eccleſiam firmarent perpetuum & immenſum chaos, rebaptiſmum generali Canone ſtabilierunt. Et tunc Gratus, Catholicus Carthaginen-

ſium

Digitized by Google

ſium Epiſcopus, contra iſtum Canonem egit illa omnia, quæ laudantur in primâ Carthaginenſi Synodo. Ab exordio itaque ſchiſmatis ſolus cum paucis turbulentis ſociis Donatus Caſenſis rebaptizare cœpit ſolos Cæciliano communicantes Afros, facinus propagare ſtuduit Donatus magnus, & tandem poſt Conſtantis Auguſti & Macarii Legati in reparandâ unitate ſtudium ſanxit omnes totius Mundi fideles eſſe rebaptizandos.

Quod tamen Fortunius Epiſcopus de facinore erubuerit, jam nobis dixit S. Auguſtinus. Et Maximinum neſcio cujus alterius civitatis Donatiſtam Epiſcopum laudat in aliis litteris, quod paſſim crederetur non
Epiſt. 203. rebaptizare. Et haud dubiè fuerint plures ſimiles Epiſcopi. Nam & omnes Primianiſtæ datum extra ſuam communionem à Maximianiſtis, quos ad Dathan & Abyron proſcripſerant teterrimis elogiis, Baptiſma probarunt & admiſerunt, & de hoc ipſorum in ſua paterna Decreta obvio opere pergit Auguſtinus in Libris de Baptiſmo: *Sentiunt quam ſceleratè jam faciant, recepto Baptiſmo Maximianenſium, violare Baptiſmum orbis terrarum. Sed timent rebaptizatos ſuos, ne fortè non eis parcant, ſi & ipſi pepercerint cæteris; ne de illis exigant animas ſuas, ſi animas aliorum trucidare ceſſaverint.* Lib. 2. Cap. 11. Demonſtrat Donatiſtis tunc fuiſſe apertos oculos, & de ſuâ ſacrilegâ audaciâ exinde palam erubuiſſe. Et hinc pœnales, quas poſt Carthaginenſem Collationem emiſerunt in ipſam Romani Auguſti, Leges fecerunt fructus ampliſſimos. Habes illos in ſexto decimo libro Codicis Theodoſiani. Nec ſolùm à nobis datum baptiſma, ſed etiam Confirmationem, Euchariſtiam, Ordinem, & quævis exufflarunt Sacramenta. Euchariſtiam conculcarunt pedibus uti profanam, & ſuis canibus projecerunt. Et adversùs Leontium ipſorum Ruſticianenſem Epiſcopum dixit ad Carthaginenſem Collationem noſter neſcio cujus civitatis Epiſcopus Terentius: *Iſte rebaptizabat poſt partem Donati, rebaptizatus eſt poſteà, & ſic eſt ordinatus.* Exiſtimo Leontium primò fuiſſe Urbaniſtam, Rogatiſtam, aut Maximianiſtam, ac tandem ad Primianiſtas, utique cardinales Donatiſtas, quorum exufflabat baptiſma, per novum baptiſmum tranſiiſſe. Ex rebaptiſmo naſcuntur tales tragœdiæ. Quarè Imperator Arcadius in ſcriptâ ad Adrianum Prætorio Præfectum lege rectè edixit Donatiſtas eſſe non tantùm Schiſmaticos, ſed veros Hæreticos.

Eandem ſacrilegam rebaptizandi audaciam adſumpſerunt Ariani.
Lib 16 tit 6. leg. 4. Teſtatur hoc in Libro de Hæreſibus ſanctus Auguſtinus: *Ab Arianis rebaptizari Catholicos novimus, utrùm & non Catholicos, neſcio.* Quod ſacras etiam Virgines rebaptizarint in Africâ, lamentatur in Epiſtolâ ad Co-
Epiſt. 70. mitem Bonifacium. Et in libris de Symbolo declamat in Arianos: *Ser-*

*pens*

*pens iniquè, Chriſtum exufflas, Catholicum rebaptizas.* Et in ſermone de tempore barbarico: *Quem Chriſtus per Baptiſmum vivificavit, quarè eum Arianus rebaptizando occidit?* Et à neſcio quo vetuſto & authentico Doctore ſcriptum fidei Breviarium: *Ariani, ſi quos de nobis ſeducere poſſint, inconſideranter rebaptizant.* Et in ſermone adversùs Valentiniani ſecundi de tradendis Baſilicis Edictum ſanctus Ambroſius: *Cur rebaptizandos Auxentius*, in Mediolanenſem Eccleſiam intruſus Arianorum Epiſcopus, *fideles populos putat, baptizatos in nomine Trinitatis?* Et in Liberii Pontificis vita habet Liber Pontificalis: *Urſacius & Valens*, Ariani Epiſcopi, *rogaverunt Conſtantium Auguſtum, ut revocaret Liberium de exilio, & unâ tantùm communione participaret extra ſecundum Baptiſmum.* Liberium, dummodò ipſorum communionem admitteret, ſpoponderunt diſpenſatoriè non rebaptizare. Quod ſi verùm ſit, lucet etiam Epiſcopos ab ipſis fuiſſe rebaptizatos. Et pergit idem Liber de Fœlice ſecundo: *Hic declaravit Conſtantium* Imperatorem *hæreticum, & ſecundò rebaptizatum ab Euſebio Nicomedienſi.* Quòd Wandalorum in Africa Reges Ariani cunctos ibi Orthodoxos, etiam Epiſcopos, ad Rebaptiſmum coëgerint, & ex hac cauſa plurimos crearint Martyres, demonſtrat in ipſorum Geſtis Victor Epiſcopus Vitenſis. Audiamus unum ejus locum: *Wandalorum Epiſcopi atque Presbyteri cum armatorum manu nocturnis temporibus vicos & oppida circuibant, & ſic deſpicatibus januarum, aquam gladiumque portantes, animarum prædones intrabant. Et quos domi repererunt, alios fortè in lectulis ſoporatos imbre igneo atque fulmineo reſpergentes, Dæmoniacâ vociferatione Chriſtianos ſuos ipſi pariter vocitabant, ut ludum prorſus ſuæ hæreſios, magis quàm aliquam religionem oſtenderent. In quo minùs capaces & ignavi impletum in ſe pollutionis ſacrilegium putabant, prudentiores verò nihil ſibi, quod nolentibus atque dormientibus ingeſtum eſt, obeſſe gaudebant. Nam & multi eâdem horâ cinerem capitibus ſuis injecerunt, alii ſeſe, vel quia factum eſt, cilicio lugubri texerunt, nonnulli cœno fœtido linierunt, & linteamina illa violenter impoſita per fila conſciderunt, atque in latrinis & fœtidis locis manu fidei projecerunt. Tali violentiâ, nobis videntibus, Carthagine filius cujuſdam nobilis, annorum circiter ſeptem, juſſu Cyrillæ,* Ariani Epiſcopi, *à parentibus ſeparatus eſt, matre ſine verecundia matronali ſolutis crinibus, poſt raptores totâ urbe currente, infantulo clamante, ut poterat:* Chriſtianus ſum, Chriſtianus ſum, Chriſtianus ſum. *Cui & os obturantes, infantem in ſuum gurgitem demerſerunt.* Plures ejuſmodi tragædias iſtic habes. Iſta linteamina erant baptizatorum Sabana. Quòd enim ſolos nudos, juxta ſolennem tunc Eccleſiæ morem, baptizare vellent, & vigilantem hominem denudare Ariani non facilè poſſent, nocturnâ in quiete domos irrumpebant, & dormientes Afros rebap-

Lib. 2. Cap. 13. Cap. 8. Fol. 131. Lib. 3.

tizabant in lecto. Hinc & iſtum verè Chriſtianum puerum demerſerunt in ſuum gurgitem. Hinc item intelliges lepidam facti ſpeciem, quam de nobili Hiſpana puella & Wandalorum Rege Trazamundo refert in Francorum Hiſtoria ſanctus Gregorius Turonum Epiſcopus: *Cùm puella Regiis fuiſſet oblata conſpectibus, cæpit eam primò ad rebaptizandum blandis ſermonibus inlicere. Et cùm frangi non poſſet, ad rebaptizandum invita deducitur. Cumque in illud cænoſum lavacrum vi cogeretur immergi, ac proclamaret*, Patrem cum Filio ac Spiritum ſanctum unius credo eſſe ſubſtantiæ, *digno aquas unguine cunctas infecit, id eſt, fluxu ventris adſperſit*. Addit ob iſtud Hiſpanicæ veraciter fidei facinus fuiſſe ſubjectam horrendis tormentis, & tandem capite plexam. Simile Conſtantini Caballini & Imperatoris Wenceſlai in ſacrum fontem infantile opus demonſtrat iſtis adhuc temporibus baptizandos infantes fuiſſe naturaliter nudos. Laudatus Gregorius ibidem adducit inſignem ac verè paſtoralem Epiſtolam, quâ ſanctus Carthaginenſium Primas Eugenius ſuum populum ad firmam in tantis perſecutionibus fidem adhortatur, atque adjungit: *Servate unici Baptiſmatis gratiam, cuſtodientes Chriſmatis unctionem. Nemo poſt aquam revertatur ad aquam, renatus ex aqua*. Tanta interim iſtic facta eſt ſtrages, tantuſque Rebaptizatorum numerus, ut ad Orthodoxos ubique Epiſcopos ſcripſerit Fælix tertius Pontifex: *Qualiter in Africanis regionibus aſtutia Diaboli ſævierit in Populum Chriſtianum, ut non modò vulgus incautum, ſed ipſos quoque in mortis profunda demerſerit Sacerdotes, nullus non orbis gemuit, nulla terra neſcivit*. Utique per iteratum Baptiſma. Hinc varias præſcribit Regulas, juxta quas rebaptizati Afri deberent admitti in Pœnitentiam & Communionem.

Lib. 2. Cap. 2.

Epiſt. 7.

Etiam in Gallia graſſatum eſt malum. Lucet ex ſancti Aviti Vienenſis Epiſcopi ad Victorium Gratianopolitanum Antiſtitem, qui à nobis factas Baſilicarum dedicationes ab Arianis Burgundis exufflari & iterari queſtus fuerat, Reſcripto: *Non mirum eſt, ſi dedicationes geminare audeant, qui Baptiſmata confrequentant*. Conſonat tertia Aurelianenſis Synodus: *Iudex civitatis vel loci, ſi Hæreticum vel Bonoſiacum vel cujuſlibet alterius hæreſis Sacerdotem, quamcumque perſonam de Catholicis rebaptizaſſe cognoverit, quia Reges nos conſtat habere Catholicos, non ſtatim rebaptizantes adſtrinxerit, & ad Regis Fidem atque Iuſtitiam propterea diſtringendos adduxerit, annuali excommunicationi ſubdatur*. Nempè Burgundionum aut Gothorum Ariani Sacerdotes quandoque adventabant in Franciam, & iſtud facinus illic attentabant. Notanda ſunt verba: *Quia Reges habemus Catholicos*. Edicunt licentiam, quæ ſub gentilibus Francorum Regibus fuerat iſti facinori, jam eſſe proſcriptam atque ablatam.

Epiſt. 6. Cap. 31.

tam. Nam quòd antea Ariani per Galliam liberè graſſarentur, docet ſancti Remigii cum illis diſputatio.

Facinus cum Arianis Gothis & Wandalis tranſivit quoque in Hiſpanias. Etenim ſub Theodorici tertii Regno celebrata Ilerdenſis Synodus ſtatuit: *De his, qui in prævaricatione rebaptizati ſine aliqua neceſſitate vel tormento delapſi ſunt, placuit ut circa eos illa Nicænæ Synodi Statuta ſerventur, quæ de prævaricatoribus cenſita eſſe noſcuntur.* Uti in Africa, ita & in Hiſpania Barbari Ariani non ſolùm verbis, ſed etiam tormentis ad rebaptiſmum compellebant. Nam omne hoc malum ex Hiſpania tranſivit in Africam. Omnium acerbiſſimus fuit Rex Levigildus, de quo ſcribit in Gothorum Chronico ſanctus Iſidorus: *Auſus eſt etiam inter cætera hæreſis ſuæ contagia rebaptizare Catholicos, & non ſolùm ex plebe, ſed etiam ex Sacerdotalis Ordinis dignitate. Sicut Vincentium Cæſar-Auguſtanum, quem de Epiſcopo Apoſtatam fecit, & tamquam è Cœlo in inferna projecit.* Leovigildus rebaptiſmun non inſtituit, ſed ſopitum aut dormiturientem ſolummodò reſuſcitavit. Etenim de Juſtiniano, qui ſub Theudis Regno circa ſexti ſæculi medium rexit Valenſem Eccleſiam, habet in Eccleſiaſticorum Scriptorum catalogo laudatus Iſidorus: *Iuſtinianus Epiſcopus ſcripſit librum reſponſionum ad quemdam Ruſticum de quæſtionibus interrogatis. Quarum tertia reſponſio eſt de Baptiſmo Chriſti, quod iterare non licet. Quarta reſponſio eſt de diſtinctione Baptiſmi Ioannis & Chriſti.* Nempè Ariani, Donatiſtas imitati, ſanctorum Apoſtolorum, qui poſt Joannem rebaptizarunt, exemplo conabantur facinus purgare. Alios tres germanos fratres Epiſcopos habuit Juſtinianus: Hæc ſancta quadriga ſacrilegam audaciam inſigniter contrivit. Et hæc per Leovigildum reparata invenit etiam potentes adverſarios. Lucet ex Chronico venerabilis Joannis Abbatis Biclarenſis: *Leovigildus Rex in urbem Toletanam Synodum Epiſcoporum Arianæ Sectæ congregat, & antiquam hæreſim novello errore emendat, dicens de Romana religione ad noſtram Catholicam fidem venientes non debere baptizari, ſed tantummodò per manûs impoſitionem & communionis perceptionem pollui, & gloriam Patri per Filium in Spiritu ſancto dari. Per hanc ergò ſeductionem plurimi noſtrorum cupiditate potiùs impulſi in Arianum dogma declinant.* Reparatum rebaptiſmum, quòd videret Arianiſmo obeſſe potiùs quàm prodeſſe, ipſe deſperatus circumſcripſit & abolevit. Ejus novellus error fuit, quòd noſtros Apoſtatas compulerit glorificare in Arianam formulam: *Gloria Patri per Filium in Spiritu ſancto.* Attamen iſta abolitio non plenè obtinuit. Ariani Epiſcopi & Clerici inveteratum facinus noluerunt deſerere. Lucet ex tertia Toletana Synodo, in qua Gothorum Epiſcopi & Proceres cum Rege Richaredo ſuſceperunt Romanam fidem, fecerunt ſolennem

Ttttt 2 ipſius

Digitized by Google

ipſius profeſſionem, & in ipſa poſuerunt hunc etiam articulum : *Quicumque rebaptizandi ſacrilegum opus eſſe bonum credit aut crediderit, agit aut egerit, Anathema ſit.*

Omnium Arianorum audaciſſimus in hoc ſacrilego facinore fuit Eunomius Cyzicenus Epiſcopus, cujus natales, mores, ſtudia, progreſſum inſigniter depingit ſanctus Gregorius Nyſſenus Epiſcopus, atque adjungit : *Qualia quidem Eunomiani in occulto doceant, & quænam evulgent; & qualia ipſis à gravi ſcilicet myſteriorum Antiſtite tradantur, modumque & ritum Baptiſmalem, ſi quis accuratè noſſe velit, ipſos interroget, quibus nulla eſt religio turpia ac indecora proloqui. Nos tacebimus. Neque enim æquum eſt etiam accuſatores horum meminiſſe, cum norint verbis quoque honorare puritatem, neque prætextato ſermone libros commaculare. Quamvis à veritate alienum non eſſet id, quod diceretur.* Caſtus Gregorii calamus erubuit obſcæna myſteria enuntiare. Ipſa tamen edixit in Panario ſanctus Epiphanius : *Eunomius, qui ad hæc tempora ſupereſt, eos qui baptizati jam fuerunt, iterum baptizat, non modo qui à Catholicis, aut ab aliis hæreſibus, ſed etiam qui ab ipſiſmet Arianis deficiunt.* Ab Euſebiana factione correctum & mitigatum Arium in ſuas blaſphemias plenè reparavit Ætium Diaconum ſectatus Eunomius, atque ita non ſolos nos Orthodoxos, & aliarum Sectarum ſequaces, ſed etiam ſuos mitigatos Arianos cenſuit Hæreticos, & rebaptizandos. Rebaptiſmi fundamentum ſubjungit ſanctus Epiphanius : *Repetiti porrò illius Baptiſmi ea formula eſt, In nomine Dei increati, & in nomine filii creati, & in nomine Spiritus ſanctificantis & à creato Filio procreati.* Alii aſſerunt quòd in Domini mortem baptizarit. Nempè factio fuit variè lacerata. Quidquid ſit, uniformem trium perſonarum invocationem cenſuit non eſſe legitimum verbum, ideoque in ipſo non donari validum Sacramentum. Etiam trinam merſionem garrivit non eſſe legitimum elementum.
Lib. 2. Hinc noſtrum Baptiſma calumniatus eſt de duplici ſubſtantiali vitio.
Cap. 26. Rem illuſtrat Hermias Zozomenus : *Quidam memorant iſtum Eunomium primum auſum eſſe adſerere Divinum Baptiſmatis lavacrum unicâ immerſione debere peragi, ſicque traditionem ab Apoſtolorum temporibus ad hoc uſque tempus obſervatam violaſſe.* Et infrà : *At verius, credo, uti etiam aliis videtur, dicunt hi, qui tradunt Theofronium Cappadocem, & Eutychium, iſtius Sectæ fautores, cum temporibus Imperatoris, qui proximè ſucceſſerat, ſe ab Eunomio diviſiſſent, nonnulla cum in aliis Eunomii Decretis, tum in ſacro Baptiſmate novare cœpiſſe, non in Trinitatem, ſed in mortem Chriſti baptizandum eſſe adſerentes, Eunomium autem nihil hac in re novaſſe, ſed de ea idem ab initio, quæ Arius, ſenſiſſe, & in illa ſententia permanſiſſe.* Et iterùm : *Quin etiam teſtes ipſi ſunt, quòd quoſcumque ad ſuam opinionem traduxerint,*

*etiam*

*etiam rebaptizent, etiamſi antea ſecundùm Catholicæ Eccleſiæ traditionem eodem fuiſſent initiati myſterio. Quæ certè res Eccleſiam non mediocriter conturbavit.* Lucidè affirmat Evangelicum Baptiſmi verbum ac elementum fuiſſe ab Eunomio, aut ejus Diſcipulis Theofronio ac Eutychio proſcriptum ac mutatum, & rebaptizandi audaciam ab ipſis proceſſiſſe. Audaciam eſſe ab ipſo Eunomio, ſuprà audivimus ab irrefragabilibus teſtibus, vulgari Apoſtolorum Canone, Canone ſeptimò Conſtantinopolitanæ Synodi, ſancto Epiphanio, ac Theodoreto. Et hinc Imperatoris Gratiani ad Heſperium Prætorio Præfectum ſcripta adverſum Rebaptizantes ſevera lex eſt omninò adversùs Eunomium & Eunomianos. Lucet ex hac Honorii & junioris Theodoſii ad Aurelianum Prætorio Præfectum Lege: *Domus Eunomianorum propriæ Clericorum, quæ apud inclytam urbem habentur, Fiſci juribus addicantur, in quibus nefarios conventus habitos, vel iteratum Baptiſma claruerit, quod in modum ſemel nati hominis ſemel à Deo conceditur.* Contra Eunomianos prodiit etiam hæc Arcadii ad Eutychianum Prætorio Præfectum lex: *Si in qualibet poſt publicatam ſolenniter juſſionem urbe deprehenſi, aut aliquam celebrandæ ſuperſtitionis gratiâ ingreſſi domum probabuntur, & ipſi ademptis bonis ultimâ animadverſione plectantur, & domus, in quam ingreſſi, nec ſtatim à Domino expulſi aut proditi fuerint, Fiſco ſine dilatione ſocietur.* Publicis Eccleſiis per Gratianum excluſi ad alienas privatorum ædes, & his per Arcadii gladium ejecti Eunomiani proprias ſibi ad Rebaptiſmum compararunt, atque ipſas fiſco ſuo addicunt Honorius & Theodoſius. Duriſſimis legibus eos vexavit etiam magnus Theodoſius: Haud dubiè ob Rebaptiſmum. Etiam pleræque ſub titulo, *Ne Sanctum Baptiſma iteretur*, Leges ſunt adverſùm Eunomianos. Sub hæretico Valentis Imperio graſſatus eſt Eunomius, ideoque ſub ſucceſſore magno Theodoſio facta Conſtantinopolitana Synodus ſtatim damnavit iſtam audaciam: Et omnes laudatæ Leges ſeptimum illius Canonem firmant ac exſequuntur. Omnes loquuntur de ſolo Eunomio, nulla de Eutychio aut Theofronio, ideoque conſtat illum eſſe audaciæ fontem. Et hinc nec apud magnum Athanaſium, nec apud ſanctum Hilarium Pictavienſem, nec apud Luciferum Calaritanum, qui Arianorum facinora abundè edicunt, ulla eſt Rebaptiſmi memoria. Nempè ſcripſerunt ſub Conſtantii aut Juliani Imperio ante Eunomium. Eadem de cauſa magnus Baſilius, ac Fauſtinus & Marcellinus, Romanæ Eccleſiæ, verùm Luciferianæ factionis, Presbyteri, Euſtatium Sebaſtenſem, Georgium Alexandrinum, alioſque Arianos Epiſcopos durè & meritò damnant de exufflatis ac repetitis Catholicæ Eccleſiæ ordinationibus, at penitus tacent de Rebaptiſmo. Hinc item Liber Pontificalis, qui Liberium Pontificem

affirmat ab Urſacio & Valente fuiſſe de ſingulari gratia admiſſum ſine Rebaptiſmo, omninò fallitur. Etiam dum affirmat Imperatorem Conſtantium ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo rebaptizatum. Etenim longè aliter ſcribit in libro de Ariminenſi ac Seuleucienſi Synodo magnus Athanaſius: *Conſtantius hæreticus fuit, qui ad finem uſque permanens in impietate, ac deindè moriens voluit, non à piis viris, ſed ab Euzoio, non ſemel, ſed ſæpiùs ob Arianam hæreſin, & cùm Diaconus eſſet, & cùm Antiochiæ reſideret, depoſito & rejecto, baptizari.* Apud Mopſocrenas in ſpectante ad Antiochenum Patriarchatum Cilicia defunctus eſt Conſtantius, ideoque non à Conſtantinopolitano, tunc dudum defuncto, Euſebio, ſed ab Antiocheno Epiſcopo Euzoio videtur baptizatus. Mediolanenſium Pſeudo-Epiſcopus Auxentius fuit homo Cappadox, atque ita rebaptizandi facinus poſſit accepiſſe ab Theofronio, deportaſſe in Italiam, & traduxiſſe per Occidentem. Quidquid ſit, licet nec Eunomii profanum verbum, nec ſacrilegum elementum admiſerint alii Ariani, admiſerunt tamen rebaptiſmum: Quò ſe à nobis longiùs alienarent.

Sub dicti Conſtantii Imperio celebrata Ariminenſis Synodus dedit occaſionem Luciferiano ſchiſmati. Lucifer Calaritanus Sardorum Metropolita fuit immaculatæ Communionis & Catholicæ diſciplinæ ſem-
Anno per tenaciſſimus, adeò ut de ipſo ſcribat in Euſebiani Chronici ſupple-
1371. mento ſanctus Hieronymus: *Lucifer Calaritanus Epiſcopus moritur, qui numquàm ſe Arianæ miſcuit pravitati.* Lapſos in dicta Synodo, & Ariana, non hæreſi, ſed ſolâ Communione pollutos Epiſcopos eſt adeò averſatus, ut lacerare Eccleſiam maluerit, quàm ipſis uti Epiſcopis communicare. Antiquum avitæ diſciplinæ Canonem, qui in hæreſim aut ſchiſma lapſum Epiſcopum aut Clericum proſcripſit ad Laicos, cenſuit indiſpenſabilem, ideoque lapſis iſtis factam à Romana Eccleſia diſpenſationem edixit prævaricatricem confuſionem, atque ita omnem Chriſtianitatem contractam ad ſolam maſtrucam Sardorum. Edixit Arianos, & omnes illis communicantes eſſe Gentilibus ſimiles, ideoque non referre, ſi aut ex ipſis aut ex Gentili Capitolio accipiantur aut recipiantur Sacerdotes. Attamen datum, non ſolùm à nobis, ſed etiam ab Arianis Baptiſma habuit ratum, & vetuit iterari. Ita teſtatur in Dialogo adversùm Luciferianos ſanctus Hieronymus. Orthodoxo illic roganti, *Si Ariani, ut dicis, Gentiles ſunt, & Arianorum conventicula ſunt caſtra Diaboli, quo modo in caſtris Diaboli baptizatum recipis*, reſpondet Luciferianus: *Recipio, ſed Pœnitentem.* Largè hæc exponit & pergit: *Recipimus Laicos, quoniam nemo converteretur, ſi ſe ſciret rebaptizandum.* Et in libro de Chriſtiano Agone ſcribit ſanctus Auguſtinus: *Luci-*

*Luciferiani neminem rebaptizant.* Et meritò addit: *Rectè faciunt.* Hoc Cap. 30.
ſchiſma pertinaciſſimè foverunt Romani Presbyteri Fauſtinus & Marcellinus, & pro ipſo apud magnum Imperatorem Theodoſium expanderunt omnes ſuæ eruditionis ac eloquentiæ nervos: Quoſdam Arianorum Epiſcopos de attentatis reordinationibus accuſant, uti de horrendo facinore, ideóque certum eſt ipſos ab illo, & longè magis à rebaptiſmo fuiſſe alieniſſimos.

In idem ſchiſma lapſus fuit Hilarus Romanæ Eccleſiæ Diaconus, qui non dumtaxat Arianorum Epiſcopos aut Clericos in gradum, ſed nec ipſorum baptizatos voluit ſine novo Baptiſmate in communionem admittere, & de quo ſcribit in Luciferiano Dialogo ſanctus Hieronymus: *Hilarus, cùm Diaconus de Eccleſia receſſerit, ſoluſque, ut* Cap. 8.
*putat, turba ſit mundi, neque Euchariſtiam conficere poteſt, Epiſcopos & Presbyteros non habens, neque Baptiſma ſine Euchariſtia tradere, & cùm jam homo mortuus ſit, cum homine pariter interiit & Secta. Quia poſt ſe nullum Clericum Diaconus potuit ordinare. Eccleſia autem non eſt, quæ non habet Sacerdotes.* Eccleſia enim, teſte ſancto Ignatio Martyre, eſt Populus ſub Epiſcopo adunatus. Hilarus fundabat ſe in damnato S. Cypriani facto, ideóque pergit in ipſum S. Hieronymus: *Antequàm Ariminenſis* Cap. 9.
*Synodus fieret, antequàm Lucifer exularet, Hilarus Romanæ Eccleſiæ Diaconus ab Hæreticis venientes in eo, quod prius acceperant, Baptiſmate ſuſcipiebat. Niſi fortè tantùm Ariani hæretici ſunt, & ab his ſolis baptizatum recipere non licet, ab aliis licet.* Ebionitas, Manichæos, Cherintianos, alioſque ſimiles eſſe Arianis fœdiores, & tamen anteà ſine novo Baptiſmo fuiſſe ab Hilaro admiſſos, & ſancti Cypriani temeritatem illi tunc diſplicuiſſe affirmat, ideóque admiratur & ridet hujus in ipſum novi luminis delapſum. Præſertim poſt toties, etiam à Nicæna Synodo, damnatam ſancti Cypriani ſententiam. E Luciferiano igitur ſchiſmate ſolus Hilarus rebaptizare præſumpſit. Unicus Diaconus totum mundum. Hinc lepidè & rectè ſanctus Hieronymus ipſum titulat *Orbis Deucalionem.* Quantus Eccleſiæ Doctor ac Pugil fuerit ante lapſum Lucifer, docent epiſtolæ Liberii Pontificis, & in epiſtola ad ſuos Monachos magnus Athanaſius. Proindè qui ſtat, videat ne cadat. Appollinariſtæ, Pelagiani, Neſtoriani, ac primi Eutychianiſtæ nullibi leguntur rebaptizaſſe. Attamen ex fœdo Eutychetis ſpermate tandem prodierunt Severus Antiochenſis, Anthymus ex Trapezuntino Epiſcopo Patriarcha Conſtantinopolitanus, Petrus in ſecunda Syria Apamæenſis Metropolita, atque id genus alii, adversùs quorum clandeſtina in privatis ædibus aut ſchiſmaticis Baptiſteriis Anabaptiſmata accuſatorios libellos & Agapeto Pontifici, & Imperatori Juſtiniano,

&

& Conſtantinopolitanæ per Mennam ac Epiphanium Patriarchas continuatæ Synodo obtulerunt plures Orientales Epiſcopi, Archi-Mandritæ, Clerici, & Monachi: Et quos dictus Pontifex, Imperator, & Synodus damnarunt. Et omninò adversùm ipſos in Juſtinianæo etiam codice habemus titulum: *Ne ſanctum Baptiſma iteretur.* Scio nullam illic eſſe propriam Juſtiniani legem, ſed ſola antiquarum ex Theodoſiano codice mutuata legum fragmenta: Quòd nempè hæc adversùm novos iſtos Anabaptiſtas plenè ſufficerent. Et ex iſtis ſcabioſis fontibus prodiit primùm Monophyſitica, deindè Monothelitica Armeniorum hæreſis, adversùs quam in prima Invectiva declamat Patriarcha Iſaàc: *Horreas cælum, & univerſa terra contremiſcas ſuper audacia Dei & Chriſti adverſariorum, impiorumque Armeniorum. Quis enim audiens non horreat, lugeatque, ut hi qui Chriſtum mediâ parte negant, Romanos qui perfectum Chriſtum confitentur, decipientes, tamquàm impios iteratò baptizent?* Per Romanos intelligit Græcos, quos Armenii pluſquàm Latinos ſemper oderunt. Ex eodem errore Roſtuanus, Cardelienſis apud Colchos Provinciæ Princeps, dum è ſua ad Mahometem Apoſtaſia rediret ad Chriſtum Dominum, juſſit ſe rebaptizari. Putabat Baptiſ-
Cap. 12. mum nec dari poſſe extra Eccleſiam, nec retineri. Ita habes apud Clementem Galanum. Quod etiam ſola cum Judæa aut Agarena ſcortatio Chriſtianum exueret Baptiſmate, ac rebaptizandum juberet,
Q. 47. cenſuerunt quidam Græci. Ita habes in quæſtionibus, quas Theodoro Balſamoni propoſuit Marcus Patriarcha Alexandrinus.

Nec tantùm Armenii Græcos, ſed etiam Græci Armenios rebaptizarunt. Etenim illorum errores & graves exceſſus exponit in prima Invectiva præfatus Iſaàc, affirmat eſſe nequiſſimos Dei hoſtes, & vaſa Diaboli, ac proſequitur: *Quomodò eorum Baptiſma erit acceptabile, & non potiùs execrandum ac repudiandum, atque immundum? Quomodò ipſi alios ſanctificare poſſunt, qui ſunt alieni à gratia Spiritûs ſancti?* Affirmat eſſe ab omni Eccleſia damnatos anathemate, & diris devotos, ideoque remotiſſimos ab omni poteſtate baptizandi. Et infrà addit: *Nonnè quos ipſi baptizarint, prorſus Ethnici ſunt, nec baptizati?* Clamat nec benedictionem ab Anathemate, nec precationem à maledictione, nec Chriſti myſterium poſſe procreari à Diabolo, & con-
Cap. 14. cludit: *Quod errantes & impii Baptiſma conficiunt, non eſt acceptabile.* Aſſeverat eſſe *perſpicuè reprobum ac irritum*, uti & *Sacra ipſorum omnia.* Et iterum: *Quì eorum Baptiſma ratum habeatur? Obturentur ſtultorum immunda ora, quæ eos verè Chriſtianos fruſtrà nominant, eorumque dicunt ratum Baptiſma.* Et infrà: *Quòd eorum Baptiſma alienum ſit, nec Spiritûs ſancti gratiæ particeps ob eorum hæreſim, nec Sathanas per eorum Baptiſma ex eis exturbetur*
*ac*

Digitized by Google

*ac pellatur, nec Spiritus ſanctus domicilio inducatur, ex eo liquet; quod nedum eorum Laïci & Idiotæ, verùm etiam eorum eximii Epiſcopi & Sacerdotes, ſeu potiùs tenebris obſcurati ac profani homines, ut mox Manichæi adierint, aut eos luſtraverint, ſtatim relicto ac prorsùs abnegato falſo Chriſtianiſmo, ad Manichæorum perfidiam, ac execrandam priſtinæ vitæ rationem revertuntur. Si enim Spiritûs ſancti gratia per eorum Baptiſma induceretur, ac inhabitaret, non ſic facilè ad abſolutam Chriſti negationem verterentur, muniente & tutante quæ in eis gratiâ habitaret.* Per Manichæos intelligit Saracenos, aut certè Paulicianos. Et frivola ſunt hæc omnia argumenta. Nempè Iſaäc vixit poſt Michaëlis Cerularii tempora, vixiſſe videtur ſub Manuëlis Comneni Imperio, ac eſſe iſte qui nominatur in diſputatione Theoriani cum Nierſeſe Patriarcha Armeniorum. Non ab Armeniis ad Latinos, ſed ad Græcos tranſiit, atque ita de Calcaria in Carbonariam. Videtur utroque pede claudicaſſe: Partim adhæſiſſe Latinis, partim Græcis. Et quia ſuos Armenios nobis Latinis, quorum tamen Baptiſma & Sacramenta omnia exſufflabat dicti Michaëlis factio, videbat adhærere; blateravit ipſos longè potiori jure rebaptizandos.

Ejus porrò adversùs Græcorum rebaptizatores Armenios exclamatio non caret fundamentis. Etenim quod rebaptizare ſit ipſi *Deo maledicere*, rectè adfirmat ſanctus Optatus Epiſcopus Milevitanus. Et declamat in Donatiſtas: *Quid iniquius, quam exorcizare Spiritum ſanctum?* Et in ſequenti libro affirmat in illis compleri Regis David Prophetiam: *Si videbas furem, currebas cum eo.* Affirmat ipſos currere & operari, non cum viſibili aliquo terrenæ ſubſtantiæ, ſed cum noſtrarum animarum fure diabolo, & exponit: *Poſſeſſio Dei eſt turba fidelium, ex quâ quotidiè diabolus cupit aliquid involare. Talem furem cum videtis contrà nos vim facere, veſtris operibus adjuvatis. Nam neminem fugit, quod omnis homo, qui naſcitur, quamvis de parentibus Chriſtianis naſcatur, ſine ſpiritu immundo eſſe non poſſit, quem neceſſe ſit antè ſalutare lavacrum ab homine excludi & ſeparari. Hoc exorciſmus operatur, per quem ſpiritus immundus depellitur, & in loca deſerta fugatur, fit domus vacua in corde credentis, fit domus munda. Intrat Deus, & habitat, dicente Apoſtolo:* Vos eſtis Templum Dei, & in vobis Deus habitat. *Et cum Deo unuſquiſque plenus ſit, de quo fur diabolus aliquid involare contendit, vos rebaptizando exorcizatis hominem fidelem, & dicitis Deo habitanti: Maledictè exi foras. Audit ergò Deus injurias non ſibi debitas, & hujuſmodi habitaculum deſerit. Et homo, qui Deo plenus in Eccleſiam intraverat, egreditur vas inane.* Aliam adhuc, quæ ipſi Deo per rebaptiſmum fit, injuriam exponit in tertio libro: *Iam illud quale eſt, quod hominibus Chriſtianis, etiam Clericis, dicitis, Eſtote Chriſtiani? Et cum admiraculo quodam unicuique dicere, Cai, Sei, Caja, Seja, adhuc Paganus es aut*

Fol. 1. Lib. 2.



Digitized by Google

*Pagana. Eum, qui ad Deum ſe converſum eſſe profeſſus eſt, Paganum vocas?* Hanc injuriam exponit & exaggerat in trigeſimi noni Pſalmi commentario ſanctus Auguſtinus. Affirmat diabolum gentilium Tyrannorum tempore Leonem egiſſe, in rebaptizantium hæreticorum graſſatione agere Draconem. Tunc enim per tormenta cogebat, nunc per doloſa dogmata circumſcribit Fideles, ut ſe negent Chriſtianos. Quod ipſum repetit in ſecundâ Concione ſuper Pſalmum trigeſimum ſextum, ac in ſexto & undecimo tractatu ſuper ſancti Joannis Evangelium. Et de ſancto Petro Martyre & Patriarcha Alexandrino ſcribit ejuſdem Eccleſiæ Chronicon: *Hic eſt, cui Antiochena mulier adduxit ſuos filios, ut eos baptizaret, & concrevit aqua, ut minimè illos Patriarcha baptizare potuerit.* Nempè anteà ob mortis à tempeſtate periculum fuerant à Matre in marinâ aquâ baptizati. Et de Judæo, qui ab Attico Conſtantinopolitano Epiſcopo baptizatus, iterum baptizari petiit lucri causâ, & impetravit à circumvento Paulo Novatianenſium Epiſcopo, ſcribit
Lib. 7. Cap. 17. Socrates: *Cùm veſtem ſplendidam pro illo emiſſet, & alveum baptiſteri aquâ impleri juſſiſſet Paulus, Judæum eò deduxit, ut ei baptiſmum impertiret. Verùm aqua univerſa, divinâ quâdam virtute, ſubitò exhauſta eſt.* Fontis foramina, per quæ aquam delapſam opinabatur, firmiter obturari, & illum denuò impleri juſſit Paulus: Et iterùm vidit ac admiratus eſt ſubitò evacuatum. Nempè nec ſanctum Petrum, nec iſtum hæreticum Paulum, licet ignorantes, divina Bonitas paſſa eſt rebaptiſmo maculari. Criminis atrocitatem miraculis demonſtravit. Apud ſanctum Philaſtrium Brixienſem Epiſcopum prima hæreſis eſt eorum, qui ſcriptam ad Hebræos Epiſtolam ſancto Paulo abjudicant, & affirmant eſſe ſancti Barnabæ, Clementis Romani, aut Lucæ Evangeliſtæ. Nec deerant illis argumenta. Unum erat, quod pœnitentiæ fructum epiſtola videatur proſcribere, & ſentire cum Montaniſtis aut Novatianenſibus. Verùm laudatus Doctor reſpondet: *Pœnitudinem epiſtola non excludit docendo, ſed diverſum gradum dignitatis oſtendit inter hunc qui ſe integrum cuſtodivit, & illum qui peccavit. Dignitatis eſt igitur detrimentum in eo qui peccavit, non damnum ſalutis. Nam ſi fortiter quis pugnaverit per martyrium, recipiet priſtinam dignitatem, aut ſi condignè in hoc ſæculo vixerit, impetrat quod deſiderat adipiſci. Nam ipſa epiſtola rebaptizatores excludit, non baptiſmum pœnitentiæ.* Largiùs exponit in primo libro de ſacrarum imaginum cultu Jonas Aurelianenſis Epiſcopus. Apoſtolicæ epiſtolæ locum, *Qui rurſus crucifigitis Filium Dei, & oſtentui habetis,* Claudianiſtæ Iconomachi detorquebant adverſùs Matrem Catholicam, *quæ crucifixi Chriſti imaginem ob Dominicæ paſſionis memoriam in auro aut argento exprimit, aut certè in tabulis depingit.* Hæreticam interpretationem Jonas variè refutat,

&

Digitized by Google

& proſequitur : *Apoſtolus his, qui per gratiam baptizati ſemel fuerant, & ſancti Spiritus dona conſecuti, hæc loquitur. Hi namque, qui peccata, quæ poſt baptiſmum admiſerint, non niſi baptiſmatis iteratione dilui poſſe putabant, meritò ab eodem Apoſtolo arguuntur, eo quod rurſus ſibimet ipſis crucifigerent Filium Dei, & oſtentui haberent, quod omninò impoſſibile affirmat. Ille enim qui ſecundò ſe poſſe baptizari putat, rurſus Chriſtum, uti à Patribus traditum accepimus, ſibimet ipſi crucifigit, & oſtentui habet.* Et amplè hoc demonſtrat. Rectè addit : *Sicut à Patribus traditum accepimus.* Authentici enim & antiquiſſimi Patres laudatum Apoſtoli locum intelligunt de rebaptiſmo. Et hinc ſanctus Firmilianus, dum Apoſtolos & cunctos ipſorum in Ponticâ Diœceſi ſucceſſores Epiſcopos ſcripſit ſemper rebaptizaſſe poſt hæreticos, manifeſtè eſt hallucinatus. Ira viri non eſt operata juſtitiam. Nam ad Ponticam Diœceſim ſemper ſpectavit Galatia, in quâ certum eſt ſanctum Paulum docuiſſe iſtud ipſum, quod ſcripſit ad Hebræos. Etiam verbum, quo ſanctus Auguſtinus dixit hanc quæſtionem non fuiſſe deciſam ab Apoſtolis, non plenè ſubſiſtit. Ex his interim vides rebaptiſmum eſſe horrendum facinus Arianorum, ideòque Michaëlis Cerularii factionem meritò ob ipſum fuiſſe damnatam à Cardinali Humberto.

## CRIMEN QUARTUM.

*Græci, ſicut Donatiſtæ, affirmant exceptâ Græcorum Eccleſiâ Eccleſiam Chriſti, & verum Sacrificium atque Baptiſmum ex toto mundo periiſſe.*

FOrtunius Tuburſicenſis Epiſcopus Donatiſta in ſua cum S. Auguſtino ac S. Alypio diſputatione profeſſus fuit *tam diu tranſmarinarum partium Eccleſias manſiſſe innocentes, donec conſenſiſſent in eorum ſanguinem, quos Macharianam perſecutionem pertuliſſe dicebat.* Imperator Diocletianus Epiſt.
novâ perſecutionis ſpecie vexavit Chriſtianitatem. Omnes Eccleſiarum 163.
bibliothecas & archiva ſpoliavit, & cunctos ipſarum Epiſcopos & Clericos tormentis compulit ad occultatorum codicum, inſtrumentorum, ſacrorumque vaſorum & veſtimentorum traditionem : Exuſtis libris & chartis ſperavit Chriſtianitatem per ſe ruituram. Et verè fuit diabolica machina. Ex ipſa factum eſt ut de primævis Apoſtolorum ac aliorum Patrum noſtrorum Geſtis habeamus modicam notitiam. Et qui ex tormentorum metu obedierunt Principi, appellati fuerunt traditores : Thurificatis aut libellatis in crimine æquales. Et hæc perſecutio peſſimè fœdavit Africam. Etenim Secundi, Tigiſitani Epiſcopi & tunc per Numidiam Primatis, ex iſto & alio vario lapſu leproſa, cujus ſignifer fuit Donatus apud caſas nigras Epiſcopus, factio novellam Ceciliani in



Digitized by Google

Carthaginenſem defuncti Menſurii Primatialem Cathedram promotionem noluit ex cauſis admittere, dixit illum eſſe aut traditorem, aut à traditoribus ordinatum. Timuit ab illo convinci de iſto ipſo crimine, ac damnari. Et iſtud ſingulariter crimen dixit eſſe contagioſam ſcabiem, quæ non ſolùm Ordinato ab Ordinante, aut cuivis Initiato à quovis Initiante, ſed etiam cuivis communicanti affricetur. Omne crimen dixerunt eſſe hujuſmodi ſcabiem. Quòd tamen traditioni ſingularem maculandi vim adſcripſerint, affirmat in libro de unico Baptiſmate ſanctus Auguſtinus. Et revera pleræque ipſorum declamationes ſunt in ſolos traditores. Hinc Cecilianum & omnem ejus communionem ſunt hoſtiliſſimè averſati, diſcreverunt ſe ab hac, illius ordinationem cenſuerunt irritam & vacuam, erexerunt novum altare, & in Primatialem Africæ thronum intruſerunt Majorinum. Omnes cum Cæciliano perſeverantes duxerunt Apoſtatas, & minimè Chriſtianos: Utpotè qui ex traditoris communione polluti Chriſtianitatem excuſſiſſent. Et omnes ab ejus Epiſcopis aut Clericis baptizatos cenſuerunt baptizatos extra Eccleſiam, & rebaptizarunt. Interim agnoverunt transmarinam Eccleſiam: Et Græcam & Latinam, Romanam præſertim, ſuam Patriarchalem. Nam & Melchiadem Pontificem agnoverunt in ſuæ cauſæ Judicem, & à Magno Conſtantino impetrarunt illi adjungi aliquot Gallicanos Epiſcopos, quòd illic ſub imperante ejus Patre Conſtantio nulla fuiſſet perſecutio graſſata, ideoque nulla etiam eſſet macula aut contagio traditionis. Et ita res vario ſucceſſu ambulavit uſque ad Legatos in Africam ab Auguſto Conſtante Macharium & Paulum. Tunc Majorini ſucceſſor Donatus exercuit ſuæ ſuperbiæ turbulentias, omnes tranſmarinas Eccleſias blateravit conſenſiſſe iſti legationi & factis per ipſam perſecutionibus, ideoque ab hac contagioſa lepra ſordidatas omnes, & exutas Chriſtianitate. Chriſtianitatem tunc dixit periiſſe de toto terrarum orbe, & remanſiſſe apud ſolos ſuæ partis Afros. Verùm Chriſto Domino promiſſa à Deo Patre hæreditas eſt à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum. Nihil altiori voce clamat utrumque Dei teſtamentum, quàm univerſalem omnium gentium vocationem durare uſque ad conſummationem ſæculi, & Chriſti Eccleſiam eſſe perpetuò Catholicam. Et hinc Donatiſtæ in varia phantaſmata ſe contorſerunt. Primò, & Romanis & Hiſpanis, & aliis gentibus miſerunt novos Epiſcopos, ſperantes ubique Chriſtum eradicare, & plantare Donatum. Verùm quòd machina non ſuccederet & ubique abiret in riſum, cenſuerunt omnes extra Africam Eccleſias damnandas. Hieroſolymitana Eccleſia ipſum Dominum habuit Doctorem, eſt Evangelicæ prædicationis prima

Mater,

Digitized by Google

Mater, Donati litibus nunquam ſe immiſcuerat, nec ipſas forſan audierat, & nemo inſcius maculari poteſt alieno crimine. Maculamur enim per ſolum conſenſum. Interim Donatiſtæ rogati, cur ipſi non communicarent, repoſuerunt: *Non communicamus illi civitati, ubi occiſus eſt Rex noſter & Dominus.* Ita ſcribit ſanctus Auguſtinus in ſecundo tractatu ſuper ſancti Joannis epiſtolam. Eminens Chriſtianarum gentium feſtivitas eſt Domini Epiphania. In ipſa enim gaudemus de noſtra univerſali vocatione, de ipſius uſque nunc continuatione agimus gratias, & ſupplicamus uſque ad ſæculi finem permanere. Hinc de Donatiſtis Serm. 32. Cap. 2. ſcribit in ſermonibus de tempore ſanctus Auguſtinus: *Meritò iſtum diem nunquam nobiſcum hæretici Donatiſtæ celebrare voluerunt. Quia nec unitatem amant, nec Orientali Eccleſiæ, ubi apparuit illa ſtella, communicant. Nos autem manifeſtationem Domini, quia primitias gentium delibavit, in unitate gentium celebramus.* Ad ſeductam plebem in errore firmandam factio neſcivit aliud, quam ſe eſſe ſolos Chriſtianos, ſolos Sanctos, & ex Domini verbo, *Multi ſunt vocati, pauci electi*, de paucitate gloriari.

Eſt antiqua vox omnium hæreticorum. Non ſola antè ſui diſſectionem plena factio, nec ſoli poſteà Primianiſtæ, ſed etiam Maximianiſtæ, Rogatiſtæ, Claudianiſtæ, ac Urbaniſtæ, licèt in modico alicujus Africanæ Provinciæ angulo latitarent apud alios ignoti, jactitarunt ſe ſolos Chriſtianos, & omnem alibi mundum apoſtataſſe. Etiam modicum Luciferi ſchiſma blateravit omnem orbem apoſtataſſe ad diabolum, Eccleſiam eſſe demutatam in lupanar, & Chriſtum Dominum jam habitare in ſolâ Maſtrucâ Sardorum. Quin immò unicus ſine quovis Epiſcopo aut Presbytero Diaconus Hilarus præſumpſit à ſe rebaptizandam omnem Chriſtianitatem, & ſe eſſe totius mundi Chriſtianum Deucalionem. Ad Montanum delapſus Tertullianus *glorioſiſſimam Pſychicorum multitudinem* deriſit inſuper, clamans Eccleſiam non eſſe Epiſcoporum numerum, ſed ſolorum ſpiritalium paucitatem, ac etiam in tribus poſſe conſiſtere. Tertullianus eſt omnium rebaptizantium primus fons & auctor. Planè exiſtimo ipſum Agrippini Carthaginenſis Epiſcopi Presbyterum, & illum ad rebaptizandos hæreticos fuiſſe ab eo ſeductum aut circumſcriptum. Quòd hæreticorum rebaptiſma adhuc Catholicus docuerit, lucet ex ejus libro de baptiſmo. Ipſius Tertullianiſtæ fuerunt vile & modicum, non è Catholicâ vite, ſed è Montani labruſcâ præciſum ſarmentum. Quin etiam rebaptizarint, licèt demonſtrare non poſſim, autumo non dubitandum.

Omnes Anabaptiſtæ non ſolam Eccleſiam & Sanctorum Communionem, ſed etiam ratum baptiſma cenſuerunt perditum à Catholicâ Matre, & migraſſe ad ſuam ſynagogam. Et revera baptiſmus eſt



Digitized by Google

horti concluſi fons ſignatus, quorum claves & ſignacula, per Canonicos Sacerdotes adminiſtranda, Dominus Deus credidit ſoli Matri Catholicæ. Et iſta cum clavibus ſigilla ſanctus Optatus Milevitanus Epiſcopus rectè numerat inter dotes Eccleſiæ, affirmans omnem hæreſim & ſchiſma eſſe ab illis remotiſſima. Exponit in primâ ad ſanctum Amphi-
Cap. 1. lochium Canonica epiſtola Magnus Baſilius: *Separationis principium per ſchiſma. Qui autem ſe ab Eccleſiâ ſejunxerunt, non habent amplius gratiam Spiritus. Defecit enim traditio, quod diſciſſa ſit conſequentia. Qui enim primi receſſerunt, ordinationem à Patribus habebant, & per manuum impoſitionem habebant ſpiritalem gratiam. Qui autem abrepti ſunt, Laici effecti, nec baptizandi nec ordinandi habent poteſtatem, ut qui non poſſint amplius ſancti Spiritus gratiam, à quâ ipſi exciderunt aliis præbere. Quare eos, qui ab ipſis baptizati erant, tamquam à Laicis baptizatos, Cyprianus & Firmilianus juſſerunt ad Eccleſiam venientes vero Eccleſiæ baptiſmo expurgari.* Et in litteris ad Alexandrum Antiochiæ Patriarcham ſanctus Papa Innocentius primus ſcribit Arianorum ac aliorum Hæreticorum ad Eccleſiam venientes Laicos in ſuo baptiſmo, Clericos autem nullo modo admittendos in ſuo
Epiſt. 18. Cap. 3. gradu, & adjungit cauſam: *Solum baptiſma illis ratum eſſe permittimus, nec Spiritum ſanctum eos habere ex illo baptiſmate, illiſque myſteriis arbitramur, quoniam cum à Catholicâ fide eorum auctores deſciſcerent, perfectionem Spiritus ſancti, quam acceperant, amiſerunt. Nec dare ejus plenitudinem poſſunt, quæ maximè in ordinationibus operatur, quam per impietatis ſuæ perfidiam amiſerunt.* Et in libris de baptiſmo adverſum Donatiſtas ſanctus Auguſtinus cum ſancto Cypriano affirmat Eccleſiaſticum Primatum, ſeu Sacramentorum adminiſtrandorum legitimam poteſtatem eſſe in ſolis Catholicis, imo in ſolis juſtis ac integris Sacerdotibus, & concludit de quibuſcumque iniquis: *Eos Primatum in Divinis habere quis dicat, niſi*
Lib. 5. Cap. 16 *qui nihil Divinum ſapit?* Lapſos in hæreſim aut ſchiſma Epiſcopos & Clericos in Laicam communionem ſeu degradationem abjecit, & citrà reparationis ſpem immobiliter in ipsâ fixit antiqua diſciplina: Ipſum ſacræ ordinationis characterem & ſubſtantiam ab ipſis perdi, cenſuiſſe videtur Magnus Baſilius. Quidquid ſit, quod ab illis attentatas ordinationes cenſuerit ſubſtantialiter nullas, eſt alibi demonſtratum. Verùm ſibi ipſi non conſtitit. Quòd enim Zoin & Saturninum, in Encratitarum hæreſi ordinatos Epiſcopos, in ſuo gradu admiſerit, profitetur in iſtâ ipsâ jam laudatâ Canonicâ epiſtolâ. Et cunctas olim tam intrà quàm extrà Eccleſiam reordinationes & rebaptizationes lucidè videmus ſtetiſſe & fabricaſſe in arenâ, ideoque ad varium ventum variè fluctuaſſe. Eodem modo Magnus Baſilius ceſpitavit circà rebaptiſmum. A degradatis, quòd jam Laici eſſent aut Laicis æquati per omnia,

Digitized by Google

nia, Sacerdotibus datum baptiſma nunc dixit vacuum & nullum, nunc per diſpenſatricem œconomiam aut regionis conſuetudinem poſſe ſuſtineri. Quòd extrà neceſſitatem à Laico datum baptiſma non teneret, plures olim docuerunt.

Magni Baſilii de datæ per hæreticos ordinationis ſubſtantiali nullitate errorem ſecutus eſt item Euſtatius, Sebaſtenus Epiſcopus, primæ Armeniæ Metropolita, de quo ad Theodotum Epiſcopum ſcribit ipſe Baſilius: *Quod jam recenter auſus eſt Euſtatius, cui non horrorem incuteret? Qui ſicuti audio, modò verus ſit rumor, & non figmentum delationis gratiâ compoſitum, etiam manum quibuſdam denuò imponere præſumpſit. Quod nemo unquam ex hæreticis feciſſe videtur.* Non arguit Euſtatium quòd ſimpliciter reordinarit, ſed quòd reordinarit Epiſcopos in Catholicâ Eccleſiâ legitimè ordinatos. Hunc Baſilii locum laudat in ſancti Ignatii Conſtantinopolitani Patriarchæ vita Nicetas Palphlago, & adversùs Photium, conſecrata ab eodem ſuo Anteceſſore altaria reſacrare auſum, adjungit: *Et tu, auditâ Magni Baſilii ſententiâ, nihil reformidas, cum de quopiam admirabundus dixit nullum ex omnibus totius mundi hæreſiarchis, qui fuêre quàm plures, auſum fuiſſe reſacrare, præter Euſtatium Ancyro-Galatam, cujus nefarium ſcelus Synodus Gangrenſis exponit.* Verùm Nicetas non ſatis attendit hæc Baſilii verba: *Nemo feciſſe videtur.* Nempè Baſilius ab aliquo factum non audiverat. Quòd tamen ſtatim poſt Seleucienſem ac Ariminenſem Synodos fuerit factum ab Arianis, teſtantur in exhibitis magno Imperatori Theodoſio precibus Romani Preſbyteri Fauſtinus & Marcellinus: *Execrabiles Ariani in partibus Orientis, & maximè in Ægypto, non fuerunt hoc ſolo contenti, ut Epiſcopi, damnatâ fide integrâ, in eorum impiam ſententiam declinarent, ſed hos ipſos, qui primum fuerant per Catholicos Epiſcopos ordinati, ubi pro eorum deſideriis ſubſcripſerunt, in Laicorum numerum redigebant, & poſteà iterum eos eidem hæretici Epiſcopos ordinabant. Ut non ſolùm fidem Catholicam damnare viderentur, ſed & ordinationem factam per Epiſcopos Catholicos.* Affirmant neſcio quos miſerabiles & ambitioſos Epiſcopos; ne Epiſcopatum perderent, iſtud in ſe facinus toleraſſe. Mali author etiam antè iſtas Synodos videtur fuiſſe Georgius Cappadox, ab Antiochenâ Encæniorum Synodo in Alexandrinam ſancti Athanaſii Cathedram intruſus, de quo pergunt memorati Presbyteri: *Oxyrinchi civitas vidit Epiſcopum Theodorum in impiam prævaricationem fuiſſe collapſum, ita ut non ſolùm fidem integram condemnaret, ſed & Laicum ſe fieri ab impio Georgio pateretur, & denuò ab ipſo hæretico Epiſcopum ordinari.* Hoc ipſum infrà repetunt, & de Theodori in Apollonium Epiſcopum violentiis adjungunt: *Theodorus hinc ſe vult Catholicum videri, quòd & ipſe nunc quoſdam Presbyteros & Diaconos Apollonii* Epiſt. 196.

*ſa-*

Digitized by Google

*facit Laicos, & eos iterum ordinat, ut videatur turpiſſimæ iſtius ordinationis vicem referre, quam paſſus eſt.* Ipſum lepidè appellant bis Epiſcopum. Hi cuncti ſolos ſe Orthodoxos, omnes ſibi adverſa ſentientes cenſebant hæreticos, ideoque & reordinabant. Sequebantur ſententiam, ex quâ poſtmodò etiam Conſtantienſium ſcholarum Rector Bernardus, à Bertholdo ejuſdem Eccleſiæ Presbytero reprehenſus meritò, docuit nullum Sacramentum validè dari extrà Eccleſiam, niſi ſolùm baptiſma. Quod tamen dati extrà Eccleſiam Ordines ſint rati & validi, videtur in litteris ad ſanctum Stephanum Pontificem docere ſanctus Cyprianus. Quidquid ſit, ex eodem iſto fonte etiam nuper ſcripſit in opere de Sacramentis Joannes Maldonatus: *Quòd ea Confirmatio, quæ ab Epiſcopis Catholicis data fuit, non debet repeti, ſemper fuit certum, & de eâ intelliguntur omnes Canones Conciliorum, qui agunt de hac re. Tamen an Confirmatio data ab hæreticis Epiſcopis repeti deberet, in Eccleſiâ Catholicâ non ita fuit certum. Immò exiſtimo in totâ veteri Eccleſiâ fuiſſe repetitam: Quia non exiſtimabatur fuiſſe vera Confirmatio.* Scribit cum Conſtantino Harmenopulo, ad quadrageſimum ſeptimum, qui datum in hæreſi baptiſmum mandat exſufflari, Apoſtolicum Canonem addente hoc ſcholion: *Baptizatum rebaptizare prohibitum quidem eſt, ſed unguento inungere nequaquam, licet hoc ſacri baptiſmatis pars eſſe videatur.* Eſt horrendum & ab omnibus damnandum dogma. Ejus caduca fundamenta ſunt alibi exſufflanda.

Cap. 13. Magni Baſilii de ordinationibus errorem ſequitur etiam in priori adverſus ſuam gentem Invectiva Iſaac Primas Armeniorum: *Quòd Armenii neque ordinationem habeant, ſed ab omni Sacerdotio ſint alieni, liquet. Nam ſanctus Gregorius, qui Armeniorum fuit Epiſcopus, ac beatiſſimus Cæſaræa Cappadociæ Archiepiſcopus Leontius, qui eundem Gregorium ordinavit, ſecuritatis pactum inter ſe inierunt, ut qui pro tempore Armeniorum Epiſcopus præficeretur, ab Eccleſiâ ac Pontifice Cæſaraenſi ordinationem acciperet, ex quâ ipſe à principio Gregorius Sacerdotium accepiſſet. Illi verò in innumeras prolapſi hæreſes, & extranei facti ab Eccleſiâ Catholicâ, cum non accipiant ordinationem ab Eccleſiâ Cæſaraenſi, nonnè omninò profani ſunt, & Laici? Et quos ipſi baptizaverint, ethnici prorſus, nec baptizati?* Quòd Cæſaraenſis Exarchi ſacras manus contempſerint, illis ſubtraxerint ſuos Metropolitas, & ſibi Autocephalum Primatem creaverint, fuit peſſima prævaricatio: Attamen acceptæ ordinationis ſubſtantiam non potuit evacuare. Interim Iſaaci errorem ſequitur Conſtantinopolitana Pachomii Patriarchæ ſub Turcico Bajazetis ſecundi Imperio celebrata Synodus. Monembaſia tunc ſpectabat ad ſereniſſimam Venetorum Rempublicam. Hinc Græcum & ſchiſmaticum Epiſcopum ejici juſſit Alexander ſextus Pontifex, & eò miſit Arſenium Diaconum, juſſum conſecrari ab Elæi

Epiſ-

Epiſcopo & duobus Presbyteris: Quòd alii Catholici Epiſcopi non eſſent ad manum. Hinc ergò Arſenium duriſſimè damnavit dicta Synodus, & omnes ab ipſo ordinatos juſſit reordinandos. Et pro palmari causâ adjunxit, quòd non à Patriarchâ Conſtantinopolitano, nec per ejus mandatum à Metropolita, ſed à Provinciali Epiſcopo eſſet conſecratus. Cenſuit Metropolitam non poſſe à ſuffraganeo Epiſcopo validè conſecrari. Exſtat Synodus apud Martinum Cruſium in Turco Græcia. Videtur Iſaäc ſimilem tueri errorem. Quidquid ſit, rectè urget quòd iſtam à Cæſarienſis Eccleſiæ throno ſeceſſionem Armenii fecerint propter hæreſim, quòd per eandem reddiderint ſe alienos à quatuor Apoſtolicis thronis, atque ita amiſerint poteſtatem canonicè ordinandi. In ſecunda Invectiva profitetur ſe natum, educatum, & conſecratum Epiſcopum ab Armeniis, ac etiam ob tranſitum ad Græcos fuiſſe degradatum cum hoc elogio: *Nullam prorſus Sacris operandi poteſtatem habes, eò quòd ab Armeniorum religione te ſeparaveris.* Et addit ſe repoſuiſſe: *Nedum Sacerdotium, quod non habui, repudio, verùm etiam Epiſcopos ac religionem veſtram deteſtor ac devoveo. Idcircò ad inculpatam ac veram fidem confugi, & ad ſanctiſſimam Metropolim recurri.* Utique Cæſaræenſem. Profitetur impreſſos ſibi ab Armeniis ordines fuiſſe irritos, ideoque ſibi poſtulanti iteratos à Primate Cæſarienſi.

In primâ Invectivâ profitetur omnia Armeniorum myſteria eſſe irrita & nulla. Quem errorem ſequitur Th[illegible]dorus Balſamon. Etenim ad Marci Alexandrini Patriarchæ; qui aliquos hæreticos eſſe, aliquos non eſſe rebaptizandos rectè ſcripſerat ex ſeptimo Conſtantinopolitano Canone, hanc quæſtionem: *Si hæreticus Sacerdos vel Diaconus dignus habitus Divino & ſancto Baptiſmate, vel per ſanctam Unctionem ſit ſanctificatus, licebit-ne ei Sacra facere cum priori ordinatione, an verò ſi Sacra miniſtrare velit, iterabitur ejus ordinatio?* Q. 30. Ad hanc, inquam, quæſtionem Theodorus reſpondet omnem in hæreſi acceptam ordinationem eſſe habendam pro ſacrilegio, & pro non facta, ideoque iterandam. Reſpondit ex vulgari, quem ſuo codici inſeruit etiam Conſtantinus Harmenopulus, Apoſtolorum Canone: *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter vel Diaconus ſecundam ordinationem habeat, deponatur & ipſe, & qui ordinavit, niſi utique conſtiterit, quòd ab hæreticis ordinationem habeat. Qui enim ab eis ordinati ſunt, ut Clerici ſint, fieri non poteſt.* Can. 67. Quæ omnia exſtant in jure Græco-Romano. Ibidem neſcio quis Conſtantinopolitanus Epiſcopus Antiocheno Patriarchæ Martyrio reſpondet hæreticos juxtà ſeptimum Conſtantinopolitanum Canonem eſſe admittendos in Eccleſiam, & de Arianis ac cunctis aliis, quorum Baptiſma admittimus, adjungit: *Secundùm hæc tanquam egregii Laïci ad eum gradum ordinantur, in quo priùs apud ſuos erant.*

Xxxxx Præ-

Digitized by Google

Præfatus Iſaac Armeniorum præſertim ſacrificium cenſuit irritum & nullum. *Errant Armenii in Miſſâ, nec habent ſacrificium myſticum.* Non tantummodò ob panem azymum ac legitimi elementi defectum, ſed etiam ob excuſſam illis ab hæreſi poteſtatem. Quem errorem plures olim & intrà & extrà Eccleſiam docuerunt. Etenim ad Januarium Lambeſitanum Epiſcopum, Numidiæ Primatem, ſcribit cum ſuæ Proconſularis Provinciæ Synodo ſanctus Cyprianus: *Ungi quoque ne-*
Epiſt. 70. *ceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, ut accepto chriſmate, id eſt, unctione, unctus Dei eſſe, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit. Porrò autem Euchariſtia, & undè baptizati unguntur oleum in altari ſanctificatur. Sanctificare autem olei creaturam non potuit, qui nec altare habuit nec Eccleſiam. Vndè nec unctio ſpiritalis apud hæreticos poteſt eſſe, quando conſtet oleum ſanctificari, & Euchariſtiam fieri apud illos omninò non poſſe.* Quod ipſum de degradatis ob crimen Epiſ-
Epiſt. 74. copis affirmare videtur in litteris ad Epictetum Aſſuritanum Epiſcopum, & in litteris ad Legionenſem Eccleſiam ac Aſturicenſem. Ean-
Epiſt. 78. dem ſententiam conſtantiſſimè tutati ſunt Donatiſtæ, & ex ipsâ Conſecratam à noſtris Sacerdotibus Euchariſtiam projecerunt ſuis canibus. Ita teſtatur ſanctus Optatus Milevitanus Epiſcopus, addens canes
L. 2. ſtatim in rabiem ac proprios Dominos fuiſſe converſos. Et adversùs Lucium Adrianopolitanum Epiſcopum ſcribit Philippopolitanus Euſebianæ factionis Conventus: *Lucius ſacrificium à ſanctis & integris Sacerdotibus confectum, ſi fas eſt [illegible]ere, canibus projiciendum jubebat.* Lucius erat Epiſcopus inſigniter Orthodoxus, & ita tractaverat Euchariſtiam Arianorum. Et inter famoſa ſancto Athanaſio per dictam factionem impoſita crimina fuit Iſchyræ Presbyteri celebrantis fractus Calix, & dejectum omne ſacrificium. Volebat factio Catholicum ſacrificium ſic non potuiſſe tractari. Et de Turbine, Eutychii Eleutheropolitani Epiſcopi ſeditioſo & Ariano Diacono, atque ipſius in iſtic exulantem Luciferum Calaritanum Epiſcopum violentiis ſcribunt ad Magnum Imperatorem Theodoſium Romani Presbyteri Fauſtinus & Marcellinus: *Januam clauſam ſecuribus effregerunt, & irruentes in Luciferum*, clandeſtinè illic celebrantem, *Divina quoque Sacramenta everterunt.* Affirmant à Turbinis ſatellitio rapta omnia Luciferi ſacra vaſa, & ipſa etiamnum ab Eleutheropolitana Eccleſia poſſideri. Plurima ſunt hujuſmodi exempla, quibus Catholici hæreticorum, & hæretici Catholicorum Euchariſtiam peſſimè tractarunt. Nempè alteri alteros cenſebant hæreticos, ideoque attentata ab illis ſacrificia credebant eſſe profanum panem, non ſacroſanctam Euchariſtiam. Per Jacobum Gretzerum publicatus Anaſtaſius Sinaita refert inſignem Alexandriæ habitam Orthodoxi cum Golianita hæretico diſputationem, in quâ uterque Eucha-

riſticam

Digitized by Google

riſticam veritatem & tranſelementationem inſigniter profitetur, & tunc Orthodoxus pergit ad hæreticum: *Agedum adfer nobis aliquid ex communione veſtræ Eccleſiæ, tanquam ſuprà omnes alias Orthodoxæ, & in vaſe cum omni honore & reverentia reponemus hoc ſanctum Chriſti Corpus & Sanguinem. Et ſi intrà paucos dies non corrumpatur, aut immutetur, aut alteretur, planum fiet vos rectè aſſerere corpus Chriſti penitùs ab ipſo Incarnationis exordio eſſe corruptionis expers; ſi verò corrumpatur aut immutetur, neceſſarium erit ut è duobus unum fateamini. Aut id quod ſumitis non eſſe verum Corpus Chriſti, ſed ſolam figuram, & quaſi Vicarium quiddam, aut propter perverſam veſtram fidem Spiritum ſanctum in illud non deſcendere.* Palam adfirmat in hæreticorum elementa non deſcendere ſanctificantem Spiritum, ideoque ipſa in Euchariſtiam non conſecrari. Etiam poſterioribus ſæculis ſcripſit in ſuis ſententiarum libris Robertus Cardinalis Pullus: *Indigni Euchariſtiam, licet damno ſuo, attamen conficiunt. Et quidem ita mihi videtur.* Quæ verba rectè commentatur Hugo Matthoud: *Modeſtè Pullus veritati ſuffragium præbet, non neſcius quoſdam ſui ſæculi, Catholicos inter & ſcientiæ famâ reverendos, contrarium docuiſſe.* Etenim quòd non ſolùm hæretici, ſed etiam quivis excommunicati Euchariſtiam validè non conficerent, conſtanter docent Petrus Lombardus, ac Petrus Pictavienſis. Et in ſexto ſuæ Summæ tractatu ſcribit Hugo de ſancto Victore: *Aliis videtur, quòd nec manifeſti hæretici conficiant. Cum alia Sacramenta extrà Eccleſiam poſſint fieri, hoc nunquam extra. Et iſtis magis videtur aſſentiendum.* Hoſce errores ſecutus fuit etiam Michaël Cerularius: Et hinc apud nos Latinos, quos hæreticos & anathemate damnatos volebat, cenſuit defeciſſe Eccleſiam, legitimum Sacerdotium, & cum Baptiſmo verum Sacrificium. C. 13. Parte 7. C. 6.

An hos errores Cardinalis Humbertus damnaverit, non plenè conſtat. Et certè ſi damnaſſet, quomodo illos poſteà Petrus Lombardus, Petrus Pictavienſis, Hugo Victorinus, & ſimiles latinæ Eccleſiæ Doctores perſeveraſſent tradere? Et quòd Humberti tempore cunctos Simoniacos aliqui cenſuerint hæreticos, ideoque datos ab illis ordines iteraverint, eſt ſuo loco demonſtratum. Et quòd Florentini Monachi à ſuo ſimoniaco, ideoque & hæretico Epiſcopo palam clamaverint nec Chriſma poſſe confici, nec Euchariſtiam celebrari, nec dedicari Eccleſias, nec Clericos conſecrari ibidem audivimus à ſancto Petro Damiani. Et de fidelibus tunc paſſim populis, qui conjugatorum Sacerdotum ſacrificia & Sacramenta averſabantur ex Decretis Gregorii ſeptimi, ſcribit Sigibertus Gemblacenſis: *Laïci corpus Domini à Sacerdotibus conjugatis conſecratum ſæpè pedibus conculcarunt, & Sanguinem Domini voluntariè effuderunt.* Nempè Presbyteros illos habebant ut damnatos ab Eccleſiâ, ideoque privatos aut certè à poteſtate validè conſecrandi A.1074.

ſuſpenſos apud Divinam etiam Majeſtatem. Attamen veritas nunquam caruit ſuis patronis. Et inter hos generoſus eminuit ſanctus Petrus Damiani. Et in ſuis ad Conſtantinum Cabaſilam Dyrrachienſem Metropolitam Reſponſis ſcripſit etiam Demetrius Chomatenus Archiëpiſcopus Bulgariæ: *Hæreticorum quoque ordinationes ab Orthodoxis recipiuntur juxtà Patrum traditionem, ſi Orthodoxi ſint vel fiant, qui ab aliis ordinantur.* Et ejuſmodi plures Doctores habuit tunc utraque Eccleſia. Interim plena in ſuo ſenſu abundandi licentia permanſit uſque ad Angelicum Doctorem, qui cunctis tandem perſuaſit quævis, præter Reconciliationem, extrà Eccleſiam data Sacramenta eſſe valida & rata. Et hoc eſt unum ex ejus multis in Eccleſiam beneficiis. Porrò Michaël Cerularius non ſolùm cum Sacerdotio Sacrificium, ſed etiam Baptiſma blateravit apud nos defeciſſe: Imitatus damnatos ab omni Eccleſiâ Donatiſtas. Item omnes nos aſſeveravit hæreticos. Hæc ejus duo facinora præſertim damnavit Cardinalis Humbertus.

## CRIMEN V.

*Græci, ut Nicolaitæ, carnales nuptias concedunt, & defendunt ſacri altaris Miniſtris.*

De ſchiſmaticis Pſeudo-Patriarchæ Photii in nos Latinos calumniis ſcripſit ad Hincmarum Remenſem & alios Galliæ Epiſcopos ſanctus Pontifex Nicolaus primus: *Photiani dicunt nos abominari nuptias, quia Presbyteris ſortiri conjuges prohibemus.* Eandem calumniam reſumpſit Michaël Cerularius. Licet ejus nec in litteris ad Joannem Tranenſem Epiſcopum, nec in litteris ad Petrum Antiochiæ Patriarcham meminerit, ex ejus tamen mente & ore omnino ſcripſit Nicetas Pectoratus: *Quis ille eſt qui vobis tradidit prohibere & abſcindere nuptias Sacerdotum?* Legitimas nuptias ob ſupervenientem ſacrum Ordinem affirmat à nobis ſolvi: Infringi à ſancto Clemente Romano laudatos Apoſtolicos, à ſancto Papâ Agathone probatos Trullanos, & alios plures Canones, ideoque nos eſſe proximos Anti-Chriſti præcurſores, à quibus prohibendas nuptias prædixit Apoſtolus. Et hæc imperita maledicentia Cardinalem Humbertum graviter & meritò offendit. Noverat Græcum Clerum jam pridem vivere ſecundum præſcriptam à vulgaribus Apoſtolorum canonibus & novellis Juſtiniani legibus continentiam, verùm inſuper noverat ſanctum Leonem nonum acerrimè tunc pugnare adversùs Latini Cleri incontinentiam & graſſantes nuptias: Ejus Decreta cenſuit, non dumtaxat in Latinum, ſed etiam in Græcum dirigenda Clerum, ideoque eis recalcitrantes Græcorum Epiſcopos dixit Nico-

Digitized by Google

Nicolaitas. Sic enim incontinentes Clericos appellare ſolet latina Eccleſia.

Et certè iniquiſſima eſt iſta Græcorum calumnia, nec ſibi ipſi cohæret. Etenim ut nos Latini cunctos majores Clericos, ita ipſi ſuos Epiſcopos & à contrahendis arcent nuptiis, & ab anteà contractis compellunt abſtinere. Ita mandant ipſorum Apoſtolici Canones, leges Juſtiniani, Trullana Synodus, Leges Leonis ſapientis, & perpetua conſuetudo. Non ſolvunt aut dirimunt matrimonium, ſed perpetuò dumtaxat ſuſpendunt. Hinc præfatæ Synodi quadrageſimus octavus Canon promoti in Epiſcopum mariti uxorem mandat claudi ac velari in monaſterio, aut certè conſecrari in Diaconiſſam. Ad ſecuram tutelam ab adulterio. Et quia conjuges ſunt una caro, ideòque unus non poſſit converti ſine altero. Sub Iſaâci Angeli Imperio quædam Epiſcoporum uxores nec intrabant monaſteria, nec Diaconalem profitebantur caſtitatem, ſed mundanum retinebant habitum, manebantque in propriis ædibus. Rem ad memoratum Principem, & ipſi aſſidentem trium Patriarcharum & multorum Epiſcoporum Synodum retulit Metropolita Cyzicenus, & obtinuit hoc Edictum: *Mea Majeſtas definiit, cohortantibus ad id ſanctiſſimis Patriarchis, uxores creatis Pontificibus antè ordinationem conjunctas, in muliebria monaſteria procul ſita ab habitatione Pontificum ſinè dilatione induci, tonderique eas, & canonicè apud Monachas degere, in quo monaſterio comam depoſuerint. Aut ſi ipſæ tonſuram recuſent, qui eis antè ordinationem juncti erant matrimonio, Pontificali ſolio & dignitate priventur, ac in eorum locum alii ſufficiantur. Inpoſterum autem, qui antè creationem habebit legitimam uxorem, non aliter ordinari, quam ſi communi conjugum ſcripto conſenſu & placito à ſe invicem ſeparentur, & mulier monaſticam vitam ſit amplexa. Sic enim creatio ſine offendiculo & damna juxtà ſacros & Divinos Canones procedet, ſemota ab omni Sacerdotalis ordinis reprehenſione.* Et hoc Edictum laudat plurimùm in opere de quæſtionibus & cauſis matrimonialibus Matthæus Monachus. Eſt unicus caſus, in quo Epiſcopi uxor poſſit apud Græcos manere in ſæculo. Eſt caſus per Conſtantinum Cabaſilam Dyrrachii Metropolitam propoſitus: *Si uxorem habens Sacerdos, vel Diaconus, vel Lector tondeatur, maneat autem ejus uxor in mundo, an qui tonſus eſt poſſit ad Epiſcopatum promoveri, licet uxor tonſuram non admittat?* Et Joannes Citri Epiſcopus reſpondet ad omnia affirmativè. Græci enim per alterius conjugis monaſticam profeſſionem cenſent ſolvi conjugale vinculum, ac proindè Monachum profeſſi Clerici uxor non eſt amplius uxor, atque ita licet ille fiat Epiſcopus, hæc poteſt ad alias nuptias adſpirare. Quæ omnia habes in jure Græco-Romano.

Etiam licentia, quæ majoribus Clericis permiſit prioris uxoris uſum, apud Græcos ſemper fuit odioſa, & ad ſtrictiſſimam ligata interpretationem. Lucet ex quæſtione, quam Nicetæ, magnæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ tunc Chartophylaci ac poſteà Theſſalonicenſium Archiëpiſcopo, propoſuit neſcio quis Epiſcopus: *Clericus uxorem ducens, precatione tantum ſponſaliorum ſuſcepta, cum ea congreſſus eſt, deinde creatus eſt Sacerdos, credens ſponſaliorum preces ad nuptias ſufficere, cum Antiſtes ignoraret perfectas nuptias non fuiſſe contractas. Poſteà etiam nuptiarum precationem accepit. Quæro, An debeat Sacra celebrare, aut à celebratione deſiſtere, aut temporalibus pœnis coërceri?* Græci & ſponſalia & matrimonium ſolemniter celebrant in Eccleſiâ, utrique impendunt Sacerdotalem benedictionem, & in hac omninò fundant eſſentiam conjugalis Sacramenti. Quidam porrò ſponſus imperitè ignorans harum benedictionum & contractuum diſcrimen, eſt conſecratus in Presbyterum, voluitque iſtam ſponſam retinere in uxorem. Et quo nihil deeſſet, jam Presbyter nuptialem benedictionem accepit. Reſpondit verò dictus Nicetas: *Clericus, qui cum ſuâ ſponsâ antè nuptiarum conſecrationem congreſſus eſt, licèt non cenſeatur clandeſtinas contraxiſſe nuptias, quia ſufficere exiſtimat ſponſaliorum conjunctionem ad ſponſæ copulam, quia tamen omninò ignoravit ea quæ ipſum ignorare non oportuit, ob eam cauſam præjudicium patitur, etſi poſt ordinationem ſuſceperit benedictionem nuptialem. Duo enim ignoravit: Et ſolam ſponſaliorum precationem non ſufficere ad copulam, & poſt ordinationem benedictione conjugali non initiari quemquam. Dicam & tertium: Neminem, qui cum ſponsâ antè nuptias congreſſus ſit, ordinatione dignum haberi.* Quod nempè neminem vel unicâ fornicatione maculatum Apoſtolicus Canon admittat ad Clerum. Affirmat non deſponſæ, ſed ſolius anteà ductæ uxoris uſum majoribus Clericis permitti.

Ex eodem principio graſſantem ſuo tempore, quæ Presbyteris ac aliis majoribus Clericis etiam biennio poſt acceptam conſecrationem permittebat inire nuptias, conſuetudinem ſuſtulit novella ad ſuum fratrem Stephanum Patriarcham Conſtantinopolitanum Lege Imperator Leo ſapiens, & adjunxit cauſam: *Dignum non eſt, ut qui ſpirituali adſenſu ſupra corporis abjectiorem & ſordes evecti ſunt, hi rurſus ad carnis ſordes delabantur, ſed è converſo ut Divinum Miniſterium ex corporis ſordibus tamquam in altum aliquem gradum conſcendat, convenientius fuerit.* Eadem prava conſuetudo in Diaconos ac Subdiaconos revixerat tempore Marci Patriarchæ Alexandrini. Hinc enim Theodoro Balſamoni Antiocheno Patriarchæ propoſuit hanc quæſtionem: *An Subdiaconus & Diaconus legitimè poſſint cum muliere copulari?* Et Theodorus rigidiſſimè repoſuit non licere, firmans & ex antiquis Canonibus, & ex lau-

Lege 3.

laudatâ lege. Quod ipſum ſcribit in præfato de Matrimonialibus cauſis opere ad titulum de conceſſis & prohibitis Clericorum nuptiis Matthæus Monachus, addens etiam Ancyranum, qui ordinatis cum facta adverſus caſtitatis profeſſionem proteſtatione Diaconis indulget novas nuptias, Canonem eſſe jam pridem abolitum & circumductum. Et adjungit de tales ordinantibus Epiſcopis: *Qui Diacono permittit, ut poſt ordinationem ducat uxorem, Epiſcopatu expellitor.* Quæ omnia exſtant etiam in jure Græco-Romano. Et altè clamant non minus à Græcis, quàm à Latinis proſcribi Epiſcoporum conjugia: Et iſtorum Clericis permiſſum prioris matrimonii uſum eſſe merè diſpenſatoriam indulgentiam, ſemper coërcitam intrà limites ſtrictiſſimæ interpretationis. Et non niſi ex Latinorum odio Græci illam cœperunt contrà propriam conſcientiam prædicare. Quod pleræque ipſorum Eccleſiæ Latinam continentiam ſuo Clero olim impoſuerint, & non niſi per Epiſcoporum deſidiam devenerint in præſentem licentiam, eſt ſuo loco abundè demonſtratum.

## CRIMEN VI.

*Græci, ſicut Severiani, maledictam dicunt legem Moyſis.*

ANtiochiæ fœdus Patriarcha & Eutychianæ factionis vehemens turbo à ſuo nomine reliquit Severianos. Verùm nec ille, nec hi veteris teſtamenti inſtrumentum damnarunt, aut proſcripſerunt ad apocrypha. Fecit hoc alius Severus, duplicis Divinitatis fabulo, cujus & alias impias nugas exponunt ſanctus Epiphanius & ſanctus Auguſtinus. Et ipſum nec Photius in aliquo ſecutus eſt, nec etiam Michaël Cerularius. Hic tamen, quò noſtrum Sacrificii azymum exponeret publico odio, de omni Moyſis lege videtur locutus non cum plena reverentia: Hinc ipſum Cardinalis Humbertus dixit declinare ad Severum.

## CRIMEN VII.

*Græci, ſicut Pneumatomachi, vel ſicut Theomachi, abſcindunt à Symbolo Spiritûs ſancti proceſſionem à filio.*

GRæci Spiritum ſanctum à Patre per Filium, nos Latini à Patrè & Filio credimus & docemus procedere. Diſcrepamus ſolis verbis, non ſenſu. Et Conſtantinopolitana Synodus in ſuis ad Nicænum Symbolum additamentis omninò poſuit de Spiritu ſancto: *Qui à Patre procedit.* Et ut nihil penitùs adderetur deinceps, ſub duro anathe-

themate interdixit Synodus Epheſina. Et hinc vocem, *Deipara*, illi adversùs Neſtorium inſerere noluit Synodus Chalcedonenſis. Vocem, *Filioque*, primi addiderunt Hiſpani. Et ipſos dudum & acriter improbavit atque impugnavit Gallicana Eccleſia. Sub Caroli Magni Imperio & hæc admiſit: Et graviter obſtitit ac duriſſimè tulit Romana Eccleſia. Quod & ipſa tandem admiſerit, palam hîc affirmat Cardinalis Humbertus. Formoſus Pontifex paſſim creditur admiſiſſe. Proindè Græci voces iſtas ſymbolo non abſtulerunt, ſed nos Latini addidimus. Nam hinc ab illis invidioſiſſimè clamamur eſſe prævaricati Epheſinam Synodum, & amiſiſſe veram Chriſtianitatem. Quæ omnia ſunt alibi largiùs elucidanda. Hic eſt ſequens articulus: *Græci, ſicut Manichæi, inter alia quodlibet fermentatum fatentur eſſe animatum.* Eſt ſuprà abundè expoſitus.

## CRIMEN VIII.

*Græci, ſicut Nazareni, carnalem Judæorum munditiam adeò ſervant, ut parvulos morientes antè octavum à nativitate diem baptizari contradicant, & mulieres menſtruo vel partu periclitantes communicare, vel ſi paganæ fuerint, baptizari prohibeant.*

AN infantuli antè octavam nativitatis diem valeant baptizari, eſt antiquiſſima quæſtio, de quâ ad Fidum Epiſcopum reſcripſit cum
Epiſt. 59. ſexaginta ſex Collegarum Synodo ſanctus Cyprianus: *Quantum ad cauſam infantium pertinet, quos dixiſti intrà ſecundum vel tertium diem, quo nati ſunt, conſtitutos baptizari non oportere, & conſiderandam eſſe legem Circumciſionis antiquæ, ut intrà octavam diem eum qui natus eſt baptizandum & ſanctificandum non putares, longè aliud in Concilio noſtro omnibus viſum eſt. In hoc enim, quod tu putabas eſſe faciendum, nemo conſenſit, ſed univerſi potius judicavimus nulli hominum nato miſericordiam Dei & gratiam denegandam.* Fidus neſcio cujus in Africa civitatis Epiſcopus Baptiſmum, quoniam Circumciſioni ſucceſſerat, cenſuit antè octavum diem prodeſſe non poſſe aut conferri. Aliud ejus fundamentum edicit laudatus Cyprianus: *Nam quòd veſtigium infantis in primis partus ſui diebus conſtituti mundum non eſſe dixiſti, quòd unuſquiſque noſtrum adhuc horreat exoſculari, nec hoc putamus ad cæleſtem gratiam dandam impedimento eſſe oportere. Scriptum eſt enim: Omnia munda mundis. Nec aliquis noſtrum id debet horrere, quod Deus dignatus eſt facere. Nam etſi adhuc infans à partu novus eſt, non ita eſt tamen, ut quiſquam illum in gratiâ danda atque in pace facienda horrere debeat oſculari: Quando in oſculo infantis unuſquiſque noſtrum pro ſuâ religione ipſas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modò formato, & recens nato quo-*

Digitized by Google

*quodammodo exoſculamur, quando id quod Deus fecit amplectimur.* Ex quo vides Eccleſiaſticum ritum, quo baptizator baptizatum oſculari conſuevit, eſſe antiquiſſimum, & omnino Apoſtolicum. Nec illi deſunt firmæ rationes.

Pergit martyr Cyprianus: *Quòd in Judaicâ circumciſione carnali dies octavus obſervabatur, Sacramentum eſt in umbra atque imagine antè præmiſſum, ſed veniente Chriſto veritate completum. Nam quia dies octavus, id eſt, poſt ſabbathum primus, futurus erat, quo Dominus reſurgeret & nos vivificaret, & circumciſionem nobis ſpiritualem daret, hic dies octavus, id eſt, poſt ſabbathum primus, & Dominicus præceſſit in imagine, quæ imago ceſſavit ſuperveniente poſtmodum veritate, & data nobis ſpirituali circumciſione. Propter quod neminem putamus à gratia conſequenda impediendum eſſe eâ lege, quæ jam ſtatuta eſt, nec ſpiritalem circumciſionem impediri carnali circumciſione debere, ſed omnem omninò hominem admittendum eſſe ad gratiam Chriſti.* Multifariè hæc confirmat, ſolvit ſingula Fidi fundamenta, demonſtrat & in adultis & in parvulis eſſe eandem *Divini muneris æqualitatem.* Atque ita poſterioribus ſæculis exortam quarumdam ſcholarum, quæ parvulis ſine intrinſecorum donorum infuſione remitti originale peccatum ſunt opinatæ, ſententiam inſigniter præfocat. Et concludit: *Idcircò hæc fuit in Concilio noſtra ſententia, à baptiſmo atque à gratia Dei, qui omnibus miſericors & pius eſt, neminem debere prohiberi. Quod cum circà univerſos obſervandum ſit atque retinendum, tum magis circà infantes ipſos & recens natos obſervandum putamus, qui hoc ipſo de ope noſtra, ac de Divina miſericordia plus merentur, quod in primo ſtatim nativitatis ſuæ ortu plorantes & flentes nihil aliud faciunt, quam deprecantur.* Et hoc ſancti Cypriani Synodale decretum laudat ac probat ſanctus Auguſtinus in Epiſtola ad Bonifacium Epiſcopum, ac aliis in locis. Epiſt. 23.

Interim errorem hunc in Latina Eccleſia neuter plenè exſtinxit. Lucet ex quinto Canone Gerundenſis Synodi: *De parvulis, qui nuper è materno utero ſunt editi, placuit conſtitui, ut ſi infirmi, ut aſſolet, fuerint, & lac maternum non appetunt, etiam eâdem die, quâ nati ſunt, ſi oblati fuerint, baptizentur.* Et ſanctus Anglorum Apoſtolus Auguſtinus ad Magnum Gregorium retulit hanc quæſtionem: *Si prægnans mulier debeat baptizari, aut poſtquam genuerit, poſt quantum tempus poſſit Eccleſiam intrare? Aut etiam ne morte præoccupetur quod genuerit, poſt quot dies hoc liceat ſacri Baptiſmatis Sacramenta percipere?* Et ad utramque quæſtionem Gregorius reſpondit: *Baptizari vel enixam mulierem, vel hoc quod genuerit, ſine morâ, ſi mortis periculo urgetur, vel ipſâ horâ eâdem, quâ gignit, vel hoc quod gignitur, eâdem quâ natum eſt, nullo modo prohibetur. Quia ſicut ſancti myſterii gratia viventibus atque diſcernentibus cum magna diſcretione eſt providenda, ita* Q. 10.

 *his,*

Digitized by Google

*his, quibus mors imminet, ſine ulla dilatione offerenda eſt, ne dum adhuc tempus ad præbendum redemptionis myſterium quæritur, interveniente paululum morte, inveniri non valeat qui redimatur.* Quæ omnia altè clamant de infantilis intrà primos nativitatis dies dati baptiſmatis valore tunc aliquos ceſpitaſſe. Verùm ſine fundamento. Quin immo quòd etiam intrà uterum fœtus validè baptizetur, magni Doctores affirmant. Hæc eſt alia quæſtio. In ſexti Ancyrani Canonis commentario Theodorus Balſamon ſequitur partem negativam.

Fidi Epiſcopi error graſſatus olim fuit etiam apud Græcos. Etenim in ſcripta ad Stephanum fratrem ſuum & Conſtantinopolitanum Patriarcham novella lege habet Imperator Leo ſapiens: *De Infantibus conſtituimus, ut ſi non inquietentur, inimicoſque naturæ caſus ſuperent, antequam gratiæ ſplendore illuſtrentur, quadrageſimus dies exſpectetur. Conſentaneum namque eſt, ut quemadmodum fœtus quadraginta diebus in naturæ materno receptaculo planè informantur, ſic etiam in æquali dierum numero in Divinæ gloriæ donum procedant. Si tamen & octavo à partu die baptizare aliquis volet, neque id abſurdum fuerit. Dominus enim noſter Chriſtus octavo die circumciſus, impoſito circumciſionis fine, pro hac vivifico Baptiſmo initiari conceſſit. Verum hæc obtineant, ſi nulla neceſſitas, quæ mortem minetur, exiſtat. At ſi periculum aliquod emergens vim vitæ inferat, omni diligentiâ omnibuſque viribus etiam intrà octavum diem peragi ſacram lotionem oportebit, ne non illuminatus, neque ſacri lavacri, atque adeò ſummi boni expers partus decedat.* Palam affirmat & damnat etiam periclitantes de vita infantes à quibuſdam non fuiſſe intrà octavum diem baptizatos.

Lege 17.

Erroris radicem aperit hic, quem ſuæ epitomæ inſervit Conſtantinus Harmenopulus, Canon ſancti Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani: *Si mulier peperit, & infans in periculo eſt à tribus aut quatuor diebus, puer quidem per baptiſmum illuminator, ſed alia mulier, baptizata & munda, lactabit eum. Mater autem cubiculum ipſius non ingreditor, in quo puer jacet, uſque ad quadrageſimum diem, dum purgata ſcilicet integrè fuerit, & preces à Sacerdote impetrarit. Nec omninò puerum continget.* E rationibus, ob quas aliqui nec moribundos infantulos cenſebant baptizandos, una fuit matris, quæ illos & lactare & fovere debebat, immunditia: Tantum Sacramentum cenſebant illi non credendum aut commiſcendum. Et ad hæc incommoda evitanda ſanctus Nicephorus ex mortis metu baptizatum infantulum ſanxit ſeparandum ab immunda matre, & ab alia baptizata ac munda lactandum atque fovendum. Ita & puero & ſacramento credidit undequaque proviſum. Hanc tamen diſciplinam poſteriores Græci aboleverunt. Etenim in Jure Græco-Romano exſtat hoc Reſponſum Petri Diaconi Conſtantinopolitani & Chartophy-

Digitized by Google

phylacis: *Si baptizatus ſit infans, an lactari à matre ſua debet adhuc immunda? Reſpondeo, omninò lactabit infantem, ne pereat.* Alienum enim lac recentes ab utero parvuli ſolent averſari. Et ſanctus Nicephorus addidit hunc Canonem: *Infantes non baptizatos abſente Sacerdote baptizet is, qui repertus fuerit. Quod ſi pater ipſemet, vel quivis homo Chriſtianus eos baptizaverit, nullum in eo peccatum admittitur.* Et Conſtantinus Harmenopulus addit hoc ſcholion: *Infantem, qui ægrotat, confeſtim baptizari permiſſum eſt, rectè valentem poſt quadrageſimum à nativitate diem. Beatus autem Ioannes ſic ait: Puerum morbo detentum, jamque morti proximum, ſi trina dumtaxat immerſione, ne præripiatur metuens, perfecerit, non opus eſt ut deinceps preces, quas omiſit & aphoriſmos integrè ſuppleat.* Hic eſt Joannes quartus Patriarcha Conſtantinopolitanus, cognomento Jejunator. Hic ſine conſuetis ſacrorum rituum veſtimentis, ſanctus Nicephorus etiam à proprio patre citrà contrahendi matrimonialis impedimenti periculum mandat ægrotos infantes quovis tempore baptizari: Uterque noverat Sacramenti neceſſitatem. Sub Iconoclaſtico & turbido Leonis Armenii Imperio floruit, & ob Orthodoxam Fidem deportatus fuit ſanctus Nicephorus, ideoque ejus Decreto non fuit integrè obeditum. Hinc cauſam reſumpſit, & auctoritati ſuæ non confiſus Patriarcha Stephanus retulit ad fratrem ſuum Leonem.

Et difficultatem etiam ſapiens Princeps agnovit, novellam ſuam Legem præfatus: *Quod Beatitudo tua poſtulat, à vobis procedere quàm à nobis originem ſumere & proficiſci, æquius fuerat. De re enim ſacra Sanctitatem tuam* Lib. 1. *ſancire oportebat.* Suos infantulos non ſtatim baptizare, ſed ad ma- Cap. 13. juſculam, quæ Sacramenti ritum ac effectum utcumque poſſit capere, ætatem Græci ſolent differre. Hinc enim deſemet ipſo ſcribit Petrus Arcudius: *Ego, quando luſtratus fui, ejuſmodi ætatis eram, ut planè meminerim.* Ipſorum tamen Euchologion habet hunc titulum: *Oratio ad Cruce ſignandum puerum, ſuſcipientem nomen octavâ die.* Octavâ nativitatis die conſueverunt infantulos ſuos facere catechumenos, & ipſis nomen imponere. Et laudatus titulus habet hanc ſubnotationem: *Obſervandum, quòd ſi natus puer graviter infirmatus lac non ſugat, & ad interitum vergat, nulla mora trahenda eſt juxtà eos, qui in ſextam aut octavam diem baptiſmum reponendum aſſerunt, ſed eâ quâ natus eſt horâ, ſi modo ablutus, eſt continuò baptizandus, ne non illuminatus decedat.* Eos qui nec ex tanta neceſſitate antè octavum aut ſextum diem cenſebant baptizandum, improbat, atque ita inſinuat iſtum errorem tunc adhuc in Græcia viguiſſe. Nempè Leonis ſapientis novellas leges non admiſit Orientalis Eccleſia, atque ita etiam poſt ipſas quidam in ſuo errore atque abuſu pertinaces conſtiterunt. A nobis tamen adductam legem laudat, & omninò ſervan-



Digitized by Google

vandam aſſeverat in ſuo ad ſecundum ſancti Dionyſii Patriarchæ Alexandrini Canonem commentario Theodorus Balſamon. Quod faciunt & alii Græcorum Epiſcopi & Doctores in ſuis Canonicis Reſponſis aut Decretis apud jus Græco-Romanum. Quia abuſus necdum erat exſtinctus. Et hunc ſuo adhuc tempore apud Græcorum quoſdam graſſantem meritò damnat & ad hæreſes proſcribit Cardinalis Humbertus.

Cap. 6. Gravidas mulieres non baptizare eſt etiam antiquus Græcorum abuſus, in quem ſtatuit Neo-Cæſarienſis Synodus: *Gravidam oportet baptizari, quando voluerit. Nihil enim in hoc, quæ parit, naſcenti communicat, propterea quod unius cujuſque propoſitum in confeſſione declaretur.* Exponit Theodorus Balſamon: *Quidam dicebant non debere baptizari gravidas, ſed exſpectare fœtus exitum in lucem. Ne dum ea baptizatur, videatur quoque una baptizari fœtus, quem in utero gerit, ut qui ſit ei omninò unitus. Quo fit, ut poſtquam natus fuerit, vel non illuminatus relinquatur, vel ſi baptizetur, rebaptizari putetur. Patres itaque hac contradictione non admiſſa, ſtatuerunt ut ſine ullo præjudicio baptizentur prægnantes mulieres, quando voluerint, eò quòd nihil habeat commune puerpera cum fœtu, qui paritur, quod ad illuminationis rationem attinet. Maximè, inquiunt, cum ſit unicuique ſua in Baptiſmate neceſſaria promiſſio. Fœtus autem, qui eſt in utero, cum ſit affectione deſtitutus, non poteſt, quæ in Baptiſmate requiruntur, profeſſiones & vota facere. Adjectum eſt autem Canoni,* Quando voluerit, *propter eos, qui dicunt, antequam fœtus formetur in hominem, poſſe mulierem prægnantem ſine periculo baptizari, non autem rectè baptizari poſteà, eò quòd id quod habetur in utero, in eâ eſt conſtitutione, in quâ infantes qui modò nati ſunt, qui polliceri non poſſunt. Et ideo dixerunt Patres eſſe in mulieris gravidæ poteſtate baptizari, quando velit. Quomodo enim ſe habeant fœtus in utero, nemo poteſt perquirere, vel eos ſuſcipere. Infantes autem per eos, qui ipſos ſuſcipiunt, affirmant, & actu illuminati Divinâ illuſtratione digni cenſentur.* Quidam toto qualiſcumque, quidam ſolo animatæ geſtationis tempore affirmabant gravidas non baptizandas: Quòd antè animationem fœtus ſit Baptiſmi incapax, ideoque ille ſine ullo periculo aut incommodo matri tunc impartiatur. Opinionis fundamentum fuerunt Romanæ leges, quæ clauſum utero fœtum affirmant eſſe matris partem, ideoque datum huic baptiſmum non poſſe illi non communicari. Quam difficultatem evaſurus in Nomo-Canone Photius demonſtrat leges hac in re ob variam factorum ſpeciem eſſe diverſas atque adverſas, & adjungit: *Alia etiam hac de re diverſa jura in libro meo de in ſpeciem contrariis ſingulari collegi.* Et etiam hic Theodorus Balſamon commentatur: *Dubium aliquando fuit, an prægnantem baptizari oporteret. Fuerunt enim qui dicerent, quoniam fœtus in materni*

Tit. 4. Cap. 10.

*ternis*

*ternis viſceribus abſconditus, matri tamquam omninò pars ipſius counitus eſt, non poſſe ipſum cum illa illuminari, ideò quòd nondum in lucem prodierit, neque ad aſſentiendum ſacroſancto baptiſmati voluntatem habeat; nec ipſam prægnantem debere baptizari, ſed exſpectare oportere fœtus editionem in lucem, ut ne aliud ipſius membrum baptizetur, aliud non illuminatum maneat. Et quod ſi fœtus unà cum prægnante baptizatus, poſtquam in lucem prodierit, baptizetur, inveniatur bis eſſe baptizatus: Quod eſt inſolens. Idcirco Neo-Cæſarienſe Concilium ſolvit ambiguitatem.* Eundem errorem inſigniter refellit in ſexto adverſus Julianum Pelagianiſtam libro ſanctus Auguſtinus: *Matris corpus ut eſſet templum Dei, gratiæ beneficium eſt, non naturæ. Quæ gratia non conceptione, ſed regeneratione confertur. Nam ſi ad matris corpus id, quod in eâ concipitur, pertineret, ita ut ejus pars deputaretur, non baptizaretur infans, cujus mater baptizata eſt aliquo mortis urgente periculo, cum eum geſtaret in utero. Nunc verò cum etiam ipſe baptizetur, non utique bis baptizatus habebitur.* An quis aliquando Latinus iſtum errorem dogmatizaverit, ignoro. Rectè tamen Auguſtinus dicit: *Aliquo mortis urgente periculo.* Tunc enim extrà canonica tempora nemo niſi ob mortis periculum ſolebat baptizari.

Iſti per Neo-Cæſarienſem Synodum damnati Græcorum Errones omnem deviæ mentis impetum verterunt in puerperas, fulti hoc, per Conſtantinum Harmenopulum laudato, Magni Dionyſii Patriarchæ Alexandrini Canone: *Catechumena, ſi fluxum habuerit, ne baptizetur, antequam purgata fuerit.* Conſonat in Canonicis Reſponſis magni Dionyſii ſucceſſor Timotheus: *Si mulier catechumena dedit nomen ſuum ut illuminaretur, & die baptiſmatis illi accidit quod ſolet mulieribus, debetnè eo die baptizari, an differri, & quantum differri? Reſpondeo, debet differri, donec purgata fuerit.* Eòuſque cenſetur immunda, & indigna baptiſmo. Adverſam ſententiam fortiſſimè ſequitur Apoſtolicarum Conſtitutionum ſub Romani Clementis nomine Auctor: *Si qui ſunt qui Iudaicos ritus obſervant, ut fluxus ſeminis, per ſomnium maculationes, conjunctiones corporum ſecundum legem, reſpondeant nobis, An caveant diebus & horis, quibus hæc eis accidunt, ne precationes faciant, aut librum tangant? Quòd ſi aſſentiantur, liquet eos Spiritu ſancto, qui ſemper adeſt fidelibus, vacuos eſſe. Etenim ſi tu mulier exiſtimas diebus ſeptem menſtruæ fluxionis te eſſe Spiritu ſancto vacuam, ergo ſi repentè è vitâ excedas, excedes ſine Spiritu ſancto, nulla in Deum ſpe confiſa, cum habeas alioquin Spiritum ſanctum prorſus à te non ſeparatum? Opus verò tibi eſt precatione, & adventu Spiritus ſancti, cum nihil in hoc peccaveris. Neque enim legitimus concubitus, neque partus, neque ſanguinis fluxio, neque genitalis ſeminis per ſomnium excretio naturam hominis fœdare poſſunt, aut Spiritum ſanctum ſeparare, præterquam ſola impietas, &* Lib. 7. Cap. 26.

 *actio*

Digitized by Google

*actio à lege interdicta.* Acriter hæc exaggerat, & concludit: *Ejicite hæc, & fugite hujuſmodi obſervationes. Ad Gentiles enim iſta pertinent.* Qui ſolemni ſanguine fluentem mulierem cenſuerunt fieri immundam, & deſeri à Spiritu ſancto, ideóque nec orare, nec pia legere potuiſſe, forſan crediderunt nec potuiſſe baptizari. Nam quem Spiritus ſanctus deſerit, quomodò poſſit intrare? Eſt revera gentilis error, & ipſius nimia averſatio iſtum Scriptorem abripuit ad damnandas omnes iſtiuſmodi obſervantias. Ex quo lucet laudatas ab illo conſtitutiones non eſſe Apoſtolicas. Hanc enim damnationem nec Oriens admiſit quoad omnia, nec Occidens. Et damnatio errorem non exſtinxit.

Quòd exiſtentes in puerperio mulieres quidam Græcorum Doctores ſuo adhuc tempore cenſuerint nec ob vitæ periculum baptizandas, in adducta lege palam affirmat laudatus Imperator Leo. Divinæ in nos miſericordiæ magnitudinem extollit, ac proſequitur: *Valdè, meâ quidem ſententiâ, à ſalutifera ipſius providentia diversè ſentiunt, quotquot eam, quæ recenti puerperio decumbit, & morte præ foribus conſiſtente, nec diem, quem ipſi exſpectandum numerant, quadrageſimum nempè poſt partum, exſpectante, citiuſque obtorto velut collo protrahente corripitur, illuminatione indignam eſſe opinantur, & ut ob corporis immunditiam reverà illa è vitâ immunda excedat, quippè quæ Sacris non inſtituatur, nec ſacri lavacri luſtrationis, regenerationiſque particeps fiat, efficiunt.* Crudelem hanc & impiam quorumdam ſapientiam circumſcribit ac damnat, mandatque ſanas quidem poſt quadrageſimum dumtaxat diem, infirmas autem ac de vita periclitantes puerperas baptizari quovis tempore. Quòd ſine iſto Sacramento intrare non poſſint in vitam æternam. Eoſdem ſacroſanctâ etiam Euchariſtiâ donari mandat: Quòd ſine hac Baptiſmus non compleretur. Et neque hic Canon exſtinxit errorem. Uſque ad Cardinalis Humberti legationem perduraſſe oſtendit apud Patres Prædicatores repertus Conſtantinopoli tractatus. Partim ex magni Dionyſii, partim ex ſucceſſoris Timothei ſenſu potiùs quàm verbis conflat hanc regulam: *Quòd mulieres menſtruatæ non debent accedere ad Eccleſiam, etiam pro baptiſmo recipiendo, ſed debent abſtinere ab ingreſſu Eccleſiæ, & differre baptiſmum, quouſque purificentur.* Et concludit: *Hæc quomodo ſerventur in Latinorum Eccleſia, omnis qui habet oculos videre poteſt.* Timothei Decretum Photius in
Tit. 4. Nomo-Canone non malè commentatur: *Non convenit mulierem tempore*
Cap. 16. *purgationis ſuæ baptizari.* Utique niſi ſit mortis periculum. Et hanc Græcorum diſciplinam Romana Eccleſia nunquam notavit. Præfatus ſchiſmaticus ſcriptor videtur iſtum etiam extremæ neceſſitatis articulum comprehendiſſe. Nec mireris. Quoſdam enim etiam Latinos ſic olim erraſſe oſtendit ſancti Auguſtini Anglorum Apoſtoli relatio ad magnum

Digitized by Google

num Gregorium. Et ex hujus Reſcripto abuſum Humbertus rectè damnavit.

Quòd in menſis vel puerperii purgatione exiſtentes fideles mulieres Græci nunquam admiſerint ad Euchariſtiam, eſt omninò verum. Hinc enim ipſas proximè antè partum conſueſſe ac debuiſſe communicari, eſt ſuprà oſtenſum. Dico, *fideles mulieres*: Quòd enim paganas aut catechumenas, quibus de vitâ periclitantibus donabant Baptiſmum, etiam Euchariſtiâ impertirent, ſtatim nobis dixit ſapiens Imperator Leo. Noſtrum de fidelibus Aſſertum firmat in canonico ad Baſilidem Epiſcopum Reſcripto magnus Alexandriæ Patriarcha Dionyſius: *De mulieribus, quæ ſunt in abſceſſu, an eas ſic affectas oporteat domum Dei ingredi, ſupervacaneum vel interrogare exiſtimo. Neque enim eas exiſtimo, ſi ſint piæ & fideles, ſic affectas auſuras vel ad ſanctam menſam accedere, vel Corpus & Sanguinem Domini attingere. Neque enim quæ duodecim annorum fluxum habebat, ipſum ad medicinam tetigit, ſed ſolam ejus fimbriam. Orare enim, quomodocumque ſe habeat aliquis, & utcumque ſit affectus, Domini meminiſſe, & auxilium implorare, non eſt reprehendendum. Ad Sancta autem Sanctorum, qui non anima & corpore purus eſt, accedere prohibebitur.* Baſilides varia interrogaverat. An immundæ mulieres poſſent intrare Eccleſiam, ac præſertim ſacros cancellos uſque ad altare? An poſſent Euchariſtiam percipere? An domi poſſent orare, libros pios legere, ac Divinum auxilium implorare? Ab Apoſtolicarum conſtitutionum Compilatore damnatus error etiam tunc fuit omnino graſſatus. Et ad primam ac ſecundam negativè, ad tertiam quæſtionem Dionyſius affirmativè reſpondit. At non plenè exſtinxit errorem. Quidam perrexerunt errare immundas mulieres deſeri à Spiritu ſancto, ideòque nec poſſe pia legere, nec Deum precari. Et hinc memoratus conſtitutionum Author tranſiit ad aliud extremum, omnemque iſtam diſciplinam proſcripſit ad Judaicas aut Gentiles ſuperſtitiones. Et Dionyſii Reſcriptum firmat in canonicis Reſponſis ſucceſſor Timotheus. Immundam mulierem reſpondet non baptizandam, & pergit de fideli: *Si mulier ſibi accidiſſe viderit quod ſolet mulieribus, debetne ad ſancta Myſteria accedere, an non? Reſpondeo non debere.* Et de puerpera, cujus proles ob vitæ periculum antè quadrageſimum diem baptizari debuit, reſcripſit ſanctus Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus: *Alia mulier munda & baptizata lactabit puerum, mater autem ipſius cubiculum non ingredietur, in quo puer jacet, uſque ad quadrageſimum diem, dum purgata integrè fuerit, & preces à Sacerdote impetrarit. Nec omninò puerum attinget.* Qui proſcripſit à baptizati filii cubiculo, longè minùs permiſit ingreſſum Eccleſiæ. Quæ omnia in novella ad fratrem ſuum & Patriarcham Stephanum lege confirmavit ſapiens

piens

piens Imperator Leo. Porrò menſtruam immunditiem durare ad ſolos ſeptem dies, rectè obſervat in commentario ad laudatum magni Dionyſii Canonem Theodorus Balſamon.

Et pergit: *Hæc cum Antiſtes definierit, videmus hodiè, & maximè in mulierum monaſteriis, mulieres ſecurè ſtare in templorum veſtibulis, quæ ſanctis omnis generis imaginibus exornata, & ad Dei laudem deputata ſunt. Et cum interrogamus, Quomodo hoc fiat, audimus eas non eſſe in Eccleſia. Quod nobis non ita videtur. Veſtibula enim non ſunt communia, ut Eccleſiarum atria, ſed ſunt pars ipſarum, mulieribus attributa, quæ in Eccleſia verſari non prohibentur. Quod quidem veſtibulum eſt locus pœnitentiæ, qui dicitur Audientium, & in ipſo ne viris quidem ſtare permittimus, quibus impoſita eſt pœna, ne in Eccleſiâ verſentur, ſed extrà ipſum deflere. Oportet ergo ejuſmodi loca, in quibus ſtabunt immundæ mulieres, Eccleſiarum loco directo non implere, vel etiam cum Epiſcopali permiſſione ejuſmodi loca ſeparare, ut immundæ mulieres in eis ſine præjudicio ſtare poſſint. Ego autem vidi etiam ejuſmodi mulierem in veſtibulo ſtantem, & arrhæ orationem ab Antiſtite accipientem, quod quidem ſum admiratus.* Eſt locus mendoſus. Pro voce, *loco*, videtur legendum, *honore.* Immundas mulieres vult non ſolùm ab Eccleſiis, ſed etiam arcendas ab ipſarum veſtibulis, & admittendas ad ſola profana loca, in quibus non ſint ſacræ imagines, nec alia Eccleſiaſtica ornamenta. Et maximè indignatur tali mulieri arrhalem, ſeu ſponſalitiam benedictionem fuiſſe impenſam. Vult hæc omnia reformata. Et ad hanc Marci Alexandrini Patriarchæ quæſtionem, *Divini Canones Diaconiſſarum meminerunt, quærimus, quale ſit ipſarum officium*, in jure Græco-Romano reſpondet: *Olim aliquando ordines Diaconiſſarum Canonibus cogniti fuerunt, habebantque ipſæ gradum ad altare. Menſtruorum autem inquinatio miniſterium earum à Divino & ſancto altari expulit. In ſanctiſſima autem Conſtantinopolitanæ ſedis Eccleſia Diaconiſſæ ordinantur, ſed nullam communicationem habent ad altare. Mulieres autem plerumque inducunt in Eccleſiam, earumque conventum dirigunt & gubernant.* Quod ipſum inſinuat in ſcholio quinti decimi Canonis Chalcedonenſis. Et ad neſcio quem in eodem Græco-Romano Jure reſcribit Petrus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Diaconus & Chartophylax: *Si mulier partum ediderit, & quidam in ejus domum ingreſſi fuerint, quamdiu per cenſuram à participatione debent arceri? Reſpondeo, Abluti poſtridie non arcebuntur à Sacramentis.* Nempè non ſola puerpera, ſed etiam obſtetrix, & omnes puerperio coôperatæ aut præſentes mulieres erant quaſi ex contagio immundæ, de quibus addit Matthæus Blaſtaris: *Sed & tales in præſenti non ſolùm ab altari, in quod olim fas erat eis accedere, ſed & à templo eliminantur penitùs.* Et hinc Græcorum Euchologion habet hoſce titulos: *Oratio in mulierem puerperam, primo*

Lege 5.

Digitized by Google

*primo die partus dicenda. Altera pro mulieribus adſtantibus dicenda.* Et in hac Sacerdos precatur Dominum Deum: *Benedic & ſanctifica præſentes tuas ancillas, partui ancillæ aſſiſtentes, ut inculpatæ ſanctam tuam Eccleſiam intrent, & ſanctis tuis & immaculatis myſteriis participent.* Proximo die poterant ſic expurgari. Quam omnem diſciplinam etiamnum hodie apud Græcos vigere affirmat in Euchologii ſcholiis Joannes Goar: *Corporum munditiem tantam requirunt Græci in Eccleſiis, ut à partu necdum purgatas mulieres ab illarum ingreſſu arceant, & menſtruis fluentibus inquinatæ, rubore contempto, conſcientia urgente, ſeipſas hodie eliminent, panem pro oblatione pinſere detrectent; ſed & Sacra quævis tangere, reliquiaſque deoſculari vereantur. Illis ſatis eſt juxta limina foris ſub dio oculis tranſeuntium expoſitas ſtare.*

Eadem diſciplina olim viguit in quibuſdam Latinis Eccleſiis. Lucet ex quæſtione, quam magno Gregorio retulit ſanctus Auguſtinus Anglorum Epiſcopus: *Mulier, poſtquam genuerit, poſt quantum tempus poſſit Eccleſiam intrare? Aut ſi menſtruâ conſuetudine tenetur, An Eccleſiam, ei intrare liceat, aut ſacræ Communionis Sacramentum percipere?* Et laudatus Pontifex reſpondit: *Cum enixa fuerit mulier, poſt quot dies debeat Eccleſiam intrare, teſtamenti veteris præceptione didiciſti, ut pro maſculo triginta tribus, pro fœmina verò ſexaginta ſex diebus debeat abſtinere. Quod tamen ſciendum eſt, quia in myſterio accipitur. Nam ſi eâdem horâ, quâ genuerit, actura gratias intrat Eccleſiam, nullo peccati pondere gravatur. Voluptas enim carnis, non dolor eſt in culpa. In carnis autem commixtione voluptas eſt, in prolis verò partu dolor & gemitus. Si itaque enixam mulierem prohibemus Eccleſiam intrare, ipſam ei pœnam ſuam in culpam deputamus.* Et infrà: *Mulier dum ex conſuetudine menſtrua patitur, prohiberi Eccleſiam intrare non debet, quia ei naturæ ſuperfluitas in culpam non debet imputari. Et per hoc, quod invita patitur, juſtum non eſt ut ingreſſu Eccleſiæ privetur. Novimus namque quod mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, poſt tergum Domini veniens veſtimenti ejus fimbriam tetigit, atque ſtatim ab ea infirmitas ſua diſceſſit. Si ergo in fluxu ſanguinis poſita laudabiliter potuit Domini veſtimentum tangere, cur quæ menſtruum ſanguinis patitur, ei non liceat Domini Eccleſiam intrare?* Multis demonſtrat iſtam mulierum paſſionem eſſe meram ex originali culpa pœnalem ægritudinem, atque proſequitur: *Sanctæ Communionis myſterium in iiſdem diebus percipere non debet mulier prohiberi. Si enim ex veneratione magna percipere non præſumit, laudanda eſt; ſed ſi perceperit, non judicanda. Bonarum quippe mentium eſt, etiam ibi aliquo modo culpas ſuas agnoſcere, ubi culpa non eſt.* Et hanc libertatem multis confirmat.

A ſe in tranſitu viſam Gallicanæ Eccleſiæ diſciplinam Auguſtinus retulit, & ipſam neque probavit, neque damnavit Gregorius, ſed

unamquamque fidelem mulierem permiſit in ſuo ſenſu abundare. Ejus
tamen ſententiam plures Gallicanæ Eccleſiæ videntur aut ſervaſſe an-
tea, aut tunc admiſiſſe. Etenim ipſius Reſcriptum ſuo Capitulari in-
Tit. 10 ſeruit Iſaac Lingonenſis Epiſcopus. Et Turonenſium Archiepiſcopus
cap 187. Erardus ſuo Capitulari inſeruit ejuſdem ſenſum: *Mulier poſt partum,*
Cap. 60 *ſtatim ac voluerit, niſi fortè ſit adultera, intret Eccleſiam, ac Deo*
*referat gratias.* Excipit adulteram, quòd illa cogi deberet ad publicam
pœnitentiam, adeoque & ab Eccleſia excludi. Et in ſuo Decreto ſan-
ctus Ivo habet hunc Canonem: *Mulier enixa, ſi voluerit, Communio-*
Lib. 2. Cap. 60. *nem accipiat.* Et affirmat eſſe Carthaginenſem. Quòd tamen per ſan-
ctum Auguſtinum magno Gregorio relata diſciplina perſeveraverit in
pluribus Galliæ Eccleſiis, oſtendit in animæ Gemma Honorius Au-
Lib. 1. guſtodunenſis: *Mulieres poſt partum non intrant Eccleſiam, quia immun-*
C. 146. *dos à cæleſti templo excludi deſignant. Alioquin ſi præ infirmitate valerent eâdem*
*die, quâ pariunt, intrare Eccleſias, eis liceret, ut Deo agerent gratias. Propter hanc*
*ſignificationem in multis locis menſtrua viris commixta foris Eccleſiam ſtare ſolent.*
Et in alio ejuſdem operis libro: *Mulieres in hoc ſanctam Mariam imitan-*
Lib. 3. *tur, quòd poſt partum tranſactis quadraginta diebus Eccleſiam ingrediuntur,*
Cap. 24. *quia cæleſte Templum intrare non merentur, quæ in præſenti vita, quæ per*
*quadraginta dies accipitur, beatam Virginem non imitantur.* Affirmat eſſe
non Præcepti, ſed ſolius decori ac honeſti conſuetudinem. Et ita ſer-
vatur uſque hodie in omni fermè Gallia: Etiam noſtra Belgica. Qui-
dam tamen cenſebant eſſe Præceptum, & quidem adeò rigidum, ut
Lib. 1. C. 170. de ipſis pergat laudatus Honorius: *Interfecti ideò in Eccleſiam non por-*
*tantur, ne ſanguine pavimentum maculetur. Ob hanc enim cauſam putant*
*quidam mulieres in partu defunctas non eſſe in Eccleſiam deferendas. Quod tamen*
*licet fieri.* Cenſebant non tantum à vivis, ſed etiam à defunctis iſtiuſ-
modi mulieribus Eccleſiam quaſi profanari. Mitiorem ſententiam con-
tinet in ſancti Ivonis Decreto hic Canon. *Mulieres menſtruo tempore non*
Lib. 15. C. 150. *offerant. Nec Sanctimoniales, nec laïcæ. Si præſumpſerint, tres hebdomadas*
*pœniteant.* Ipſas admittit ad Eccleſiam, verùm ſine oblatione, adeòque
& ſine Euchariſta. Antiqua enim diſciplina, quos offerre vetuit, ve-
tuit & communicare.

Quin immò & laudatus Honorius & magnus Gregorius, ideóque
& Italica & Gallicana Eccleſia videntur non diſcordaſſe. Etenim Gre-
Cap. 30. gorius tertius ſuo Pœnitentiali libro inſeruit hunc articulum: *Si qua mu-*
*lier antè mundum ſanguinem intraverit Eccleſiam, quia nec in uſu habetur, qua-*
Cap. 25 *draginta dies pœniteat.* Item hunc: *Mulieres menſtruo tempore in Eccleſiam non*
*intrent. Quod ſi præſumpſerint, tres hebdomadas pœniteant.* Homo Græcus
fuit iſte Gregorius, ideoque hoſce pœnitentiales Canones videtur à
Græcis

Græcis mutuatus. Et hinc ipſos ſtatim mitigat, ſubnectit à nobis jam laudata Magni Gregorii verba, & concludit: *Nonnulli Patres ità definierunt.* Et videtur ſuos Canones ſoli honeſto, non rigido Præcepto adſcribere. Et ita etiamnum hodiè ſervat Italia. Etenim Romanum Paſtorale habet hunc titulum: *Ordo ad introducendam mulierem in Eccleſiam poſt partum.* Et hæc eſt Sacerdotis ſuper mulierem oratio: *Deus, qui per Moyſen famulum tuum Iſraëliticæ plebi mandaſti, ut mulier, quæ filium peperiſſet, ab ingreſſu templi ſequeſtraretur, quæſumus ut hanc famulam tuam ab omni inquinamento peccati mundare digneris, quatenus mente & corpore mundata ſinum Matris Eccleſiæ valeat penetrare. Et tibi pro ſuis delictis acceptabile munus offerre.* Orat ipſam non à ſanguinis, ſed à peccati inquinamento mundari: A ſolis namque peccatis & inquinantur Chriſtiani, & mundantur. Laudatos Canones ſuo Decreto inſeruit ſanctus Lib. 15.
Ivo, ipſoſque non tertio Gregorio adſcribit, ſed Theodoro Archie- C. 151.
piſcopo Cantuarienſi. Etiam hic fuit vir Græcus, verùm apud Apoſtolicam Sedem ſolemniter profeſſus Anglis tradere non Græcam diſciplinam, ſed Latinam. Hinc poſſit primùm laudaſſe ſuæ gentis Canones; & ſtatim per magni Gregorii ad Anglos Reſcriptum mitigaſſe. Quidquid ſit, etiam magnus Alexandriæ Patriarcha Dionyſius hæc omnia ſpectare credidit ad ſolam morum honeſtatem, non ad rigidam legem. Lucet ex noviſſimis epiſtolæ verbis: *Ego autem, non ut Doctor, ſed ut cum omni ſimplicitate convenit nos invicem diſſerere, meam ſententiam in commune edidi, quam cum tu examinaveris, fili ſapientiſſime, quod tibi juſtum & melius apparuerit, vel an ſit etiam de his habere exiſtimas, reſcribe.* Permittit unumquemque Epiſcopum abundare in ſuo ſenſu, atque ita altè clamat hanc diſciplinam non eſſe legem. Cardinalis Humbertus dumtaxat arguit, quod Græci ipſam etiam in vitæ periculo cenſerent non laxandam. Menſtruatæ mulieres jam paſſim apud nos intrant Eccleſiam: Omninò tamen convenit ut abſtineant ab Euchariſtia. Hoc enim judicavit etiam magnus Gregorius.

Et hæc diſciplina & Latinis & Græcis peperit puerperarum mulierum ſolemnem purificationem, de qua ſcribit Matthæus Pariſienſis:
*Rex Anglorum Guilielmus in Normandia moram faciens, aliquantiſper ſe conti-*
*nuit à bello, quod in Francorum Regem cogitabat. Rex autem Francorum Phi-* Anno 1087.
*lippus, abutens ipſius patientia, opprobrioſe fertur dixiſſe: Rex Anglorum jacet Rothomagi, cubile fovens inſtar parturientium fœminarum. Sed cum poſt partum ſe purificaturus exiverit, centum millia candelarum cum eò veniam oblaturus in Eccleſia.* Quibuſdam enim in locis purificanda mulier cum multo ſociarum comitatu procedit ad Eccleſiam: Et ſingulæ geſtant ac offerunt candelam. Pergit Matthæus de Stephano Cantuarienſi Archie-

piſcopo: *Exivit Decretum ab Archiëpiſcopo in hunc modum. Concubinæ ſacerdotum & ſacrorum Clericorum, ſi pepererint, non purificentur, niſi priùs ſufficientem cautionem præſtiterint Archidiacono.* Stephanus decrevit adverſum tunc adhuc prætenſas Clericorum uxores, ipſaſque tractari voluit uti fornicarias. Quæ enim ex fornicatione concipiunt, ſolemni Eccleſiaſticæ purificationis cæremonia cenſentur indignæ. Et Odo Pariſienſis Epiſcopus in ſuo Capitulari habet hunc articulum: *Præcipitur Preſbyteris, ut quando mulieres poſt puerperium veniunt ad purificationem, dent eis tantummodo panem benedictum, & Domini Corpus eis nullo modo propinent, niſi expreſſè petant, & priùs confeſſæ fuerint.* Et in litteris, quæ inter Antipolitanum Epiſcopum & Lerinenſem Abbatem circà Graſſenſem ſancti Honorati Eccleſiam Pacta firmant, ſcribit Innocentius tertius: *Monachi in purificatione parientium Miſſas non cantent, nec Orationes exſolvant.* Quæ omnia oſtendunt hanc cæremoniam eſſe apud Latinos antiquam. Eandem uti talem laudat adductis jam Scriptoribus ſenior Honorius Auguſtodunenſis.

Tit. 9. Cap. 50.

Græci puerperis ac earum fœtibus adhibent varias purificationes. Euchologion habet hos titulos: *Orationes in mulierem puerperam die primo nati pueri. Oratio ad cruce ſignandum puerum, ſuſcipientem nomen octavâ die nativitatis. Oratio in mulierem puerperam poſt viginti vel quindecim dies. Oratio in mulierem puerperam poſt quadraginta dies.* Et ad hunc titulum ſubjicitur: *Quadrageſimo die rurſum templo præſentatur puer, ut Eccleſiæ aggregetur, id eſt, ut in Eccleſiam induci ſumat principium. A matre verò, jam plenè mundata & lota, adſtante etiam qui Suſceptoris munus in Baptiſmate obiturus eſt, offertur.* Et de prima oratione quærit in libro de Sacramentis Simeon Archiëpiſcopus Theſſalonicenſis: *Quare in pueri nativitate à Sacerdote fit oratio?* Et reſpondet: *Quandoquidem carne natos, ad Spiritus regenerationem hac viâ deduci nos convenit, Eccleſia Chriſti, ut immaculata & in Chriſto ſanctificata, inter Deo devotos peccatricem noſtram & ex carne generationem ſtatim emundare aggreditur. Et à matre devota fœtu edito, advenit Sacerdos, Deoque laudem agit, quia natus eſt homo in mundum, ſignoque Crucis puerum benedicit, & vivum permanere, ac Baptiſmum & Chriſma ſuſcipere poſtulat, & matri precatur quæ ad ſalutem conducunt. Tum illi, & aliis cum ipſa mulieribus gratiæ & ſanctificationis donum impertit & propria ſibi opera ſemper exequendi licentiam concedit & nuſquam impediri ab illis aggrediendis, aut immundas ſe putare, aut anxias eſſe propter invidi inimici dubia ſibi in mente præſentata, eò quod peccati & voluptatis partui miniſtrârint.* Eas à contracta immunditia expurgat. Nam pro primo partus die Euchologion habet & hunc titulum: *Altera pro adſtantibus mulieribus oratio.*

Etiam ſecundæ orationis ritum exponit idem Simeon: *Octavo die*

*à qui-*

Digitized by Google

*à quibuſdam puer adducitur in templum, & præ foribus ſtantem, necdum enim Baptiſmate eſt expiatus, Sacerdos ſignat in fronte, ore, & pectore, & per orationem imponit ei nomen, quodcumque parentes voluerint, cum quo deinde baptizatur, prout Chriſto Domino die nativitatis ſuæ octavo contigit, cum* Jesus *eſt appellatus.* Hic ergo ritus non fit in domo, ſed ante Eccleſiam, ideóque de poſtremæ orationis ritu dicit Euchologion: *Puer templo rurſum præſentatur.* Sacerdos puerum tunc facit Catechumenum. Nam quòd etiam Latina Eccleſia per fronti impreſſum crucis ſignum faciat Catechumenum, tradit in ſecundo libro de Symbolo ad ipſos ſanctus Auguſtinus: *Nondum per ſacrum Baptiſmum renati eſtis, ſed per Crucis ſignum in utero ſanctæ Matris Eccleſiæ jam eſtis concepti.* Cap. 1. Quod ipſum teſtatur in aliis locis. Et quòd in Phrygia exulans ſanctus Hilarius Pictavienſis Epiſcopus neſcio quam Florentiam per Crucis ſignum fecerit Catechumenam, ſcribit in ejus vita Presbyter Lib. 1. Fortunatus. Et de converſis per ſancti Anſcharii Hamburgenſis Archiëpiſcopi prædicationem Danis ſcribit in ejus vita ſucceſſor Rembertus: *Signaculum Crucis recipiebant, ut Catechumeni fierent.* Et iſtum Lib. 5. Græcorum ritum reſpicit in Manuële Comneno Nicetas Choniates: Cap 8. *Nato filio, Deo gratiæ agebantur, omneſque ſubditi plaudebant & lætabantur. Ipſe verò Imperator, ut diem natalem redderet celebriorem, cives honoratiores, ut moris erat, ramos geſtantes conviviis excepit, & puerum Alexium nominavit.* Cum tanta ſolemnitate Græci ſuos filios creabant Catechumenos.

Poſtremæ etiam purificationis ritum exponit idem Archiëpiſcopus: *Quadrageſimo die rurſus in templum puer à matre adducitur, illúmque velut donum offert Deo. Stans namque Sacerdos præ templi foribus, neque enim orationi nondum factæ fas eſt inducere, matremque cum fœtu cruce ſignans, & precibus illos expians, matri quidem quadrageſimum dierum, in quo fœtus in ipſa perfectus fuit & exſilire incæpit, adimplenti, à voluptuoſa & immunda nativitate purgationem largitur, & in templum permittit ingreſſum, cum illuc uſque neque aditu neque mundiſſimi myſterii participatione fuerit digna. Puerum autem in manus ſuſcipiens, Simeonem repræſentat qui puerum Dominum eſt ulnis complexus, & decantans, Nunc dimittis ſervum tuum Domine, puerum à peccato ſolvi, & Chriſtum lucem adſpicere rogat. Et ſi quidem puer baptizatus fuerit, ad ſanctum uſque altare inducit, & in circuitu quaſi adorantem, & donum Deo oblatum, factorémque ſuum ſummo cultu venerantem deportat. Si à minùs fuerit Baptiſmo luſtratus, ad cancellos uſque defert infantem, adorationis cultu demiſſum. Et matri tandem reſtituit, ac dimiſſionem facit. Exindè Catechumenis adnumeratur puer, expurgatáque mater templum ingrediendi, & myſteriis participandi facultatem accipit.* Et Simeon hic & alii hodiè Græci cenſent infan-

infantem per octavæ diei preces dumtaxat præparari ad catechumenatum, donandum die quadrageſimo.

## CRIMEN NONUM.

*Græci capillos capitis & barbam nutrientes, eos qui comas tondent, & ſecundùm inſtitutionem Romanæ Eccleſiæ barbas radunt, in communionem non recipiunt.*

DE Chriſtiani capitis cæſarie habemus Apoſtolicum in priori ad Corinthios epiſtolâ Canonem: *Vir, ſi comam nutriat, ignominia eſt illi, mulier verò, ſi comam nutriat, gloria eſt illi. Quoniam capilli pro velamine illi dati ſunt.* Exponit in Apoſtolicæ ad Galatas epiſtolæ commentariis ſanctus Hieronymus: *Apoſtolus Corinthios notat quòd eorum mulieres intecto capite ſint, & viri comam nutriant. Hæc ex parte uſque hodiè permanere non poteſt dubitare, qui Achaïam viderit.* Et in ſua ad laudatam epiſtolam præfatione ſanctus Joannes Chryſoſtomus inter varia Corinthiorum vitia enumerat & hoc: *Multi inter Corinthios circumibant & vagabantur comati, quos Apoſtolus jubet tonderi.* Et in vigeſima ſexta Homilia: *Viri comam alebant, ut qui verſarentur in Philoſophia. Et caput operiebant orantes & prophetantes. Quod quidem utrumque erat legis Græcorum.* Demonſtrat non ſolis viris, ſed etiam mulieribus fuiſſe tunc prophetiæ gratiam, & pergit: *Apoſtolus virum non ſemper cogit eſſe aperto capite, ſed ſolum quando orat. Mulierem autem ſemper jubet eſſe non nudo & aperto capite. Oſtendit quòd non ſolum tempore orationis, ſed perpetuò eam oportet habere caput opertum. In viro autem non de capitis tegumento, ſed de coma tractat oratio. Nam tunc ſolum jubet caput aperire, quando orat, comam autem alere ſemper prohibet.* Varias, ex quibus procera Cæſaries virum dedeceat, adducit rationes, & concludit: *Etiamſi tunc contendebant Corinthii, nunc univerſus terræ orbis hanc admiſit legem, & cuſtodit.* Utique legem de virilis capitis tonſura. *Tanta eſt potentia Crucifixi.* Duo igitur in Corinthiis culpavit Apoſtolus. Primò, quòd viri gentilem in morem orarent velato capite. Deindè, quòd gentilium Philoſophorum affectarent & ſapientiam & habitum, atque ita alerent proceram cæſariem. Quòd enim gentiles Philoſophi *Pallio albo, & capitis capillitio Philoſophiam metirentur*, in prima oratione de Divina Providentia teſtatur Theodoretus.

Præf. l. 2.

De antiqua Judæorum Laïcorum tonſura habet lex in libro Levitici: *Neque in rotundum attondebitis comam.* Rationem dat ſanctus Propheta Hieremias, dicens de Saracenis & aliis vicinis Judæorum gentibus: *Attonſi ſunt in comam.* Suum populum etiam comæ forma diſcerni ab illis

Cap. 18.
Cap. 9.

Google

lis Dominus voluit. Quæſtio eſt, quid ſit attonderi in comam? In laudati Prophetæ commentario Theodoretus non de cæſarie, ſed de barba videtur intelligere, ſcribens de Iſmaëlitis, & Cethuræ poſteris: *Propheta hos vocat circumtonſos facie, quia pilos genarum vellere conſueverant.* Reſpondeo lucidè exponi à Theodoro Mopſueſtiæ Epiſcopo: *Comam ad occipitium promittentes Saraceni, partem ſolummodo tondent, quæ fronti imminet. Hos hodiè Gentiles appellamus.* Et de antiqua Venetorum apud Græcos factione ſcribit in Arcana hiſtoria Procopius Cæſarienſis: *Factioſi comere cæſariem, ac novo quodam & Romanis alieno cultu recidere. Nam mento & aliis intonſis, quæ Perſarum more prolixè lubebat promittere, ſinciput capillitio ad tempora uſque nudarunt, comâ ad occipitium promiſſâ, ut Meſſagetæ ſolent, nullâ lege diffluere. Et hunc habitum Hunnicum appellavere.* Et de Imperatore Juſtiniano ſcribit Georgius Cedrenus: *Erat capite ad comæ pulchritudinem nonnihil detonſo.* Ita fuiſſe ex ejus apud Ravennam antiquâ effigie oſtendit in arcanæ hiſtoriæ commentariis Nicolaus Alemannus, & adjungit: *Venetorum, quibus favebat Juſtinianus, his erat habitus.* Et iterum: *Non Hunnorum, non Meſſagetarum, ſed Saracenorum proprium fuiſſe hunc habitum, alii narrant.* Hæc ergo eſt non in totius capitis, ſed in ſolius faciei rotundum attonſio, quam ſuo populo Deus olim interdixit. Et ſic Theodoretus nec à ſacro textu diſſentit, nec à Mopſueſtienſi Theodoro. Porrò Saraceni vellebant, Hunni barbâ veſtiebant genas: hinc Venetorum habitum Procopius rectè appellat Hunnicum. Cap. 7. Cap. 14. Cap. 7.

Et ad hæc ſancti Ezechiëlis de Judaïcis Sacerdotibus verba, *Caput ſuum non radent, neque comam nutrient, ſed tondentes attondebunt capita ſua,* ſcribit ſanctus Hieronymus: *Perſpicuè demonſtratur, nec raſis capitibus, ſi ut Sacerdotes cultoreſque Iſidis atque Serapidis, nos eſſe debere, nec rurſum comam dimittere, quod propriè luxurioſorum eſt, barbarorumque & militantium, ſed ut honeſtus habitus Sacerdotum facie demonſtretur.* Septuaginta Interpretes ſic habent: *Capita ſua non radent, & comas ſuas ad preſſum non tondebunt, ſed operientes operient capita ſua.* Et laudatus Hieronymus commentatur: *Juxta quod diximus, nec calvitium eſſe novaculâ faciendum, nec ita ad preſſum tondendum caput, ut raſorum ſimiles eſſe videantur, ſed in tantum capillos dimittendos, ut operta ſit cutis.* An non ſoli Sacerdotes & Levitæ, ſed omnis Hebræorum populus fuerit ad talem tonſuram obligatus, eſt alia quæſtio. Legem fuiſſe univerſalem affirmat in opere adverſum Acephalos, publicatus per Jacobum Gretzerum, Anaſtaſius Sinaïta. Affirmat Domino noſtro etiam capillos fuiſſe ſuo tempore detonſos, & adjungit: *Judæis enim capillos tondere præceptum erat, non nutrire.* Excipe tamen Nazaræos, quorum ſingu- Cap. 44. F. 267.

ſingularis & votiva cæſaries erat congruum iſtius temporis Sacramentum. Quidquid ſit de Judæis, omnis fidelis Chriſtianus per Baptiſma conſecratur in Sacerdotem & mores Sacerdotales, ideoque iſtam tonſuram Apoſtoli introduxerunt in Eccleſiam, & nobis omnibus ſunt conati imponere.

Et iſtius Canonis, licet antiquum abuſum apud quoſdam Corinthios ſuo tempore adhuc perduraſſe teſtetur ſanctus Hieronymus, Orientalis Eccleſia fuit olim obſervantiſſima. Et in Chriſtiano Pædago-
Lib. 3. Cap. 11. go ſcribit Clemens Alexandrinus: *De pilis autem ita videtur. Virorum quidem caput ne ſit hirſutum, niſi fortè pilos criſpos habeat. Intorti autem capilli ne à capite nimium demittantur, in comam muliebrem delabentes.* Plures iſtius tonſuræ utilitates enumerat, & addit de capillatura mulierum: *Alienorum capillorum appoſitiones ſunt omninò rejiciendæ, & externas comas capiti adhibere eſt maximè impium, quæ mortuis pilis cranium induunt. Cui enim manum imponit Presbyter? Cui benedicit? Non mulieri quæ ornata eſt, ſed alienis capillis, & per illos alieno capiti.* Alienos capillos damnat in ſolis fœminis, quod iſtam noſtri ſæculi fœditatem tunc in Ægypto viri penitus ignorarint. Et de variis monachorum moribus ſcribit in Ca-
Cap. 13. tholicæ fidei expoſitione ſanctus Epiphanius: *Quidam prolixiore coma palam & in omnium oculis procedunt.* Et infrà: *Nonnullis prolixior coma pla-*
Cap. 23. *cuit, ſanctioris videlicet Inſtituti cauſa. Id quod ſuaptè voluntate, ſine Evangelii Præcepto aut Apoſtolorum approbatione faciunt. Nam Apoſtolus Paulus formam ejuſmodi atque cultum abdicavit.* Ex iſto grege erant illi Monachi, qui ex Oriente in Africam advenæ novellum iſthic Monachiſmum inquietabant, & de quibus ſcribit in libro de Monachorum opere ſanctus
Cap. 32. Auguſtinus: *Illi venalem circumferentes hypocriſim, timent ne vilior habeatur tonſa ſanctitas, quàm comata, ut videlicet qui eos videt, antiquos iſtos quos legimus cogitet, Samuëlem & cæteros qui non tondebantur.* Uti-
Lib. 80. Cap. 6. que Nazaræos. Pergit in Panario ſanctus Epiphanius: *Eſt & alia vivendi forma ac diſciplina, qua venerandi fratres noſtri utuntur, qui in Meſopotamia domicilium fixerunt. Qui & comas muliebrem in modum promittunt.* Affirmat iſtam formam eſſe ab Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolorum
Cap. 7. doctrina prorſus alienam, atque adjungit: *In Apoſtolorum conſtitutionibus Divino ſermone & dogmate præſcribitur, ne meretricius cultus & ornatus uſurpetur, ac per arrogantiam & faſtum affectata quædam juſtitiæ ſpecies in congreſſu & conſuetudine præferatur. Illud enim Nazaræis dumtaxat ob figuram congruebat.* Sanctum & devotum Nazaræorum caput ſignificabat mundi votum & venturum caput Chriſtum Dominum: Iſtius per capillos coöpertio repræſentabat hujus abſconditum ſæculo, & antiquæ legis multis ſcematibus tectum myſterium. Hoc jam toti mundo prædicatum

&

& revelatum eſt, ideoque nemo amplius poſſit caput pilis velare. Hinc & Nazaræi ſuo tempore deponebant votivam cæſariem: Ita à novo Teſtamento faciendam Chriſtiani myſterii revelationem prænuntiabant. Moſaicum iſtorum capillorum Sacramentum eodem modo exponunt ſanctus Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, & alii Latini. Porrò ſolos iſtos Monachos, nullos Laïcos de nutritis capillis arguit ſanctus Epiphanius: Quòd nempè Orientalis, ubi ille docuit, diœceſeos populus iſtam petulantiam ignorarit. Et in hoc cardine pendet alia per ſanctum Auguſtinum adducta iſtorum Monachorum ineptia: *Iam illud, ſi dici poteſt, quàm ridiculum eſt, quod rurſus inveniunt ad defenſionem crinium ſuorum. Virum, inquiunt, prohibuit Apoſtolus habere comam. Qui autem ſeipſos caſtraverunt propter regnum Cælorum, jam non ſunt viri.* Quod per abolitum Nazaræorum Sacramentum viderent ſe non poſſe defendi, blaterarunt ſe non eſſe viros, ideoque ad ſe non extendi Apoſtolicam legem, à cunctis tunc viris conſtanter obſervatam. Et hinc in illos rectè exclamat ſanctus Auguſtinus: *O dementiam ſingularem.* Cap. 33.

Porrò hodiernæ Romani Clementis Apoſtolicæ Conſtitutiones hæc habent: *Pulchritudinem à Deo tributam ne inſuper ornes, quin potiùs tempera eam modeſtè apud homines, non capillum nutriens, imò conſcindens & concerpens, ne pexus & comatus, aut unguentis delibutus, eas mulieres ad te pellicias, quæ ſic capi, aut capere ſolent.* Et infrà: *Tibi, qui fidelis es & homo Dei, non licet nutrire comam, & in unum colligere. Hæc enim luxuria eſt, & mollities. Neque effuſam geſtare, neque diſcriminatam, neque facere ut tumeſcat. Neque eam carpendo & criſpando formare. Neque flavam reddere.* Proceram viri comam dumtaxat de vanitate, non de affectata aut oſtentata juſtitia arguit, ideoque hæc à laudatis per Epiphanium Conſtitutionibus ſunt aut alteræ, aut alteratæ. Et in ſuo tempore graſſantia adoleſcentiæ vitia concionatur in quinquageſima ſuper ſanctum Matthæum Homilia ſanctus Joannes Chryſoſtomus: *Ego arbitror numquam fuiſſe Romanorum Imperatorem, qui ſe propter trophæa ſua jactaret, quantum luxu perditi adoleſcentes ob calceorum ornatum, ob veſtes ſcitè conſtructas, ob cæſariem in modum pilæ tonſoris opere circumductam.* Et in octogeſima ſeptima Homilia declamat adverſus Monachorum vitia: *Aliqui religionem eſſe putant non parvam, capillos capitis nutrire, quod ex prohibitis eſt, & non parvum dedecus adfert.* Et in tertio ſermone de ſancto Propheta Job ſcribit: *Nunc inter flentes multi nutriunt comam, ille autem abſcidit. Quare? Id nimirum eſt propoſitum ei qui flet, ut contrariam in formam conſtituat habitum. Ubi honoratur coma, ſignum eſt fletûs tonderi. Ubi verò tonditur, ſignum fletus eſt non tonderi. Ubique enim à flentibus contraria ſumitur figura.* Sanctus Job fuit Idumæus, & in proſperitate occipitii cæſariem aluit,

 atque

atque attonſionem. Pro Levitici verbis, *In rotundum non attondebitis comam*, Theodoretus legit, *Non facietis Siſoen ex coma capitis veſtri*, atque interpretatur: *Siſoen quidam interpretati ſunt capillos de induſtria triſtes factos. Ego verò exiſtimo lege aliud interdici. Nam moris eſt apud Græcos capita puerorum non attondere, ſed ſinere capillos promitti, & hos poſteà dæmonibus dedicare.* Affirmat eſſe morem gentilem: Quòd nempè veri Chriſtiani etiam parvulos ſuos tonderent juxtà mandatum Apoſtoli. Laxata tamen diſciplina poſtmodò permiſit parvulis longos cincinnos, & ipſorum primam tonſuram, tanquam primitias, alicui ſancto dedicabat.

Cap. 52. Etiam in Abbatis Apollonis laudem ſcribit in Lauſiaca hiſtoria Palladius Helenopolitanus Epiſcopus: *Apollo multum reprehendebat eos, qui comam nutriebant.* Et in neſcio quem imbellem & comatum militem Joannem ſcribit ad ſuum fratrem ſanctus Syneſius Ptolomaidis in Penta-
Ep. 104. poli Epiſcopus: *Nullus capillum, quin Cynedus ſit, fovet.* Hunc verſum affirmat eſſe non proverbium, ſed oraculum. Et neſcio quem Theanum,
Lib. 1. quòd intortos crines gereret, graviſſimè arguit Iſidorus Peluſiota,
Ep. 461. affirmans adverſari noſtræ profeſſioni, quâ baptizandi renuntiamus Diabolo ac mundo, & omnibus ipſorum pompis. Vagos & coma-
Cap. 42. tos Eremitas graviter arguit, & tonderi mandat etiam Trullana Synodus. Et de lapſam diſciplinam reparante Imperatore Theophilo ſcribit Georgius Cedrenus: *Theophilus, quia à natura paucos capitis capillos habebat, & erat re calvaſter, ideò edito Edicto juſſit crines ab omnibus tonderi, neque ab ullo Romano ultrà collum demiſſos geſtari. Et auxit Edictum gravi flagrorum ſupplicio, priſcorum Romanorum virtutem revocare ſtudens.* Verùm reformatio aut non obtinuit, aut non permanſit. Etenim in Reſponſo adverſus quintam Photii calumniam ſcribit Æneas Pariſienſis Epiſcopus: *Græcorum Laïci, fœminarum more, contrà interdictum tonantis Apoſtoli comas nutriunt.* Affirmat eſſe fœmineum cultum, damnari ab Apoſtolo, ideoque à Latinis non admitti. Et Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores repertus tractatus: *Græci nequaquam venerantur præceptum Apoſtolicum*, Vir ſi comam nutriat, ignominia eſt illi. *Omnes enim maximo ſtudio incrementis operam præſtant. Hujus lapſus Clerici maximè ſunt rei. Et etiam, quos nullo modo decet, Monachi. Etenim in coronæ modum, ſicut regula præcipit, tonſuram capillorum non faciunt, ſed penè ut mulieres in fronte dividendo diſcriminant, ſervatis undique capillis, ut colli nuda & aurium cartilagines protegant.* Et adjungit: *Mulieres deſerto naturali cultu capillorum, denſiſſimis mortuorum comis ſubornantur.* Hanc fœditatem notat in ſolis fœminis, adeoque profitetur à Græcorum viris etiam tunc fuiſſe adhuc ignoratam. Et iſtum virorum exceſſum meritò notat Cardinalis Humbertus.

Etenim

Etenim Apoſtolicum Canonem Latina olim Eccleſia religioſiſſimè cuſtodivit. Lucet ex Tertulliani libro de velandis virginibus: *Sæculum Dei æmulum virgini caſum capillum decori mentitur, quemadmodum & puero permiſſum.* Utrumque affirmat adverſari Apoſtolo, qui omnem fœminam ſuis etiam capillis velari juſſit, omnem virum tonderi. Adverſum abuſum notat in ſolis gentilibus: Quòd Chriſtiani Apoſtolo paſſim obedirent. Et in prima ſuper trigeſimum ſecundum Pſalmum concione declamat ſanctus Auguſtinus: *Non benè tonſus es, dicit vir gravis laſcivo adoleſcenti, non te decet cum talibus cincinnis incedere. Novit autem ille capillos ſuos placere neſcio cui. Odit te reprehendentem vero judicio, & ſervat in ſe quod placet pravo conſilio. Inimicum te putat, quia turpitudinem demis. Fugit oculos tuos, & omninò non curat, quâ juſtitiæ regulâ reprehendatur.* Lucidè affirmat iſtam fœditatem graſſari in ſolis laſcivis adoleſcentibus. Et in ſermone de tempore concionatur: *Habitus impudicus corporis eſt nuncius adulterini cordis. Impudicus autem habitus in viris eſt inordinata capillatura.* Et ad Euſtochium virginem ſcribit de hypocritis monachis ſanctus Hieronymus: *Viros fuge, quos videris catenatos, quibus fœminei contra Apoſtolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, nudi in frigoris patientia pedes. Hæc omnia argumenta ſunt Diaboli.* Et in litteris ad Maram Celedenſis Eccleſiæ Presbyterum: *Catenæ, ſordes, & coma non ſunt diadematis ſigna, ſed fletus.* Ex quo lucet nec ipſum Auguſtum Principem tunc fuiſſe comatum. Raræ Latinorum Patrum in iſtum luxum invectivæ evincunt olim non fuiſſe graſſatum.

Cap. 7. Serm. 247. Ep. 22. Ep. 77.

Hieronymus ſuprà dixit iſtum luxum eſſe proprium laſcivis, militibus & Barbaris. Quòd nempè præter milites & laſcivos juvenes nemo Romanus Apoſtolicum Canonem tunc prævaricaretur. Porrò inter varia Barbarorum ornamenta etiam Tertullianus in libro de velandis Virginibus numerat *Cirros Germanorum.* Et de iiſdem paſſim intelligimus hunc Eliberinum Canonem: *Ne qua fidelis vel Catechumena comatos aut viros cinerarios habeat.* Eſt deſumptus ex eodem Tertulliano, qui in libro de fœminarum cultu declamat ad omnes Chriſtianas: *Fruſtra laboratis ornatæ videri, fruſtra peritiſſimos quoſque ſtructores capillaturæ adhibetis.* Et hoſce ſtructores in ſecundo ad uxorem libro vocat *peregrinæ*, utique Germanæ, *proceritatis cinerarios.* Germani tunc non tantum comati erant, ſed & peritiſſimi cinifiones, qui calefactis intra cineres calamiſtris noſſent polire crines, & in cirros ac annulos criſpare. Hinc & Martialis ſcribit: *Crinibus in nodum tortis venêre Sicambri.* Hanc artem lucri causâ circumferebant per omne Romanum Imperium, apud delicatos ac delicatas erant grati, admittebantur inter opulentarum familiarum officia, ideòque ipſos uti morum corruptores à fidelium &

Cap. 10. Cap. 67. Cap. 7.



Digitized by Google

catechumenarum mulierum famulitio laudata Synodus proſcripſit. Proſcripſit à ſolis fœminis. Quòd fideles viros iſta vanitas paſſim non occuparit. Et ad quinquageſimum ſexti ſæculi annum ſcribit Martyr Theophanes: *Sub idem tempus gens prorſus inſolens atque incognita, Abares ei nomen, Conſtantinopolim advenit, & ad ejus ſpectaculum, quod nuſquam viſi fuiſſent hujus formæ homines, cuncta urbs eſt effuſa. Comas ſiquidem à tergo longas admodum, tæniis revinctas & implexas geſtabant.* Quem capillaturæ nutritum & ornatum etiam in antiquis Cynedis notat Chriſtianus Clementis Alexandrini Pædagogus, & proſequitur: *Ex gentibus quidem Galli & Schytæ comam nutriunt, ſed non immodicè colunt. Et terribile quidem quid præ ſe fert denſum Barbari capillitium, & flavus ille color bellum minatur, ut qui videatur cognationem habere cum ſanguine.* Et hinc *devictorum Gallorum comam in ſervitutis ſignum fuiſſe detonſam à Francis* victoribus ſcribit Humbaldus. Attamen omnes Schytæ non aluêre comam. Etenim de neſcio quo Hunno, qui ſunt omninò Schytica gens, ſcribit Rhetor & Sophiſta Priſcus: *Erat bene & eleganter veſtitus, capite in rotundum raſo.* Et addit de neſcio quo Francorum Rege: *Vidimus eum Romæ, flavâ comâ, & capillis propter denſitatem & magnitudinem ſuper humeros effuſis.* Et de occiſo per Burgundiones Francorum Rege Clodomiro ſcribit Agathias Scholaſticus: *Clodomiro humi jacente, Burgundiones promiſſam ipſius & laxam comam, & ad ſcapulas uſque pertingentem conſpicati, confeſtim intellexerunt ſe ducem hoſtium interfeciſſe.* Edicit intellectus cauſam: *Solemne enim eſt Francorum Regibus nunquam tonderi, ſed à pueris intonſi manent. Cæſaries tota eis decenter in humeros propendet. Anterior coma à fronte diſcriminata in utrumque latus deflexa. Neque vero quemadmodum Turcis & Barbaris impexa iis & ſqualida, ſordidaque eſt coma, vel complicatione indecenter cirrata, ſed ſmigmata varia ipſi ſibi adhibent, diligenterque curant, idque velut inſigne quoddam & eximia honoris prærogativa Regio generi apud eos tribuitur. Subditi enim orbiculatim tondentur, neque eis prolixiorem comam alere, facilè permittitur.* Conſonat ipſorum Salica lex: *Si quis puerum infra duodecim annos, ſive crinitum, ſive incrinitum, occiderit, culpabilis judicetur. Si quis puerum crinitum ſine voluntate parentum totonderit, culpabilis judicetur.* Per crinitum puerum intelligitur puer Regii ſanguinis. Hi omnes Barbari Pagani quinto Chriſti Domini ſæculo lacerarunt Romanum Occidentis imperium, quiſque ipſorum Dux invaſit ejus partem, multa ſanctorum tunc Epiſcoporum patientia & doctrina eos fecit Chriſtianos. Et quia dilecta ab ipſis cæſaries non ſpectabat ad fundamentales Evangelii articulos, illam eis diſpenſatoriè iſti permiſerunt. Fecerunt quod circa imperfectos quoſdam Neo-Cæſarienſium ritus fuiſſe à Thaumaturgo Gregorio factum ſcribit in libro de Spiritu ſancto magnus Baſilius:

Lib. 3. Cap. 3.

Lib. 1.

Tit. 26. C. 1. & 2.

Spe-

Speraverunt à ſuis Succeſſoribus opportunè corrigendos.

Et hinc Chriſtiani Franci promiſſam capillaturam ſoli Regio generi conſtanter & dudum permiſerunt. Etenim Pragmaticum Childeberti Regis Edictum habet : *Nullus de crinoſis inceſtum uſum ſibi ſociet conjugio.* Et apud ſanctum Gregorium Turonenſem idem Childebertus de ſuis ex fratre Clodomiro nepotibus dixit ad fratrem Clotarium : *Mater noſtra filios fratris noſtri ſecum retinet, & vult eos regno donari. Debes velociter adeſſe Pariſiis, & habito communi conſilio pertractare oportet, quid de his fieri debeat: Utrum inciſâ cæſarie ut reliqua plebs habeantur, an certè his interfectis regnum Germani noſtri inter noſmetipſos æqualitate habitâ dividatur.* Nempè inciſa cæſaries Regios pueros non tantum æquabat plebi, ſed etiam tanquam ſervilis nota reddebat regno indignos. Et hinc Arcadio carnifici, venienti cum forcipibus & gladio, ac roganti, *An Nepotes inciſis crinibus vivere mallet, an utrumque jugulari*, Avia Crotildis reſpondit : *Satiùs mihi eſt, ſi ad regnum non evehuntur, mortuos videre quam tonſos.* Pergit Gregorius de Gundebaldo ejuſdem Clotarii vero aut ſuppoſito filio : *Hic natus eſt in Galliis, & diligenti curâ nutritus, ut Regum illorum mos eſt, crinium flagellis poſt terga demiſſis.* Verùm Clotarius illum oderat, ideoque ad ſe adducto *comam tonderi juſſit*, dicens, *Hunc ego non generavi.* Tonſura fecit ex Regio plebeium. Et de Chilperici Regis filio Clodoveo, quem trucidatum ac in Matrona flumine ſubmerſum neſcio quis piſcatus, dixit ad Regem Guntramnum : *A cæſarie prolixa cognovi eſſe Clodoveum.* Plurima ſunt hujuſmodi teſtimonia & exempla. Quæ diſciplina adhuc viguit ſub genere Magni Caroli. Etenim Græcos, quòd fœminarum more alerent cæſariem contrà mandatum Apoſtoli, in opere adverſum Photii calumnias arguit Æneas Pariſienſis Epiſcopus, & pergit : *Latini comas nutrire indignum ducunt, ut non muliebri cultui aſſentiant.* Et ut Apoſtolo non repugnent. Nam & ejus Canonem ſtrenuè urget Æneas, palamque affirmat apud ſuos citrà prævaricationem vigere. Et de Boadmundo Siculorum Principe ſcribit in tertio decimo Alexiados libro Anna Comnena : *Capilli ſubflavi, eatenùs promiſſi ut aures tegerent, non etiam more gentis humeros flagellarent. Neque enim inſaniebat iſtam inſaniam comæ ſtudentium.* Per gentem intelligit Francos, atque ita innuit promiſſam cæſariem tunc apud illos fuiſſe permiſſam omnibus. Nempè poſt exſtinctam cum magni Caroli genere variam diſciplinam hæc etiam licentia intraverat. Quòd tamen non omnes Franci ſectarentur iſtam inſaniam, memorata Anna profitetur.

Lib. 3. Cap. 18.

Lib. 6. Cap. 24.

Lib 8. Cap. 9.

Verùm errat Boadmundum fuiſſe Francum. Fuit enim Nortmannus. Et hæc gens, ſaltem ex quo Chriſtiana, ſemper fuit tonſa in orbem. Hinc enim de Guilielmi Siculorum Regis exercitu, captum



Digitized by Google

Theſſalonicam deprædante, ſcribit in Andronico Comneno Nicetas Choniates: *Milites obviorum civium capillos ambabus manibus comprehendebant, ac illis opus eſſe dicebant, ut ipſorum more in orbem tonderentur.* Et Imperatoris Iſaaci Angeli filio Alexio, Latinum ſimulante, & ad Latinos ob poſtulanda Patri auxilia fugiente, pergit: *Comâ in orbem tonſâ, & latinâ veſte indutâ, perductus eſt in Siciliam.* Licet Nortmannorum virile genus exſtinctum eſſet in Sicilia, & illic tunc Suevi dominarentur, Nortmandica tamen tonſura manſit, ideoque & ipſam aſſumpſit Alexius. Volebat eſſe ſimilis Regi, ſuo ſororio. Et de Guilielmo Anglici Regni conquæſtore ſcribit in Frederici ad ſanctum Albanum Abbatis vita Matthæus Pariſienſis: *Angli jugum ſervitutis neſcientes, more Nortmannorum cincinnos tondere cogebantur.* Et hinc lucet Anglos anteà comatos, & Nortmannos ſemper fuiſſe attonſos. Verùm Guilielmi genus non tanta, quanta Guiſcardorum in Sicilia poſteri, conſtantia hanc modeſtiam tenuit. Etenim de vaſtata per ejus filium & ſucceſſorem Guilielmum diſciplina ſcribit Guilielmus Malmesberienſis: *Tunc fluxus crinium, tunc luxus veſtium, tunc uſus calceorum cum arcuatis aculeis eſt inventus.* Et ad vigeſimum nonum fratris & ſucceſſoris Henrici annum pergit in primo libro novellæ hiſtoriæ: *Accidit in Anglia, quod mirum videatur crinitis noſtris, qui obliti quid nati ſint, in muliebris ſexus habitum capillorum longitudine ſeipſos transformant. Quidam provincialium militum magno crinium luxu ſuperbiens, conſcientiâque ſtimulante perterritus, viſus eſt ſibi videre in ſomnis, quaſi aliquis eum capillorum ſuorum criniculis ſuffocaret. Quare ſomno excuſſus, quidquid ſuperfluebat comarum citò abſcidit. Exemplum cucurrit per Angliam, & ſicut recens pœna mentem movere ſolet, omnes penè milites ad juſtum modum crines ſuos reſcindi æquanimiter tulerunt. Sed non diu ſtetit hac ſanctitas. Vix enim anno elapſo, cuncti qui ſibi curiales eſſe videbantur, in pejus vitium reciderunt: Longitudine capillorum cum fœminis certabant, & ubi crines deficerent, involucra quædam innodabant, obliti vel potiùs ignari Apoſtolicæ ſententiæ, Vir ſi comam nutriat, ignominia eſt illi.*

Lib. 1. Cap. 8.

Fictorum capillorum fœditatem damnari jam ſuprà audivimus etiam à Clemente Alexandrino, ac ab Orthodoxo adversùm Græcos Scriptore, reperto Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores. Eandem damnat in libro de mulierum cultu Tertullianus. Mulieres, quæ in collyridarum aut ſpuctorum formam effigiabant ſuos capillos, arguit, atque proſequitur: *Si non pudeat enormitatis, pudeat inquinamenti, ne exuvias alieni capitis, forſan immundi, forſan nocentis & gehennæ deſtinati, ſancto & Chriſtiano capiti ſupparetis.* Spucta enim & collyridæ, quòd notandæ eſſent altitudinis, ſine alienis capillis vix ſtrui poterant. Et adversùm vanas, ac de ſua veneranda ætate erubeſcentes vetulas ſcribit ad no-

nobilem Marcellam ſanctus Hieronymus: *Nec numerus annorum poteſt dicere quod vetulæ ſint, quæ capillis alienis verticem ſtruunt.* Hi omnes Doctores agunt in ſolas fœminas, atque ita certum eſt iſtam fœditatem tunc omnibus ubique viris fuiſſe ignotam. Eam igitur ſub Henrici primi, aut certè ſub ſecundi Guilielmi regno peperit nobis Anglia. Et quòd monſtrum diu non fuerit egreſſum iſtâ inſulâ, ſuadet Everardi Archiepiſcopi ſub Martini Quinti Papatu celebrata Salisburgenſis Synodus: *Quædam mulieres faciunt ſuis peplis, crinibus aliis, atque capitis ornamentis, ac ſi antè & poſt facies habeant monſtroſas.* Alienos crines etiam ipſe culpat in ſolis fœminis. Quidquid ſit, adversùm Anglicanos abuſus ſanxit in ſua Londinenſi Synodo ſanctus Anſelmus: *Ut criniti ſic tondeantur, ut pars aurium appareat, & oculi non tegantur.* Reparavit antiquam Normannorum tonſuram. Exſtat Synodus apud Guilielmum Malmesberienſem. Quòd iſta diſciplina adhuc paſſim apud Italos vigeret noni Leonis tempore, evincit præſens Diploma Cardinalis Humberti. Adeò apud nos vigebat in hujus ſæculi exordio, ut paucis hinc indè nobilitatis titulo comatis adoleſcentibus cincinnos humaniorum litterarum Profeſſor deformiter in ſchola abſciſſderet, imò & virgis caſtigaret. Avitam modeſtiam adversùs naſcituriențem abuſum ita firmabat.

## CAPUT XVI.

*Exponitur principale crimen Michaëlis Cerularii.*

DUm Conſtantinopolitanæ urbi à Carolo Andegavenſi Siculorum Rege Imperator Michaël Paleologus timeret graviſſimè, poſt defunctum ejus fratrem ſanctum Ludovicum Francorum Regem vidit ſibi nullam ſupereſſe auxilii ſpem, niſi à Romano Pontifice, cujus inflectendi unicus modus eſſet unio & pax Eccleſiarum. Hinc ad Joſephum primum Patriarcham, Primates Epiſcopos, & magnæ Eccleſiæ Clerum eſt multa concionatus de exſtinguendo ſchiſmate, & omnes ſunt ejus ſermonibus aſtipulati. Verùm ſolo ore: veriti offendere tantæ auctoritatis Principem. Rationem edicit Georgius Pachymeres: *Utrumque illis certum erat perſtare deinceps quoque in ſemel adita poſſeſſione auctoritatis independentis, quâ Eccleſiam, ut prius, ab omni abſolutam alieni* Lib. 5. Cap. 10. *Primatus ſubjectione ſe fixum habebant tuituros, ne cauponum & illiberalis ſortis homuncionum ſubjici umquam ipſos, quod abominabantur, judicio contingeret.* Addit ipſos à noſtris moribus ac ritibus fuiſſe alieniſſimos, *præſertim tamen à ſpirituali Imperio, & auctoritate in rebus Eccleſiaſticis ſuperiori agnoſcenda*

Digitized by Google

*da Latinorum.* Ob Regii pueri Joannis Ducæ barbaram excæcationem excommunicatus idem Princeps, quòd ad ſibi pænitenti reddendam communionem inducere nullis rationibus valeret Arſenium Patriarcham, paſſim in populum ſpargebat: *Quoniam Patriarcha palam contemneret ſacros Canones, dari pacem lapſis jubentes, tempus eſſe recurrendi ad Papam Romæ ſedentem, & ab eo ſuppliciter petendi ſalutare peccati remedium.* Noverat enim ab Arſenio nihil magis horreri, quàm vel ſolum cogitatum de recipiendo Primatu Romani Pontificis. Græci cunctos nos Latinos pro barbaris habent & abjectis homuncionibus, ideoque & noſtrum Pontificem cenſent indignum, cui capita ſubmittant. Eſt ramus diabolicæ ſuperbiæ, quâ cum ſuis aſſeclis Lucifer nec Divinæ Majeſtati voluit ſubjici, ſed independens eſſe ſui juris.

Lib. 3.

Et hæc ſuperbia eſt capitale crimen etiam Michaëlis Cerularii, ipſúmque ſeduxit. Uti ſuæ gentis Auguſtis Principibus, ita Romanorum Epiſcopis noluit ſubeſſe. Quin & cum Photio eſſe voluit novus Papa, novus totius Chriſtianitatis Oecumenicus Epiſcopus, Princeps Epiſcoporum omnium, ac Patriarcha omnium Patriarcharum. Hinc enim, quod Photius nunquam præſumpſerat, aſſumpſit purpureos compagos. Nec propter ſuperiùs enumerata, quæ nobis impegit, crimina credidit degradatum aut exſtinctum Papatum, ſed ad habendum ſuperbiæ fucum finxit iſta mendacia. Non igitur Euſebianæ, quæ Chriſtianitatis Hierarchiam eſſe inter tres æquales Patriarchas Ariſtocraticam dixit, factionis ſchiſma, ſed Photii, qui unà cum Imperialibus Papalia privilegia blateravit tranſlata Conſtantinopolim, faſtum tentavit reſumere & firmare. Lucet ex noſtri noni Leonis ad ipſum litteris: *Novâ ambitione Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas, antiquis ſuæ dignitatis privilegiis privare contendens, contrà omne fas & jus tuo dominio ſubjugare tonaris.* Et ex litteris ad Imperatorem Conſtantinum: *Michaël Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas, antiquâ ſuâ dignitate privare contendens, contra fas & jus ſibi ſubjicere novâ ambitione contendit.* Et ad Petrum novellum Antiochiæ Patriarcham, qui ſuam promotionem confirmari poſtulaverat, multa de Michaëlis in ſuam Eccleſiam violentia conqueſtus, Pontifex reſcripſit: *Pro ſancti Petri excellentia tertiam à Romana Eccleſia dignitatem retinet Antiochena, quam te defendere ſummoperè monemus, non tuæ gloriæ causâ, ſed pro Sedis, cui ad tempus præſides, antiqua honorificentia. Nec revoceris ab hac intentione cujuſlibet pompa vel arrogantia, quin conſtanter defendas honorem, quem Antiochenæ Eccleſiæ reliquerunt omnia ſanctorum Patrum Concilia. Ad quod utique, ſi oportuerit, maxima Mater, Romana ſcilicet atque prima Sedes, tàm dilectæ ſibi filiæ, imò conſociæ, nuſquam & nunquam deerit. Quod ideo dicimus, quia quoſdam conari minuere antiquam digni-*

Epiſt. 6.

Digitized by Google

*dignitatem Antiochenæ Eccleſiæ audivimus.* Michaël illis ſe non dumtaxat anteponere, ſed ipſos ſuo dominio ſubjugare conabatur, ideoque eo ſenſu, quo magna Chalcedonenſis Synodus ſanctum Papam Leonem, ſe ſcribebat & titulabat Epiſcopum univerſalem. Eidem dominio ſubjugare Romanum Pontificem erat impoſſibile: Quod enim omnis Occidens jam dudum excuſſiſſet Orientis Imperium, vana erat ſine viribus ira. Hinc omnes cum ſuo Papa Latinos blateravit eſſe jam pridem degradatos ac anathematizatos hæreticos, ideoque & ab inſordeſcentia exſtinctum Papatum.

Hinc proceſſit & illa intolerabilis audacia, ad quam reſcripſit noſter nonus Leo: *Diſcat Fraternitas tua, ſaltem admonita, cautè & humiliter loqui, ne aliquando Dominus dicat & tibi*, Ex abundantia cordis os loquitur. *Scripſiſti ſiquidem nobis, quoniam ſi unica Romana Eccleſia per nos haberet nomen tuum, omnes Eccleſiæ in toto orbe terrarum haberent nomen noſtrum. Quid hoc monſtri eſt, Frater chariſſime? Romana Eccleſia, caput & mater Eccleſiarum, membra & filios non habet?* Noni Leonis nomen Michaël raſit è ſacris Eccleſiæ tabulis, ſpondens reponere, & recitare ut Patriarchale, dummodò & Romæ recitaretur ſuum, utique tanquàm ſupremum atque Papale. Et hinc meritò reſcripſit Leo: *Quid hoc monſtri?* Ex eodem ſpiritu ſua ad Leonem Scripta jactat Michaël in litteris ad Petrum Antiochiæ Patriarcham, & adjungit cauſam: *Id ea de cauſa fecimus, quoniam ipſum lucrari volebamus.* Et pergit de ipſius ad ſe Legatis: *Cum ad noſtram Humilitatem veniſſent, quis dicere poſſit, quantâ ſuperbiâ & arrogantiâ uſi ſint? Cum nec triviali ſalutatione nos ſalutaſſent, neque ſua capita vel modicum quid inclinaſſent, & conſuetam nobis venerationem exhibere dignati fuiſſent, neque à tergo Metropolitarum nobiſcum in ſecreto congregatorum ſedere ullo pacto voluiſſent, ſed quaſi pro ipſorum contumelia id factum putaſſent.* Apoſtolicæ Sedis Legatos, licet Archiëpiſcopos, ſedere voluit poſt dorſum ſuorum Metropolitarum: Quod nempè Romanum Epiſcopum jam non amplius totius Chriſtianitatis Primatem duceret, ſed ſimplicem ac ſibi ſubjectum Patriarcham. Quo in facinore exceſſit & ipſam Dioſcori Patriarchæ Alexandrini in Epheſino latrocinio inſolentiam. Hic enim magni Leonis Legatis ſecundum ſaltem obtulit locum. Et revera antiquiſſimus Canon & perpetua conſuetudo omnes Patriarchas ſemper honorarunt in ſuis Legatis, & his illorum locum etiàm in plena totius Eccleſiæ Synodo tribuerunt. Undè Michaëlis hoc facinus fuit uſque tunc inaudita contumelia.

Ex eodem principio Michaël pergit ad Petrum Antiochiæ Patriarcham: *Iam verò quiddam ad noſtras aures pervenit, quod tua Beatitudo Papam*



Digitized by Google

*in ſacris referat Dypticbis, nec non & idem faciat Alexandriæ & Hieroſolymorum Patriarcha. Nec adduci poſſum, ut credam tanta vos ignorantia detineri, præcipuè tuam incomparabilem virtutem.* Et Petrus repoſuit: *Quomodo debebam ego hucuſque in ſacris Dyptichis Papam referre, cum ſanctiſſima tua Eccleſia ipſum non referat? Cum ego ſim ipſius Eccleſiæ alumnus & æmulus, ut quivis alius, & verbis ejus privilegia ſemper magnifaciens & venerans.* Et infrà: *Et hac in re ego teſtis fidus ſum, & alii multi Eccleſiæ Proceres, quod tempore beatæ memoriæ Patriarchæ Domini Ioannis Romanus Papa, Ioannes etiam nuncupatus, in ſacris Dyptichis habebatur. Et cum Conſtantinopolim quadraginta quinque abhinc annis veniſſem, inveni tempore beatæ memoriæ Patriarchæ Domini Sergii in ſacra Miſſa unà cum aliis ſanctiſſimis Patriarchis relatum. Quomodo verò deindè eadem relatio & commemoratio è medio ſublata ſit, & quânam de causâ, ignoro.* Joannes ille non Conſtantinopolitanus, ſed Antiochenus fuit Patriarcha, ſecundo Conſtantinopolitano Sergio, ac Romanis Pontificibus ſeptimo decimo & decimo octavo Joanni coætaneus. Petrus ergò affirmat Papalis nominis recitationem in omnibus Patriarchalibus Eccleſiis eſſe antiquam, & jam recenter apud Conſtantinopolim factæ raſionis cauſas ignorari à ſe, ac de ipſis optare inſtrui. Et tamen citra inſtructionem obedivit Michaëlis novitatibus, ac iſtud nomen etiam ipſe raſit. Et hinc ad ejus litteras rectè commentatur Dominus Cardinalis Baronius: *Memorare Lector, quæ ſcripſerit ſuperiori anno idem Petrus ad Leonem Romanum Pontificem, & plenè ſenties ipſum eſſe bilinguem in iis, quæ de Conſtantinopolitana Eccleſia prædicat, de qua valdè conqueſtus erat, quod ipſius Patriarcha ſubjicere ſibi ſtuderet reliquos Patriarchas.* Periit aut latet Petri epiſtola: Fuiſſe acribus contrà Michaëlem querimoniis dentatam demonſtrat ſuprà laudatum Leonis Reſponſum. Etiam Romanæ Eccleſiæ ſupremum Primatum fuerat inſigniter profeſſus. Et jam Vertumnus recantat omnia. Radit Papæ nomen, ejus obedientiam excutit, & ſemetipſum atque Antiochenam Eccleſiam contrà omnes Canones non tantum poſtponit, ſed etiam ſubjicit Cathedræ Conſtantinopolitanæ. Quod ipſum forſan fecerint Alexandrinus ac Hieroſolymitanus. Hi enim gemebant ſub Saracenis, adeoque in pluribus indigebant auxilio Regiæ civitatis. Eſt incertum.

At Romanum Pontificem ſibi ſubdere erat opus & labor. Audi frivolam rationem & intolerabilem imperitiam Michaëlis: *Noſti quod à ſexta Oecumenica Synodo hucuſque à ſacris Dyptichis dempta eſt Papæ commemoratio à noſtra ſanctiſſima Eccleſia, cum Vigilius Papa, qui tunc Romanæ præerat Eccleſiæ, ad Synodum non veniſſet, neque anathemate damnaſſet ea, quæ à Theodoreto adverſùs rectam fidem & duodecim ſancti Cyrilli Capitula ſunt ſcripta. Epiſtolam præterea Ibæ. Et ex eo tempore uſque ad noſtra tempora Papam à noſtra*

ſan-

Digitized by Google

*ſanctiſſima Eccleſia eſſe ſegregatum.* Et hinc de Patriarcha Petro, qui Papæ nomen recitabat, concludit: *Quâ de cauſa incredibile omninò nobis viſum fuit, non adeò pro illis*, utique Alexandrino & Hieroſolymitano Patriarchis, *quam pro tua magna ſapientia, & ſingulari prudentia.* Petrus verò reſpondit: *Pudore neſcio quo pacto confuſus ſum, præcipuè verò tua cauſa, præſertim ſi eo pacto, quo ad nos ſcripſiſti, eâdem ad alios ſcripſeris beatiſſimos Patriarchas, cum abſque diligenti inquiſitione & exacta rerum cognitione, quæ non geſta ſunt, ac ſi geſta eſſent, vano rumore impulſus protuleris.* Adducta enim Michaëlis verba continent plures errores, quàm periodos. Et hinc Petrus proſequitur: *Quod de Vigilio Papâ perperam dicitur, cum res non ita ſe habeat, id quantum ignaviæ tribuas venerabiliſſimo Chartophylaci tuo, tute ipſe videris.* Oſtendit ſextam Synodum non ſub Vigilii, ſed ſub ſancti Agathonis Papatu fuiſſe celebratam, ac in ipſâ non de tribus Chalcedonenſis Synodi capitulis fuiſſe actum, ſed adversùs hæreſim Monotheliticam: Iſtorum Capitulorum damnationem eſſe opus quintæ Synodi, & ad ipſam noluiſſe Vigilium comparere. Et hos fœdiſſimos errores, ut Michaëlem videatur excuſare, tranſcribit in Chartophylacem, cujus erat quaſcumque Patriarchales litteras ſcribere & ſigillare. Erat enim os & manus Patriarchæ. Verùm addit Petrus: *Tute videris.* Etenim Theodorus Balſamon, dum Patriarchæ Theodoſii ageret Chartophylacem, neſcio quod erroneum de quapiam matrimoniali quæſtione Decretum ſcripſerat ac ſignaverat, & poſteà ipſum impugnavit. Hinc aliqui ipſum arguerunt de verſatili ingenio, & ille his repoſuit: *Reſpondemus Chartophylacem, qui os Patriarchæ dicitur, ea tum ſcribere tum dicere, quæ capitis ipſi vertex inſtar nubis & aquæ ſuppeditat. Ideóque nec culpandos nec laudandos nos putabit quiſpiam, qui vel rectè præſentem cauſam, vel è contrariò malè litteris complexi ſumus.* Affirmat Chartophylacem Patriarchæ eſſe iſtud ipſum quod Baruch fuit Hieremiæ Prophetæ, ideoque omnem Diplomatûm errorem aut laudem eſſe non Chartophylacis, ſed ipſius Patriarchæ. Habes hoc in opuſculo de ducendis ſucceſſivè duabus ab eodem ſobrinis.

Eadem principia reſpicit Petrus, & per circuitum affirmat Michaëlem eſſe penitùs imperitum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Etiam demonſtrat Papale nomen adhuc ſub Patriarcha Sergio ſecundo fuiſſe recitatum in omni ubique Patriarchali Eccleſiâ, ideoque à Vigilii tempore non fuiſſe raſum. Hunc è Petri epiſtola locum laudat ad præſentem Chriſti Domini annum Dominus Henricus Spondanus, & ex ipſo rectè affirmat Alexandrinam, & cum Antiochena Hieroſolymitanam Eccleſiam uſque tunc manſiſſe in Romana communione, ac Papale nomen ſolemniter recitaſſe. Diſplicet hoc Anglicani ſchiſmatis fautori, qui à Syl-



Digitized by Google

veſtro Sguropulo ſcriptam Florentini Concilii hiſtoriam multo fœdavit infidæ translationis mendacio, Roberto Creyghtono, atque in iſtius operis præfatione ſcribit: *Hoc falſiſſimum comprobatur ex Coriolani Summa, ut unum Summuliſtam ab alio ſubmoveam, qui ad vigeſimum nonum Canonem Oecumenicæ quartæ Synodi adnotat, non modò Alexandrinos, ſed univerſam Ægyptum à Dioſcoro uſque ad Clementis octavi tempora, & annum milleſimum quingenteſimum nonageſimum quartum Apoſtolicæ ſedis communionem numquam expetiiſſe. Si Romanæ Eccleſiæ firmitatem fortioribus argumentis non ſtabiliunt Latini, aut Conſtantinopolitanæ levitatem diluunt, ut loquitur ille, vitem turpiter feſellit Ridica, ut eſt in proverbio*, Pauca verba tot habent errores, quot Epiſtola Michaëlis Cerularii. Quod enim Ægypti Eccleſia à Dioſcoro uſque ad octavum Clementem fuerit averſata Romanæ ſedis communionem & obedientiam, eſt fabula cantanda apud pueros. Et Ambroſius Coriolanus, licet apud nos ſit parvi ponderis, tales ineptias nec ſomniavit. Et ubi Robertus didicit Michaëlem Cerularium appellari Marcum? Sic aſſiduè appellat. Quocirca ſi ipſe Anglicani ſchiſmatis firmitatem fortioribus argumentis neſciat ſtabilire, profectò Ridica vitem feſellit. Porrò Antiochenus Petrus deformes adeò errores apertis oculis ſecutus, feſellit ac præcipitavit ſemetipſum.

Aliud ſuæ ſuperbiæ fundamentum Michaël Cerularius deſumpſit à Photio: Auguſtæ ſedis & imperialium privilegiorum tranſlationem è vetere Roma ad novam. Ab Ottone primo Occidentis Imperatore ad Conſtantinopolitanum Imperatorem Nicephorum Phocam Legatus Luitprandus Ticinenſis Epiſcopus ſecum detulit Papales litteras, quibus Joannes duodecimus hunc titulabat Imperatorem Græcorum. Græcis omnibus adeò id diſplicuit, ut Nicephorus Patricius dixerit ad Luitprandum: *Papa fatuus, inſulſus, ignorat Conſtantinum ſanctum Imperialia ſceptra huc tranſtuliſſe, Senatum omnem, cunctamque Romanam militiam. Romæ verò vilia mancipia, piſcatores ſcilicet, cupedarios, aucupes, nothos, plebejos, ſervos tantummodo dimiſiſſe.* Nicephorus ſcribi ac titulari volebat *Imperator Romanorum*. Et quia tunc cum Romana Eccleſia communionem fovebat Græcia, de Eccleſiaſtico Primatu nulla eſt facta quæſtio. Hanc reſumpſit Michaël, & ſequuta eſt ejus factio. Etenim in Jure Græco Romano exſtans Byſantinorum Epiſcoporum cathalogus dicit de Metrophane: *Hic regnante Conſtantino Magno factus eſt ab eodem Imperatore Patriarcha Conſtantinopolis.* Et in Meditato de Patriarcharum juribus Theodorus Balſamon affirmat ſanctum Sylveſtrum ab eodem Principe fuiſſe donatum Papæ titulo, & de erecto in Conſtantinopolim Byzantio pergit: *Cum Imperii ſceptra ex veteri Roma, Divina & ineffabili providentia, tamquam ex oleaſtro in olivam, huc tranſlata fuiſſent,*



Digitized by Google

*ſent, qui tunc Pontificia cum auctoritate throno hujus Eccleſiæ præerat, ſanctus ille Metrophanes ex Epiſcopo, nomine mutato, vocatus fuit Archiepiſcopus. Etenim idcircò prima ſancta Synodus univerſalis mentione hujus throni Conſtantinopolitani facta, Romæ veteris illi honoraria jura tribuit propterea, quod eſſet, ut ipſius verbis utar, nova Roma. Quemadmodum hæc ſecundo & tertio ejuſdem Synodi Canone declarantur.* Per primam Synodum non intelligit Nicenam, ſed primam Conſtantinopolitanam. Et in ejus ſubſidium advocavit etiam vigeſimum octavum Chalcedonenſem & trigeſimum ſextum Canonem Trullanum. Ad eandem tranſlationem probandam Anna Comnena Conſtantinopolitanum omittit, & utitur ſolo Canone Chalcedonenſi. Verùm ab omni Latina Eccleſia proſcripti, quod ſacroſanctis Nicenis adverſentur, & damnati ſunt iſti Canones, & nequaquam Romanæ, ſed Alexandrinæ dumtaxat ac Antiochenæ, nec non & trium Autocephalarum Diœceſeon Cathedris intulerunt injuriam: Romanum Primatum firmant, Conſtantinopolitanum Epiſcopum illi nullatenùs æquant, ſed ſolummodò dant ſecundum in Eccleſia locum. Nulla umquam Synodus, uti hæc, Romanum Primatum exaltavit. Et Trullana, quod abeſſet Romanus Epiſcopus, & ſine ipſo noſſet ſe nihil poſſe, in ipſo Epiſcopalium ſubſcriptionum capite poſuit: *Locus ſanctiſſimi Papæ Romani.* Et immediatè poſt Patriarchas adjunxit: *Locus Epiſcopi Theſſalonicenſis* Quod hic in Illyrico ageret vices Romanas. Papalia privilegia pendere ab Imperialibus, & cum illis eſſe tranſlata, ideoque univerſalem totius Chriſtianitatis Præfecturam migraſſe Conſtantinopolim, primus ſomniavit Photius: Et jam dudum ſepultas nugas Michaël Cerularius reſumpſit.

Aliud pro fabula argumentum adducit in eodem de Patriarcharum juribus Meditato idem Theodorus Balſamon: *Nonnulli dicunt non eſſe permiſſum Alexandrino vel Antiocheno, verbi gratia, ut cum lampade vel face Patriarchali faciat iter ad urbem Imperatoriam, vel in aliam Diœceſim, exceptis illis provinciis, quæ per Canones ſunt illis attributæ.* Enumerat Patriarcharum privilegia, & in his affirmat pari loco habendum *& pauperem & opulentum.* Et proſequitur: *Tacere non poſſum, quin iis reſpondeam, qui audacter prædicant à dignitate Patriarchali removendos Antiochenum & Hieroſolymitanum. Quippe Canonibus ſtatutum eſt, inquiunt, nequidem recenſendos eſſe inter Pontifices, qui non vel extremo cum periculo ſe conferant ad ſuos Thronos à Barbaris occupatos, nec martyrii coronam præripiant.* Hoc argumentum manifeſtè non eſt Michaëlis Cerularii. Ejus quippè tempore ſola Alexandria ac Hieroſolyma, non autem Antiochena civitas erat in poteſtate Saracenorum. Uti nos Latini, ita etiam Græci captis & poſſeſſis per Saracenos aut alios Barbaros civitatibus dederunt & conſecrarunt

Epiſcopos, & multis diſpenſatoriis gratiis exornarunt. Et dum illi ſuas incolere ac regere Eccleſias non permittebantur ab Infidelibus Tyrannis, paſſim habitabant apud Conſtantinopolim, modici & pauperes. Et uti noſtri Archiëpiſcopi crucis vexillum, ita Græcorum Patriarchæ accenſam ſibi prælatam facem habent inter ſua privilegia. Splendorem iſtum ambo uſurpare nequeunt extrà ſuas Diœceſes. Hinc quidam dixerunt exules Patriarchas illo non poſſe uti in Regia præſertim civitate, ipſos eſſe miſerabiles ſolo nomine Antiſtites, ad reſidentiam obligari etiam cum martyrii periculo, aut ſanè eſſe indignos nomine & re Patriarchalis dignitatis. Dixerunt ſolum Conſtantinopolitanum eſſe verum Patriarcham, ad illum jam tranſiiſſe omnis Chriſtianitatis præfecturam, & iſtud requiri ad Eccleſiæ unitatem. Et addiderunt rationem: *Cum Divini & ſacri Canones velut arvipendio quodam Patriarchis quatuor orbis partes diſtribuerint, qui fit ut ipſe ſemel ſtatuta tranſgrediens, velis, eas inſtar unius haberi Provinciæ, quæque diviſa ſunt rectè, malè confundere.* Laudant dumtaxat quatuor Patriarchas: Quod Romanus, ob ſuperbiam amiſſo univerſalis Epiſcopi titulo, crederetur à Patriarcharum cœtu avulſus, ideoque & animo laceratus Theodorus Balſamon ipſius converſionem quotidiè exſpectaret. Iſti, inquam, arguerunt hunc Theodorum, quod ſemel ſtatutum Conſtantinopolitanæ Cathedræ ſupremum Primatum convelleret, & Eccleſiæ Hierarchiam juxta Euſebianæ factionis principia divideret in quatuor Patriarcharum Ariſtocratiam. Hanc ille firmat toto conatu iſtius opuſculi, & adverſa argumenta refutat.

Quocircà ſupremum illum Primatum nec Photius, nec Michaël Cerularius potuerunt ſtabilire. Aut ipſimet, aut ipſorum ſucceſſores amiſerunt. Etenim in commentariis ad Photii Nomo-Canonem præfatus Theodorus prædicat Romano Pontifici donata à Magno Conſtantino Regia ornamenta, atque adjungit: *Quia ſecunda Synodus dedit Archiëpiſcopo Conſtantinopolitano omnia Papæ Romani privilegia, conati ſunt nonnulli Patriarchæ, ut ille Cerulas & Dominus Michaël, & alii eadem ſibi privilegia arrogare, ſed eis non rectè ceſſit.* Et in memorato de Patriarcharum juribus opuſculo ſcribit: *Video Conſtantinopolitanum Archiëpiſcopum nullo Papæ privilegio ſemet ornantem, quippe nec Regni coronatur faſcia, ſecundum id quod ſancti Conſtantini ſtatutum eſſe putatur, nec cum coccineis calceis, ut ibidem ſancitur, velut in ſpectaculo ſemet exhibet, nec aliud denique Romæ veteris Papæ privilegium uſurpat.* Uti Græcorum Patriarchæ, ita & ipſorum Auguſti Principes inſolentem Michaëlis ambitum & ſuperbam alienæ poteſtatis rapinam non tulerunt, atque ita hi purpureos compagos & alia Imperialia ornamenta, illi ſupremum totius Eccle-

cleſiæ primatum neſcio cui ejus ſucceſſori excuſſerunt. Et hinc confictam ab Euſebiana factione Ariſtocratiam defendit conſtantiſſimè dictus Theodorus, & proſequitur: *Primus Patriarcha adversùs ſecundum ſeſe non effert, neque ſecundus adversùs tertium, ſed cum inſtar quinque ſenſuum capitis unius apud populum Chriſtianum habeantur, dignitate nihilominùs pares ſunt in omnibus. Et cum capita ſanctarum per univerſum orbem Eccleſiarum jure dicantur, locum in eis diſcrimen ab hominibus ſtatutum habere non poteſt.* Cum Euſebiana factione affirmat omnes quinque Patriarchas eſſe divino jure pares per omnia, & ſola loci, nulla poteſtatis prærogativa unum præponi alteri, ideoque nullo humano Canone aut Commento hæc poſſe immutari. Hoc docet non dumtaxat contrà Romanum, ſed etiam contra Conſtantinopolitanum. Et quidem Romanum ubique profitetur eſſe primum: Adeò non favit Michaëli Cerulario. Iſtam item Ariſtocratiam exiſtimat non obeſſe unitati Eccleſiæ. Quinque enim Patriarchas, tamquam quinque Chriſtiani corporis ſenſus, affirmat uniri in Chriſto capite, ideoque in illo eſſe unum: Unum Vicarium Caput Eccleſiarum. Addit Auguſto Principi eſſe plenam & temporalium & ſpiritualium poteſtatem, illi ſubeſſe Patriarchas, atque ita etiam viſibile Eccleſiæ caput eſſe perſona unum. Ex eodem principio de Imperatore Manuële Paleologo ſcribit Laonicus Chalcocondylas: *Diademate caput filii cingens Manuel, eum Regem & Pontificem Græcorum eſſe juſſit.* Ex eodem fonte prodiit Anglicani ſchiſmatis ſomnium de ſuprema poteſtate Regis in Eccleſiam. Videre id poſſis in profano opuſculo Stephani Gardineri Epiſcopi Vintonienſis. Qui tamen poſteà rediit ad ſanam mentem. Lib. 4.

Eandem ſententiam in opere de Papæ Primatu conſtanter defendit Nilus Cabaſilas Archiëpiſcopus Theſſalonicenſis, ſcribens de cauſa ſchiſmatis: *Neque verò illud in cauſa eſt, quod Latini affirmant, nos nobis Primatum arrogare velle, & in ſecundis poſt Romanum Principatum nolle conſiſtere, ſimulque idcircò pacem detrectare. Neque enim umquam cum Romana Eccleſia de Primatu contendimus, neque de ſecundo loco nunc agitur. Sed neque vetus conſuetudo, neque Patrum Decreta nos latent, quibus Romana Eccleſia antiquiſſima omnium Eccleſiarum declaratur. Alioquin neque æquum fuerit, ut id quod inficiamur, nobis objiciatur.* Et infrà: *Primatus, quem Romanus Epiſcopus obtinet in alios univerſales Epiſcopos*, ſeu Patriarchas, *non eſt æqualis ei, quem obtinet Epiſcopus unius gentis in ſubditos. Illic enim Primatus ordinis tantum eſt, & in verbis magis quam in rebus poſitus, cum in plurimis æqualitas ſpectetur. At verò in iis, qui Primatum obtinent alicujus gentis, non item: Sed æqualitas quidem in verbis, Primatus verò in rebus.* Et in ſequenti libro: *At verò dicere eandem eſſe rationem Papæ ad Conſtantinopolitanum, quæ eſt ipſius*

*ſius Conſtantinopolitani ad Cæſarienſem, vel ad alium quemvis Epiſcoporum qui ſub ipſo ſunt, quo pacto non omninò durum ſit? Romanus enim Epiſcopus reſpectu Conſtantinopolitani primus dicitur, veluti hoc ſecundum ordinem obtinente. Nequaquam verò Conſtantinopolitanus reſpectu Cæſarienſis ita primus, tanquam illo ſecundas partes obtinente, ſed Conſtantinopolitanus ita eſt primus eorum qui ſub ipſo ſunt, tamquam ſolus, & tamquam aliis non coôrdinatus. Cæſarienſis verò ne ipſe quidem ſecundus vocatur, ſed etiam ipſe primus eo excepto, quod ſit aliis coôrdinatus, & ſecundum poſt ſe habens, atque etiam tertium.* Papam eſſe coôrdinatum, & ejus reſpectu Conſtantinopolitanum dici ſecundum, probat ex ſecundo Conſtantinopolitano, vigeſimo octavo Chalcedonenſi, & trigeſimo ſexto Trullano Canone, atque tunc Romanum Pontificem alloquitur, *Si quia primus es in numeratione, idcircò Dominatum arripis, concede hoc ipſum etiam Conſtantinopolitano. Nam & hic præponitur Alexandrino. Alexandrinus verò eadem ratione ſub ſe habeat Antiochenum: Hic verò rurſum Hieroſolymitanæ ſedi præſcribat. At quid hæc niſi timultum adferant? At ſi Conſtantinopolitanus Cæſarienſem, quique eum ſequuntur, ordinat, Romanus autem neque Conſtantinopolitanum, neque alium aliquem ex generalibus Patriarchis, quomodò cenſeri poſſint veraces, qui dicunt eâdem ratione Romanum eſſe primum reſpectu Conſtantinopolitani, quâ hic ipſe reſpectu Antiſtitum, qui ſub ipſo ſunt?* Romanum Epiſcopum profitetur eſſe omnium Patriarcharum primum, ſed non Primatem aut Præfectum. Alium inter Romanum Epiſcopum & alios Patriarchas, alium inter quemvis Patriarcham & ſpectantes ad ejus diæceſim Epiſcopos affirmat eſſe ordinem: Hic ſuperioritatis ac ſubjectionis, illic autem ordinem ſolius loci & conſeſſus. Et hunc ipſum ſupponit eſſe inter Conſtantinopolitanum & alios Patriarchas. Quæ omnia in iſto opere pluribus confirmat. Eadem multis docuit, dum noſter adhuc eſſet Apoſtata, in opuſculo de Papæ Principatu monachus Barlaamus. Et hinc claret Michaëlis Cerularii ambitum ſemper diſplicuiſſe, ac etiamnum diſplicere Græcis ſchiſmaticis, ipſis autem placere ab Euſebianæ factionis Philippopolitano conventu confictam Ariſtocratiam.

Et ex hoc peſſimo principio præcipitati tandem ſunt in Acephaliam, quam illis in prima epiſtola improperat idem Barlaamus jam Orthodoxus Gyracenſium Epiſcopus. Chriſtianam Hierarchiam ex Chriſti Domini Inſtituto eſſe monarchicam, & ita obſervari in Romana communione demonſtrat, pergitque de Græcis: *Non ſingularitas principii, ſed pluralitas principiorum, & principii carentia eſt apud Græcos honorata. Quinque enim exiſtentibus Patriarchis, Bulgarenſi connumerato, & adhuc Triballienſi Archiepiſcopo, ſub quibus penè omnes hujus partis ſunt, nullus horum*

*ſex vel de jure vel de facto talis eſt, ut reliqui quinque ipſum ut ſuum caput habere velint, & ab ipſo & ejus Synodo corrigi & retractari patiantur, & ad omnia ejus juſſa ſint ita obedientes, ut tamquàm divinas voces recipiant illius mandata, & periculum ſalutis credant illum reſiſtendo offendere.* Quod primæ Juſtinianæ apud Bulgaros Archiëpiſcopus eſſe per omnia Autocephalus, & nec ipſi Conſtantinopolitano Patriarchæ, ſed ſoli Deo ſubeſſe prætendat, ſuprà oſtendi ex ſuperbis facinoribus Demetrii Chomateni, & ſucceſſoris Jacobi. Illum non ſubeſſe Conſtantinopolitano Lib. 6.
profitetur etiam Nicephorus Gregoras. Etiam in opuſculo de Patriarcharum juribus Theodorus Balſamon, addens ipſi eſſe Patriarchale jus, quo jubeat ſibi præferri accenſam lampadem; ſeu facem. Et extendit ad Archiëpiſcopum quoque Cypriorum.

Et iſtam ſuperbiam atque Autocephaliam Bulgarus pertinaciſſimè tenet etiam ſub Turcorum Imperio. Etenim de Prochoro, qui ſub Solimanni Imperio ac Hieremiæ primi Patriarchatu rexit Acridenſem Eccleſiam, ſcribit Turco-Græca Conſtantinopolitanorum Patriarcharum hiſtoria: *Venit Archiëpiſcopus Acridarum, olim primæ Juſtinianæ, nomine Prochorus, huc Conſtantinopolim. Cum in Senatum acceſſiſſet, protulit aurei ſigilli diplomata Imperatoria, quibus affirmabatur & declarabatur ad ejus Archiëpiſcopatum pertinere Berrhæa, qui eſt Epiſcopatus Metropoleos Theſſalonicæ.* Ipſam non à Theſſalonicenſis Epiſcopi Metropolitica, ſed à Hieremiæ Patriarchali poteſtate volebat exemptam, ac ſibi ſoli poſt Deum ſubeſſe. Et ut evinceret, Charatzio ſpopondit addere centum aureos. Aſt Berrhæenſem Eccleſiam jam à trecentis annis Conſtantinopolitanæ Cathedræ ſubjacuiſſe demonſtravit Hieremias, & pergit dicta hiſtoria: *Quo audito, Baſſæ Epiſcopatum Hieremiæ adjudicarunt, ſub conditione tamen ut additioni centum aureorum, quam Prochorus feciſſet, acquieſceret. Quod hic, cum retractare non poſſet, fecit. Hoc modo aureum magnæ hujus Eccleſiæ tributum ad quatuor mille & centum Ducatos pervenit.* Quale tributum ſit iſtud Charatzium, ſuo loco exponetur. Et Conſtantinopolitana, quæ Joſephum quartum Patriarcham degradavit, Synodus habet hanc ſubſcriptionem: *Joſephus Metropolita Caſtoriæ, & Proto-thronus totius Bulgariæ.* Caſtorienſis Eccleſia olim fuit Lariſſenæ Theſſalorum Metropoli ſuffraganea: Quis eam erexerit in Metropolim, ignoro. Interim habere Metropolitam Proto-Thronum eſt lucidus character magnæ & potentis Autocephaliæ. Talem igitur ſe etiam tunc oſtentabat Archiëpiſcopus Bulgarorum. Habes hæc in præfata hiſtoria, quam Emmanuël Malaxus deſcripſit, & ad Martinum Cruſium, Philippi Melanthonis diſcipulum, tranſmiſit Theodoſius Zygomalas, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Proto Notarius. Qui Malaxum credunt iſtius hiſtoriæ autho-

rem, errant plurimùm. Malaxi enim qualitates audi à Cruſio: *Malaxus eſt admodum ſenex, pueros & adoleſcentulos Græcos in Patriarcheio in parvula & miſera caſa docet, piſces ſiccatos in ea ſuſpenſos habet, quibus veſcitur ipſe coquens. Libros pretio deſcribit. Quidquid lucratur, vino inſumit. Pinguis & robuſtus eſt.*

Et de Trinobi apud Triballos Archiëpiſcopo, qui inter ſui Regis Aſanis filiam & Imperatoris Joannis Ducæ filium Legatus conciliaverat nuptias & inter ipſorum parentes pacem, ſcribit Georgius Acropolitanus: *Tunc Trinobi Præſul, Conſtantinopolitano obnoxius, Imperatorio* Cap. 33. *ac Synodico Decreto, ut Aſano Bulgarorum Principi affinitatis & amicitiæ causâ gratificarentur, ſuo jure vivere, & Patriarchæ nomine condecorari obtinuit.* Et de Imperatore Andronico ſecundò Paleologo & Triballorum Rege, pacem ſtipulantibus, ſcribit Imperator Joannes Cantacuzenus: *Cæterum & Triballorum Archiëpiſcopum adeſſe oportebat, in cujus* Lib. 3. Cap. 45. *præſentia juraretur. Is à Crale evocatus mox adfuit. Cui ad medium atrii procedens obviam Crales frænum equi, quo vehebatur, apprehendit, & ad locum, quo deſcendere ſolebat, perduxit.* Rex Epiſcopo exhibuit ſtratoris officium, quod illum veneraretur, ut independentem Patriarcham. Et hinc antiqua notitia formularum, quibus Patriarcha Conſtantinopolitanus ſcribere conſuevit ad alios Epiſcopos, habet hunc titulum: *Quomodo Patriarcha ſcripſit ad Patriarcham Trinobi.* Et hanc formulam: *Sanctiſſime Patriarcha Trinobi & totius Bulgariæ in ſancto Spiritu dilecte frater noſtræ Mediocritatis, & Comminiſter.* Formula conſonat privilegio Innocentii tertii, qui Romanæ Eccleſiæ obedientiam amplectenti Baſilio Trinobi Epiſcopo dedit Primatum totius Blachiæ atque Bulgariæ. Exſtant Acta in laudata Pontificis vita. Etiam Peſcii in Servia Epiſcopus, Exarchus Iberiæ, & Armeniorum Catholicus apud ſciſmaticos Græcos fuerunt Autocephali, & ab omni humanâ poteſtate exempti. Et hinc Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus, ob ſimoniam degradatus à ſua Synodo, & ad generale appellans Concilium, rogavit congregari tres alios Patriarchas, Archiëpiſcopum Acridenſem, Archiëpiſcopum Peſcienſem, nec non & omnes Metropolitas ac Archiëpiſcopos ſedis Conſtantinopolitanæ. Uti Acridenſem, ita & Peſcienſem æquavit Patriarchis, & à Conſtantinopolitani Metropolitis & Archiëpiſcopis diſcrevit. Lib. 4. Ep. 6. Quod nempè nemini, niſi Deo ac generali Synodo putarentur ſubeſſe. Ejus epiſtola exſtat in Turco-Græcia. Porrò Eccleſiæ aut cujuſcumque Reipublicæ unitas ſtare nequit ſine unitate capitis: Hinc meritò improperavit Barlaâmus Græcis, quod prævaricentur hunc Conſtantinopolitani Symboli articulum, *Unam Eccleſiam.*

Et adjungit de ſubjectis iſtorum ſupremorum capitum Epiſcopis:

*Et-*

*Et quid dico de aliis? Sed neque quicumque ſub quolibet ſunt horum ſex, ita devotè ſe habent ad ſuum caput, ut metu non corporalis damni, ſed animæ perditionis, illius mandata velint implere.* Inobedientiæ radicem detegit in Meditato de Patriarcharum juribus Theodorus Balſamon: *Quidam perhibent nihil eſſe impedimento, quò minùs ubivis conſtituti Pontifices eodem cum Patriarchis honore & amplitudine fruantur, cum & ipſi docendi dignitatem ſint nacti, & ad exemplum Moyſis & Aaronis in Sanctis Sanctorum conſiſtant, incruentamque victimam offerant.* Dixerunt cunctos Epiſcopos divino jure eſſe pares, & ſupremos in ſua Eccleſia, ideoque Metropoliticam aut etiam Patriarchalem eminentiam eſſe nudum titulum & prioris loci dignitatem, nullam juriſdictionis Præfecturam. Hinc ſuis etiam Patriarchis nullam aut modicam exhibebant obedientiam. Et ex iſta fæce videtur fuiſſe ipſe item Monachus Barlaâmus. Docuit enim omnes etiam Apoſtolos fuiſſe pares, & ſancto Petro nihil competiſſe præ aliis, niſi priores loquendi vices, & priorem in conſidendo locum. Et proſequitur: *Omnes igitur omninò Sermonis diſcipuli, Doctores Paſtoreſque orbis terrarum exſtitêre, particulares autem Paſtores, quos Epiſcopos appellavêre, alium alius civitatis conſtituerunt aut regionis. Verbi gratiâ, Athenarum Dionyſius, Timotheus Epheſi, Titus Cretæ, alius alius loci Paſtor ab Apoſtolis conſtitutus eſt. Similiter S. Clemens Epiſcopus Romæ eſt à Petro ordinatus, qui ſoli ſacroſanctæ Dei Eccleſiæ, quæ erat Romæ, præeſſet, eandemque moderaretur. Verùm enim verò poſteà, cum Dei providentiâ Imperii jus ad noſtros perveniſſet, piiſſimorum Regum & ſanctiſſimorum Patrum noſtrorum Decretis, ut Romana Sedes eſſet prima, ideò ſancitum eſt, quod urbs illa rerum potiretur, Eccleſiaſque orbis terrarum Imperio unius ſubjici videretur conſentaneum, cum anteà Romanus Epiſcopus, ut nec cæterorum quiſquam, nec primus eſſet nec poſtremus.* Omnes Epiſcopos affirmat Divino Jure æquales per omnia atque pares, quorum nullus alteri teneatur ad rationes, ſed omnes ſoli Domino Deo. Affirmat à Divino jure nullum eſſe Papam, nullos Patriarchas, Primates, aut Metropolitas: Hos omnes procreatos à magno Conſtantino & Nicena Synodo, ideoque Papalia privilegia per poſteriores Principes ac Synodos potuiſſe contrahi, ampliari, transferri, exſtingui, & jam Romæ per hæreſim eſſe penitus exſtincta. Et hæc ſunt, licet hinc indè varient, hodierna ſchiſmaticorum ſomnia: Ex his Provinciales Epiſcopi ſuis Metropolitis, aut etiam Patriarchis vix dignantur obedire. Ita error ſemper præcipitat in errorem, & miſerandam omnium rerum confuſionem. Et ex hiſce deviis principiis præcipitatus etiam fuit Marcus Antonius de Dominis, Archiepiſcopus Spalatenſis.

Ex eodem fonte ſecundus occupatæ à Francis Antiochiæ Latinus



Digitized by Google

Patriarcha Radulphus bibit iſtud venenum, de quo ſcribit in ſacri belli
Lib. 14. hiſtoria Guilielmus Metropolita Tyriorum: *Radulphus*, non ab Epiſ-
Cap. 10. copis, ſed à ſolo populo electus., *Eccleſiam & Palatium occupans, ſta-
tim ſine mora Pallium de altari beati Petri, nullâ ad Eccleſiam Romanam ha-
bitâ reverentiâ, ſibi adſumpſit.* Erat audaciſſimum facinus. Etenim de ſan-
cti Petri corpore aut altari ſumere, ac ſibi ipſi pallium imponere, eſt
ſupremæ majeſtatis character, proprius ſoli Romano Pontifici. Hinc
Romam evocatus fuit Radulphus à Paſchali ſecundo Papa, pergitque
Lib. 15. laudatus Metropolita Guilielmus: *Radulphus Romam perveniens, primâ
Cap. 12. facie difficiles habuit ad Dominum Papam introitus, tanquam Romanæ Eccleſiæ
perſecutor, & qui ſingularem ſedis Apoſtolicæ Primatum comminuere & infrin-
gere voluerit, ſedem æmulam contrà Romanam erigens & pariſicans Eccleſiam,
tanquam læſæ Majeſtatis reus ab ingreſſu ſacri arcetur Palatii, & à Domini
Papæ colloquio ſuſpenditur. Porrò tàm Dominus Papa, quàm univerſa Eccleſia
erant procliviores ad hoc, ut Dominum Patriarcham ſumptâ quâlibet honeſtâ oc-
caſione gravarent, ejuſque adverſariis plurimum exhibebant favorem. Suſpectus
enim eis habebatur admodum, eò quod vir dives eſſet & magnificus, & ſedem
cui præerat, Antiochenam videlicet, Romanæ ſubjacere dedignabatur, ſed ei
eandem in omnibus pariſicare contendebat, dicens utramque eſſe Petri Catho-
dram, eamque quaſi Primogenitæ inſignem prærogativa.* Haud dubiè hæc à
Schiſmaticis Græcis doctus aut ſuaſus fuerat Radulphus, qui cunctos
Patriarchas affirmant pares, & nullum alteri præeſſe aut ſubeſſe. Et
hinc de illo ad meliora converſo pergit Guilielmus: *Radulphus reſignato
Pallio, quod de altari Antiochenæ Eccleſiæ ſuâ ſibi ſumpſerat auctoritate, in in-
juriam, ut dicebatur, Apoſtolicæ ſedis, & Cardinalibus tradito, aliud ei,
ſumptum de corpore beati Petri, more ſolemni per Priorem Diaconorum traditur.*

Devia principia in tractatu adverſus Acacii Conſtantinopolitani Epiſcopi audaciam inſigniter præfocavit ſanctus Papa Gelaſius. Alexandrinæ Eccleſiæ intruſum invaſorem Petrum Mogum, quem ſub pœnitentiæ fuco reconciliatum in throno ſtabilire tentaverat Acacius, multis oſtendit non niſi à Romana Eccleſia potuiſſe vel damnari vel abſolvi, & dat rationem: *Secundæ ſedis Antiſtitem nec expellere quiſpiam, nec revocare ſine primæ ſedis aſſenſu vel potuit vel debuit, niſi fortè confuſo jam ordine rerum atque turbato, nec prima, nec ſecunda, nec tertia Sedes debeat obſervari, vel ſuſcipi ſecundùm antiqua Statuta Majorum, & ſublato capite, ut videmus, omnia membra vario inter ſe compugnent certamine, fiatque illud, quod de populo ſcriptum eſt Iſraël;* In illo tempore non erat Dux in Iſraël, unuſquiſque quod placitum erat in oculis ſuis faciebat. *Quâ enim ratione vel conſequentiâ aliis ſedibus defendendum eſt, ſi primæ Beatiſſimi Petri Sedi antiqua & vetuſta reverentia non defertur, per quam omnium Sacer-*

cer-

*cerdotum dignitas ſemper eſt roborata atque firmata, trecentorumque decem & octo Patrum invicto & ſingulari judicio vetuſtiſſimus judicatus eſt honor?* Affirmat Alexandriæ & Antiochiæ Patriarchales cathedras Romanæ omninò coördinari, nequaquam ſolo præceſſus, ſed etiam Præfecturæ ac ſubjectionis ordine, ideoque plenè ſubjici ac ſubordinari. Demonſtrat hoc ex antiquiſſima, quam & Apoſtoli, & Patres, & ipſa etiam Nicena Synodus firmavit, conſuetudine, quæ Alexandrinum ſecundæ ſedis Antiſtitem non niſi à Romano Pontifice, aut ex ejus ad factam Relationem Reſcripto ſemper permiſit judicari. Quod ipſum Gelaſius conſtanter inculcat in litteris ad Dardaniæ Epiſcopos, ac in litteris ad omnes Orientales, exſtantibus apud Jacobum Sirmondum poſt appendicem codicis Theodoſiani. Et adversùs iſtius conſuetudinis prævaricatorem Acacium pergit: *An duæ ſunt Eccleſiæ, & duo Paſtores? Abſit: Unus eſt enim qui fecit utraque unum, tollens de medio inimicitiarum parietem in corpore ſuo.* Et hic non ſolummodò ſe ſupremum, ſed & ſuum Vicarium Paſtorem ſanxit eſſe unum. Hinc ſingularia ſancto Petro per Evangelium facta promiſſa enumerat idem Pontifex, atque proſequitur: *Quare ad Petrum tam frequens Domini ſermo dirigitur? Nunquidnam reliqui ſancti ac beati Apoſtoli non erant ſimili virtute ſuccincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed ut capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio, & una monſtraretur compago corporis Chriſti, quæ ad unum caput glorioſiſſimâ dilectionis ſocietate concurreret, ut una eſſet Eccleſia, cui fideliter crederetur, unaque Domus unius Domini, & unius Redemptoris, in qua de uno Pane & de uno Calice nutriremur.* Sine uno Epiſcopali capite non poſſe eſſe unam Eccleſiam, & in iſtam dignitatem ſancto Petro Apoſtolo ſemper ſucceſſiſſe & ſucceſſuros Romanos Epiſcopos, pluribus illic oſtendit Gelaſius. Et iſtam fuiſſe perpetuam atque immobilem omnium olim Græcorum Patrum fidem, ſuo loco demonſtrabitur. Quapropter Euſebiana factio, quæ Chriſtianorum Hierarchiam ſecuit in trium Patriarcharum Ariſtocratiam, & illius ſectatores hodierni Græcorum ſchiſmatici, qui ipſam in quinque Patriarcharum & aliquot Primatum Exarchorum æqualem ac ultrò citroque independentem Autocephaliam dividunt, Eccleſiæ unitatem manifeſtè lacerant, inducunt Acephaliam, & Conſtantinopolitanum prævaricantur ſymbolum, in quo profitemur *unam Eccleſiam.*

Epiſt. 8.

Conſtantinopolitanus tamen Patriarcha dudum habuit aliquos univerſalis ſuper alios Græcorum Patriarchas, ac ipſorum Diœceſes poteſtatis characteres, quos Photius & Michaël Cerularius plurimùm firmaverunt. Primum characterem, utique ipſum titulum *univerſalis Epiſcopus*, adducit in opuſculo de Patriarcharum juribus Theodorus Balſamon. Roma-

mano & Alexandrino Papæ ſeu Avi, Conſtantinopolitano & Hieroſolymitano Archiëpiſcopi, ſoli Antiocheno affirmat propriè attribui titulum Patriarchæ. Mediorum ſæculorum Græci diſtingunt Archiëpiſcopos & Metropolitas. Archiëpiſcopi apud illos ſunt ſolo honore & titulo Metropolitæ, qui ſine poteſtate nomen habeant, & nullum ſibi ſubditum ſuffraganeum: Qui paſſim nomen iſtud adepti ſint ſectione Provinciæ. Nihil rei dabat titulus, niſi exemptionem à vero provinciæ Metropolita. Porrò Conſtantinopolitanus ab Heracleenſi, Hieroſolymitanus fuit ita exemptus à Metropolita Cæſareenſi. Hinc in Patriarchas evecti titulum retinuerunt. Uterque nullum unquàm habuit ſuffraganeum, niſi poſterior ſub Latinis Regibus. Pergit Balſamon: *Volebam dicere, quamobrem Papa Romanus appelletur univerſalis Papa, ſimiliterque Conſtantinopolis Archiëpiſcopus, univerſalis Patriarcha, cum reliqui Patriarchæ, licet ejuſdem ſint ordinis, appellationis, & honoris, ita proclamari non ſoleant. Sed quando Papam Romanum malus ille ambitionis genius à reliquorum ſanctiſſimorum Patriarcharum cætu avulſit, & in Occidentem duntaxat coarctavit, cum interim videam Conſtantinopolitanum nullo ſe Papæ privilegio ornantem, ideoque ſtant pedes ejus in rectitudine. Ne ſubſcriptiones quidem ſuas magnificas facit tanquàm Pater univerſalis, licet à nobis ita vocetur & celebretur.* Affirmat olim ſolos Romanum & Conſtantinopolitanum fuiſſe titulatos univerſales Epiſcopos ac Patriarchas, nunc autem illum excidiſſe ob ſchiſma & hæreſim, ideoque titulum manſiſſe ſoli Conſtantinopolitano. Aliis Patriarchis numquam competiiſſe. Hinc etiam in opere de matrimonialibus quæſtionibus ſcribit Matthæus Monachus: *Has de re tractatum fuit tempore Imperii Iſaaci Angeli, tribus Patriarchis in Concilio præſentibus, Univerſali, Antiocheno, & Hieroſolimitano.* Per antonomaſticè poſitum univerſalem intelligit Conſtantinopolitanum. Et in formularum, quibus Conſtantinopolitanus ſolet ad alios Patriarchas aut Epiſcopos ſcribere, notitia ille ſemper ſolus titulatur univerſalis. Et reverà ſoli, quibus Joannes ſecundus dedit exordium, Regiæ civitatis Patriarchæ pro iſto ſuperbiæ titulo cum Romana Eccleſia litigarunt. Et de profecto Hieroſolymam, ac alios tres Patriarchas ibidem reperiente Hieremiâ habet deſcripta per Emmanuëlem Malaxum hiſtoria: *In unum collecti quatuor Patriarchæ liturgiam celebrarunt. Deindè diebus aliquot apud Oecumenicum Patriarcham Hieremiam conſumptis, ſinguli thronos ſuos repetiverunt.* Solum Hieremiam appellat Oecumenicum. Exſtat in Turco-Græcia. Ibidem habes Joachimi Alexandrini, Joachimi Antiocheni, & Germani Hieroſolymitani Patriarchæ litteras, qui omnes ſibi figunt altos titulos, at nullus aut ſeipſum aut ſuum collegam, niſi ſolum Conſtantinopolitanum, titulat Oecumenicum. Attamen Alexandrinus Joachimus

in

Digitized by Google

in datis Alberto Comiti Leuwenſtenio teſtimonialibus litteris ſe tutulat Judicem orbis terræ. Et in memorato opuſculo Nilus Theſſalonicenſis Epiſcopus omnes generatim Patriarchas aſſiduè vocat Epiſcopos univerſales. Nempè per ſuas diœceſes. Et hoc dumtaxat ſenſu Joannes ſecundus aſſumpſit, Joannes quartus reſumpſit titulum, & ipſorum ſucceſſores continuarunt. Uſque ad Photium. Et iterum à proximo hujus ſucceſſore Stephano, uſque ad Michaëlem Cerularium. Hi duo eſſe prætenderunt totius Chriſtianitatis univerſales Epiſcopi. Et licet rem apud ſuos etiam ſchiſmaticos amiſerint, titulum tamen ſucceſſores pertinaciter retinuerunt. Porrò dum ab ipſis titulum iſtum non quæri affirmat Theodorus Balſamon, inſigniter imponit. Multa ipſorum pro iſto titulo adversùs Romanam Eccleſiam contumacia longè aliud altiſſimè clamat.

Alterum memoratæ poteſtatis characterèm adducit idem Theodorus in opuſculo de Chartophylace & magno Defenſore Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ: *Chartophylax deſcribis & dat Patriarchalia Stauropegia per univerſum propè terrarum orbem, ac multarum urbium Eccleſiaſtica capita transfert in primi capitis Regiam.* Et in compendiario Legum delectu Imperator Leo ſapiens: *Omnium Metropoleon, Epiſcopatuum, Monaſteriorum & Eccleſiarum cura & judicium ad proprium Patriarcham ſpectat, Conſtantinopolitano autem licet etiam in aliarum ſedium territoriis, in quibus hæc prærogativa non eſt, crucium fixiones in templis concedere.* Stauropegia ſeu crucium in Eccleſiis aut Monaſteriis fixiones ſunt ſigilla exemptionis, quam apud Græcos facere poſſunt ſoli Patriarchæ. Lucet ex lite, quam adversùs Naupacti Metropolitam, auſum in ſuffraganeis Parochiis cruces figere, movit Artenſis Epiſcopus. Etenim à Germano ſecundo Patriarcha obtinuit hanc ſententiam: *Stauropegiorum, quæ ſunt per diœceſim, ſoli Patriarchali Amplitudini relictum eſt privilegium, Metropolitanorum autem nemini.* Exſtat in Jure Græco-Romano. Et quia iſtud Patriarchæ privilegium laudatur à Leone Philoſopho, certum eſt non dumtaxat Michaële Cerulario, ſed etiam Photio eſſe antiquius, ideoque vetuſtiſſimam conſuetudinem, non ſchiſmaticam uſurpationem. Eſt avitæ Monaſticæ libertatis ſuperſtes veſtigium. Quod enim olim Monachi ad ſuum Diœceſanum non adſtringerentur, ſed poſſent quemvis ſibi eligere Epiſcopum, ſuo loco oſtendetur. Ita fuit uſque ad Chalcedonenſem Synodum. Hæc ad impediendas, quas tunc ab Eutychianiſtis Monachis paſſi fuerant Syrorum Epiſcopi, barbaras violentias ſanxit omnia deinceps Monaſteria ſuo diœceſano Epiſcopo in omnibus ſubeſſe. Conſtantinopolitanus Patriarchatus inſigniter ibidem eſt firmatus & augmentatus, atque ita videtur ejus Patriarcha ſeſe excepiſſe ab

ob-

Digitized by Google

obſervantia iſtius Canonis, & perrexiſſe in Epiſcopum eligi à quibuſcumque per Orientem Monaſteriis. Et quia ſemper phylacteria ſua ampliare ſtuduit, tandem cæpit ſemetipſum illis etiam obtrudere atque præficere. Et à Monaſteriis perrexit ad Eccleſias. Præſertim quod omnia hæc exempta loca Patriarchæ penderent Canonica, ſeu annuas penſiones. Et hinc Epiſcopi frequenter ac potenter interceſſerunt adverſum has exemptiones, adeo ut præfatus Patriarcha Germanus tandem emiſerit hoc Edictum: *Mediocritas noſtra Regionum Antiſtitibus talium iure*
Fol. 136. *cedit.* Omnia, præter peregrinorum, exempta monaſteria reddidit Epiſcopis. Habes Edictum in tertio libro juris Græco-Romani. Et de Epheſiorum Archiëpiſcopo, Imperatoris Michaëlis Paleologi Confeſſario, & magno Patriarchæ Joannis Vecci adverſario Iſaäc ſcribit
Lib. 6. Cap. 10. Georgius Pachymeres: *Iſaäc ſtuduit ſuo iuri ſubjugare loca juriſdictioni Patriarchæ reſervata in cunctis per Orientem Diœceſibus, ita ut ea tantum ſacra loca, quæ intrà unam urbem Conſtantinopolim ſita eſſent, ordinariæ poteſtati Patriarchæ ſubjecta remanerent, quæ extrà urbem eſſent, ſubjacerent auctoritati illorum Præſulum, qui Diœceſes, ubi erant illa poſita, Epiſcopali auctoritate gubernarint.* Et pergit: *Prodiit Imperatoria Novella, quâ decernebatur, ut quæ ubicumque vel cujuſque modi loca vel monaſteria Patriarchæ uni ſubjecta eatenus cenſebantur, ea deinceps Epiſcopis, quorum illæ propriæ Diœceſes eſſent, jure ordinario ſubjacerent. Addebatur Decreti ratio: Per abuſum videri, & contra ſacrorum Canonum auctoritatem attentatum id, quod ex longo hactenus tempore factitatum fuerat, ut nempè Patriarchæ Conſtantinopolitano ultrà fines Diœceſis propriæ jus competeret.* Exemptio eſt reverà ſupremus poteſtatis actus, qui proindè extrà territorium non valet exerceri. Et omninò adverſatur Chalcedonenſi Canoni. Iſaäc ſola urbica Monaſteria volebat manere Patriarchæ. Etenim Conſtantinopolitana, uti & Romana, Parochia concluditur civitatis muro: Foris nullam habet Parochialem Eccleſiam, ſed ſola quædam vicina Cæmeteria aut Monaſteria. Iſaäc volebat etiam intra Patriarchalem Diœceſim nulla eſſe exempta Monaſteria. Et eſt omninò conſecutus. Quod verò ex proprii quæſtus cupiditate hæc ille moverit, disertè ſcribit Pachymeres, & pergit: *Quod qui dicebat, non intelligebat eripere ſe Patriarchæ titulum Oecumenici, quippè quem concluderet urbe Conſtantinopoli, nec ſaltem ei concederet Diœceſim, quanta & qualis cuivis etiam vulgari tribuitur Epiſcopo.* Quod nempè vulgares paſſim Epiſcopi præter civitatem habeant forenſe territorium. *Verùm id tum quidem nihil penſi habens Iſaäc, & in lucri parte numerans oblatam occaſionem gratificandi quomodocumque amicis ſuis Epiſcopis, quos multos offendebant iſtæ in propriis Diœceſibus exceptiones locorum ſubtractorum propriæ ipſorum poteſtati, at Patriarchæ auctoritati ſubjectorum, & paſſim conten-*

*ten-*

Digitized by Google

*tendebant non plus juris Conſtantinopolitano in alienas Diœceſes ; quàm cuique ipſorum eſſe in Conſtantinopolitanam.* Cum collegis Epiſcopis Iſaäc ſectabatur ſupra memoratam à Theodoro Balſamone ſententiam, quæ omnes Epiſcopos affirmat eſſe jure Divino pares per omnia ac ſupremos,ideoque nullum ſubeſſe alteri; at verò Georgius Pachymeres, utpotè magnæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Cruciger & magnus Defenſor, vidit ab iſto errore peſſimo induci Acephaliam, & cum omni Hierarchia everti cunctam dignitatem ſui Patriarchæ, qui ſine aliqua ſaltem per omnes Orientis Eccleſias poteſtate nullatenùs poſſit dici Oecumenicus ſeu univerſalis. Ita per ſchiſma in fratres Cadmæos demutati Græci ſeſe mutuo roſerunt, momorderunt, ac tandem abſumpſerunt.

Tertiam univerſalem Conſtantinopolitani Epiſcopi poteſtatem adducit in laudato Legum compendio Leo Philoſophus: *Sedes Conſtantinopolitana, quam Regia exornat, Synodorum ſuffragiis Prærogativam obtinet, quibus divinæ Leges ſuffragantes, controverſias in aliis ſedibus motas ad hujus notionem referri præcipiunt.* Laudat ejus circa Stauropegia univerſalem poteſtatem, & adjungit: *Neque hoc ſolùm, ſed & controverſias in aliis ſedibus exortas dirimere ac dijudicare poteſt.* Videtur loqui ex nono & decimo ſeptimo Chalcedonenſibus Canonibus, qui cunctas Clericalium apud Epiſcopum, cunctas Epiſcopalium cauſarum primas inſtantias mandant agi apud Metropolitæ Synodum,atque adjungunt: *Quod ſi adversùs Provinciæ Metropolitam Epiſcopus vel Clericus habet querelam, petat aut Primatem Diœceſeos, aut Sedem Regiæ urbis Conſtantinopolitanæ, & apud ipſam judicetur.* Nicolaus primus Papa per Diœceſeos Primatem intellexit Romanum Pontificem,atque ita ab iſtis Canonibus ſtabiliri credidit Romanas appellationes. Alii intelligunt quemvis Orientalem Exarchum aut Patriarcham : Cenſent cunctis Orientalibus Epiſcopis & Clericis permitti alternativam, quâ vel ad ſuum Exarchum aut Patriarcham, vel certè ad Epiſcopum Conſtantinopolitanum poſſint appellare. Verùm hæc opinio caret fundamento. Quòd enim Alexandrini aut Antiocheni Patriarchatus Clericos aut Epiſcopos ad Conſtantinopolitanum Patriarcham provocare permiſerit Antiquitas, nulla oſtendit conſuetudo, nullus Canon, nullum exemplum. Proindè per Diœceſeos Primatem intelliguntur tres Autocephali Primates, quibus omnem avitam auctoritatem circumſcribere, & Conſtantinopolitani Epiſcopi plenum jugum injicere nolens Synodus introduxit iſtam appellandi alternativam.

A ſuo Epiſcopo Clericum, aut à ſua Synodo degradatum Epiſcopum duodecimus Antiochiæ Canon mandat non eſſe moleſtum Au-

guſto Principi, ſed refugere ad majorem Synodum. Sui prævaricatorem immobiliter firmat in inflicta degradatione, & præſcribit ab omni audientia. Sextus Conſtantinopolitani Concilii Canon rigorem eſt moderatus. A Provinciæ Synodo damnatum Epiſcopum mandat non ad Principem, nec ad Generalem totius Chriſtianitatis, ſed ad ſui Patriarchæ aut Exarchi Synodum appellare: Ab hac damnatis permittit recurri ad Principem, & generalem ab ipſo Synodum poſtulari. Nempè pro iniquæ damnationis auxilio confugientes ad ſe quoſcumque Epiſcopos ſolebat admittere Princeps, & ipſorum cauſas Regiæ civitatis Antiſtiti ac per ipſum ex advenis Epiſcopis collectæ Synodo delegare. Indignum & Eccleſiaſticæ Hierarchiæ adverſum judicarunt hoc laudatæ Synodi. Reverà enim indignum erat omnium non dumtaxat Provincialium, ſed etiam Patriarchalium Synodorum de gravioribus cauſis judicia ſubmitti uni Conſtantinopolitano Epiſcopo, per ipſum ac variarum gentium paucos illi aſſidentes Epiſcopos retractari, & quandoque etiam reformari. Hinc damnatum à ſui Patriarchæ aut Exarchi Synodo Epiſcopum Conſtantinopolitani Patres permiſerunt quidem recurrere ad Principem, attamen non ut Conſtantinopolitani, licet inſigniter exaltaſſent, Antiſtitis, ſed generalis Synodi imploraret Judicium. Verùm hanc clauſulam non obtinuerunt. Etenim Auguſti Principes perrexerunt damnatorum Epiſcoporum admittere querelas, & Regiæ civitatis Epiſcopo ac ejus ex advenis Collegis Synodo delegare. Ita Gabadii & Agapii, de Boſtrenſi apud Arabes Metropolitano Epiſcopatu contendentium, cauſam Arcadius Auguſtus delegavit Nectario, qui laudatæ Synodo adfuerat, Conſtantinopolitano Epiſcopo, & hic ipſam, hautdubiè judicatam anteà à Flaviano Antiochiæ Patriarcha, retractavit. Et licet non tantùm hic Flavianus, ſed etiam Alexandrinorum Patriarcha Theophilus adeſſet, Synodo præſedit. Quòd Photii Tyrii & Euſtatii Berytenſis Epiſcopi, de Metropolitica per primam Phæniciam poteſtate contendentium, cauſam Imperator Theodoſius delegarit Anatolio Conſtantinopolitano Antiſtiti, & hic cum modica ex advenis Epiſcopis Synodo retractarit, demonſtrat quarta actio Chalcedonenſis. Nullo Canone fulciebantur, & à variis Metropolitis, præſertim Patriarchis, improbabantur iſtiuſmodi Synodi, ideoque ab his moti glorioſiſſimi Judices quæſierunt: *An Synodum appellare oporteat Conventum Epiſcoporum, qui in Regia civitate diverſantur?* Et poſt varia variorum Epiſcoporum Reſponſa Anatolius novit hoc unum adducere: *Tenuit conſuetudo.* Et hæc adeò permanſit, ut de ſimili, in qua profanum univerſalis Epiſcopi titulum ſibi aſſumpſerat Joannes Jejunator, Synodo ad Euſebium Theſſalonicenſem

ac

ac alios Illyrici Epiſcopos ſcripſerit magnus Gregorius: *Pelagius Deceſſor noſter omnia Geſta iſtius Synodi, præter illa quæ illic de cauſa Gregorii Epiſcopi Antiocheni ſunt habita, validâ omninò diſtrictione caſſavit.* Criminalem iſtius Gregorii cauſam latiùs exponit Evagrius Epiphanienſis. Datum de ipſa à tali Joannis Conſtantinopolitani Synodo Judicium magnus Gregorius affirmat à Pelagio ſecundo fuiſſe probatum. Quare ipſos etiam Patriarchas permiſit Pelagius per iſtas Synodos judicari. Et de damnatis à Romana Eccleſia, ac ad Imperatorem Theodoſium provocantibus Pelagianis ſcribit ad Neſtorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſanctus Pontifex Celeſtinus: *Atticus tuus Anteceſſor eos ita perſecutus eſt pro Rege communi, ut eis nec ſtandi quidem illic copia tribueretur.* Quod ipſum addit factum ab Attici ſucceſſore Siſinnio. Exponit in tertio adversùs Julianum Pelagianiſtam libro ſanctus Auguſtinus: *Chriſti exercitus debellavit Celeſtium apud Conſtantinopolim, tam longè à regionibus Africanis.* Et in carmine de Ingratis ſanctus Proſper: *Quid loquar & curam, magna quam geſſit in urbe Conſtantinopoli docto bonus ore Sacerdos Atticus, antiquâ Legatos hæreticorum confutando fide? De qua tunc impia corda, quamvis ſe obductæ tegerent velamine formæ, Judicii & tacitæ tulerant tormenta repulſæ.* A Romanis Pontificibus damnatæ, Italiâ ejectæ, & generalem Synodum poſtulantis factionis cauſam ex Principis delegatione retractavit in ſua Synodo Atticus, firmavit Romanum Judicium, & ab omni ulterioris audientiæ ſpe ad perpetuam pænitentiam proſcripſit. Ex quo lucet, quòd non ſolas Orientalium Patriarcharum, ſed etiam Romani Pontificis ſententias Conſtantinopolitanus Epiſcopus retractaret.

Lib. 7. ind. 2. ep. 60.

Cap. 1.

Verùm ſacris Canonibus adeò adverſabatur hæc conſuetudo, ut de delegata ſibi per Imperatorem Arcadium cauſa Alexandrini Patriarchæ Theophili ſcripſerit ad ſanctum Innocentium Pontificem ſanctus Joannes Chryſoſtomus: *Nos ſcientes Leges Patrum, & Theophilo honorem habentes, habentes etiam ſuper hac re ejus litteras, oportere in quibuſque Provinciis ſua negotia tractari, tranſmontanoſque ad noſtra judicia non trahendos, fortiter detrectavimus, ne cauſam ſuſciperemus judicandam.* Et ipſe & Theophilus proteſtati ſunt ſimiles delegationes adverſari Nicænis Canonibus, Interim Principum violentia firmavit morem: Et ipſum in ſuo Legum compendio laudat Leo Philoſophus. Non ipſum, ſed ipſius dumtaxat fidelem uſum in Attico & Syſinnio probarunt ſanctus Celeſtinus Pontifex, Proſper & Auguſtinus. Ipſum Romana Eccleſia diſſimilanter ac diſpenſatoriè toleravit. Et ex ipſo non probari aut firmari univerſalem Conſtantinopolitani Patriarchæ ſuper alios Patriarchas poteſtatem, rectè affirmat, & non penitùs malè demonſtrat Nilus Cabaſilas Archiepiſcopus Theſſalonicenſis.



Digitized by Google

# CAPUT XVI.

## *Exponitur Apoſtolica Legatio Cardinalis Humberti.*

Anno 1053. DE hac Legatione ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis: *Fredericus, frater Godefridi Lotharingiæ Ducis, Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus, Conſtantinopolim Apoſtolicâ functus Legatione abiit. Indictâ Synodo cum Imperatorem Conſtantinopolitanum & Patriarcham evocaſſet, & illi Primatûs ſui Majeſtatem vindicantes, Dicto obtemperare dedignarentur, egreſſus urbem, ſandalia ſua more Apoſtolorum publicè ſuper eos excuſſit. Quo facto tantum terrorem omnibus Conſtantinopolitanis incuſſit, ut Imperator & Patriarcha cum Clero & populo, ſequenti die, ſacco & cinere obvoluti, ad eum procederent, & Apoſtolicam auctoritatem in eo proni in terram adorarent.* Et Sigibertus Gemblacenſis: *Leo Papa per Epiſtolam ad Imperatorem Conſtantinum ſcriptam animum ejus ſibi concilians, Apocriſarios ſuos Humbertum videlicet, Cardinalem Epiſcopum Sylvæ candidæ, Petrum Amalphitanorum Archiepiſcopum, Fredericum quoque ſeptimum Levitam & Cancellarium, dirigit Conſtantinopolim ad confutandas Græcorum hæreſes.* Enumerat Michaëlis Cerularii errores, ac inter ipſos ponit & hunc: *Romanam Eccleſiam in filiis ſuis anathematizabat, eique Eccleſiam Conſtantinopolitanam præponebat.* Quod nempè cum Photio Michaël garriret ſimul cum Imperialibus Papalia privilegia migraſſe Româ Conſtantinopolim, ideoque ſe jam eſſe Oecumenicum caput & Epiſcopum totius Chriſtianitatis. Et hinc de illo, quòd Primatûs ſui majeſtatem vindicans nollet obedire Romanis Legatis, affirmat laudatus Lambertus. Pergit Sigibertus: *Ab Imperatore benignè habiti Legati, Nicetam Monachum ante eum vicerunt, adeò ut librum, quem contra Romanos ſcripſerat, anathematizarit & incenderit. Michaële Patriarchâ nolente eis colloqui, Chartâ excommunicationis coram Clero & populo ſuper altare ſanctæ Sophiæ poſitâ recedunt. Michaël chartam ipſam corrumpens, populoque legens, illos ab Imperatore revocatos ad Synodum abſente Imperatore convocavit ut à populo lapidarentur. Quod Imperatore prohibente, Michaël commovit populum contra eum. Sed convictus chartam excommunicationis falſaſſe Michaël, omneſque ſui ab Imperatoris gratia remoti ſunt. Humbertus verò Epiſcopus Sylvæ Candidæ hæc deſcripſit, & Scripta Nicetæ Monachi, & Leonis Acridani Bulgarorum Archiepiſcopi confutavit. Quæ de Latino in Græcum tranſlata juſſu Imperatoris Conſtantini à Græcis recepta ſunt.*

(Anno 1054. — marginal note beside "Gemblacenſis")

Conſonat in Caſſinenſis Monaſterii Chronico Leo Oſtienſis Epiſcopus: *Eodem anno*, utique quinquageſimo quarto poſt milleſimum, *gratia concordandi Romanam & Conſtantinopolitanam Eccleſiam Leo Papa viros pru-* (Lib. 2. cap. 89.)

*prudentiſſimos ad Imperatorem Conſtantinum, cognomento Monomachum, Apocriſarios miſit, Fredericum ſcilicet Cancellarium ſuum, & Humbertum Epiſcopum Sylvæ Candidæ, & Petrum Archiëpiſcopum Amalphitanum. Qui ad Caſſinenſe Monaſterium primitus advenientes, ac ſe fratribus devotè commendantes, ita demum viam ſuam profecti ſunt. Eos Imperator honorificè ſuſceptos aliquamdiu ſecum in Palatio tenuit. Quo tempore pleraſque Græcorum hæreſes corrigere ſtudentes, Patriarcham tandem Michaëlem, & Leonem Acridanum Epiſcopum, omneſque illorum complices auctoritate Apoſtolicâ damnarunt. Sed cùm intra hos dies defuncto jam Papâ redire diſponerent, Regiis illos donis ſecutus Imperator, beato quoque Petro munera per eos haud parva tranſmiſit. Illorum inſuper precibus binas auri libras huic Monaſterio ex reditibus regiis dari ſingulis annis inſtituit.* Nempè plures tunc per utramque Siciliam Regiones adhuc parebant Græcis, & varias Caſſinenſis Monaſterii poſſeſſiones invaſerant Nortmanni, atque ita ipſum depauperaverant: Hinc iſtam illi eleëmoſynam à Conſtantino Apoſtolici Legati impetrarunt. Magnificentiſſimam enim Conſtantini liberalitatem, prædicant omnes paſſim Græci Scriptores, vereque ſcribit Conſtantinus Manaſſes: *Munificas Conſtantini manus expertæ ſunt Nationes integræ, templa, pauperes. Erat enim fluvius ubique ſe effundens, & munera copioſiſſimè diſtribuebat in ærumnoſos, tamquàm in tubulos & canales haud perfoſſos.* Erat & plenè Orthodoxus.

Hoſcè Legatos in litteris ad Petrum Antiochiæ Patriarcham deſcribit Patriarcha Michaël: *Unus eſt, qui, ut audivimus, Amalphitanorum Eccleſiæ aliquando præfuit, deindè verò ab eadem Eccleſia ejectus rationabilibus de cauſis, peregrinus vagatur. Alter verò nomine tantùm Archiëpiſcopus, re autem omninò alienus, cùm nulli Metropoli præfuiſſe unquàm reperiatur. Tertio perſonam, quæ illi placuerit, Papa tribuens, Cancellarii videlicet, idque coram Romana dignitate, pro inſigni quadam verſutia, ut talem ſe diceret, abduxit. Ut poſſet per eum, quæ machinabatur, obtinere, illo quaſi quodam forti clypeo uſus.* Eſt calumnioſiſſima deſcriptio. Petro Amalphitano Archiëpiſcopo impactam calumniam elucidat in litteris ad Imperatorem Conſtantinum noſter nonus & ſanctus Leo: *Ex Amalphitano Epiſcopo nulla tibi ſuboriatur ſuſpicio, quia Romanus eſt omninò, & ab Amalphitanis diſcedens, familiariter nobiſcum vivit jam penè anno integro.* Per Romanum Pontifex intelligit addictum & fidelem Imperio Græco, quod erat reverà Romanum. Luitprandus Cremonenſis Epiſcopus, ac Joannis duodecimi Pontificis ad Imperatorem Nicephorum Phocam Legatus, durè fuit exceptus Conſtantinopoli, & nullum fecit fructum: Quòd Papales litteræ dictum Principem titularint Imperatorem, non Romanorum, ſed Græcorum. Et omnes Græcorum hiſtorici ſeſe ſemper titulant Romanos. Græcos à nobis titulari eſt illis duriſſima contumelia:

Videre id poſſis etiam in quarto libro Joannis Cinnami de Geſtis Imperatoris Manuëlis Comneni. Hinc ſuam Legationem ab hiſce quiſquiliis lædi aut impediri nolens noſter Leo, uſus eſt phraſi græcâ. Ad Conſtantinopolitanum, uti Imperium, ita & Patriarchatum ex Imperatoris Leonis Iſauri violentia ſpectabat tunc Amalphis, ideoque ejus Epiſcopum Laurentium fuiſſe & Græcè & Latinè peritum ſcribit in ſancti Odilonis Abbatis vita ſanctus Petrus Damiani. Addit fuiſſe inſigniter ſanctum, coruſcaſſe miraculis, & Romæ defunctum. Quod nempè ſe noſſet per Apoſtolicos Canones pertinere non ad Conſtantinopolitanum Patriarchatum, ſed ad Romanum. Ejuſdem mentis credo fuiſſe Petrum. Hinc dum Michaël Cerularius cœpit ſui ſchiſmatis violentas nugas, quòd plures Calabrorum & Apulorum Epiſcopi ipſis circumſcripti adhærerent, illum abiiſſe in ſpontaneum exilium, & apud ſanctum Petrum Apoſtolum quæſiiſſe aſylum, ac inveniſſe. Quòd calumnioſas ſuas adversùs Romanam & omnem Latinam Eccleſiam litteras Michaël Apuliæ & Calabriæ Epiſcopis inſcripſerit, diſertè teſtatur in ſuo ad illum Reſcripto noſter ſanctus Leo. Et Conſtantinopoli apud Patres Prædicatores repertus ſchiſmaticus Scriptor habet: *Romanus Pontifex, & omnes Occidentalium partium Chriſtiani, Sacerdotes & Laïci, præter Calabros, ante multa tempora extra Eccleſiam Catholicam pervagantur.* Eos affirmat impios in Deum apoſtatas, & adjungit de Calabris: *Apoſtolicæ & noſtra Eccleſiæ alumni ſunt, ejus moribus informati.* Et qualis fuerit Joannes Tranenſis Epiſcopus, eſt ſuprà oſtenſum. A Calabriæ, Apuliæ, ac Siciliæ Epiſcopis Patriarchales apud Conſtantinopolim Synodos fuiſſe & antè & poſt Michaëlis Cerularii ſchiſma frequentatas docent ſubſcriptiones ad editos à Siſinnio ſecundo, ſecundo Sergio, ac Euſtráthio Patriarchis Canones, exſtantes in Jure Græco-Romano. Horum contagioſam communionem & Michaëlis inſolentias metuens Petrus fugerat Romam, atque ita Conſtantinopoli erat plurimum ſuſpectus. Hinc illum expurgat noſter ſanctus Leo apud Principem, & aſſeverat eſſe verè Romanum. Utpotè qui non Rempublicam, ſed ſchiſmaticam Eccleſiam fugiſſet.

Rectè addidit Leo: *Familiariter nobiſcum vivit.* Etenim belligerantem adversùs Nortmannos in Apulia Pontificem comitatus fuit Petrus, & illic cum ipſo decidit motas inter Luitfridum ad Vulturni fontes Abbatem, & Albertum Monachum, qui ſanctæ Mariæ de Caſtineto Cellam invaſerat, & illic ſe oſtentabat Abbatem, quæſtiones, de quibus iſtius Monaſterii Chronicon: *Aſſiſtentibus pluribus Præſulibus, à Papa Leone cauſa eſt judicata Abbati ſancti Vincentii. Qui interfuerunt, hi ſunt: Humbertus Sylvæ Candidæ Epiſcopus. Petrus Amalphitanus Archiepiſcopus.* Ex quo

quo vides Cardinales Epiſcopos ex tunc fuiſſe Archiëpiſcopis dignio-
res. Factum hoc fuit anno iſtius ſæculi quinquageſimo tertio. De Pe-
tro noſtro ſcribit ad Deſiderium Caſſinenſem Abbatem etiam ſanctus
Petrus Damiani : *Veſter ille finitimus piæ recordationis Amalphitanus Epiſco-* Lib. 2.
*pus, nomen neſcio, Stephano Romano Pontifici, me præſente, ſub jurejurando* ep. 15.
*ſæpè teſtatus eſt, quia cùm aliquando menſam Domini ſacrificaturus accederet,*
*ſed ſuper Sacramento Dominici Corporis incredulus hæſitaret, in ipſa confractione*
*ſalutaris Hoſtiæ rubra prorſus ac perfecta caro in ejus manus apparuit, ita ut etiam*
*digitos illius cruentaret, ſicque Sacerdoti omnem ſcrupulum dubietatis auferret.*
*Ubi notandum, quàm ſit immane periculum, indignis manibus attrectare tam*
*terribile Sacramentum.* Graſſabatur tunc Berengariana hæreſis, ejus fun-
damenta Petrus in Vercellenſi Synodo forſan audierat, atque ita paſſus
fuerat à Berengarii fautoribus, quod in Præſcriptionum libro habet
Tertullianus: *Hæretici ſcripturas obtendunt, & hâc ſuâ audaciâ ſtatim quoſdam* Cap 15.
*movent, in ipſo verò congreſſu firmos fatigant, infirmos capiunt, medios cum*
*ſcrupulo dimittunt.* Petrus tunc erat ex mediis, ac ipſum Divinâ gratiâ
iſto miraculo perfecit in firmum. Quâvis adversùs Euchariſtiam graſ-
ſante hæreſi, Divina ſemper in nos bonitas arcanam ſacroſancti My-
ſterii veritatem, & ceſpitantes de ipſo mentes vario miraculo erexit ac
ſtabilivit. Etiam Latinè & Græcè eruditus fuit iſte Petrus, habuitque
doctum Clerum. Etenim Paſchalis ſecundi Legatus, qui inter Boad-
mundum Antiochiæ Principem Latinum & Græcorum Imperatorem
Alexium Comnenum compoſuit pacem, fuit ex ejus diſcipulis Mau-
rus Archiëpiſcopus Amalphitanus. Ita in tertio decimo ſuo libro ſcri-
bit Anna Comnena. Quare illum non ſine fundamentis legavit noſter
Leo.

Michaël etiam Cerularius, dum Cardinalem Humbertum dixit fuiſſe Archiëpiſcopum ſine ſede, habuit aliquid fundamenti. Exponit in libro de Domini corpore adversùs Berengarium, qui Humbertum variè calumniatus dixerat Burgundum, ſanctus Lanfrancus Archiëpiſcopus Cantuarienſis : *Humbertum virum fuiſſe religioſum, fide Chriſtianâ & ſanctiſſimis operibus perſeverantiſſimè decoratum, ſcientiâ Divinarum & ſæcularium litterarum apprimè eruditum teſtantur omnes, qui vel propriâ experientiâ eum noverunt, vel ab aliis, qui ipſum experti ſunt, ejus cognitionem acceperunt. Hunc non de Burgundia, ſed de Lotharingia ſanctus Leo Romam traduxit, ad prædicandum Siculis verbum Dei Archiëpiſcopum ordinavit, poſteà verò ſancta Romana Eccleſia Præſulem ſibi Cardinalem conſtituit. Quo in loco poſitus taliter vixit, taliter docuit, ut de fide vel doctrina ipſius nec ſaltem ſiniſtræ ſuſpicionis fama aliquando exorta ſit. Hujus rei teſtis eſt tota ferè Latinitas, quæ pro excellentia Apoſtolicæ Sedis, cujus Conciliis & Conſiliis ſemper aderat*

*erat*

Digitized by Google

*erat ac præerat*, *eum ignorare non potuit*. Quod ad certam civitatem, uti mariti ad uxores, alligentur, & abſolutè conſecrari non poſſint Epiſcopi, eſt omninò Apoſtolicus Canon, immò Evangelicus atque Divinus. Quis enim neſciat Apoſtolum Petrum Romanæ urbi fuiſſe ab ipſo Domino datum & alligatum? Et de omnibus generatim Epiſcopis dixit gentium Doctor Apoſtolus, *Attendite gregi*, *in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Attamen paganarum aut alias deviarum Provinciarum Apoſtolatum tanti ſemper fecit Romána Eccleſia, ut ipſum cenſuerit legitimum Epiſcopalis etiam ordinationis titulum, & omni ſæculo ad ipſum conſecrarit. Etenim de Caïo Ro-
Lib. 48. manæ Eccleſiæ Presbytero ſcribit in Bibliotheca Photius: *Hunc Caïum fuiſſe affirmant ſub Zephyrino & Victore Pontificibus*, *ordinatumque gentium Epiſcopum*. Et ad Decentium Eugubinum Epiſcopum ſcribit ſanctus Innocentius Primus Pontifex: *Manifeſtum eſt*, *in omnem Italiam*, *Gallias*, *Hiſpanias*, *Africam*, *Siciliam*, *Inſulaſque interjacentes*, *nullum inſtituiſſe Eccleſias*, *niſi eos*, *quos venerabilis Apoſtolus Petrus*, *aut ejus Succeſſores conſtituerint Sacerdotes*. Uti Titus à ſancto Paulo ad Cretam, ita hi à variis Pontificibus ad varias gentes fuêre conſecrati Epiſcopi: Non ad ſibi jungendas, ſed ad fundandas Eccleſias & Cathedras. Ita de ſancto Cæleſtino primo, quod ordinato Scotis ſeu Hibernis Epiſcopo Palladio Barbaram Inſulam fecerit Chriſtianam, teſtatur in libro contra Collatorem ſanctus Proſper. Quod ſanctum Monachum Auguſtinum, non ad aliquam civitatem, ſed ad omnem Anglicanam gentem conſecrari ab Ætherio Arelatenſi Metropolita juſſerit magnus Gregorius, eſt omnibus notum. Et idem ſcribit ad Conſtantinam Imperatri-
Lib. 4. cem: *Dum in Sardinia Inſula multos eſſe gentilium cognoviſſem*, *eoſque adhuc pra-*
Ep. 33. *va gentilitatis more idolorum ſacrificiis deſervire*, *& ejuſdem inſulæ Sacerdotes ad prædicandum Redemptorem noſtrum torpentes exiſterent*, *unum illuc ex Italiæ Epiſcopis miſi*, *qui multos gentilium ad fidem Domino coöperante convertit*. Ad iſtud opus potuiſſet novum Epiſcopum conſecrare. Et de ſancto, quem ſanctus Autbertus Cameracenſis Epiſcopus ex latrone fecit Chri-
An. 651. ſtianum, Landelino ſcribit Sigibertus Gemblacenſis: *A beato Papa Martino ad prædicandum ordinatur*. Videtur tamen fuiſſe dumtaxat Presbyter. Pergit Sigibertus de ſancto Herbipolenſium Apoſtolo Kyliano: *Ad*
An. 746. *prædicandum ibi à Papa Conone Epiſcopus ordinatus fuerat*. Et ad Imperatorem Conſtantinum quartum ſcribit de mittendis ad ſextam Synodum
Actione 4. Epiſcopis ſanctus Agatho Pontifex: *Quidam in longè poſitis provinciis verbum Chriſtianæ fidei ab Apoſtolicis Exiguitatis meæ Prædeceſſoribus miſſi prædi-*
An. 622. *cant*. Et de Sergio primo Pontifice Regino Abbas Prumienſis: *Venerabilis vir Willibrordus*, *cognomento Clemens*, *de Brittannia gentis Anglorum ob Evan-*



Digitized by Google

*geli gratiam in Gallias tranſiens, à Sergio Papa Epiſcopus Friſonum conſecratur, atque in eam gentem ad prædicandum dirigitur.* Pontifex in conſecratione fecit ex Willibrordo Clementem. Addit in opere de Germaniæ Monaſteriis Gaſpar Bruſſelius: *Eſt Epternaci liber auro & argento in Punicei coloris membrana ſcriptus, continens vitam ſancti Willibrordi Trajectenſis Archiëpiſcopi.* Antiqui Scriptores illum paſſim titulant Archiëpiſcopum Friſiorum. Et de ſancto Francorum Apoſtolo & Archiëpiſcopo Bonifacio ſcribit ad omnes Galliæ Antiſtites Hincmarus Metropolita Remenſis: *Per annos viginti quinque in prædicatione ſine Cardinali ſede laboravit.* Ep. 44. cap. 20.
Quia nempè non ad aliquam ſedem, ſed ad generalem prædicationem fuerat miſſus & ordinatus. Et ad deformatis per Saracenos Hiſpaniis prædicandum ordinari Egilam Epiſcopum permiſit Adrianus primus Wulgario Galliarum Archiëpiſcopo, & addidit hanc conditionem: *Ut nullam alienam ſedem ambiret vel uſurparet, ſed ſolummodò animarum lucra Deo offerret.* Ita habent laudati Pontificis epiſtolæ, publicatæ per Jacobum Gretzerum. Etiam Ebbonem, qui poſteà Remenſem obtinuit Cathedram, ad Danis prædicandum fuiſſe à Paſchali primo ordinatum Epiſcopum teſtantur Francorum Annales. Et ſanctum Methodium paganis Moravis fuiſſe ab Adriano ſecundo conſecratum Apoſtolum & Archiëpiſcopum, habet Joannes octavus in litteris ad Tuentarum de Moravia. Et de ſancto Monacho Bonifacio, quem ſancti Romoaldi Abbatis diſcipulum ac Ruſſiæ Apoſtolum laudat Romanum Martyrologium, ſcribit in laudati Abbatis vita ſanctus Petrus Damiani: *Ab Apoſtolica ſede conſecrationem Archiëpiſcopus accepit.* Addit de ejuſdem Romoaldi diſcipulo Engelberto: *Poſteà Archiëpiſcopus in gentibus factus eſt.* Et de alio ejuſdem profeſſionis Monacho Gregorio: *Archiëpiſcopus in gentibus poſtmodò conſecratus eſt.* Plurima ſunt iſtiuſmodi exempla, ideòque Laurentius & cum Mellito Juſtus, ad Anglis & Britonibus prædicandum Evangelium ac Romanam diſciplinam à magno Gregorio creati Epiſcopi, dum Scotorum ſeu Hibernorum Epiſcopis atque Abbatibus inſinuant ſuam miſſionem, fuerunt præfati: *Apoſtolica ſedes nos ex more, ſicut in univerſo orbe terrarum, in his Occiduis partibus ad prædicandum gentibus paganis direxit.* Notanda ſunt verba: *Ex more.* Et verba: *Sicut in univerſo orbe terrarum.* Edicunt morem hunc eſſe & antiquiſſimum, & univerſalem. Eodem uſi ſunt & alii Patriarchæ: Verùm per ſuas Diœceſes, ac ipſarum vicinias. Romanus Epiſcopus per univerſum orbem terrarum. Et hinc evidenter convincuntur ſchiſmatica Græculorum ſomnia, qui ut Romano Primatui incommodent, garriunt & Papatum & quemvis Patriarchatum non fuiſſe ſub gentilibus Romanorum Imperatoribus, ſed cœpiſſe ſub Conſtantino, immo

Ep. 97.

Ep. 194.

19. Jun.

Cap. 27.
Cap 33.
Cap. 36.

& ab ipſo eſſe inſtitutos. Cur iſtos ad miſſionem conſecratos Epiſcopos noſtri mediorum ſæculorum Majores titularint Archiëpiſcopos, non plenè ſcio. Forſan ex phraſi Græca. Etenim nulli Metropolitæ ſubjectos Epiſcopos Græci jam pridem titulant Archiëpiſcopos. Et iſti Miſſionarii nullum habebant Metropolitam. Quidquid ſit, & per Saracenos & per Michaëlis Cerularii turbas multum deformata fuit noſtri Leonis tempore utraque Sicilia: Hinc ad iſthic prædicandum ac reformandum noſter Humbertus fuit in ſimilem Archiëpiſcopum conſecratus.

Cur Michaël Cerularius blateret Cardinalem Fredericum non verè fuiſſe, ſed ſe finxiſſe Romanæ Eccleſiæ Cancellarium, exponit ejus præfata ad Petrum Antiochiæ Patriarcham Epiſtola, de Argyro Italiæ Duce ac ejus machinis proſequens: *Mearum litterarum dempto ſigillo, & quæ in illis habebantur cùm legiſſet, & alia quædam ad nos quaſi Papæ nomine miſſa componens, & pro hujuſmodi litteris offerendis prædictas deſtinavit, miſeris illis ſuadens, ô ſeductionem magnam & illorum ſtultitiam, ut ad Regiam urbem venirent, & has litteras nobis darent.* In Saracenos, Nortmannos, & Græcos erat tunc diviſa ſuperior Italia, & Græcorum ibi Dux erat Argyrus. Fuiſſe inſigniter Orthodoxum demonſtrant hæc Michaëlis verba: *Argyrus Megalopolim*, id eſt, Conſtantinopolim, *cùm veniſſet, frequenter noſtræ inſuſurrabat Humilitati, præcipuè de infermentato. Quapropter non ſemel, ſed bis, & tertiò, & ſæpius à nobis ejectus fuit à ſacra communione.* Azymum Latinorum Sacrificium damnanti, & Eccleſias laceranti Michaëli obſtiterat Argyrus, & à ſuo Patriarcha excommunicari maluerat, quàm ejus erroribus ac violentiis conſentire. Notanda ſunt & hæc Michaëlis verba: *Novimus de nobilitate & ſcientia Papæ urbis Romæ.* Nonus enim Leo fuit reverà non tantum ſanctiſſimus, ſed etiam nobiliſſimus atque doctiſſimus. Quapropter ſuæ maledicentiæ tubas adversùs tantum virum inflare erubeſcens Michaël, toti Orienti ſuadere ſtuduit Legationem hanc non ab ipſo veniſſe, ſed eſſe doloſas inimici ſui Argyri machinas: Hoſce eſſe ejus Emiſſarios. Addidit ſuas ad Papam litteras fuiſſe ab Argyro reſeratas, ab ipſo confictum quaſi ex Papæ nomine Reſponſum, ideóque & inter Emiſſarios fuiſſe confictum Cancellarium, qui fictas iſtas litteras ſubſcriberet & ſigillaret. Hoc enim eſt Apoſtolici Cancellarii officium. Hæc ſunt fundamenta hujus infæliciſſimi Schiſmatis.

Porrò Fredericum fuiſſe Romanæ Eccleſiæ Cancellarium affirmat etiam latæ in Michaëlem excommunicationis diploma. Etenim in ejus titulo poſt Humbertum & Petrum Epiſcopos ſequitur Fredericus *Diaconus & Cancellarius.* Eodem modo illum appellat Humbertus in ſuccin-

cincta commemoratione ſuorum Actorum. Decreto autem, quod
pro Luitfredo Abbate adversùs Albertum Monachum dedit ſanctus
Leo, eſt ſubſcriptum: *Fredericus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cancellarius &*
*Bibliothecarius.* An etiam aliquando, quod Leo Oſtienſis affirmat, fue-
rit totius Romani Cleri Archidiaconus, ignoro. Quidquid ſit, Sigi-
bertus Gemblacenſis nequaquam aſſerit Romanæ Eccleſiæ tunc ſolos
ſeptem fuiſſe Cardinales Diaconos. Etenim authenticus dignitatum &
officiorum, quæ iſto tempore habuit Romana Eccleſia, catalogus exſtat Anno
apud Dominum Cardinalem Cæſarem Baronium, & poſt enumerata 1057.
Cardinalium Presbyterorum officia ac titulos pergit: *Sunt præter titulos*
*Diaconiæ, eiſque Præfecti Cardinales, dicti Regionarii, iique duodecim, Diaco-*
*niis Regionariis Præfecti. Item Diaconi Palatini ſex.* Quid ſint Palatini, quid
Regionarii Diaconi, & quæ ipſorum origo atque officium, non ſpe-
ctat ad præſentem locum. Interim vide Onufrium Panuinum in libro
de principalibus Romanæ urbis Baſilicis. Conſtantinopolitana Mennæ Cap. 3.
Patriarchæ Synodus laudat *Epiſcopos de Italia, & Archidiaconos Sedis* Actione
*Apoſtolicæ.* Quod ipſum in exhibitis eidem Synodo precibus faciunt om- 1.
nes totius Orientis Archimandritæ. Nempè omnis urbica Regio plu-
res olim habebat Diaconos, ipſorumque Præfectus dicebatur Archi-
diaconus, ſeu Diaconus Cardinalis. Et hoc ſenſu videtur locutus,
antiquitatis peritus, Leo Oſtienſis. Sigibertus Fredericum, quòd eſ-
ſet ſeptimus ordinationis ætate, vocat ſeptimum Levitam. Locutus
eſt cum ſancto Gregorio Turonenſi, ſcribente de magno Papa Grego- Lib. 10.
rio: *Septimus Levita in Papæ adjutorium adſciſcitur.* Verùm ſeptimus tunc Cap. 1.
erat ultimus.

Porrò Cancellarii officium diu Romæ manſit. Etenim Robertus
Cardinalis Pullus ad ipſum aſſumptus fuit à Lucio ſecundo Pontifice.
Et Bullatis Eugenii tertii litteris, ſancti Germani Pariſienſis privilegia
confirmantibus, ſubſcriptum eſt ad duodecimi ſæculi annum quadra-
geſimum quintum: *Datum Laterani, per manum Roberti, ſanctæ Roma-*
*næ Eccleſiæ Cardinalis & Cancellarii.* Addit in libro de Pariſienſi Academia
Claudius Hemeræus: *In Monaſteriis Cluniacenſi, Floriacenſi, ſancti Remigii*
*Remenſis, & in Chartulariis majoris monaſterii prope Turones, Beatæ Mariæ ro-*
*tundæ foris muros Antiſiodorenſes, & Bituricenſi, ſimiles legimus ſubſcriptiones à*
*Roberto factas. Sed omnes intra annos ſedis Eugenii tertii.* Et hinc eundem Ep. 280.
Eugenium, ut aptum Cancellarium eligat, hortatur ſanctus Bernar-
dus, affirmans ab ipſo pendere dignitatem Romanæ Eccleſiæ. Nempè
ſtatim poſt Roberti, quem Pariſienſis ſcholæ Theologum adhuc
Doctorem prædicarat plurimùm in litteris ad Roffenſem Epiſcopum,
& libertinis ibi quorumdam ingeniis frænandis neceſſarium judicave-

rat, mortem ſcripta eſt hæc epiſtola. Et plures Innocentii tertii epiſtolæ habent hanc ſubſcriptionem: *Per manum Joannis, ſanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconi Cardinalis, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cancellarii.* Hic Joannes erat aut frater Innocentii, aut affinis. Etenim Leonardus erat utriuſque nepos. Defunctus eſt anno ſexto decimo iſtius Pontificis.
Lib. 4. Ep. 70. Et fuit ultimus Cancellarius. Etenim ſubſequentes Innocentii litteræ paſſim habent hanc ſubſcriptionem: *Per manum Raynaldi, Acolythi & Capellani Domini Innocentii tertii Papæ.* Et per quartum Innocentium celebratæ Lugdunenſis Synodi Acta laudant *Magiſtrum Martinum Neapolitanum, Diaconum Cardinalem, & Vice-Cancellarium.* Nempè Cancellarium exſtinxit tertius Innocentius, & mutavit in Vice-Cancellarium. Cancellarii poteſtatem tranſtulit in Apoſtolicam ſedem. Rationem edicit in eruditis ad Roberti Pulli ſententias Commentariis Hugo Mathoud: *Cùm jam in eam excrevisset auctoritatem, quæ timeri potuiſſet, dignitas illa, ſuppreſſo Cancellarii officio, creati ſunt Vice-Cancellarii.*
Fol. 191.

Legationis hujus occaſionem manifeſtat Patriarcha Michaël in adductis ad Petrum Antiochenum litteris: *Ante aliquod tempus cùm noviſſemus ab eis, qui de vetere Roma ad nos venirent, de nobilitate & ſcientia Papæ nuper defuncti, Leonis ſcilicet, nec non quòd ſimul nobiſcum ſentiret, & conveniret propter ſcandala, quæ de ipſis feruntur circa Orthodoxam Fidem, non pauca illi ſcripſimus noſtris litteris, multa videlicet humilitate, ut tu rectè vales cognoſcere ex eiſdem litteris. Idque ea de cauſa fecimus, quoniam ipſum lucrari volebamus, nec non ut benevolum & familiarem nobis redderemus, quo per eum Francorum auxilium nobis procuraremus. Quas litteras illi tradidimus, qui ad Papam unà cum Imperatoris litteris eſſet illas allaturus, & reſponſiones accepturus, & nobis redditurus.* Exponit in litteris, quas ſuis Legatis dedit perferendas ac porrigendas, ad Imperatorem Conſtantinum ſanctus noſter Leo. Conſtantinum laudat à variis, de ejus fælici Principatu agit Deo gratias, ac pergit: *Tu poſt nimium longas & pernicioſas diſcordias primus pacis & concordiæ monitor, petitor, & exoptatus exactor efficeris.* Prædicat hoc ejus ſtudium, & proſequitur de Romana Eccleſia: *Velut Religioſa & egregiæ indolis proles gemitus Matris tuæ non oblivisceris, nec contemnendam, quia ſenuit, ſed potius reverendam arbitraris, atque plenis charitate viſceribus ad eam redire meditaris.* Et infrà: *Præterea confrater noſter Archiepiſcopus Michaël exhortatorias ad concordiam & unitatem nobis direxit litteras, quem ad tam optabile & neceſſarium bonum præmonentem tantò neceſſe eſt nos devotiùs & alacriùs ſuſcipere, quantò perſpicaciùs conſideramus non poſſe computari inter diſcipulos Chriſti aliquem, qui fraternæ paci dedignetur acquieſcere.* Pacis neceſſitatem exaggerat, atque proſequitur: *Sed noverit tua Charitas ſuper præſumptionibus ejus multa & intolerabilia jam dudum perveniſſe ad aures noſtras,*

Digitized by Google

*ſtras, qualiter etiam apertâ perſecutione in Latinam Eccleſiam exardeſcens, anathematizare non timuit omnes, qui Sacramenta attrectant in azymis, & quod Alexandrinum & Anthiochenum Patriarchas, antiquâ dignitate privare contendens, contra fas & jus ſibi ſubdere novâ ambitione appetit, & pleraque, quæ uſurpare dicitur, ſicut à noſtris Nuntiis diligenter cognoſcere poteris.* Et in litteris ad ipſum Patriarcham Michaëlem: *Scripta tuæ honorandæ Fraternitatis tandem ad nos pervenerunt, in quibus ad maximè neceſſarium, omnibuſque Chriſti fidelibus amplectendum concordiæ & unitatis bonum exhortari ſtudes, quatenus poſt nimiùm longas & pernitioſas diſcordias filia ex propriæ matris reconciliatione exultet.* Et Eccleſiaſticæ unitatis neceſſitatem & fructus exaltat, atque proſequitur: *Plurima de tua Fraternitate intolerabilia rumor jam dudum pertulit ad aures noſtras, quæ nos partim quia incredibilia videbantur, partim quia nulla facultas talia inquirendi concedebatur, indiſcuſſa hucuſque reliquimus. Hinc novâ ambitione Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas, antiquâ ſuâ dignitate privare contendens, contra fas & jus tuo dominio ſubjugare conaris.* Superbum *Univerſalis Epiſcopi* nomen acerrimè inſectatur, ac pergit: *Illud quis non ſtupeat, quod poſt tot ſanctos & Orthodoxos Patres per mille & viginti à paſſione Salvatoris annos, novus calumniator Eccleſiæ Latinorum emerſiſti, anathematizans omnes, & publicam perſecutionem excitans, quicumque Sacramentorum participarentur in azymis? Quam præſumptionem tuam & fama nobis obtulit, & litterarum ſub nomine tuo ad Apulos datarum textus manifeſtavit.*

Nec Siſinnium ſecundum, nec ſecundum Sergium, nec alium Michaëlis Anteceſſorem, ſed ipſum dumtaxat Michaëlem Leo arguit de hiſce novitatibus, atque ita firmiter ſuadeor ipſum eſſe iſtarum præſumptionum & fundati in ipſis ſchiſmatis auctorem. Notanda ſunt tamen verba: *Poſt nimiùm longas & pernicioſas diſcordias.* Et verba: *Rumor diu pertulit ad aures noſtras.* Affirmant Michaëlem ſtatim à Patriarchatûs exordio inſaniiſſe: Concepiſſe iniquitatem, ac etiam parturiiſſe. Nam & in Remenſi ſua Synodo noſter Pontifex damnavit nomen *Univerſalis Epiſcopi*: Utique in Michaële, etiam tunc ex Photii principiis tentante ſibi ſubjugare Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas, ac eſſe Epiſcopus totius Chriſtianitatis. Quo tempore Romanam Eccleſiam ac ejus diſciplinam & dogma damnare & blaſphemare cœperit, ignoro. Quòd hæc omnia etiam cœperit à ſui Patriarchatûs exordio, ſuadet Dux Argyrus, ob defenſum latinum azymum frequenter ab ipſo excommunicatus. Quinquageſimo tertio iſtius ſæculi anno cœpit tamquam ſupremum Eccleſiæ caput Encyclicas ſpargere de his litteras, ideoque & ſchiſmatis exordium iſti anno paſſim adſcribimus. Et quoniam Orthodoxi & potentis Principis metus ejus furori impoſuit ali-

quid fræni, ſanctum Leonem garrivit ſecum ſentire, à ſe damnatos Latinorum exceſſus damnari etiam ab ipſo, ideoque ab eodem, tamquam exceſſus iſtos reformaturo, poſtulavit iniri concordiam, & Eccleſiaſticæ communionis reparari unitatem. Pontificem lucrari voluit. Ex quo zelo ſcribit in Meditato de Patriarcharum Juribus etiam Theodorus Balſamon: *Concordiæ Papæ Romani quaſi mordicus inhæreo, & ob ſeparationem illius animo laceror, atque quotidiè converſionem illius egregiam exſpecto.* Quòd tales cæcæ mentis nugas ſuis litteris Michaël inſeruerit, lucet ex Pontificis Reſponſo: *Scripſiſti nobis, quoniam ſi una Eccleſia Romana per nos haberet nomen tuum, omnes Eccleſiæ in toto orbe terrarum haberent per te nomen noſtrum.* Eo utique pacto, ut Papa reformaret fictos per Michaëlem abuſus, & in ipſum ac ipſius ſedem transferret Papatum. Verba iſta inſinuant etiam Michaëlis nomen fuiſſe raſum è Romanis Dyptichis: Cujus tamen oppoſitum ſuadet noſtri Pontificis Reſcriptum ad Petrum Patriarcham Antiochenum.

Pergit Michaël de Pontifice: *Quo per eum Francorum auxilium procuraremus.* Exponit in Reſcripto ad Imperatorem Conſtantinum Pontifex, Nortmannorum in Sicilia ac ſuperiori Italia Barbariem, ſua in ipſos bella, & acceptam nuper cladem referens, ac pergens: *De victoria ſua potiùs triſtantur, quàm lætentur. Sicut enim tua Pietas ſcribere curavit ad noſtram conſolationem, pro iſta ſua præſumptione majorem in proximo exſpectant ſibi ſuperventuram indignationem, poſt illam, quam experti ſunt, ſuæ catervæ diminutionem. Nos quoque Divinum adjutorium nobis adfore, & humanum non defore credentes, ab hac noſtra intentione liberandæ Chriſtianitatis non deficiemus, nec dabimus requiem temporibus noſtris, niſi cum requie ſanctæ Eccleſiæ periclitantis. Ad quam acquirendam & obtinendam habemus maximum ex Divina pietate ſolatium & præſidium, cariſſimum filium noſtrum Imperatorem Henricum, cujus de die in diem exſpectamus promiſſum & proximum adventum, utpotè cum procinctu & expeditione ad noſtrum auxilium.* Cum ſua militia Robertus Guiſcardus erat tunc recens in Sicilia & citeriori Italia: Et quo ſuum iſtic firmaret Principatum, non ſolùm Saracenos invadebat, ſed & Græcos, ipſúmque etiam Romanæ Eccleſiæ patrimonium. Pontificis in illos impetum norat Imperator Monomachus: Hinc & ſuas & Papales, ac Latini Imperatoris vires rogavit jungi, penitùs eradicari Nortmannos, & iſtis in terris reddi cuique ſuum. Et hanc ſocietatem Pontifex gratam habuit, & ampliſſimè addixit. Quocirca per Francos Patriarcha Michaël intellexit Germanos. Græci enim & Gallos & Germanos, nec ſine fundamento, jam pridem appellarunt Francos. Et hinc Michaëlis intentio non fuit caſta, nec fundata ſupra petram. Etenim ob tem-

Digitized by Google

temporales fines Eccleſiaſticam unitatem quærere eſt Deo ob viſibilia ſervire more Judaico, ſpectare ad vetus teſtamentum, & inſtabilem domum ædificare in arena. Eodem ex fine Imperator Theodorus Laſcaris à Gregorio nono petivit, Michaël Paleologus à Lugdunenſi Gregorii decimi, ac Joannes ſecundus Paleologus à Florentina Eugenii quarti Synodo obtinuerunt unionem & pacem. Verùm neutra fuit firma. Quòd nempè neutra ſtaret in ſolida caſti finis petra.

Quin tamen Imperatoris Conſtantini intentio fuerit caſtiſſima, non eſt dubitandum. Lucet ex hoc Apoſtolicorum Legatorum de ipſo ac ejus Proceribus Elogio: *Quantum ad columnas Imperii, & ejus Honoratos atque Sapientes, Chriſtianiſſima atque Orthodoxa eſt Civitas Conſtantinopolitana.* Hinc preces admiſit Pontifex, & jam laudatos miſit Legatos, inſtructos litteris ac mandatis variis, quorum hoc erat palmare circa Michaëlis exceſſus: *Si Michaël in his, quod abſit, pertinax fuerit, pacem noſtram retinere nullatenus poterit, quia procul dubio ad nos revertetur, ſi ipſe voluerit eſſe filius pacis.* Epiſt. 1. Adjunxit & has ad Principem preces: *Quia abundante iniquitate, ſancta Romana Eccleſia & Apoſtolica ſedes nimiùm diu obſeſſa fuit Mercenariis, & non Paſtoribus, à quibus ſua, non quæ* Jesu-Christi *quærentibus, devaſtata jacebat miſerabiliter hactenus, Divinum conſilium voluit meam Humilitatem ſuſcipere tantæ Cathedræ pondus. Quo licet plurimùm mei imbecilles prægraventur ac deprimantur humeri, non parum mihi ſubeſt ſanctæ ſpei, quandoquidem ex utroque latere tales adſtent filii, religione & poteſtate præclariſſimi.* Videlicet Henricus tertius Occidentis, & Orientis Imperator Monomachus Conſtantinus. *Quapropter, devotiſſime Fili, & sereniſſime Imperator, collaborare mihi dignare ad relevationem tuæ matris ſanctæ Eccleſiæ, & privilegia dignitatis atque reverentiæ ejus, nec non patrimonia recuperanda in tuæ ditionis partibus, ſicut manifeſtè cognoſcere poteris ex venerabilium noſtrorum, ſeu tuorum Prædeceſſorum Scriptis & Geſtis.* Adversùm ſacras imagines belligerans, & ob ſibi excuſſam ab Italica militia obedientiam indignatus Imperator Leo Iſaurus, hæc omnia Gregorio ſecundo Pontifici retulit accepta, ideoque talionem reddens, omnem Illyricianæ diæceſeos, nec non Siciliæ & citerioris Italiæ Eccleſiam abſtulit Romanæ Cathedræ, & violenter tranſcripſit in Patriarchicam poteſtatem Epiſcopi Conſtantinopolitani. Omnia item Romanæ Eccleſiæ in ſuis ditionibus patrimonia redegit in fiſcum. Adrianus primus, Nicolaus primus, Adrianus ſecundus, Joannes octavus, & alii Pontifices, dum in ſeptimam & octavam Synodos, aut alias Eccleſiarum uniones conſenſerunt, eadem conſtanter repetivere, at numquam fuerunt conſecuti. Poſt exſtinctum magni Caroli genus in Occidentis Imperio, & patrata in Formoſum Pontificem ſcandala, plu-

plures intruſos Pontifices, & ſummas ab ipſis calamitates paſſa eſt Romana Eccleſia, & redacta in miſerandam paupertatem. Reparare cœperunt Gregorius ſextus, Clemens ſecundus, & ſecundus Damaſus; verùm modico fructu. Rem ſtrenuè promovit noſter ſanctus Leo, & Imperator Henricus tertius addidit Auguſti brachii auxilium. Sancto Petro ſua per Occidentem reddidit patrimonia. Quare præſentis Legationis occaſionem, & liberalem Orientis Imperatorem nactus Pontifex, etiam illic reparare Apoſtolicæ ſedis jura ſtuduit. Acridenſem præſertim Eccleſiam, ac turbidum ejus Antiſtitem Leonem conatus eſt Autocephaleia exuere, redigere ſub avitum Romani Patriarchatûs jugum, atque ita hujus Succeſſores liberare à periculo deinceps rebellandi.

De Legatorum in Regiam urbem ingreſſu ſcribit Patriarcha Michaël ad Petrum Antiochiæ Patriarcham: *Legati urbem Regiam ingreſſi, potenti primum & ſancto Imperatori ſe conſpiciendos exhibuerunt, gravi quidem & ſuperbo habitu, & greſſu & ſupercilio.* Et infrà: *Nec ipſi Imperatoris conſpectui & Majeſtati ſe omninò inclinaverunt, ſed potiùs ſeipſos magnoperè extollentes, & quæ eos non decebat cogitantes, cum Cruce & Sceptris Regium ingrediuntur Palatium*: Per ſceptra intelligit baculos Paſtorales. Etenim hos geſtantes in manibus, & cum ſolenniter ante ſe deportato Sacroſanctæ Crucis vexillo procedere in publicum, ſemper conſueverunt Legati Romani. Præſertim Conſtantinopoli, & in proceſſione ad Principem. Etenim ſic ad hunc ingredi conſuevit & Patriarcha. Attamen non ſancta Crux, ſed accenſa fax ante ipſum fertur. Rationes & modum exponit in Meditato de Patriarcharum juribus Theodorus Balſamon. Quòd Auguſtæ Majeſtati ſe non inclinarint Legati, eſt mendax calumnia, & à Romanæ Eccleſiæ moribus alieniſſima. Chryſo-Pegi, ſeu aurei fontis palatium ſuprà expoſui: Quòd illic à Principe hoſpitium acceperint, inſinuant ipſi Legati in commemoratione ſuorum in hac Legatione Geſtorum. Nec tacent rationem: *Michaël nobis præſentiam ſuam & colloquium denegavit, & Eccleſias ad Miſſas agendum interdixit. Sicut & priùs Latinorum Eccleſias clauſerat.* Blachernenſis Eccleſia & adjunctum ipſi palatium ſunt conſuetum Apoſtolicæ Legationis hoſpitium. Hæc ſingulariter clauſit Michaël, ideóque Princeps illos excepit ad fontem aureum. Quòd hæc Eccleſia ſub Joannicii Patriarchatu, & Turcico Selymi imperio adhuc fuerit integra, teſtatur Patriarchalis hiſtoria, deſcripta per Emmanuëlem Malaxum.

Pergit Michaël Cerularius de Legatis: *Deindè cùm ad noſtram Humilitatem veniſſent, quis dicere poſſit, quanta ſuperbia & arrogantia uſi ſint? Cùm nec triviali ſalutatione nos ſalutaſſent, nec ſua capita vel modicum inclinaſſent, & conſuetam nobis venerationem exhibere dignati fuiſſent, neque à*

*tergo*

Digitized by Google

*tergo Metropolitarum nobiſcum in Secreto congregatorum ſedere ullo pacto voluiſſent, ſed quaſi pro ipſorum contumelia id factum putaſſent.* Et infrà: *Nihil igitur horum, ut par erat, cum feciſſent, epiſtolam nobis ſigillatam dederunt, & quàm primùm receſſerunt. Quam cum Humilitas noſtra accepiſſet, & ſigillum aperire adgreſſus eſſem, & diligenter ipſum ſigillum inſpexiſſem, inveni illud depravatum, & literas doli & malæ mentis plenas.* Nempè illos non ſancti Papæ Leonis Legatos, ſed eſſe doloſos Argyri Ducis Emiſſarios perſuadere & Patriarchæ Petro & Regiæ civitatis populo conatus eſt, atque ita errores ſuos atque exceſſus purgare aut fucare. Rei veritatem jam ſtatim audivimus ab ipſis Legatis: Audivimus quòd ipſis Michaël præſentiam ſuam & colloquium denegarit, & clauſerit Eccleſias ad agendum Miſſas. Et certè poſt Metropolitas ſedere non poterant, nec talem Patriarcham admittere ad colloquium.

Hinc pergunt in laudata commemoratione: *Ad Monaſterium Studii intra urbem Conſtantinopolitanam Nicetas Monachus, qui & Pectoratus, antè præſentiam Imperatoris & Procerum ejus, inſiſtentibus Nuntiis Romanis, anathematizavit quoddam Scriptum ſub ſuo nomine contra Sedem Apoſtolicam & omnem Latinam Eccleſiam editum, & prætitulatum de Azymo, de Sabbatho, & de nuptiis Sacerdotum. Inſuper anathematizavit cunctos, qui ipſam ſanctam Romanam Eccleſiam negarent primam omnium Eccleſiarum eſſe, & qui illius fidem ſemper orthodoxam præſumerent in aliquo reprehendere. Poſt hæc ſtatim in conſpectu omnium ad ſuggeſtionem eorumdem Nuntiorum Romanorum juſſit idem Orthodoxus Imperator præfatum incendi librum: Sicque diſceſſum eſt.* Facta hæc ſunt iſtius ſæculi anno quinquageſimo quarto, in feſto ſancti Joannis Baptiſtæ. *Sequenti autem die præfatus Nicetas urbe egreſſus ultrò adiit ipſos Legatos intra Palatium Pegi, à quibus accipiens perfectam ſuarum propoſitionum ſolutionem, iterum ſpontè anathematizavit omnia dicta, & facta, vel tentata adverſùs primam & Apoſtolicam Sedem. Sic ab eis in communionem receptus, effectus eſt eorum familiaris amicus.* Ex quibus lucet, quod Michaël non dumtaxat Alexandrinam & Antiochenam, ſed ipſam quoque Romanam Eccleſiam, utique ob tranſlata Papalia privilegia, tentarit ſubjugare.

Pergit commemoratio: *Tandem Michaële Legatorum præſentiam & colloquium devitante, atque perſeverante in ſua ſtultitia, præfati Nuntii decimo ſeptimo Kalendas Auguſti adierunt Eccleſiam ſanctæ Sophiæ, & ſuper illius obſtinatione conqueſti, Clero ex more ad Miſſas præparato, jam hora tertia, die Sabbathi chartam excommunicationis ſuper principale Altare poſuerunt ſub oculis præſentis Cleri & populi. Indè mox egreſſi, etiam pulverem pedum ſuorum excuſſerunt in teſtimonium illis juxta dictum Evangelii, proclamantes: Videat Deus & judicet.* Exſtat ibidem excommunicationis Diploma. Exponit omnes à nobis ſupra explanatos Michaëlis errores & exceſſus, addit illum ſolo humano metu factum Monachum, abuſivum ac Neophytum

Patriarcham, diffamatum de peſſimis criminibus,& concludit: *Atque cum eo Leo Acridanus Epiſcopus dictus,& Sacellarius ipſe Michaëlis Conſtantinus, qui Latinum Sacrificium profanis conculcavit pedibus,& omnes ſequaces eorum in præfatis erroribus & præſumptionibus,erunt Anathema Maranatha cum omnibus hæreticis,immò cum diabolis & Angelis ejus,niſi fortè reſipuerint. Amen. Amen. Amen.*

De antiqua Eccleſiaſtici Judicii forma rectè ſcribit in opere de Sacerdotii ac Imperii concordia Dominus Petrus de Marca: *De ordine Judiciorum nihil ferè conſtitutum legitur ab antiquis Conciliis, quia legitimum ordinem in judicando Epiſcopi ſequebantur.* Et hinc ad Euſtatium Sebaſtenum primæ Armeniæ Metropolitam Epiſcopum ſcripſit magnus Baſilius: *Si qui rerum in hoc mundo potiuntur, quando facinoroſum aliquem morti ſunt adjudicaturi, velamenta obducunt, & expertiſſimos quoſque ad cauſæ tractationem advocant, multumque temporis inſumunt, nunc Legis rigorem continentes, nunc naturæ communionem reveriti, multumque ingemiſcentes, ac judicandi neceſſitatem deplorantes, nemini non manifeſtum faciunt, quod non ex propria libidine, ſed ex neceſſario legis miniſterio inferant condemnationis ſententiam; quanto oportebat majori diligentia, cura, pluriumque conſultatione dignum judicari, ſi qui ſe à fratrum amicitia avellere conetur?* Romanam capitalis Judicii formam laudat, adfirmatque ipſam etiam ab Eccleſiaſticis Judicibus in damnationis ſeu excommunicationis proceſſu ſervandam. Quod ipſum ſcribit apud Romanum Clementem Auctor Apoſtolicarum Conſtitutionum: *Maleficus*, etiam confeſſus, *non ſtatim mittitur ad ſupplicium, immò pluribus diebus cum multa deliberatione, & conſultatione, & interjecto velo, inquiritur in eum. Poſtremò qui ſuffragium de capite contra eum laturus eſt, ſublatis manibus ſolem teſtatur, innocentem ſe eſſe, ac mundum à ſanguine hominis illius.* Hinc & Pontius Pilatus intra vela, & cum ſimili proteſtatione, Chriſtum Dominum damnavit ad mortem. Utique ex Romano more, quem iſtarum conſtitutionum auctor mandat etiam ab excommunicantibus Epiſcopis ſervari. Pronuntiandæ ſententiæ modum exponit in ſuis ad ſextum Eſaiæ caput Commentariis ſanctus Joannes Chryſoſtomus: *Mos obtinuit apud judices, ut de quavis controverſia pronuntiaturi, non faciant hæc clam, ſed pro ſublimi & elevato tribunali conſidentes, adſtantibus univerſis, & cortinis undequaque contractis judicia exerceant.* Hoc modo etiam Pilatus pronunciavit in Chriſtum Dominum. Eadem forma adhuc vigebat noſtri Leonis tempore: Hinc ejus etiam Legatio Michaëlis Cerularii intra cortinas conceptam & formatam damnationem pronuntiavit in ipſa ſanctæ Sophiæ Baſilica, coram toto populo & Clero. Et in die Sabbathi. Nam & tunc Græci celebrant ſolennes ſynaxes, & plenas coram Divina Majeſtate Apparituras.

Lib. 4. C. 20.

Ep. 79.

Lib. 2. Cap 52.

Romanam item legem, quæ in abſentem formari aut decerni vetat criminalem ſententiam, ſemper ſervavit Eccleſia. Ex ipſa quartum Car-

tha-

Digitized by Google

thaginenſe Concilium emiſit hunc Canonem! *Convenit Iudices Eccleſiæ, ne abſente reo, cujus cauſa ventilabatur, ſententiam proferant. Quia irrita erit. Immò & cauſam profectò in Synodo dabunt.* Quod ipſum in litteris ad Joannem Defenſorem ſcribit magnus Gregorius. Et inter capita, ex quibus ſuam damnationem fuiſſe irritam adſeruit apud Innocentium Pontificem ſanctus Joannes Chryſoſtomus, fuit & hoc: *Licèt abſentes eſſemus.* Et adjunxit: *Cum conteſtaremur paratos nos eſſe ad diluendum crimina coram centum vel mille Epiſcopis.* Demonſtrat ſe non fuiſſe contumacem. Etenim ex contumacia abſentem damnari ſemper permiſerunt & Leges & Canones. Hinc de Epheſinæ Synodi in contumacem Neſtorium ſententia dixit ad Joannem Antiochiæ Patriarcham Comes Candidianus: *Publicos Præcones forum obeuntes, ſanctiſſimi Epiſcopi Neſtorii depoſitionem ſolenni pompa ebuccinantes audio.* Synodi Præſes ſanctus Cyrillus in hominem, qui ſui non faciebat copiam, ita juſſit pronuntiari Synodale Judicium, & ad ejus notitiam pervenire. Laudatum Cyrillum, ac Memnonem Epheſiorum Epiſcopum duxit contumaces, & uti tales damnavit etiam Joannis Antiocheni factio, & de hujus ſententiæ pronuntiatione ſcripſit Synodus ad ſanctum Celeſtinum Pontificem: *Hæc ſcripto publico mandata propoſuerunt legenda quibuſlibet, theatri parietibus adfigentes.* Theatrum quippè erat locus maximè publicus, per adfixas ſibi chartas clamans ad omnem civitatem. Simili modo in contumacem Michaëlem Cerularium egerunt Legati Apoſtolici. Ejus, & complicis factionis excommunicationem ſolenni die poſuerunt in Cathedralis Eccleſiæ Altari, quo Divina peracturus ille debebat ſtatim accedere.

Lib. 11. Ep. 52.

Pergit laudata commemoratio: *Hinc ordinatis Latinorum Eccleſiis intra ipſam Conſtantinopolim, anathemate dicto cunctis, qui deinceps communicarent de manu Græci, Romanum Sacrificium vituperantis, in oſculo pacis, accepta orthodoxi Imperatoris licentia, doniſque Imperialibus ſancto Petro, & ſibi, alacres cœperunt reverti, quarto decimo Kalendas Auguſti.* Aliam inſuper excommunicationem adjunxerunt viva voce: *Quicumque fidei ſanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Sedis, ejuſque ſacrificio pertinaciter contradixerit, ſit Anathema Maranatha, nec habeatur Chriſtianus Catholicus, ſed Prozymita hæreticus. Fiat, fiat, fiat.* Judiciales, ut valeant, ſententias ſcripto fieri mandant & Leges & Canones. Hæc non fuit hujuſmodi. Fuit generale, quod Canonicas hæreſis & ſchiſmatis edicebat & cunctis minabatur pœnas, Decretum. Hinc viva voce potuit fieri. De Imperialibus in Legatos muneribus ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis: *Fredericus Archi-Diaconus, Conſtantinopoli regreſſus, dona quæ ab Imperatore Conſtantinopolitano permagnifica deferebat, Eccleſiæ Romanæ conſignavit.* Romanam Eccleſiam, cui reddere Diœceſes & patrimonia non poterat, orthodoxus Princeps Auguſtis ſaltem muneribus voluit honoratam.



Digitized by Google

Hæc omnia terruerunt Michaëlem Patriarcham, ideoque pergit laudata commemoratio: *Nimia inſtantia precum Michaëlis ſpondentis tunc demùm ſe conflicturum cum Legatis, Imperator compulſus à Selybria litteris ſuis eos revocavit tertio decimo kalendas Auguſti. Quo etiam die feſtinantes regreſſi diverterunt ad Palatium Pegi. Quos præfatus Michaël Hæreſiarcha comperiens rediiſſe, quaſi ad Concilium conabatur adducere in Eccleſiam ſanctæ Sophiæ ſequenti die, ut oſtenſa charta illorum, quam omnino corruperat transferendo, obruerentur ibidem à populo. Quod prudens Imperator præcavens noluit haberi aliquod Concilium, niſi & ipſe adeſſet præſens. Cumque in hoc ei omnimodis Michaël contradiceret, juſſit Auguſtus ipſos Nuntios confeſtim arripere iter. Quod & factum eſt. Porrò veſanus Michaël dolens ſuas non procedere inſidias, concitavit Imperatori ſeditionem vulgi maximam, velut nuntiis coöperata fuerit ejus voluntas. Vndè Imperator coactus interpretes Latinorum, Paulum videlicèt, ac filium ejus Smaragdum, cæſos & detentos Michaëli tradidit, ſicque tumultus ille conquievit. Verùm Imperator poſt Nuntios Romanos directis ſuis, exemplar excommunicationis veraciſſimum à civitate Ruſſorum ſibi remiſſum accepit, civibuſque, ac tandem Michaëlem falſaſſe chartam Legatorum comperit, atque convicit. Itaque commotus, amicos & adfines ipſius honoribus privatos à Palatio eliminavit, contraque ipſum uſque nunc graves iras retinuit.* Quod Apoſtolicas litteras falſare ſit antiqua omnium hæreticorum, Græcorum præſertim, ars & dolus, oſtendi poſſit plurimis exemplis. Perrexit Michaël ſordere in ſua adversùs Romanam Cathedram ſuperbia & contumacia, ipſas traduxit in Succeſſores, atque ita omnem Orientalem Eccleſiam præcipitavit in Turcicam captivitatem, & uſque hodiè ſanguineis lachrymis deplorandas miſerias.

Omnia hæc compendio deſcripta habes etiam in famoſo apud Conſtantinopolitanum Patrum Prædicatorum Conventum reperto Tractatu. Cardinalem Fredericum fuiſſe Romanæ Eccleſiæ Cancellarium, Legatos honorificentiſſimè ſuſceptos ab Imperatore Monomacho, de Azymo quater diſputaſſe cum Michaële Patriarcha, & tunc ab ipſo fuiſſe devitatos adfirmat, atque proſequitur: *Legati mox S. Sophiæ Baſilicam ingredientes, ſuper Altare paginulam* excommunicationis *poſuerunt. Exeuntes autem ab Eccleſia, ſublatis pedum ſandaliis, pavimentorum marmora percutientes, in mare pulverem projecerunt. Præterea ipſis è civitate diſcedentibus, ſtupendum valdè miraculum actum eſt. Liminare marmoreum ejuſdem Eccleſiæ, miræ magnitudinis, diſſolvitur, ſtatimque talis clades eſt ſubſecuta, ut diebus paucis Græcorum ſexaginta millia morerentur, nec ullus alienæ gentis. Interim & per triduum inæſtimabiles coruſcationes, & tonitrua, & imbrium & grandinum multitudines exſtiterunt.* Ita ſuum de Michaële judicium Divina Bonitas declaravit. Et de horum veritate non eſt dubitandum. Etenim ſubdit: *Hæc geſta ſunt anno ab Incarnatione Domini* 1055. *indictione octava. Quod ego Pantaleon, cum eſſem ibi Conſtantinopoli, ubi hoc actum eſt, hoc idcircò memorabile feci, quo legentibus pateat Latinæ ſerenitatis inſtitutio, & nemo audeat talia præſumere.*

FINIS.

Digitized by Google

# INDEX PRIMUS,

## Qui quidquid in Canonibus ac Decretis Leonis noni continetur, comprehendit.

### A.

Acta ſancti Leonis noni adverſùs ſchiſma Michaëlis Cerularii Epiſcopi C. P. 648. & ſeqq.
Arma militaria ne Clerici geſtent, aut mundanæ militiæ deſerviant. 363.

### C.

Calumniæ Michaëlis Cerularii Epiſcopi adverſùs Latinam Eccleſiam. 764. & ſeqq.
Clerici non niſi quatuor temporum jejuniis, ab Epiſcopis jejunis ordinentur. 629
Clericus aut Monachus à ſuo gradu ne apoſtatet. 385
Connubia inceſtuoſa, ne quis contrahat. 398.

### E.

Eccleſias vel Eccleſiaſticam ſubſtantiam, vel Decimas, ne quis Laicorum ſibi detineat. 354
Electione Cleri & populi opus eſt, ut quis ad regimen Eccleſiaſticum provehatur. 353.
pro Euchariſtiæ adminiſtratione, Baptiſmo, ſepultura, viſitatione infirmorum nihil exigatur. 362

### F.

Foeminæ Romanæ Presbyteris proſtitutæ, Lateranenſi Palatio ſint ancillæ. 485

### H.

Hæretici novi in Gallia excommunicantur, uti & qui illis impendunt patrocinium. 417

### I.

Jejuniis quatuor temporum à jejunis Epiſcopis Clerici ordinentur. 629
Judicia in atriis Eccleſiæ ne quis ſæcularium exerceat. 359

### M.

Monachi aut Clerici ne à ſuo gradu apoſtatent. 385
Monachus nemo fiat niſi legitima ætate & ſpontanea voluntate. 579

### O.

Ordinatis iter agentibus ne quis violentiam inferat. 383
Ordines ſacros, officia Eccleſiaſtica, aut Parochiales Eccleſias, ne quis divendat. 354.



Digitized by Google

## P.

Pauperes rapinis vel captionibus, ne quis vexet. 396

## S.

Sodomitæ excommunicati. 420
Pro Sepultura, vel Baptiſmo, vel Euchariſtia, vel pro viſitatione infirmorum nihil exigatur. 362

## V.

Vſuras, nec Clerici nec Laici exerceant. 382
Uxore legitima derelicta, ne quis aliam ducat. 404.

---

# INDEX SECUNDUS,

## Qui res atque doctrinas memorabiles in Notis ac Scholiis hoc Tomo pertractatas comprehendit.

## A.

Abbatum in Conciliis Prærogativa. 477. Hodie abrogata. 478
Abſolutio, impletâ ſatisfactione, adductis per Parochos pœnitentibus, ab Epiſcopo impendebatur. 152. Abſolutio & diſpenſatio gratis impertienda. 156
Accidentia Euchariſtica ſine ſubjecto ſubſiſtunt. Petrus Abaleardus aſſeruit omnia non poſſe poni extra ſubjectum. Item Joannes Wicleff & Calvinus. 525
Accidentia, juxta quoſdam, videntur tantum corrumpi, divina tamen protectione incorrupta permanere. 525. 526. 527. Græci accidentia in Euchariſtia non negarunt. 534. 535 536
Agapes dandæ conſuetudo laudabilis: Sed inde enatus abuſus. 178. Ex eo more reliquum eſt, ut in divitum funeribus panes pauperibus erogentur. 179
Albertus Lovanienſis Romæ Epiſcopus Leodienſis conſecratus, pro libertate eccleſiaſtica occubuit. 289
Altaria ſunt ex inſtituto Apoſtolico. Lapidea juſſit eſſe S. Silveſter. Altaria portatilia ſunt antiquiſſima. 755. Quamvis loco moveantur, denuo non conſecrantur. Variis datum privilegium utendi altari portatili. 756 Quævis Eccleſia unicum dumtaxat habuit olim altare. 755. 357. Altare ligneum exſtat unicum, in quo ſolus Pontifex & Epiſcopi Cardinales Miſſam faciunt. 437
Amortizationis lex tempore Ludovici Pii ignota. 204
Amphilochio adſcripta Oratio de Pœnitentia, eſt alterius longè recentioris. 511
Anabaptiſtæ ſentiunt verum baptiſma ad ſuam ſolam Synagogam commigraſſe. 903.
Anglia circa Simoniam reliquis Europæis purior. 476. Quod Eduardo Regi, qui miraculis coruſcat, debetur. 477



Digitized by Google

Animam animalis eſſe ſanguinem nonnulli cum Epicuro autumant. 772. 773. Idem de anima rationali ſtatuit Empedocles. 773. Sacra Scriptura ſignificat animas brutorum eſſe corporeas. 774. Anima qui dicatur ſanguis, exponit Tertullianus. 774

Annuli ab Epiſcopis geſtantur: 839. Idque in ſignum ſpiritualis Eccleſiam inter & Epiſcopum conjugii. 840. Eſt ritus antiquiſſimus. 841. 842. Annulus geſtatorius differt à ſignatorio. 841. Ornamenta Epiſcoporum Latinorum nec Græci, nec Maronitæ averſantur. 842. 843

Antimenſia ſunt altaria portatilia: Eorum antiqua eſt memoria. 741. 742. Antimenſiis opus non eſt, ſi conſtet altare eſſe conſecratum. 744. Sunt verò Antimenſia Corporali noſtro non abſimilia. Quotidie non conſecrabantur: Nec lavabantur. 744. Differunt Antimenſia & Antimenſales. 757

Antitypa, id eſt, figuræ ſeu ſigna: Quo nomine compellantur conſecrata panis ac vini in Euchariſtiam elementa 536. 537

Apoſtaſia à Religione grave eſt crimen. 575. Etiam legi divinæ adverſatur. 583. Varios tamen habuit patronos. 579. & ſeqq. Epiſcopi quidam Apoſtatas in Clerum aſſumpſerunt: Quod Canonibus improbatum. 582. Monachi Apoſtatæ irregulares. 593. Apoſtaſia à Leone IX. ſæpius damnata. 595. Apoſtatandi libertas, ex duplici capite. 386. Sub medium ſæculi X. cœpta, ad centum facilè annos perduravit, ac per Canonem octavum Concilii Remenſis compreſſa. 386 387

Aquileienſis Patriarcha in Synodo Romana IV. Leonis IX. obtinuit totius Hiſtriæ ac Venetiæ Primatum. Varia hic de re enarrantur. 575. & ſeqq.

Archontici fuerunt Sacramentarii hæretici. 511.

Armenii azymis in conſecratione utuntur. 718. 719. 720. Quondam fuere Monothelitæ. 721. 722. Ritu latino Epiſcopos conſecrant, pariter ac Clericos. 722. Armeniorum myſteria eſſe nulla, quidam exiſtimant. 907. Sacrificium eſſe irritum. 908. 909.

Atrium Eccleſiæ eſt circumcingens Baſilicam area. Dicitur etiam Proaulion, aula Narthecis, & à Latinis Paradiſus. 359. 360. In atrio erant balnea, piſcinæ, & fontes. 360. Paradiſus ab atrio interdum diſtinguitur. Atrium cum noſtris cœmeteriis convenit. 361. in atriis Eccleſiarum non licuit Placita ſæcularia exerceri. 361. Nec licet in Eccleſiis aut cœmeteriis criminales cauſas agitare. 362

S. Auguſtinus cum baptiſmo Monachatum ſuſcepit. 172. Auguſtini locus difficilis ex libro de S. Viduitate adducitur 71. Et explicatur. 72. Item de S. Virginitate. 70.

Azyma non eſſe panem Græci ſchiſmatici cenſuerunt 670. 677. Chriſtum non eſſe uſum azymo in ultima cœna. Paſcha celebraſſe Luna 13. Feſtum Paſchæ incidiſſe in ſabbatum. 670. Paſcha à Chriſto anticipatum. 670. 671. Plerique exiſtimant Chriſtum tempus Paſchale præveniſſe. 671 672. Eccleſia latina ſemper docuit Chriſtum in azymo conſecraſſe. 672. Paſcha Chriſtus celebravit conformiter ad legem 672. 673. Atque tres cœnas. 673. Lotio pedum facta ante cœnam Euchariſticam. 674. Has cœnas feria quinta fecit: Feria ſexta paſſus. 674. Judæi celebrarunt Paſcha feria ſexta. 675. 676. Michaelis Cerularii adversùs azyma rationes exponuntur. 677. & ſeqq. Panis azymus eſt verè panis. 683. Quamvis in eo Chriſtus conſecrarit, in fermento tamen conſecratio à Latinis non damnatur. 684. Sacrificium noſtrum in azymo non Judaizat. 684. 685. Duplici de cauſa utimur azymo. 685. 686. Sirmondus ſentit Eccleſiam latinam panem fermentatũ olim conſecraſſe. 686 Fallitur, quòd Leo IX. aut Humbertus numquam uſi fuerint iſta perpetui moris præſcriptione. 686. 687. 688. Alcuinus Flaccus, Photiano ſchiſmate anterior, fermentum ab Eccleſia Latina removet 689. Uti & Rabanus Maurus. 690. SS. Cyprianus & Auguſtinus panem

azymum requirunt. 691. Nonnulli ſentiunt Eccleſiam latinam propter Ebionitas uſam fuiſſe fermento. 692. 693. Res non caret omni fundamento: Uſus tamen azymi apud Latinos eſt antiquiſſimus. 693. Argumenta, quibus Sirmondus nititur uſum fermentati panis in Eccleſia latina probare, ſolvuntur. 696. & ſeqq. Ante Michaelem Cerularium fuit azyma oppugnatum. 694. S. Gregorii tempore non fuit in fermentato conſecratum. 695. 696. Hiſpani olim in pane ſale confecto conſecrabant. 698. 699. Adversùs azyma ſolvitur objectio ex S. Chryſoſtomo. 713. 714. Item ex S. Auguſtino, aliiſque. 715. 716.

Azymo non ſoli Latini utuntur, ſed etiam Ecccleſia Hieroſolymitana. 717. Item Maronitæ, & Armenii. 718. 719. 720. Origo Azymi apud Armenios ægrè invenitur. 722. Objectionibus fit ſatis. 723. 744. Panis fermentatus miraculo in azymo commutatus. 724

## B.

BAlſamon refutatur. 250. 252. A Græco Imperatore nominatus Epiſcopus Antiochenus. Chriſtianitati adverſarius. 255

Baptiſma hæreticorum ratum eſt, ſecus ordinatio, quo ſenſu? 228

Baptiſmus ſub unica demerſione, ut invalidus à Græcis damnatur. 845. Optatus Milevitanus demerſionem & emerſionem exigit. 846. Apoſtoli ubique locorum indiſcriminatim baptizarunt. 846. Omnis Eccleſia inſtituendo Baptiſterio dedit operam: Quod etiam Gentilibus fuit venerationi. Varia obtinuit nomina. Erant inſtar balnei & piſcinæ 847. Hoc balneum omnes intrabant nudi. 848. 849. Etiam apud Latinos. 850. 851. Nuditas ſervata in Baptiſmo privato. 853. 854. Baptizandi in fonte ſtabant erecti. S. Petrus tria millia Baptizans, uſus eſt ablutione. 854. Merſio & emerſio eſt ex traditione Apoſtolica. 855. 856. Trina immerſio, uti & emerſio, eſt antiquiſſima 857. 858. In unam demerſionem baptizare cœpit Eunomius Arianus. 856. Cujus in baptizando varius fuit exceſſus. Ejuſque baptiſma fuit nullum. 857. Baptiſma in nomine ſolius Chriſti collatum non ſubſiſtit. 858. Ariani aliqui ritè baptizabant. 858. Hiſpani unicam induxerunt immerſionem. 859. Ad quam S. Leander eos perduxit. 860. At contradictione non caruit. 860. 861. A S. Gregorio confirmatus prævaluit. 861. Unica merſio Alcuino Flacco diſplicuit. 862. Sub trina merſione SS Trinitas ſemel tantùm pronuntianda. 863. Trinam merſionem Hiſpania reſumpſit. 864. Merſionis mutationem aliæ Eccleſiæ non admiſerunt. Pueri etiam in fonte demerſi. 865. Baptiſma fit vel adſperſione vel perfuſione. 866. Quod eſt validum & effectu plenum. 866. 867. Baptiſma Clinicorum erat validum. 867. Etiam Græci ſola perfuſione baptizant. De quo Eccleſia Orientalis non dubitavit. 868. Baptiſma Clinicorum elucidatur. 868. 869. 870

Baptizari ante octavum diem poſſunt parvuli. 915. Enixa mulier quoque baptizari poteſt. 915. 916. Error contrarius à Cardinale Humberto meritò culpatur. 918. Gravidæ mulieres à Græcis non baptizatæ. 918. Abuſus reprehenditur. 918. 919. Græci puerperis aliqui baptiſmum recuſarunt. 919. 920. Quæ ſententia damnata. 920.

Barbæ apud Latinos, & verticis raſura apud Græcos ſunt adiaphora. 779. Barbæ raſura apud Latinos uſitata, à Græcis notatur: 780. Græci barbas alunt. 780. 781. Id tamen non fuit univerſale. 782. 783. Pili primùm raſi Deo olim oblati: Uti & puerorum cirri. 784. Apud Anglos non omnes Barbâ raſi 785. Nec apud Gallos, nec apud Allemannos. 786. Barbæ forma apud Latinos varia. Evulſio ac raſura damnata. 787. Monachi criniti litem de barba inſtituerunt. 788. Pœnitentes tonderi non poterant. 788. Detonſio Barbæ aut conſervatio legi nil adverſatur. 788

Baſileenſis Synodus, generalis Synodi nomine indigna. 173

Baſilicæ Patriarchales ſunt Romæ quinque; quarum præcipua eſt Lateranenſis. 435

Beatificatio differt à Canonizatione. Hodie Sedi Apoſtolicæ reſervatur. 568

Belgium Romanis olim una Provincia; cujus metropolis erant Treviri. Facta poſtmodo diviſio in primam & ſecundam Belgicam. Primæ Metropolis, Treviri; ſecundæ, Remi. 430

Belli Duces olim fuere Epiſcopi. 364. Ac Sacerdotes ad bellum pugnaturi proceſſerunt. 363. Pontifex Romanus diu milite caruit, nec uſus gladio. 364. 365. Gregorius VII. militem conſcripſit. 365. 366. Uti & Leo nonus 366. Inſtitutor Papalis militiæ videtur fuiſſe Gregorius ſextus. 367. Quod poſteriores ſunt imitati. 367. 368. In publico per urbem proceſſu armata militia ſtipari cœpit Bonifacius nonus. 368. Leo nonus armatum duxit exercitum. In Gallia ac Germania non pauci Cataphracti Epiſcopi ad militiam ſunt profecti. 368. 369. Militia Cathedralium & Abbatialium Eccleſiarum à Carolo Magno introducta. 369 370. Aut certe ampliata. 371. Antiqua eſt Clericorum per proprias manus in bello pugna. 372. In Gallia 372. 373. In Hiſpania. 373. Et apud Longobardos. 374. Cœpit in Belgio ac Francia damnari. 374. 375. 376. Non eſt tamen ſublatus abuſus. 376. 377. Iterum damnatus. 377. Non ceſſavit. 377. 378. Militia à Leone nono jam correcto clericis interdicitur. 378. 379. Nec tamen finis. 379. Abuſus non tantùm in Gallia, ſed etiam graſſatus in Italia & Anglia. 379. Bellum defenſivum Clericis permulti licitum cenſent. 380. 381. Præſtat nihilominus eos numquam propria manu pugnare. 382

Bellum indicere ſolius ſupremi Principis eſt, frequenter tamen à privatis indictum, in Germania, in Africa, in Ponto, &c. 387. 388. Privata bella in Italia ac Hiſpania rigidiſſimè damnantur. 388 Hanc barbariem ne vel Clerici in Francia depoſuerunt. 388. A Conciliis damnata eſt; quæ etiam viguit in Anglia. 389. Ante Carolum Magnum Epiſcopi, Abbates, & Clerici promiſcuè privata bella gerebant. 389. Quod non potuit ipſe nec ejus filius impedire. Nec duo in eum finem coacta Concilia. 390. Verùm barbariem illam proſcripſit Conrardus Salicus. 391. Cujus Decretum refutavit Gerardus Epiſcopus Cameracenſis. 392. Quod Burgundi receperunt, immo jure jurando firmarunt. 392

Benedictini à S. Gregorio in Anglia Eccleſiis Cathedralibus impoſiti, aliiſque alibi Monachi. 59

Beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione conferenda. Nec Collatori licet fructus nondum perceptos ſibi expetere. 174

Berengarius non indoctus. 530. Ex lectione Scoti infectus. 531. Fuit primus illius hæreſeos reſuſcitator. Natus Turone, poſtea Archidiaconus Andegavenſis. Fuit Nigromanticus, ac petulantis ingenii. 538. 539. Eccleſiam Romanam calumniis eſt adortus. 539. Quod Sacramentariis hæreticis eſt proprium. 540. Superbia ac invidia fuit ei erroris initium. 541. Anno 1051. Cœpit palam inſanire. Præcipuus error circa Euchariſtiam fuit. 542. Qui exponitur. 543. & ſeqq. Varii Berengarii variis temporibus errores. 546. In Concilio Romano à communione ſuſpenſus, ad alteram Synodum reſponſurus vocatus. 549. Ducem Normandiæ appellavit: Qui Leonis noni judicium fecit ſynodaliter confirmari. 551. Damnatus in Synodo Vercellenſi. 552 Et Pariſienſi. 553. 557. Ubi Regiam protectionem poſtulat, impetratque. 554. 555. Ad hanc Synodum venire detrectat. 556. Eique pœna hæreſios decernitur. 557. Berengarius fidem catholicam doloſè profeſſus. 557. Dein Pontificem & Eccleſiam Romanam blaſphemavit. 558. 559. Quod Hæreticis eſt familiare. 559. 560

Bogomili Euchariſtiæ veritatem negarunt. Precum ſuarum vires jactabant. Spiritum Sanctum exſpectabant. 511. 512

Bona Eccleſiarum vacantium erant ac ſunt ſub Regum cuſtodia. 340. Bona Eccleſiaſtica à Carolo Martello direpta, quamobrem

obrem à non paucis damnatus exiſtimatur 355. Frequens Regum in bona Eccleſiaſtica invaſio. 356. 357. Principes nonnulli non tantum poſſeſſiones, ſed ipſas Eccleſias, Epiſcoporum Palatia, ac Monaſteria invaſerunt. 358
Bona Eccleſiaſtica olim indiviſa: In quatuor poſtea portiones diviſa. Quarta cedebat Epiſcopo. 208
Brunoni anſa inſtituendi Carthuſienſem Ordinem fuit peſſima Manaſſis Epiſcopi vita; non autem Doctoris Pariſienſis damnatio. 843

# C.

Calicis uſus Regi Galliæ & Monaſteriis quibuſdam à Concilio Tridentino non eſt ademptus. 18
Cancellarii officium diu Romæ manſit. 965. Ab Innocentio tertio extinctum. 966. Fredericus Legatus Apoſtolicus fuit verus Romanæ Eccleſiæ Cancellarius. 964. 965. Ejus Apoſtolica Legatio exponitur. 958. & ſeqq.
Canones dicti Apoſtolorum, vetuſti ſunt, non tamen omnes Apoſtolici. 769. Vigeſimus-nonus quoad ſenſum continet traditionem Apoſtolicam. 247. Canon ſexageſimus-octavus putatur eſſe S. Firmiliani, qui cum S. Cypriano, eodem fuit in errore. 226. Canon trigeſimus eſt Synodo Chalcedonenſi poſterior. 237. 239.
Canones quidam Gallicani repudium adulterii cauſâ, ac ſecundas nuptias permittentes. 410. Exigui ſunt ponderis, atque à poſterioribus Synodis exufflati. 415
Canonizatio perantiqua eſt. Exemplum habet ab Apoſtolo. Ejus meminit Optatus Milevitanus. 563. Canonizavit S. Cyprianus, aliique. 564. 565. Canonizatio à quovis olim peracta Epiſcopo. 565. Verùm cum populus in cultu Sanctorum non rarò exceſſerit. 565. 566. Atque etiam ipſi Epiſcopi. 567. Canonizatio ab Alexandro tertio ſoli Pontifici Romano eſt reſervata. 567. In Africa ſoli Carthaginenſium Epiſcopo reſervata erat. 568. Canonizationi ab Eccleſia Romana Synodale judicium impenditur. 568. 569. Eugenius tertius eſt primus qui ſine Concilio canonizavit: Quod alii ſunt imitati. Solet tamen ampla Epiſcoporum Synodus in Canonizatione congregari. 569 Opus eſt per ocu atos teſtes probatis miraculis. Sancta vita, ingens miraculum, ad Canonizationem ſufficit. 570. Requiritur eminens miraculis illuſtrata juſtitia. 571. Canonizati beatitudine potiuntur. De Severino allatum teſtimonium eſt apocryphum. 572. Hæretici vetuſti Canonizationem non impugnarunt: Eam Joannes Wicleff exploſit. 572. 573. In Canonizatione Pontifex Romanus numquam erravit. 574. Reſpondetur ad exempla in oppoſitum allata. 573.
Canon nonus Ancyranus exponitur. 69
Canon primus Neocæſareenſis exponitur. 69
Capharnaïtæ Judæi primi fuêre Euchariſtiæ adverſarii. Eorum error exponitur. Ab his tranſiit ad Paganos. 501
Capitula ac Monaſteria, quæ Decimas percipiunt, tenentur Parochos ſuſtentare. 143
Cardinales Epiſcopi, etiam Diaconi, Epiſcopos in Conciliis antecedunt. Eorum eminentia eſt antiquiſſima. 431. Sunt Patriarchis Græcorum inferiores. 432. Cardinales, etiam Diaconi, generalibus Synodis præſederunt. 434. Septem Epiſcopi Cardinales varium aliquando habuerunt locum. Semper fuerunt ſeptem Epiſcopi Cardinales. 435 436. Hic numerus hodie evanuit 439. 440. Cardinales officium in Eccleſiis facere jam pridem conſueverunt. 436. Inter Epiſcopos Cardinales ſemper ſervatus titulorum, non conſecrationis ordo. 439 Nec obſtat varius conſeſſus, de quo 435. Cardinales hodie ſedium ſuarum ſervant ordinem. 439. Cardinales, etiam Diaconi, poſt nonnullas contentiones, Epiſcopis & Archiepiſcopis dignitate præponuntur. 441
Carnium eſus poſt diluvium dumtaxat permiſſus. 774. 775. Uti & piſcium. 775. Hujus mutationis cauſa eſt varia. 775. 776. Deus carnium eſum permittens, ſun-

Digitized by Google

ſanguinem & ſuffocatum excepit. 777. 778. Vide *Monachi olim carnibus.*
Caſtitas clericorum. Vide *Continentia.*
Caſtratio Waleſiis hæreticis familiaris. Crimina quædam caſtratione punita. 884. Caſtrati ad Epiſcopatum promoti. 884. 885. Caſtrati ab aliis, à Clero non excluduntur. 885. Crimen eſt, quòd Græci Auguſtos Principes caſtrarent. Et quòd nimia in evehendis eunuchis eſſet facilitas. 888
Cathedræ Eccleſiaſticæ à Regibus non poſſunt inſtitui. 466
Cathedræ Patriarchales, Romanæ ſubordinantur. 950. 951
Cathedraticum Epiſcopo debetur. 208. 209. Monaſteria in Hiſpania ab eo onere exempta. 209
Celeſtinus quintus ante ſe habuit Papatûs renuntiatorem Joannem decimum octavum. 101
Cenſuræ ad extorquendam pecuniam in Eccleſia Græca latæ: Ac itidem relaxatæ Idem vitium Eccleſiam latinam infecit: Per Canones graviter reprehenſum. 157
Chriſma à Baptiſmo removere, illicitum. 52.
Clemens III. purgari poteſt, aliique, à libertinis ſcriptoribus Simoniæ inſimulati. 165. 163. 164
Clericalis antiquæ caſtimoniæ apud Latinos vulnera exponuntur. 28. & ſeqq. Jovinianus primus Eccleſiam Latinam ſua libidine fœdavit. 32. Monachus fuit, dein Clericus. 28. 29. Docuit virginitatem pudicitiæ conjugali non præſtare. 29. Voluptatem prædicavit, jejunium exiſtimavit ſuperfluum. 30. 31. Hic cum Vigilantio Hiſpaniam, Galliam, ac Italiem Monachis Apoſtatis, ac Clericis conjugatis infecit. 30. 31. Sunt Lutheri ac Calvini præcurſores. 32. Ariani incontinentes. Undè? 32. 33
Clericalis caſtitatis in Gallia lapſus exponitur. 33. & ſeqq. Tempore Martini I cœperunt in Gallia & Belgio ſacrilega ſacerdotum connubia. 33. 34. Tempore Zachariæ Papæ clerus Gallicanus libidini vacabat. 34. Cauſa illius mali refertur. 35. 36. S. Rigobertus Clerum cœpit reſtaurare: Ac variæ Synodi. 36 S. Bonifacius cœlibatum pedetentim reſtituit, tandemque ſuo ſanguine ſigillavit. 36. S Rigobertus per clauſtrum & communem Canonicorum vitam clericos ad caſtitatem reduxit. 37
Clericalis dignitas ſtatum Monachalem olim deſtruxit. 26. Votum tamen non extinxit. 27. Nec obſtat Synodus Toletana II. cujus Canon tertius caſtigatur & explicatur. 27
Clerici Evangelicum verbi ac Sacramenti miniſterium non raro Monachis inviderunt. 470. In clauſtro juxta Eccleſiam conſtituti. 436
Clerici ex eo quòd juxta Canones viverent, dicti Canonici. 38. Vide *Regula.*
Clerici incontinentes ab Eccleſia latina ſolent Nicolaitæ appellari 911. Clerici majores apud Latinos à nuptiis arcentur, apud Græcos, Epiſcopi. 911. Licentia, quæ Clericis majoribus permiſit uxoris uſum, ſemper fuit odioſa. 912. Diaconis uxores ducere apud Græcos abolitum. 913
Clerici Mediolanenſes jurare compulſi, ſeſe pro ordinatione nihil dediſſe: Secus Monachi, quippe qui à labe Simoniæ erant immunes. 169
Clerici quondam & ſe & bona ſua tradebant Eccleſiæ. 170. 171. 172. Oblatio illa ante eorum electionem facta Simoniam ſapit, ſecus facta poſt electionem. 172
Clericis familiare eſt in Monaſteriorum jura involare. 108
Clericis minoribus licuit plerumque uxores ducere. 26. Alicubi non licuit Exorciſtis, Lectoribus, & Pſalmiſtis. 26 Lectores in Africa compellebantur aut uxorem ducere, aut continentiam profiteri. 26
Clericorum communis in clauſtro vita in tota Gallia præcepta. Carolus Magnus Pippinum patrem hac in re imitatus. 37. Clauſtrum illud Eccleſiæ utiliſſimum. 38
Clericorum matrimonia. Vide *Matrimonia.*
Codices Chriſtianorum ſibi tradi juſſit Diocletianus: Qui tradebant, Traditores appellati. 901

Gggggg 2 Cœmi-

Cœmiteria quid? 705. In his agebantur Sacrificii & Verbi ſynaxes: Ac fidelium cadavera ſepeliebantur. 706. Extra pagos & oppida electa. 706. 707. primum cœmiterium intra civitatem, tempore Juſtiniani Imperatoris fuit. 707

Cœna Chriſti. Vide *Azyma.*

Communio Epiſcopi aut Presbyteri ex dubio crimine non poteſt declinari. 50

Communio populi quotidiana, nunquam præcepta. 834

Compoſtellanæ Eccleſiæ origo. 463. 465. Facta eſt metropolitica. 466

Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis feſtum in Concilio Moguntino inſtitutum. 495. Apud Græcos ac Armenios eſt antiquiſſimum. 496. Quo tempore apud Latinos cœperit celebrari, non plenè conſtat. 496. Apud Anglos & Germanos antiquum eſt 497. S. Bernardus illi obſtitit. 497. Quo tempore nondum ab Eccleſia Romana erat receptum. A Concilio Baſileenſi ad omnes Eccleſias extenſum. A Sixto IV. ampliùs exaltatum, ampliùſque ab Alexandro VII. 498.

Conſenſus Regius in Canonicas electiones eſt antiquiſſimus. Ab Eccleſia toleratus. 290. 291. Eundem uſurpavit Carolus Magnus, ejuſque Succeſſores. 291. 292. Quam poteſtatem Eccleſia Regibus Francorum indulſit. 292. 293. In quibuſdam Eccleſiis Reges Longobardorum in electiones conſenſerunt. 294. Conſenſus Regius in electiones etiam viguit in Hiſpania, in Anglia, &c. 295. Conſenſus ille Regius etiam dictus eſt conceſſio & donatio Epiſcopatûs. 296. Poterat ex cauſis Rex præſentatam electionem refutare. 297. 298. Electionibus à Sede Apoſtolica approbatis non ſolebat Regius conſenſus exſpectari. 298. Vide *Nominationes. Electiones.*

Conſtitutiones Apoſtolicæ ſub nomine Clementis, nec Clementis ſunt, nec Apoſtolicæ. 10. 910

Continentia antiqua latinorum Epiſcoporum & Clericorum exponitur. 3. & ſeqq. Apoſtoli, excepto S. Petro, fuêre continentes: Hic tamen vocatus, uxoris uſui renuntiavit. 3. Apoſtoli non præceperunt Epiſcopis ac Clericis continentiam univerſim. 3. Epiſcopis ac Diaconis initi jam conjugii uſum permiſerunt. 5. 6. Hæc libertas viguit in Illyrico, in Patriarchatu Antiocheno. 6. 7. In Pontica Diœceſi Presbyteris non licuit uxores ducere: Secus Diaconis, qui in ordinatione dixerant ſe velle conjugio copulari. 7. 8. Petrus majoris Cleri caſtitatem in Eccleſiam Romanam invexit. 8. 9. Cœlibes inviti olim ad clericatum frequenter rapti ac conſecrati. Hujuſmodi Diaconis, non Presbyteris, unius matrimonii licentiam fecit Synodus Ancyrana. 8

Continentia Clericalis à variis Pontificibus præcepta. 44. 45. In Clericos Romanos incontinentes animadvertitur. 45. Mediolanenſes plebem ad ſeditionem adversùs S. Petrum Damiani concitarunt. 46

Continentia Clericalis per totam Europam extincta. 38. 39. Diaconi, Presbyteri ac Epiſcopi matrimonia attentarunt. 39. Presbyteri incontinentes à Deo acriter puniti. 39. 40. In Gallia, Anglia, ac Hybernia erat filiis Presbyterorum hæreditaria Præbendarum ſucceſſio. 40. Quam Eudgarus Rex Angliæ nequiit extinguere. 41. Urbanus II. filios Presbyterorum ad Eccleſiæ gradus reddidit inhabiles. 41

Continentia Clericorum in Synodo Nicæna ſtatuta exponitur. 9. & ſeqq. Legem continentiæ in dicta Synodo Legati Romani conabantur introducere: At obſtitit Paphnutius. 9. 10. Cujus interceſſio eſt authentica. 10. Poſt hanc Synodum Eccleſia latina clericalem caſtitatem ſervavit. 11. Atque S. Sylveſter & Siricius firmarunt. 11. Quæ lex per S. Leonem reſtaurata. 12. Ægyptum etiam penetravit, nec non Eccleſiam Alexandrinam. 13. Patriarchatus Antiochenus Latinam Cleri caſtitatem admiſit. 14. Uti & Alexander Alexandrinus. 15. Epiſcopi videntur Nicææ pro ſe Romanam caſtitatem admiſiſſe, non pro Clericis. 15. Uti & Pontica Diœceſis. 16. Omnis tandem Eccleſia Orientalis Epiſcopis caſtitatem in legem admiſit. 16. Data

ab

Digitized by Google

ab Ancyrana Synodo facultas Diaconis, de impoſſibili caſtitatis cuſtodia proteſtantibus, non eſt à Nicæna Synodo caſſata. 17. 18.

Continentia Subdiaconorum Latinorum exponitur. 19. & ſeqq. Horum plena apud Latinos caſtitas eſt ex S. Petri Inſtituto. 19. Eccleſia Romana cum aliis Subdiaconos ad plenam compulit continentiam: Secus Africana. 20. In Eccleſia Hiſpana, uti & Gallicana, quoad continentiam fuit varietas. 20. & ſeqq. In Siciliam Subdiaconorum continentiam Pelagius II. invexit. 25. In Calabriam S. Gregorius. 26. Integram tandem recepit omnis latina Chriſtianitas, ac Decretis firmarunt Leo IX. Gregorius VII. aliique. 26

Convivium in introitu novi Canonici aut Religioſi poteſt inſtrui; ſed oblatum ſine exactione. 177. 178

Crucem Græci à læva in dextram formant: Secus Armenii cum Latinis. 695

Cypriano adſcripti ſermones de operibus Cardinalibus ſunt ab auctore, qui vixit ante finem VI. ſæculi. 690

S. Cypriani de S. Virginum nuptiis locus dilucidatur. 70 Cui conſonant SS. Gelaſius & Auguſtinus. 70

## D.

Decretalis Urbani I. Epiſtola eſt apocrypha. 59

Decretum Pontificis ſubinde ſcriptura appellatur 93

Decretum S. Leonis IX. Presbyteris continentiam præcipit. 44. Nicolaus II. Diaconis & Subdiaconis. 44. 45. Idem præſtitit poſt Stephanum X. Alexander II 45. Decretum hoc ad omnem Eccleſiam extendit Gregorius VII. 46. Quod multis conjugatis Presbyteris fuit contemptui. 47. Adverſarii hujus decreti recenſentur. 48. 49.

Deruenſe Monaſterium perantiquum. 450. 451. Hæc Abbatia ad jus Archiepiſcopi Remenſis pertinet. 457

Diſpenſationis facilitas in impedimento cognationis olim non fuit. 400. Sed plerique conjuges hujuſmodi ſeparati. Ferè primus diſpenſavit Innocentius III. 401. Alii Pontifices ſunt ſubſecuti. 402. Fuit tamen antè diſpenſatum. 402. 403. Primùm in matrimonio jam contracto, dein in contrahendo. 403. Diſpenſatio prævia ab Alexandro III. inchoata. 403

Diſpenſatus ad unum Epiſcopatum eſt diſpenſatus ad omnem. 83. Baſtardus tamen de beneficio ad beneficium ſine nova venia nequit transferri. 83

Donatiſtæ Chriſtianitatem toto orbe credebant exulaſſe. 902. Se ſolos jactabant Chriſtianos & ſanctos: Quod & aliis hæreticis eſt commune. 903

## E.

Eleëmoſyna Deo non placet, quæ de illicitis & iniquitate congeritur. 93

Eleëmoſynæ paſſim dantur, ut pauperes pro donatoribus Deum exorent. Contrà ſentiunt Wicleff, ejuſque ſectatores. 178. Pium eſt pauperes per hæreditarias donationes ad preces obligare. 179. Res eſt antiquiſſima. Adverſus Lutheranos ac Calvinistas. 179. 180

ElectionesAntiſtitum à Barbaris Regibus violenter impetitæ. 261. & ſeqq. Summa in has fuit violentia in Africa ſub Hunnerico Rege 261. Mitior nonnihil in Italia. 261. Quæ duravit uſque ad Conſtantinum IV. 262. Sed acrior in Italia ſub Longobardis. 262. 263. Hæc violentia etiam intravit Hiſpanias. 263. Summa fuit in Merovingiis Francorum Regibus. 264. 265. 267. Eadem violentia in Anglia graſſata. Cui obſtitit S. Thomas Cantuarienſis. 267. Vide *Nominatio. Nominandi.*

Eligendi facultatem in Imperio Orientali Clerus Principem rogavit. Etiam Carolum Magnum, ejuſque Succeſſores. 299. 300. Eadem uſi poteſtate Reges Capetini. 301. & Reges Angliæ. 302. Uni electioni unus Regis ſufficiebat conſenſus. 304. Abuſus in danda eligendi licentia fuit deſignatio perſonæ. 305. 306. 307. Ejuſmodi electionem vetat Innocentius III.

Immo declarat eſſe irritam. 308. Ab aliis quoque improbatur. 308. 309 Principes ſe in electiones inſinuarunt per preces, ſed armatas. 309. Quæ libertati eligendi repugnant, quamvis ab Eccleſia diſſimuletur. 310. Eligendi licentia à Regibus poſtulanda Canonibus & Eccleſiæ libertati ad verſatur. 310. 311. Jugum hoc ab Eccleſia excuſſum. 312. 313 Eligendi licentia, factæque electionis confirmatio ad jura Regalia pertinet, adeoque ſolis convenit ſupremis Principibus. 314. 315. Id tamen etiam fecêre Duces & Comites. 316. Licentiam illam exiſtimarunt Reges ad coronam ſuam pertinere. 317

Epiſcopæ, Presbyteræ, &c. id eſt, relictæ ab Epiſcopo, Presbytero, &c. uxores, invalidè nova matrimonia contraxiſſent. 76. 77. Idem etiamnum in Græcia ſervatur. 77.

Epiſcopi Britanniæ ſunt ſuffraganei Epiſcopi Turonenſis. 452. & ſeqq.

Epiſcopi Cardinales ſunt Archiëpiſcopis digniores 961. Epiſcopi ſubinde non ad civitatem, ſed ad totam gentem conſecrati. Ita Willebrordus. 962. 963. Humbertus, aliique. 963. 964

Epiſcopi caſtitas aliam pariat, neceſſe eſt. 39.

Epiſcopi in Conciliis ob locum frequenter litigarunt. 429. 430. Epiſcopus Magdeburgenſis in Germania Primatum habet. In Gallia Colonienſis. Moguntinus ac Trevirenſis Cardinalibus Epiſcopis æquiparantur. Ex quo capite Cardinalatum recuſarunt. Appellantur etiam Eminentiſſimi. 432. Oblatum Cardinalatum perperàm non admiſerunt. 441

Epiſcopi Latini propriis in bello manibus pugnavêre. 843. Ejuſmodi Epiſcopis & Clericis Græci non caruerunt. 844. Quod hodie ceſſat. 845

Epiſcopi, qui Regularium litteris in approbatione ad Confeſſiones vel Conciones ultra Eccleſiæ ſeu Pontificum Decreta limitationem apponunt, Simoniaca labe contaminantur. Uti & Regulares qui acceptant. 109.

Epiſcopus Oſtienſis Pontificem Romanum conſecrat. Et Pallio utitur. 437. 438. Epiſcopos, immo Archiëpiſcopos conſecrat. 438. Fuit Romanæ Provinciæ Protothronus. 410

Epiſtola apud S. Hieronymum de ſeptem gradibus ad Ruſticum Narbonenſem non eſt S. Hieronymi. 847

Epiſtola S. Gregorii ad Januarium exiſtimatur fictitia 560. 561

Epiſtolæ quæ Jam cœlitus allatæ. 392. 393. 394. Etiam una ex inferno. 394

Euchariſtia amiſſam per eſum pomi vitam cùm fœnore reſtaurat. 500. Chriſtus in ultima cœna carnem præbuit paſſibilem. In triduo mortis fieri potuit Conſecratio. Quæſtiones curioſæ ſilentio potius, quàm diſputatione honorandæ. 504. Epheſina Synodus Sacrum Calicem fidelibus non ſubſtraxit. 507. Qui ab eo abſtinebant, S. Leoni de manichæiſmo ſuſpecti 508. Patres VIII. Synodi ajunt ſemper creditum fuiſſe verum Corpus Chriſti in Euchariſtia. 517. Elementorum ſanctificatio duplex. Transſubſtantiatio re ipſa à Sanctis Patribus Græcis aſſerta, ab Adriano I. firmata. 517. S. Paſchaſius Ratbertus de accidentibus in Euchariſtia haud rectè ſenſiſſe videtur. 518. 519. Se tamen de Euchariſtia rectè ſentientem expoſuit: Atque à S. Lanfranco purgatur. 521. Corpus Chriſti in Euchariſtia eſt incorruptibile. 522. Contra ſentiens à Catholicis confutatus. 523. Veritas Euchariſtiæ eſt immobile fidei dogma. 534. Græci tranſelementationem conſtanter affirmant. Corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia modo ſpirituali, unanimis eſt Sanctorum Patrum conſenſus. 536. Errores circa Euchariſtiam Vide *Berengarius. Joannes Erigena. Stercoriſta.*

Euchariſtia Virgini-Matri à Domino transmiſſa. 703. Domeſtica laïcorum Communio fuit ſub ſola ſpecie panis. 703. Euchariſtia olim dicebatur propriè *Sanctum.* 710 711. Item *Bonum.* 711. Etiam *Fermentum.* 712. Presbyter Parochialis miſſam ab Epiſcopo Euchariſtiam omni domi.

Digitized by Google

dominica ſumere debebat. At tempus & modus ignorantur 713 Euchariſtiæ ſumptionem quidam exiſtimabant jejunium ſolvere. 836. 837. 838

Eulogiæ dicebantur fermentum. 700. Mittebantur in ſignum adunationis populi cum Epiſcopo. 700. 701. Miſſio hujus fermenti eſt S. Melchiade vetuſtior. 702. 703. Ab ipſo innovata. 703. 704. Ante acceptum fermentum non licuit Parochiali Presbytero concionari. 704. 705. Fermentum illud vera fuit Euchariſtia. 707. 708. Objectiones ſolvuntur. 709. 710. 711. Non fuit fermentatus panis. Euchariſtia rectè dicitur fermentum. 712

Exactio & oblatio pro Concionibus, Exorciſmis, & aliis id genus exponitur. 192. & ſeqq. Chriſtus ex prædicatione victui neceſſaria accepit. 192. Poteſt Evangelii Prædicator vitæ neceſſaria oblata accipere, non exigere. 193. Evangelium ad corradendas opes non eſt prædicandum. 193. 194. Apoſtolus quibuſdam in locis gratuitum exercuit miniſterium 192. 194. Non tamen ubique. 195. 196. Gratis prædicare & ex mendicato vivere, Apoſtolica eſt perfectio. 197 Non licet prædicare, Sacramenta adminiſtrare, aut ſtatum clericalem aſſumere ex amore ne vel neceſſarii victus. 198. 199 Qui ex amore lucri prædicat, miniſtrat, aut miniſterium accipit, peccat. 199 Pro exorciſmis aliquid exigere eſt Simoniacum. Pro miraculis ac precibus licitè victus accipitur, non tamen munera. 200

Exactio & oblatio pro donatione Eccleſiaſtici beneficii exponitur. 170. & ſeqq. Exactio pro confirmatione Electorum ac pro Pallio, Simoniæ damnatur. 173. Joannes XXIII. exigendo exceſſit. 173. Nihil ratione examinis ab Ordinandis poteſt exigi, immo nec oblatum accipi. 175. Nihil licet exigere pro inthronizatione, inveſtitura, inſtallatione: Quippe quod Simoniacum eſt. 175. 176. Inſinuativa in Eccleſia C P. à Juſtiniano ſublata. 177. Etiam in Eccleſia latina fuere. 177. 178

Exactio & oblatio pro exequiis ac ſepultura exponitur. 185 & ſeqq. Eccleſiæ C P. ab Imperatoribus conſtitutus reditus, ut exequiæ gratis fierent. 185. Singulis ea in re occupatis inde aſſignata portio; ac unicuique cadaveri certa adſcripta ſolemnitas. 186. Apud Græcos pro ſepultura Clero ſemper aliquid oblatum, uſque ad Conſtantini tempora. 186. Non licet Clericis opulentis pro exequiis aut miniſterio Eccleſiaſtico quidquam exigere. 187. Pro officio exequiarum olim in Eccleſia Latina aliquid oblatum & exactum. 187. Exactionem S. Gregorius graviter improbat. 187. 188. Eandem vetant Concilia ac Pontifices. 188. 189. Occaſione extorquendæ pecuniæ corpora mortuorum ſuper terram non detinenda 189. 190 Exactio illa Simoniæ damnatur. 190. Barbarum eſt defunctis ob debita ſepulturam denegare. 190. 191. Cadavera ſine perſolutione pecuniæ juxta jus commune per alienum territorium poſſunt transferri. 191. Poſſunt moneri fideles ut laudabilem pro ſepultura aliquid offerendi obſervent conſuetudinem. 191

Exactio & oblatio pro Miſſis & orationibus exponitur. 178. & ſeqq. Denarius olim ſponte oblatus, tandem cœpit exigi, quod Concilio Tridentino probatur. 184. Utinam nihil pro miſſis exigeretur! 185. Vide *Miſſæ denarius.*

Exactio & oblatio pro ſacris ordinibus exponitur 158. & ſeqq. Exactiones à conſecratis Epiſcopis in Eccleſia Græca ſunt antiquæ, à variis prohibitæ. 158. 159. Epiſcopis aliunde advenientibus ad peragendam novi Epiſcopi conſecrationem permittitur oblatum honorarium accipere. 159. Exactio illa etiam viguit in Eccleſia latina: A S. Gregorio improbata. 160 A Zacharia Papa damnata; ſpontanea tamen xenii oblatio admiſſa. 161 164. Ad exactiones præ inopia rediit Romana Eccleſia. 162. Malum per Leonem IX. ejuſque Succeſſores ſublatum. 163. 164. Exactiones quamvis privatim factæ, in publicis tamen Eccleſiæ Romanæ tribunalibus vetitæ ac punitæ. 164. Exactiones ex ſumma quo-

rum-

Digitized by Google

rumdam Pontificum paupertate exortæ. 165.

Exactio in benedictione Abbatum & Abbatiſſarum, & in conſecratione Virginum, ab Eccleſia rectè vetatur. 165. 166. Item in conſecratione Eccleſiarum. 166 Et altarium. 167. Debentur tamen procurationes, id eſt, illius diei alimenta. 167. Exactio in ordinatione Presbyterorum ac Clericorum apud Græcos antiquitus uſitata. 167 Hanc Theodorus Balſamon à Simonia excuſat, ſed S. Gregorius damnat. 168. Variique Canones inhibent. 168. 169. Hodie in ordinationibus nihil licet exigere nec accipere. 170

Exactio pro baptiſmo Simoniaca eſt, per multos Pontifices reprobata. 141. Alibi exactum aliquid, alibi verò nihil. 138. & ſeqq. Prima Eccleſiæ diſciplina vetabat exigi & accipi. Secunda exigi, tertia exigi ante baptiſmum. 141. 149. Exactio poſt baptiſma, fit titulo ſuſtentationis: Caretque Simoniæ labe. 143. Exactio pro chriſmate aut oleo ſancto ſemper ab Eccleſia Romana Simoniæ damnata. 146. Exactio pro chriſmate viguit in Anglia: Quam S. Auguſtinus Anglorum Apoſtolus Simoniæ inſimulavit. 144. 145. Pro chriſmate Latini numquam à Græcis nummos exegerunt. 145. In Confirmatione nonnulli exegerunt Epiſcopi. 146. 147. Exactio pro adminiſtratione Euchariſtiæ, ut Simoniaca damnatur. 147. Pro extrema unctione nihil licuit exigere. 147. Gratis tamen oblatum licuit accipere. 147 148. Poſt datam benedictionem nuptialem juxta conſuetudinem exigi poteſt; & accipi. 148.

Exactio quondam in confeſſione, fieri ſolita erat xenium miniſtri. 151. A pluribus interdicta 152. 153. Fuit origo abuſuum. Spontanea pœnitentium oblatio permiſſa. 153. Hanc miniſter non ut mercedem accipit, ſed quia operarius dignus eſt cibo ſuo. 154. Multis in locis abrogata. 155

Exactio Regia pro ordinatione Pontificis duravit uſque ad tempora Agathonis P. 128. Imperatores C. P. exactionem traduxerunt ad omnes Patriarchales Eccleſias. 128. Arabes ac Turcæ itidem ex Patriarchæ creatione nummos extorquent. 129. In Turco-Græcia duplex exactio. Mahometes Epiſcopos ab omni exactione ſolvit: At non duravit. 129

Exactio varia Epiſcoporum exponitur. 206. & ſeqq. Illa quidem licitè ab Epiſcopo, Clero ac populo indicitur. 206. Sed frequens commiſſus exceſſus. 207. 208.

Exactio varia miniſtrorum Epiſcopalium exponitur. 201. & ſeqq. Chartophylax C P. aliique miniſtri ab ordinatis Clericis olim aliquid exigebant. 201. Oppoſitum ſtatuit S. Gregorius, aliique Pontifices. 201. 202. Exactio pro litteris, bullis, ſigillo Simoniæ damnata à Concilio Baſileenſi. 202. Pro dimiſſoriis ac teſtimonialibus illicitè accipitur. Notariis id tamen permittitur. 202. Chor-Epiſcopi, Archipresbyteri, ac Archidiaconi inferiorem Clerum exactionibus non parum vexarunt. 203. 205. Archidiaconi, quibus pinguis eſt Præbenda, à Parochis nil poſſunt exigere. 205. Archidiaconorum exactiones aliquot recenſentur. 205. 206

Excommunicatus non niſi poſt ſententiam judicis vitari debet. 243

## F.

Fauſtus Reienſis Epiſcopus, quamvis circa initium gratiæ malè ſenſerit, ipſa tamen gratia non fuit deſtitutus. 816.

Fœminæ Presbyteris proſtitutæ Lateranenſi Palatio adjudicatæ ancillæ. 485

Fictio in Baptiſmo reddebat hominem perpetuò irregularem. 232

Fornicatio cum aliena ſponſa eſt crimen adulterio affine. 562. Apud nonnullos inter illos attentatum matrimonium eſt irritum. 562

Freda, Weregeldum, quid? 361

Ger-

Digitized by Google

# G.

Gervini Abbatis encomion. 468. 469. Invidiâ impetitus, Romam accerſitur. Pontifici pergratus fuit. 469. Facultas prædicandi verbum Dei, & audiendi fidelium confeſſiones, cum honore illi conceſſa. 470

Goffredus Abbas laïcam inveſtituram ſenſit eſſe hæreſim. 344. 345. Ac Simoniacam. 346. Ejus ſententia paradoxa. 349

Græci & Latini invicem locum ſacrificandi & concionandi aliquando obtulerunt. 758. Græcis in Miſſa duplex eſt introitus. 760. Hodiernum Græcorum odium in Latinos ritus à Michaële Cerulario inductum. 761. Ab odio in Græcorum ritus ſemper aliena fuit Romana Eccleſia; Quin potius eorum ritus probavit. 761. 762. Immo ab uno ritu ad alium tranſiri facilè permiſit. 762. 763. Ubi Latini cum Græcis junguntur, quem debeant ritum ſervare. 763. Græci Latinos arguunt, quòd Spiritum ſanctum credant ex Patre Filioque procedere. Item quòd hoc Symbolo C P. ſit adjectum. 823. 824. Inſuper quòd verba quædam in Miſſa Catechumenorum alta dicantur voce. 826. De lege Moyſaica non ſatis reverenter locuti 913. Quoad profeſſionem Spiritus ſancti Latini à Græcis verbis dumtaxat diſſident. 913. Vocem, *Filioque*, Symbolo addiderunt Hiſpani. 914. Clerus Græcus à moribus & ritibus Latinis alieniſſimus. 937. Maximè à recipiendo Primatu Romani Pontificis. 938. Omnes Apoſtolos, omneſque Epiſcopos pares ſtatuunt. 949

Græci Schiſmatici. Vide *Azyma*.

Græcorum Schiſmaticæ in Latinos injuriæ exponuntur. 725. & ſeqq. Tres Schiſmatis adducuntur cauſæ. 725. & ſeqq. Græci Latinos ut canes reputabant. Legatum Apoſtolicum occiderunt. 730. 731. Communionem cum Latinis vehementer deteſtati. 731. 732. 733. Latinos ut paternorum rituum habent immutatores. 725. 726. 727. Obiiciunt dogmatum contrarietatem. 727. 728. Cenſebant Euchariſtiam à Latinis non confici. 730. In Baſilica S. Sophiæ Græci Schiſmatici à Turcis crudeliſſimè oppreſſi ac capti. 733. Græci maluerunt Saracenis & Turcis Meſkitam, quam Latinis Eccleſiam permittere. 736. 740. Nullam in Eccleſiis latinis adorabant imaginem. 739. Mahumetanos credebant verum Deum colere, Catholicos falſum Chriſtum. 740. Noluerunt in altari Latinorum, ſed in ſuis antimenſiis conſecrare. 740

Gregorii VII. Decretum de continentia Clericorum. 47. Eſt antiquis canonibus conforme. 48. Exponuntur contradictiones. 48. & ſeqq. Etiamnum vim obtinet. 50. Ex ejus Decreti occaſione Eccleſia mirum in modum turbata: Quam ob rem ab eodem Pontifice permiſſa mitigatio. 50 In Anglia & Gallia facta Decreti executio, ſecus in Germania. In Flandria per zeloſos Monachos divulgatum. 51. Dein à variis Pontificibus confirmatum. 53

Gregorius VI. Iniquè ſimoniæ inſimulatus, ac per falſos teſtes convictus. Quod etiam aliis accidit. 102

Gregorius VI. Fuit legitimus Pontifex, injuſtè ſede pulſus. 100 101, 102

Guido Archiepiſcopus Remenſis Simoniæ accuſatus, ad juramentum coactus, inducias impetravit. 450. Ac Romæ reſtitutus in integrum. 451

# H.

Henricus I. Angliæ Rex in jura Epiſcoporum involavit. Pro focariis fœminis redimendis nummos accepit, uti & Epiſcopi quidam, ac Archidiaconi. Quod S. Anſelmus rigidè interdixit. 53

Hæreticorum libri legi meritò ab Eccleſia vetantur. 530. 531

Hugo Abbas, primus fuit ex Ciſtercienſibus Epiſcopus. 305

Hugo Cluniacenſis laudatur. 444

Hugo Lingonenſis per Simoniacam nominationem in Epiſcopatum intruſus. 458. In ſynodo Remenſi depoſitus. Poſt pœnitentiam



Digitized by Google

tiam reſtitutus, laudabiliter vixit in Monachatu. Scripſit adversùs Berengarium. 459
Hugo Nivernenſis Simoniam à parentibus in ſe commiſſam profeſſus, Epiſcopale pedum depoſuit, per aliud à Leone IX. reveſtitus. 457
Hugo Veſontionenſis accuſatus, convictus aufugit. 456
Humbertus Cardinalis laudatur. 961. Ejus Apoſtolica legatio exponitur. 958 & ſeqq. Ad totam gentem conſecratus Epiſcopus. 964.
Hymnus, *Gloria in Excelſis*, ab aliis S. Hilario tribuitur. 825. Ab aliis S. Teleſphoro, ab aliis S. Sylveſtro. 826

## I.

Jejunant Græci in vigilia Paſchæ, nullo autem alio Sabbato, nec etiam Alexandrina Eccleſia. 644 645
Imagines Sacras & Latini & Græci venerantur. 875. 876. Quas & Latini exoſculantur. 877
Immunda in lege nova ſunt animalia ex natura, non ex lege. 789. Uti & apud Gentiles. 790. Omne animal, quod corpori noxium non eſt, licitè comeditur. 793
Impedimenta matrimonii dirimentia olim à Principibus ſtatuta, deinde ab Eccleſia. 60
Incontinens presbyter ſubitò exſtinctus. 486
Indulgentiæ quæſtuariæ in Eccleſia viguerunt: Abuſus ille per Concilium Tridentinum ſublatus 156
Intentio recta & caſta multis Chriſtianis plerumque deeſt. 200
Inveſtitura, quid? 325. Non ſemper fuit nominationi adjuncta. 326. Eſt perantiqua. 326. 327. Quomodo inveſtiti Epiſcopi, Abbates. 327. Canonici, ac ipſe Romanus Pontifex. 328. Veriſimilius eſt inveſtituram eſſe privilegium ab Adriano I. Carolo Magno conceſſum. 329. 330. Inveſtitura eſt Regia conſuetudo immemorialis. 334. 335. Ante Gregorium VII. damnata. 335. Invaſit imperium Occidentis & Orientis. 335. 336. Poteſt per diſpenſationem in Pagano tolerari. 337. Numquam fuit in Hiſpania, nec in Italia, præſertim in provinciis Pontifici ſubjectis. 337. 338. Rex inveſtiens utebatur certa verborum formula. 338. Inveſtitura ſine Simonia vendi non poteſt. 338. Laïcæ inveſtituræ effectus, eſt jus adminiſtrandi Eccleſiæ facultates. 339. 340. In Gallia Epiſcopi conſecrati tantùm inveſtiti. 341. Abbates verò electi. 342 Hodie fit poſt acceptam ab Eccleſiaſtico Prælato confirmationem. 343. Fuit paſſim Regiæ Majeſtatis actus. 343. Ad Duces tamen & Comites etiam pertinuit. 344. Inveſtitura nec Hæreſis eſt nec Simonia. 344. & ſeqq. Ejus incommoda. 351. Hanc, uti & Regiam nominationem, rectè proſcripſit Gregorius VII. 351
Inviti cœlibes ad Clericatum olim frequenter rapti & conſecrati. 8
Joannes Erigena Scotus inter Latinos Euchariſtiam impugnavit. Opera ejus recenſentur. 514. 516. Carolo Calvo familiaris fuit. Ejus opera à Catholicis impugnata. 515. Error ejus exponitur. Tamquam hæreticus ad Sedem Apoſtolicam delatus. 516. 517. Erat error vulgò notus. 515. Librum edidit, quo pro hæreſi Sacramentaria concludit. 531 Hic ſub nomine Bertramni emanavit. 532. 533. Sanctorum Patrum truncata adduxit teſtimonia. 532. Verùm à multis damnatus, & à Carolo Calvo deſertus 534 In Anglia nonnullos reliquit diſcipulos. 537. In Concilio Romano damnatus. 549. Item in Vercellenſi 552. & Pariſienſi. 553
Jovinianus. Vide *Clericalis antiqua*, &c.
Irregularitatem illegitimorum Eccleſia diu ignoravit. 78 Nec Urbanus II. nec Gregorius VII. ſunt primi irregularitatis illius auctores. 80. Bonifacius Martyr creditur primus Anglos baſtardos ab ordinationibus proſcripſiſſe: Primi tamen Canonis non eſt auctor. 81. Irregularitas primitus inducta baſtardis in ordine ad Epiſcopatum: Dein ad omnes Epiſcopo inferiores extenſa. 81. Quam varii canones confirmant. 82. Hæc irregularitas inter

varias

varias contradictiones invaluit. 82. 83. Etiam extenſa ad minores Ordines & Tonſuram. 83. In Regularibus baſtardis poſſunt eorum Prælati diſpenſare 83. Extenſio ad ſacros ordines facta ab Urbano II. 86. Oppoſita argumenta ſolvuntur. 84. 85. 86. A quo facta ſit ad Ordines minores & Tonſuram, ignoratur. 86

Judas adfuit conſecrationi Panis, non vini. Buccellam accepit, non comedit. 681. Chriſtum de myſterio accuſavit, non de uſu fermenti. 682

Judicii forma à Legatis Leonis IX. adversùs Michaelem Cerularium, in excommunicatione, ſervata. 972. In abſentem ferri nequit criminalis ſententia. 972. 973

Ivo Carnutenſis inveſtituram judicavit tolerandam. 349. 350. Ejus ſcribendi libertas Eccleſiam graviter offendit. 350. A Pontifice increpatus, ſaniùs locutus. 350. 351

## L.

LAïcis non licet de Eccleſiaſticis facultatibus diſponere. 354. Nec licet Eccleſias parochiales detinere. 358. 359

Legatis Apoſtolicis ubique jus eſt faciendæ ſynodi, etiam in Gallia. 429

Leo IX. Comitis Habſpurgenſis filius. Natus in Lotharingia anno 1002. Appellatus Bruno. Anno verò 1026. ex Benedictino factus Tullenſis Epiſcopus. 423. Anno 1048. Creatus Pontifex, anno ſequenti coronatus: Quo eodem anno coëgit Synodos. 424. 425. In Galliam venit, Synodum ibidem celebraturus. 428. In feſto S. Remigii indixit, 428. Atque Remis in ejuſdem ſanctiBaſilica perfecit. 429. Leonis IX. Decretum de continentia clericorum. 44. 45. Contradictiones exponuntur. 48. & ſeqq.

Locuſtæ, quas S. Joannes Baptiſta comedit, veriſimiliter herba fuit. 792

## M.

MAllum, Placitum, quid? 361
Manſiones & Paratæ, quid? 362

Maronitæ, qui ſint. 717. In azymis conſecrant. 718

Martyrologium à tempore Tertulliani ac S. Cypriani inchoatum. 564. Errores in Martyrologio aut in Breviario, non arguunt in Pontifice potentiam errandi. 574.

Matrimonia Clerici per Italiam, Galliam ac Germaniam attentarunt. 39. Pro his adferuntur argumenta, quæ ſolvuntur. 41. & ſeqq. Hæc matrimonia Innocentius II. declarat irrita. 53. Uti & Eugenius III 54. Sacerdotum connubia in Suecia ex abuſu dumtaxat nata. 54 Malum hoc ſub Honorio III. ope Religioſorum Mendicantium penitus exſtinctum. 54

Matrimonia inceſtuoſa plurimi Canones deteſtantur. 398. Atque caſtigant. 399. 400. Inter Magnates hoc malum potiſſimùm graſſatur. 400. Leo IX. tum contracta tum contrahenda matrimonia inter conſanguineos rigidiſſimè interdixit. 404

Matrimonia Monachorum ac Sanctimonialium attentata, numquam fuerunt valida. 60. & ſeqq. Uti & ſimiliter per Epiſcopos ac majores Clericos. Etiam in Eccleſia orientali. 65. & ſeqq. Id Innocentius II. declaravit: Non tamen primus irritavit. 68. Argumenta quæ hæc attentata connubia tuentur valida, diſſolvuntur. 68. & ſeqq.

Matrimonia, quibus duo fratres duas ducant ſorores, Græci nullatenus permittunt: Nullus tamen id vetat Eccleſiæ canon. 827. & ſeqq.

Matrimoniis Clericorum varium adhibetur remedium. 55. & ſeqq.

Matrimonii vinculum per adulterium non ſolvi, multis auctoritatibus comprobatur. 412. 413. Pontifices qui repudium permiſerunt, indulgentiam dederunt, non legem. 414 Unde hæc fuit conſtans Eccleſiæ Romanæ ſententia, quam S. Auguſtinus cum Africana Synodo accerrimè defendit. 414. S. Chryſoſtomus ait repudium legi divinæ ac naturali adverſari. 414. 415. Quod idem Theodoretus ſentit, aliique. 415. Scrupuli ex S. Joanne Chryſoſtomo adducti eximuntur: Atque S. Matthæus



Digitized by Google

thæus de dimittenda adultera exponitur. 416. 417.

Matrimonium conſummatum poſſe adulterii cauſa dirimi, nonnulli ſenſiſſe videntur. 404 405. Sed S. Auguſtinus refragatur. 405. Atque ex illo Synodus Carthaginenſis IV. 406. Nonnulli contrarium opinati, 406. Etiam Imperatores legum-latores, 407. Pontifices Romani repudium adulteræ permiſerunt, Reges Galliæ factitarunt, aliique 409 Hæc licentia in Gallia & in Anglia graſſata. 410. 411. Matrimonium ſolvi à ſupervenienti impedimento dirimente cenſuit Synodus Triburienſis, & S Fulbertus. 411. Scoti non tantum uxores dimittere, ſed & vendere ſolebant. 412. Repudium Leo IX. per canonem duodecimum Concilii Remenſis ſublatum cupit, 412

Mel agreſte inſtar ſaccari eſt. 792. 793. Aliud eſt ex ſylveſtribus apibus: Quod à S. Ioanne Baptiſta uſurpatum. 793

Mel & lac olim Neophytis tribuebatur, etiam vinum. 871. 872. Et ſal. 872. 873

Mætanea, id eſt, genuflexio. 150

Michael Cerularius in monaſterium detruſus, non propria voluntate profeſſus. 653. In Patriarcham promotus, Anno 1143. Cœpit in Latinam Eccleſiam inſanire anno 1053. 653. 654. Perduelli, in Superiores fuit ſpiritu. 654. Purpurei compagi ab eo immeritò aſſumpti, 655. Ab Iſaacio Comneno in exilium pelli jubetur: Interea tranquillè extinguitur 656. Ejuſque dextra tamquam populo benedictionem impertientis firma permanſit. 656. 657. Quæ res veris miraculis non eſt accenſenda. 657.

Michael Cerularius Photianum ſchiſma reſumpſit, anno 1053. 666. 669. Socium habuit Leonem Acridanum. 666. Uterque ſe à Romano Pontifice exiſtimavit independentem. 667. Acceſſerunt duo alii Epiſcopi 667. Uti & Joannes Tranenſis à Nicolao II. degradatus anno 1053. 669. & Nicetas Pectoratus, qui deſerto ſchiſmate ad Catholicam veritatem rediit. 669.

Michael Cerularius voluit novus eſſe Papa: Patriarchas alios ſibi ſubjugare. 938. Uti & Pontificem Romanum. 939. Ejuſque nomen è dypticis eraſit. 940. 941. Privilegia veteris Romæ ad novam dixit: eſſe tranſlata. 942. 943. Supremum Primatum nequiit ſtabilire. 944. Balſamon Patriarchas omnes ſtatuit pares: Auguſtoque Principi ſubjectos. 945. Idem ſenſit Nilus Cabaſilas. 945. 946. Ex qua affectata Ariſtocratia nata eſt Acephalia. 946. Qui Ariſtocratiam invehunt, Eccleſiæ unitatem lacerant. 951. Michael Cerularius à Legatis Apoſtolicis damnatus. 959. Ipſe Latinos excommunicavit. 967. Exordium ſchiſmatis anno 1053. 967. Latinorum clauſit Eccleſias. Negavit Legatos à Papa miſſos. 971. Per Legatos excommunicatus cum ſequacibus. 971. 972. Apoſtolicas litteras, hæreticorum ritu, falſificavit. 974. Manſit contumax, ac Orientalem Eccleſiam in Turcicam captivitatem præcipitavit. 974. Deus per miracula, Cerularii ſchiſma deteſtatus. 974

Michaelis Cerularii injuriæ Latinis illatæ. 733 & ſeqq. Baptiſmum Latinorum aſſeruit eſſe irritum. 733. Baſilicas Latinorum juſſit occludi. 735. Eiſdem Miſſas interdixit. 736 737. Oblato à Latinis ſacrificio, altaria ut inquinata voluit lavari. 738.

Miraculum à B. Remigio patratum. 458. Item per reliquias Sanctorum. 475. 476

Miraculum nullum edidêre hæretici. 661. 662. Id tamen paſſim ambiunt. 657. 658. Ad objectiones 659. 660. Reſpondetur. 664. Virtus miraculorum proprius eſt legitimi Apoſtolatus character 663. S. Auguſtinus docet hæreticos ad conferendas ſanitates exaudiri: Minimè tamen ad hæreſeon confirmationem. 665. Virtus miraculorum à nemine expetenda. 665. 666. Panis fermentatus miraculo in azyma commutatus. Item calix ligneus in argenteum. 724

Miſſæ denarius eſt antiquiſſimus. Spontè oblatus olim fuit acceptatus, ſed pauperibus erogatus. 181. Poteſt Sacerdos de altari vi-

Digitized by Google

vivere. 181. 182. Non poteſt exigere, ſed accipere ſuſtentationem. 182. Farina olim à fidelibus oblata, etiam panis & vinum. 183. Oblati denarii priùs in pauperes erogati, dein ſacerdotibus appropriati. Tandem pro ſola Miſſa pro defunctis oblati. 183. Denarium illum hæretici nonnulli perperam inſectantur. Quoad rem eſt ex Inſtituto Apoſtolico. 184. Ob Miſſas privatas ad alicujus poſtulationem celebratas oblatus fuit denarius. Quam devotionem laïcorum avaritia pœnè exſtinxerat: Quapropter Epiſcopi denarium Miſſæ taxare compulſi. 184. Miſſarum reductio permiſſa. 185 Adversùm abuſus circa Sacerdotum ſtipendia exſtant Pontificum diplomata. 185

Miſſam Simoniacorum Pontifices aliqui audiri prohibuerunt 243. Quod hodie in diſſuetudinem abiiſſe videtur. 244

Moguntinum Concilium ſub Leone IX. anno 1049. coactum: Cui adfuit Imperator & quadraginta duo Epiſcopi. 488. Hujus Concilii acta referuntur. 489 In illo feſtum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis inſtitutum. 495. Vide *Conceptionis*.

Monachi antiqui non caruère novitiatu. 611. Leo IX. Decrevit ut nemo, niſi legitima ætate & propria voluntate, fieret monachus. 611. Quod tamen ubique non fuit receptum. 612. Celeſtinus III. Decretum illud innovavit. 612 613

Monachi bona ſunt monaſterii. 211

Monachi mille in cœnobio Studii fuère: Dein ſeptingenti. Tandem numerus ad trecentos decrevit. 669

Monachi olim carnibus abſtinuère: In Oriente etiam vino. 794. Solis herbis victitabant. 795. Aves minutæ illis permiſſæ, etiam in Quadrageſima. 796. Carnibus caruère etiam extra monaſterium: Etiam ad Epiſcopatum evecti. 796. 797. Certis caſibus carnes & vinum Monachis permiſſa. 799. 800. 801. Antiqui latini Monachi carnibus & vino abſtinebant. 801. 802. S. Benedictus conſenſit, ut vinum parciùs biberetur. 801. Permiſit alites non quadrupedes. 802. 803. E Monachis aſſumpti Epiſcopi carnium & vini abſtinentiam obſervabant. 804. 805. Hæc abſtinentia rigidè interdum obſervata, interdum neglecta. 807. Ciſtertienſium cibus. 808. Benedictinis eſus carnium, qui irrepſerat, ſæpius interdictus. 808. SS. Norbertus & Dominicus ſuis carnes interdixerunt. S. verò Benedictus vinum permiſit, & S. Franciſcus carnes. 809

Monachi ſoli apud Græcos excipiunt confeſſiones. 730

Monachi ſoli in Oriente ad Epiſcopatum aſſumpti. 16. 17

Monachum Epiſcopum uſque ad Henricum II. ſemper habuit Eccleſia Cantuarienſis. 302.

Monachus Venantius uxorem duxit: Cum quo tamen S. Gregorius in votis minimè diſpenſavit. 73. 74. Eumque ob dubiam profeſſionem toleravit: Reditum tamen ad cœnobium conſtanter ſuaſit. 75

Monaſteria non rarò dicuntur Eccleſiæ ac habitacula ſegregata. 59

Monaſteria ob homicidium Antiſtitis tranſlata, ac Ordines exſtincti. 458

Monaſterium, ubi lex viget amortizationis, poteſt pro exſtinctione juris ad ſui Monachi hæreditatem, aliquid exigere. 212. Qui intuitu ampli patrimonii ad monaſteria admittuntur & admittunt, de Simonia damnantur. 212

Monaſtica profeſſio culpas & pœnas exſtinguit. 584. 585. Eſt quaſi alterum Baptiſma, aut Baptiſmatis complementum 585. 590. Æquivalet ſatisfactioni. 586. Plenaria confertur in profeſſione indulgentia. 586.

Monaſtica veſtis appellatur Angelicus habitus. Magni & parvi habitus diſcrimen. 588. Novitii ſubinde in habitu Angelico probavère. 588. 589. Parvus habitus erat laïcis 589. Angelicus habitus à Principibus in lecto mortis frequenter aſſumptus: Atque emiſſa profeſſio. 589. 590. Etiam apud Latinos. 590. 591 592

Morini Placita quædam reſpuuntur. 224. 225. 226. 228. 229.



Digitized by Google

# N.

Neſtorii error circa Euchariſtiam exponitur. 505. & ſeqq. Docuit in Euchariſtia ſumi tantùm carnem filii hominis, non Dei. Non fuit primus qui hac in re erravit. 505. Tranſelementationem admiſit: Senſitque elementa in purum hominem converti. 509. 510. Errorem Neſtorii ſectatus Eugenius, Hildephonſus, ac Julianus. 510
Nicetas Pectoratus correctus, in communionem admiſſus. 971
Nominandi occaſio varia refertur. 276. & ſeqq. Cauſa generalis eſt avaritia. 280
Nominandi privilegium datum Pippino à Zacharia Papa: 317. Fuit perſonale. 319. Idem Ludovico II. Imperatori conceſſum ab Adriano II. 320. Poſtea apud Francos ſiluit. 320. Accepit illud Franciſcus I. à Leone X. 320. 321. In Hiſpaniis Gothorum regibus datum, duravit uſque ad Rodericum fatalem. 321. Id Carolo V. Indulſit Adrianus VI. 322. Pro Belgio ac Burgundia Leo X. ac Philippo II. Xiſtus V. Verùm ad vitam Regis dumtaxat. 322. Jus tamen nominandi Epiſcopos, Cameracenſi excepto, eſt perpetuum, ex Indulto Pauli IV. 322. Rex Hiſpaniarum omnes in Sicilia nominat Epiſcopos: Aliquos in Regno Neapolitano. Nominat item in Ducatu Mediolanenſi: Ac pleno jure in Indiis. 324. Nominandi privilegium Anglia numquam habuit: Sed Regia violentia in electiones ibidem eſt graſſata. 324. Reges Scotorum, connivente Eccleſia, nominarunt. 324. Reges Poloniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Daniæ jus nominandi obtinuerunt. 324
Nominationis abuſus per Leonem IX. extinctus. 283. Per aliqs Pontifices impugnatus. 283. 284. Henricus I. cœpit iterum nominare. Caliſtus II. Canonicas electiones reſtituit. 285. Succeſſores Henrici I. nominationes reſumpſerunt. 286. 287. Henrici V. ſucceſſores diſcordis electionis diſcrimen prætenderunt. 287. 288. Eugenius III. conſtanter obſtitit. 288. Henricus vi idem uſurpavit. 289. In Concilio Remenſi interdicitur. 353. Vide *Electiones. Conſenſus Regius.*
Nominatio Regia perantiqua. 245. & ſeqq. Gentiles Romani Imperii Auguſti numquam Epiſcopos nominarunt. 246. Primus Imperatorum nominavit Epiſcopos Conſtantius. 247. Valentinianus nominare recuſavit, ſecus Theodoſius, aliique. Juſtinianus ſemel dumtaxat nominavit. 248. Exceſſit Juſtinus II. 249. Non Phocas. Heraclius violenter nominavit. 249. Uti & ejuſdem aliquot ſucceſſores. 250. Synodus VII. Regiam nominationem damnavit: Nec caruit effectu 250. 251. Leo Armenius cum Iconoclaſtia Regiam nominationem reſuſcitavit: Quam Synodus VIII. iterum damnavit. 251. Baſilius Macedo hunc Canonem obſervavit, alii poſteriores ſunt prævaricati. 251. Nominati Epiſcopi per Principes ad aliam Eccleſiam ſunt tranſlati. 252. Item Epiſcopi in Palatii miniſtros evecti nominabant. Quod utrumque improbatur. 253. Joannes Tzymiſcas nominavit, aliique non pauci Succeſſores. 253. 254. Variæ apud Græcos ſæculo XI. & XII. Regiæ nominationes. 255. 256. Item ſæculo XIV. Saracenorum ac Turcarum Principes fuerunt Græcorum Imperatoribus in Eccleſiaſticam libertatem benigniores. 256. Tres aliquando à Clero ad Epiſcopatum electi, atque unus è tribus à Principe aſſumptus: Quod Latinis diſplicuit. 258. Circa eligendum Epiſcopum C P. Imperatori Eccleſia latina ſemper aliquid indulſit: Immo circa eligendos omnes Patriarchas. 259. A qua ſervitute Eccleſia Romana diutiſſimè fuit immunis 259. Canones permittunt non tres, ſed unicum à Clero electum Epiſcopum Principi offerri. 259. 260. Reges Hiſpaniarum primò per violentiam, dein ex Eccleſiæ Indulto nominarunt Epiſcopos, non Abbates. 264. Merovingii Reges etiam nominarunt Abbates. 266. Cur Reges nominarint. 267
Nominavit Pippinus, ex Indulto Zachariæ Pon-

Pontificis. 268. 269. Carolo Magno à Pontificibus conceſſa inveſtiendi facultas, non autem nominandi. 269. 270. Ludovicus Pius non paſſim, interdum tamen nominavit. 271. Argumenta pro Caroli Magni nominatione adducta. 269. Solvuntur. 271. 272. Carolus Martellus Abbatias, etiam Laïcis, dedit in Commendam. 272. Lotharius, Ludovicus & Carolus, fratres Francorum Reges, Canonicas electiones invaſerunt. Lotharius II. Canonicam electionem permiſit. 273. Ludovicus Germaniæ Rex nominavit. Nominando exceſſit Carolus Calvus. 274. Eadem violentia uſus Ludovicus II. Imperator Lotharii filius. 274. Cui favit Adrianus II. 274. 275. Permittitur à Valentina Synodo Lothario A. Clericos Palatinos nominare. 280. Nominationem in Monaſterio Corbeienſi Lothario A. Ludovico Germaniæ & Carolo Calvo Franciæ Regibus Benedictus III. interdicit. 281. Epiſcopi & populus nominationibus ſeſe objecerunt. 281. Violentia nominandi graſſata apud Germanos A A. & apud Italiæ Reges, uſque ad tempora Calixti II. 282

Novitiatus, ſeu tempus probationis, olim triennalis; & in parvo habitu. 622. Item biennalis. 623. Novitiatus triennalis apud Græcos perſeveravit. Annua probatio ab Eccleſia Latina jam recepta. 625. Quæ ſub Innocentio III. ad ſubſtantiam profeſſionis non pertinuit. 626. 627. Immo nec ſub Bonifacio VIII. ſed per Synodum Tridentinam dumtaxat. 629

## O.

Œconomus Eccleſiæ, Clericus ſit oportet. 355

Ordinationes ab hæreticis, ſchiſmaticis, degradatis aut excommunicatis factas, nonnulli Pontifices ſenſerunt eſſe irritas. 213. 214. Ordinati Simoniacè, reordinati. 213. 214. Nonnulli Pontifices per Simoniam ordinatis pœnam infligunt. 215. 216. De ordinatione tamen vacillant. 217. Nonnulli Pontifices Simoniacos Epiſcopos non reordinarunt. 217. Qui tamen de valore hæſitarunt. 218. Exiſtimarunt aliqui omnia Sacramenta per Simoniacos collata, eſſe irrita. 218. 219. 220. Sanctus Petrus Damiani conſtanter aſſeruit dictas ordinationes ſubſiſtere. 220. Quod tamen omnibus non perſuaſit. 220. Non enim unus poſteà Pontifex reordinavit. 221. Quod aliis probatum, ſecus aliis. 222. Ordo non rarò dicitur irritus quoad executionem dumtaxat 222. 224. Reordinationibus vetuſti Scholaſtici favent. Verùm Eccleſiam ab hac dubitatione ſanctus Thomas liberavit. 223. Hincmarus reordinationes ob Simoniam nec exercuit, nec probavit. 224. Photius atque ab ipſo ordinati, non ſunt reordinati, nec debebant. 225. Ordinatio facta ab hæretico, eſt valida. 226. Maximi Cynici & activa & paſſiva fuit valida: Quo ſenſu dicatur irrita, nulla, &c. 226. 227. Innocentius I. non favit reordinationi eorum, qui ab hæreticis erant ordinati. 227. & ſeqq. Ordinati à Bonoſo ante hæreſim, in Eccleſia recepti, ſecus poſt. 228. Bonoſiaci rebaptizari & reordinari debebant. 229. 230. 232. 233. Ordinati ab hæreticis olim perpetuò irregulares. 230. 231. Non omnes hæreticorum ordinationes ſubſtantialiter nullæ ſunt 232. Cæcilianus à Felice validè ordinatus. 233 234. Anaſtaſius Bibliothecarius ſenſit à Meletio non eſſe valide ordinatos: Quod idem de ordinatis ab hæreticis ſenſit ſanctus Baſilius. 234. Nullus à Meletio ordinatus, fuit reordinatus. 235. 236. Colluthus non fuit Epiſcopus, ideóque irrito conatu tentavit ordinare. 236

Ordinationis per hæreticos collatæ nullitatem quidam profitentur. 905. 906. Verùm ſubſiſtit: Aliaque Sacramenta. 910

Ordinatos per Simoniacos Epiſcopos, videtur Leo IX. reordinaſſe. 483. Res illa tunc perplexa fuit. 483. 484. Ordinatio dicitur æquivocè irrita, nulla, &c. Permiſſa fuit in Simoniacè ordinatis reordinatio. Ordinatio à Simoniaco non Simoniacè facta olim non eſt caſſata. 484. Reordi-

Digitized by Google

Reordinationes eſſe ſacrilegas ſanctus Petrus Damiani exiſtimavit. 485

Ordines majores quatuor anni temporibus conferendi. 640. 641. Quod tamen non eſt antiquiſſimum. 633. 634. Græci ad hæc tempora non ſunt adſtricti. 630. Epiſcopatus ac ordines minores extra hæc tempora conferuntur. 633. Ordines ſacri olim in Dominica collati. 634. Dein Sabbato poſt ſolis occaſum. 634. 635. Ac noctu inter Sabbatum & Dominicam. 635. Hodie in Sabbatis ante meridiem. 636. Eccleſia Latina in omnibus dominicis olim conſecravit Epiſcopos: Quod etiamnum ſervatur. 638. Etiam conſecrat in natalibus Apoſtolorum, vel alio feſto, ſi Papa id indulſerit. 639. Quatuor Ordinationum tempora non ſunt à ſancto Leone inſtituta. Olim ordinatum in Decembri: Dein in Februario. Hæc quatuor tempora ſancto Gelaſio adſcribuntur. 639. Pontifices non ſolùm in Decembri ordinarunt. 640. Subdiaconi; & Clerici minores olim quovis die ordinabantur. 640. 641. Illi hodie in quatuor temporibus: Hi feria ſexta ante ſabbatum quatuor temporum. 141. Nonnumquam ordines ſacri extra quatuor tempora collati. 641. 642. Sed vel prævaricatoriè vel diſpenſatoriè. 642. Ordinationem fieri ante Dominicam Lætare ſtatuit Gelaſius, ſed eam in ſabbatum ante Dominicam paſſionis Alexander III. tranſtulit. 643. Gelaſius etiam permiſit ſabbato ſancto. 643. Decretum Gelaſii à Leone IX. innovatum. 645. Nec poteſt Epiſcopus, nec Metropolita circa hoc Decretum diſpenſare. Extra tempus ordinati, ipſo facto olim ſuſpenſi. 646. Clemens VI. extra quatuor tempora ordinavit: Pontifices enim Eccleſiæ canonibus prævalent. 646

Ordines Sacri apud Armenios à Diaconatu incipiunt. 83

Oſculum Latini in Miſſa circa Communionem ſibi invicem præbent: Græci poſt offertorium. 830. & ſeqq. Idem factum in Eccleſiis Latinis. 832. Quod Innocentio I. improbatur. 833. In Paraſceve non dabatur pacis oſculum: Nec hodie in miſſis defunctorum. 833. Latini pacis oſculum dabant poſt Conſecrationem. 834. Confitentes in Miſſa carebant jure oſculi. 835. Privatim jejunantes Afri à pacis oſculo abſtinebant. 838. In Paraſceve omnis Eccleſia abſtinuit ab oſculo. 838. Oſculum baptizato infigi eſt antiquiſſimum. 914. 915.

## P.

PAgani myſterium venerabilis Euchariſtiæ curioſiùs inveſtigarunt. Arbitrati Chriſtianos Bacchum vel Venerem colere. 502.

Papienſe Concilium ſub Leone IX. coactum: Adverſus Simoniam, Clericorum incontinentiam, Mediolanenſium contumaciam. 487. At Synodus parum profecit. 488

Parabola, ſeu bona, ſeu prava, ex eadem re deducitur. 874

Pariſienſe Concilium ab Henrico Rege indictum. Ejus Acta. 553. & ſeqq.

Parochis, ne conviviis adſint nuptialibus, rigidè vetatur. Inde miſſa ad ipſos fercula, quæ in oblationem pecuniarum commutata. 148

Patriarcha C.P. præ reliquis Prærogativas habuit. Vocatur *Epiſcopus univerſalis*. 951. 952. Poteſt in Monaſteriis Crucem figere. 953. Appellationes admiſit: Quales? 955. 956. At contra Canones. 957

Pauliciani fabulantur Chriſtum in Euchariſtia ſolâ fide ſumi. Placent Luthero ac Calvino. 512. Id nominis adepti à Paulo Samoſatenſi. Synodum VII. turbarunt, ideoque Conſtantinopoli Nicæam tranſlata. Cum Iconoclaſtis conſpirarunt. 513. Duces & auctores Lutheranorum ac Calviniſtarum. 514

Paulus Samoſatenſis primus fuit adversùs Euchariſtiam Erro: Senſitque Chriſtum eſſe purum corruptibilis carnis & ſanguinis hominem, ac conſequenter Chriſtum in Euchariſtia eſſe purum hominem. 503. Alii in Euchariſtia negarunt Chriſto veram carnem. 504.

Pauperes

Digitized by Google

Pauperes ſub ſpeciali Regum ſunt protectione. 396

Percuſſor Clerici quondam excommunicatus excommunicatione ferendæ ſententiæ. 474. Hodie latæ ſententiæ. 475

S. Petrus Damiani ad expurgandam Eccleſiam Mediolanenſem ab Alexandro II. mittitur. 46. Incontinentes Clerici Mediolani plebem adversùs dictum S. Petrum ad ſeditionem concitarunt. 46

Petrus de Marca confutatur. 294

Philomarianitæ Deiparæ ſacrificabant. 509

Photius, auctor Schiſmatis, numquam reſipuit. 445

Photius ſchiſmaticus à Leone Baſilii filio ejectus. 648. Modus enarratur. 649. 650. A novem Pontificibus anathematizatus. In anathemate creditur obiiſſe. 649. Objectio quædam diſſolvitur. 651. 652. De morte Photii nihil Hiſtoriographi commemorant. 649. 651. Stephanus Patriarcha Photio adverſarius: Atque ita Schiſma extinctum. 651

Pitacium eſt tranſlationis codicillus. 327

Placitum Regium invexit Ludovicus pius. 295.

Pontifex Romanus in coronatione cœpit pauperibus nummos ſpargere, aliaque xenia erogare. 124. Nomen illud *Summus Pontifex* eſt antiquiſſimum. 125

Pontifex Romanus ſolus eſt univerſalis Eccleſiæ Primas & Apoſtolicus. Cui Schiſmatici Græci dumtaxat contradicebant. 444. Orientalis Eccleſia Photium deteſtata Apoſtolicum Romanæ Sedis thronum eſt venerata. 446

Privatorum ædes à Principe, ipſis invitis, taxari aut eripi non poſſunt. 473. 474

Profeſſio Monachi in lecto mortis non rarò emiſſa 589. 590. Hanc nonnulli cenſuerunt invalidam. 592. Quod eſt erroneum. 592. 593. Annua probatio ad profeſſionem hodie eſt ſubſtantialis. 594. Profeſſio ex alterius perſuaſione, non eſt irrita. 596. 598. Omnia Profeſſi bona ad monaſterium unà cum illo devoluta. 597. Pueri, Proceres, immo Reges ad ſolemnem profeſſionem coacti. 599. De valore profeſſionis ab invitis factæ, ingens fuit ſententiarum varietas. 600. & ſeqq.

Profeſſioni olim ſufficiebat uſus rationis. 615. 616. De ætate ad profeſſionem requiſita variæ apud Latinos fuerunt regulæ. 617. 618. Hodie à Concilio Tridentino exigitur annus decimus-ſextus completus. 618

Propoſitio vera ſubinde proſcribitur: Et actio bona ſubinde vetatur. 859

Puerorum per parentes in monaſteriis oblatio eſt antiquiſſima. An eſſet valida, non una omnium fuit ſententia. 605. & ſeqq. Ritus offerendi pueros. 611. 619. Cœleſtinus III. decrevit, ut paternæ oblationes non eſſent ratæ, niſi per oblatos in adulta ætate firmarentur. 613. Puerorum oblatio ab utroque parente fieri potuit. 619. Opus erat Abbatis acceptatione. 621.

Puerperæ apud Græcos ad Euchariſtiam non admiſſæ. 921. Immundæ mulieres ab ingreſſu Eccleſiæ arcebantur. 921. 922. Etiam apud Latinos, idque ex conſuetudine. 923. 924. 925. Puerperæ purificatio apud Latinos antiqua. 925. 926. Eſt varia apud Græcos. 926. 927

Purgatio olim per Euchariſtiam facta. 490. 491. Item per conjuratum panem. 491. Adducuntur aliæ per Euchariſtiam factæ purgationes. 492. 493

Purgatorium S. Patritii ab Abbate, non ab Apoſtolo Hiberniæ appellatur. 57

## Q.

Quadrageſimalium hebdomadum non unus fuit numerus. 810. & ſeqq. Eccleſia Latina quadraginta diebus exemplo Chriſti jejunavit 811. Feriis quintis olim non jejunatum. 811. Jejunium iis diebus à Gregorio II. invectum 812. Omnes Chriſtiani Dominicas, Latini quintas ferias, Græci ſabbata à jejunio exemerunt. 813. Quatuor adjecti dies ante Gregorii Magni tempora. 814. 815. Duo videntur dies à S. Gregorio Quadrageſimæ detracti. 816. Quatuor dierum au-



Digitized by Google

ctor S. Gregorius exiſtimatur; ſunt interim in Eccleſia Latina antiqui. 817. Græci carnibus abſtinent à Sexageſima. Uſque ad Quinquageſimam caſeo ac lacticiniis veſcuntur. 818. Qua ratione Armenii Quadrageſimam obſervent. 819. & ſeqq. Latini non ſunt hæretici ob non ſervatam Sexageſimæ Tyrophagiam ac carniſprivium.

## R.

Rabanus Maurus, Heriboldus & Amalarius de Euchariſtia perperam nil ſenſerunt. 520. 521

Rebaptizantes primi in Eccleſia fuêre Novatianenſes 887. 888. Donatiſtæ Catholicos rebaptizarunt. 890. & ſeqq. Eunomius etiam mitigatos Arianos rebaptizavit. 894. Lucifer Calaritanus Arianorum baptiſma recepit. 896. 897. Hilarus ſine novo baptiſmate Arianos recuſavit in communionem recipere. 897. Alii rebaptizantes recenſentur. 897. 898. Per rebaptiſmum Deo irrogatur injuria. 899. 900. Rebaptiſmus per miracula improbatus. 900. In Michaele Cerulario à Cardinale Humberto meritò reprehenditur. 901. Circa hunc S. Baſilius ceſpitavit. 904.

Rebelles à Leone IX. Sacris interdicti. 495.

Reges ab Eccleſia poſſunt exauctorari. 495.

Reges facinoroſi ab Epiſcopis in Clericos, Monachos aut Pœnitentes detondebantur. 494.

Regula Aquiſgranenſis proprietatem Canonicis permiſit; quam S. Petrus Damiani juxta S. Auguſtini Regulam exſtirpavit. 56.

Regula Clericorum ex SS. Hieronymi & Auguſtini Scriptis potiſſimùm excerpta. Servata uſque ad tempora Petri Damiani. Dein recepta eſt S. Auguſtini Regula. 38

Religioſi mendicantes ſub Honorio III. Clericorum connubia penitus exſtinxerunt. 54.

Religioſum ſtatum aſſumpturi ſolent de futura requie & commoditate eſſe ſolliciti. 199.

Remenſis Synodus à Leone IX. coacta anno 1049. 424. Fuit celeberrima. 425. 426. Epiſcopi, Abbates, &c. qui adfuerunt. 426 427. In feſtum S. Remigii indicta. 428. Atque in Baſilica ejuſdem ſancti, ſpretis Henrici Galliæ Regis obſtaculis, eſt perfecta. 429. Hujus Synodi conſeſſus exponitur. 429. & ſeqq. Ejuſque Acta. 441. & ſeqq. Scopus Synodi refertur. 442. 443. Alii tres hujus Synodi ſeſſiones ſtatuunt, alii ſex: Qui in concordiam vocantur. 478. Auctoritas hujus Synodi ſumma eſt: Etiam miraculo comprobata. 478. Canones hic allati ſunt mutili. 479. Leo IX. poſt hanc, nullam aliam Synodum in Gallia coëgit. 481. Nonnulli feſtum S. Remigii hìc inſtitutum exiſtimant. 479. Eſt tamen longè antiquius. 480

Reordinationes ac rebaptizationes à Conciliis quibuſdam ac Patribus damnantur. 213. Vide *Ordinationes ab hæreticis.*

Romana Synodus ſub Adriano I. eſt ſictitia. 331. 332. Secus Synodus Leonis VIII. 334.

Romanum Concilium I. ſub Leone IX. anno 1049. Hebdomade poſt Dominicam in Albis coactum. 481. Adversùs Simoniam. 482.

Romanum Concilium IV. ſub Leone IX. anno 1052. coactum, in quo canonizatus S. Gerardus, Tullenſis Epiſcopus. 563

Romanum Concilium II. ſub Leone IX. anno 1050. Dominica in Albis coactum. In quo Concilia antecedentia confirmata 499. Doctrina S. Lanfranci de venerabili Euchariſtia omnibus placuit, diſplicuit verò Berengarii. 499. 500. Acta Concilii. 546.

Romanum Concilium III. ſub Leone IX. anno 1051. poſt Paſcha coactum. In quo Gregorius Vercellenſis Epiſcopus ob adulterium degradatus, qui poſt ſatisfactionem reſtitutus. 560

Sa-

Digitized by Google

# S.

SAcramenta, quamvis à malis miniſtrata non polluantur, ritè tamen præcipi poteſt, ne ab iis accipiantur. 49
Sacramentarii hæretici primi fuerunt Heribertus, Lyzoius, & Stephanus. 417. 418. In Synodo Aurelianenſi damnati, degradati, ac vivi exuſti. 419. 420. Cum modernis hæreticis privatæ revelationis ſpiritui confidebant. 420
Sacramenta tria, juxta S. Auguſtinum, characterem imprimunt: Adeoque ab hæreticis collata ſunt valida. 212
Sal ſanctificatus Catechumenis ex ritu latino datus. 873 874
Satisfactio per eleemoſynas efficaciſſima. Olim pecunia aut flagellatione redempta. 149. Redemptio illa antiquis Canonibus incognita. 150. Eſt equidem vetuſta: Ejus auctor ignoratur. 151. Fieri non poterat credito. 150. In eam moderni hæretici acriter invehuntur. 155
Schiſma eſt mater hæreſios. 877
Schiſma Photianum non eſt à Siſinnio reſtauratum. 447. 448. Nec à Sergio C P. 448. 449. Sed ab Euſtatio vel Alexio, qui titulum *Univerſalis Epiſcopi* ſibi arrogarunt. 450
Schiſma precibus potiùs quàm armis exſtinguendum. 156
Sedes ſolius S. Petri eſt Apoſtolica. 466
Simeon Theſſalonicenſis, quo tempore vixerit. 252. 258
Simonia à Concilio Remenſi exſtirpatur. Non licet ſacros Ordines divendere, nec Eccleſiaſtica officia, ut Theſaurarii, Oeconomi, &c. Neque parochiales Eccleſias. 354. Pro ſepultura, baptiſmo, &c. nihil poteſt exigi, ſed oblatum accipi. 362.
Simonia aliquorum in Europa Regum exponitur. 129. & ſeqq. Per Galliam graſſata in Regibus Merovingiis. 129. 130. Exſtirpata. 130. 131. Revixit. 131. Hugo Italiæ Rex fuit ſimoniacus. 132. S. Henricus Rex vovit ſe ſimoniam eradicaturum, ideoque miraculoſè victoriâ potitus. 132. Inter Succeſſores non pauci ſimoniaci. 132. 134. 135. Simonia etiam Angliam fœdavit. 135. 136. 137. Ac Galliam ſub Philippo I. 137. Serpſit inſuper ad inferiores Patronos. 137. Precationes ac xenia data Patronis pro obtinendo beneficio ſunt ſimoniaca. 139. Vide *Exactio*.
Simonia apud Græcos graſſata. 878. Exſtincta, dein revixit. 878. 879. Exactio facta ab Ordinandis. 879 880. Et à nubentibus: Et pro defunctorum ſepultura. 881. Quas exactiones meliores Epiſcopi improbarunt. 882. 883. Et Humbertus rectè ſimoniæ damnavit. 884
Simoniaci non pauci divinitus puniti. Per ſimoniam regna periclitantur ac evertuntur. 212
Simoniacorum pœnæ antiquæ exponuntur. 236. & ſeqq. Primitus inflicta eſt degradatio. 239. Quæ pœna ſæpius innovata. 240. Fuitque latæ ſententiæ, atque etiamnum eſt hodie. 241. Conſuetudine depoſitio eſt mitigata in ſuſpenſionem. 241. 242. Pœna ſimoniæ eſt Sedi Apoſtolicæ reſervata. 242 Ordinati à ſimoniacis occultis miſericorditer ſuſtinentur. 242. 243. Simoniacè ordinatus, ipſo facto erat degradatus: Veriſimiliter & Ordinans Hodie ſuſpenditur. 244 Eadem iis inflicta pœna, qui in beneficiis ſimoniam commiſerunt 244. Eccleſia Romana numquam ingreſſum ſimoniacum purgat, ſi ſimonia fuerit realis. 245
Simoniacus quo ſenſu dicatur hæreticus. 114. Simonia circa ignorantem patrata, conſcientiam hujus non maculat, ſed promotionem annullat. 116. 117. Non facit tamen irregularem. 117 Simoniacè ordinatus, qui ſimoniacus non eſt, eget diſpenſatione, eſtque hæc conſtitutio Lucio III. antiquior. 118
Simonia in invito ab amicis commiſſa, non nocet. 459 460
Simonia per triplex munus committitur. 103 & ſeqq. Quod à S. Gregorio exponitur. 103. Et à S. Petro Damiani. 105.



Digitized by Google

Etiam precibus ſimonia committitur. Quæ tamen poſſunt abſque ſimonia adhiberi. 104 105. Munus ab obſequio aliis eſt longè deterius. 105. 106. Exempti Profeſſio facta ad impetrandam Epiſcopi benedictionem ſimoniaca eſt. 108. 109. Dubii aut difficilis debiti ſolutio pro re ſacra, munus eſt. 109. 110. Beneficium poſtulare munus à lingua eſt. 110. Alterum beneficium, immo Sacramentum poteſt alterius eſſe pretium. 110. Promittere alteri ſuffragium pro ſuffragio in electione ad ſpirituale munus, ſimoniacum eſt: Longiſſimè à comitiis Regularium amandandum. 111. Simonia ob muneris exiguitatem nequit decreſcere in peccatum veniale. 115. 118. Argumentum oppoſitum. 114 115. Solvitur. 115. 116

Simoniæ crimen exponitur. 87. & ſeqq. id nominis à Simone Mago mutuatum Eſtque crimen graviſſimum. 87. 88. Degradatione punitur. 88. Atque æterna damnatione. 89 A Simoniacis Spiritus ſanctus detrectat nominari. 88. Exiſtimabant nonnulli poſſe Epiſcopatum, non conſecrationem, emi: Item poſſe præbendam vendi, non tamen ordinem aut beneficium. 90. 91. Quos S. Petrus Damiani inſectatur: Atque oppoſitum cenſent Alexander II. & VII 91. Venditores beneficiorum per columbarum in templo venditores; emptores per nummularios deſignantur. 91. Simonia à variis Pontificibus damnata. 91. 92

Simoniæ materia non tantùm Sacramentum aut Sacramentale eſt, ſed etiam officium Diſpenſatoris, Manſionarii, &c. 111. Patronatus laicus olim non fuit, ſed modò eſt materia ſimoniæ. Uti & ſententia Judicis Eccleſiaſtici. Ac exactio, ut Monachus alteri monaſterio præficiatur. 111. 112. Secùs venditio vaſis ſacri, veſtimenti, &c. 112. Non licet ab Officialibus ſportulas accipere. 111. Beneficiorum nundinatio etiam jure Divino damnatur. 112. 113 Jus percipiendi fructus nihil magis vendi poteſt, atque ipſum officium. 112. 113.

Simoniæ origo & decurſus exponitur. 118. & ſeqq. Giezi & Simon auctores ſunt ſimoniæ. Ille vendendo, hic emere volendo. 118. Eſau & Jacob non fuère ſimoniaci in venditione & emptione Primogenituræ. 118. Simon Magus diu caruit ſectatore. 119. Arius legitur primus ſimoniam pecuniariam commiſiſſe: Atque in ſuos ſequaces derivaſſe. 120. Dein Catholici pedetentim infecti. 120. 121. 122. Simonia (non obſtante multiplici prohibitione) graſſata per Galliam, Germaniam, &c. 122. 123. Simoniaca Neophytorum hæreſis Auguſtos Romani Imperii Principes invaſit. 123. Atque Imperio per Reges barbaros lacerato virus latiſſimè ſerpſit. 123. Reges Gothorum in Romano Pontifice ſimoniam perpetrarunt. Clerici cœperunt Pontificatum mercari. 125. Vigilius contra Canones electus Pontificis Coadjutor. 125. Athalaricus Rex Arianus Regiam exactionem diminuit, non exſtinxit. 125. 126. Regia exactio à Juſtiniano A. & à Succeſſoribus perperam continuata. 127. Quam S. Gregorius acriter inſectatur: Et tamen perſolvit, ut vexam redimeret. 127

Simoniæ palliandæ gratiâ variæ inventæ technæ. 92. & ſeqq. De his ſancti Patres graviter queruntur. 92. Hæ technæ deteguntur. 93. & ſeqq Procurantes apud Principes promotionem Prælatorum, ſimoniam committunt: Uti & Principes qui à nominatis Prælatis quidquam exigunt 94. Non licet pecuniam poſt ordinationem accipere: Niſi forte ſponte offeratur, quod tamen olet avaritiam. 94. 95. Juſto beneficii poſſeſſori licet nummis injuſtas vexationes redimere. 98. Argumenta in oppoſitum adferuntur. 97 Et ſolvuntur. 98. 99. Non poſſunt Epiſcopi per ſimoniam promotos conſecrare. Licet Pontifici pecuniam ſimoniacè oblatam in pœnam acceptare. 102. 103.

Sodomiæ crimen à Deo graviter punitum. Ne vel ipſe Dæmon illius audire vult incentor. 420. Eſt planè deteſtabile 421.

Extro-

Digitized by Google

Extremo ſupplicio vindicatur. De eo in Belgio parciùs loquendum. 422
Sponſalia cum Sacerdotis benedictione cenſebantur matrimonium ratum: Differunt à matrimonio rato. 562
Spurii ad Eccleſiaſticam dignitatem evecti recenſentur. 78 79. Duces & Comites ſuos ex ancillis ſpurios olim in Eccleſiaſticas dignitates intrudebant. 79. Facti ſunt irregulares. 81. & ſeqq. Fieri nequeunt Cardinales. 82 Ad monaſteria olim non admiſſi: Quod tamen Gregorius XIV. mitigavit. 82
Stercoraniſtæ ſunt duplices. 222. Fuerunt hæretici. 523. Accidentia in ſeceſſum emitti docuit Rabanus, quod eum pœnituit. 524. S. Paſchaſius docuit in ſeceſſum non emitti. 524. Algerus etiam ſuſtinuit accidentia Euchariſtiæ eſſe incorruptibilia. 528. 529. Contra ſentientes notati, ut hæretici ſtercoraniſtæ. 529. Accidentia Euchariſtica corrumpi, in ventrem deſcendere, ac in ſeceſſum, jam paſſim admittitur, quamvis ab ea locutione temperandum. 529. 550
Subdiaconi latini ſine manuum impoſitione ordinati. 21. Adjuncta dein benedictionis formula. 22. 24. Subdiaconatum ſtatuit Urbanus II. ordinem majorem & ſacrum. 26. Subdiaconorum caſtitas. Vide *Continentia Subdiaconorum.*
Suffocatum Græci non comedunt. 764. 765. Eo abſtinuerunt etiam Latini. 565. Everſo Judaico templo cœperunt Chriſtiani ſanguine & ſuffocato veſci. 769. Grandia ſuffocata tempore Leonis IX. nondum edebantur. 770. Morticinum differt à ſuffocato. 771. A morticino & Latini & Græci tempore Leonis IX abſtinuere. 772. Cur Apoſtolica conſtitutio ſanguinem & ſuffocatum excipiat. 778. Tempore Michaelis Cerularii, tum Latini, tùm Græci à ſuffocatis grandibus animalibus abſtinebant: Adeoque Cerularii de ſuffocato objectio eſt mera calumnia. 779
Synodaticum debetur Epiſcopo. 209. Non rarus in eo exceſſus. 210

# T.

Theophylactus compendiator S. Chryſoſtomi. 674
Toletana Eccleſia obtinet Primatum. 466. 467.
Tonſura viros decet. Ab Apoſtolo eſt præcepta. 928. Antiqua Judæorum tonſura. 928. 929. Nazaræi intonſi. 929. 930. Uti & quidam Monachi. 930. 931. Græci comam nutrientes reprehenduntur. 931. 932. Canonem Apoſtolicum de tonſura Eccleſia Latina obſervavit. 933 Milites, barbari, laſcivi juvenes cæſariem aluerunt. Item Germani comati. 933. Secus Schytæ. Francorum Reges aliqui intonſi. 934. Promiſſa capillatura ſoli Regio ſanguini in Gallia permiſſa: Dein omnibus. 935. Nortmanni attonſi 935. Angli comati. 936. Fictum capillitium damnatur. 936. 937. Ex Anglia huc allatum. Tonſura in Italia viguit tempore Leonis IX. Ac nuper in Belgio. 937

# V.

Vercellenſe Concilium anno 1050. menſe Septembri habitum. Huc vocatus Berengarius, non venit. 551. Joannis Scoti liber damnatus. Legati Berengarii deficientes; capti ſunt, ac Berengarii doctrina damnata. 552. 553.
Vita in communi pro reparanda Clericali caſtitate juxta Eccleſias Cathedrales in provincia Romana denuo inſtituta. 55. Juxta Eccleſiam Lateranenſem vixerunt ſub Regula S. Auguſtini. 55. Clerus in Italia ſub Carolo Magno vitam communem in clauſtro egit: Quæ à S. Petro Damiani reſtituta, à Leone IX. confirmata, item à Nicolao II. ab Alexandro II. & à Gregorio VII. 56 Varia Clericis erecta clauſtra. 56 & ſeqq. Hic Clericorum convictus in Europa eſt ex S. Rigoberti Inſtituto: In Africa ex S. Auguſtini. 58
Unctio Regia à Græcis quaſi Sacramentum exaltatur. 258

Unctio ſacra uſque ad S. Petri Damiani ævum, nemine contradicente, in Eccleſia floruit. 52

Voti ſolemnitas eſt lex Eccleſiaſtica. 77. An quævis vota ſolemnia matrimonium dirimerent, S. Bernardus, aliique ceſpitarunt. 76. Voti ſolemnitas ad ſacros Ordines & in approbata religione profeſſionem ſub Innocentio III. eſt contracta. 76. Votum ſimplex matrimonium non dirimit. 77

Votum religionis, mortis aliuſve mali evadendi ergò emiſſum, obligat. 385. 386. Nec poteſt per Epiſcopum commutari. 386.

Uſura crimen eſt antiquiſſimum, ſemper damnatum, ſemperque graſſatum. 382. 383. 384. Uſura centeſima ſingulis menſibus ſolvi ſolita: Fœnus trientarium, ſingulis trimeſtribus. 383. Quidquid ſupra ſortem accipitur, uſura eſt. 383. Ingens fœneratorum copia olim Principi vectigal pendebant. 384. Uſura aliqua quondam à Principibus permiſſa: Per Canones tamen rigidè interdicta. Ac Clerici uſurarii per eoſdem puniti. 385

Utlagium ſeu utlagatio, id eſt, extra Regiam protectionem ejectio. 397

Uxores tres ſucceſſivè duci Eccleſia Græca non permiſit. 339

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google